SACRORUM CONCILIORUM NOVA, ET AMPLISSIMA COLLECTIO.

TOMUS DECIMUS QUINTUS.

REPRODUCTION

EN FAC-SIMILÉ

TIRÉE A 250 EXEMPLAIRES SEULEMENT

PAR LES PROCÉDÉS ANASTATIQUES

DE

F. M. GEIDEL, A LEIPZIG

POUR

H. WELTER, ÉDITEUR
RUE BERNARD-PALISSY, N° 4, PARIS
ET A LEIPZIG, SALOMONSTRASSE, 16
1902

Catholic Church. Councils.

SACRORUM CONCILIORUM NOVA, ET AMPLISSIMA COLLECTIO,

IN QUA PRÆTER EA QUÆ

PHIL. LABBEUS ET GABR. COSSARTIUS S. J.

Et noviſſime NICOLAUS COLETI *in lucem edidere,*

EA OMNIA INSUPER SUIS IN LOCIS OPTIME DISPOSITA EXHIBENTUR, QUÆ

JOANNES DOMINICUS MANSI,

ARCHIEPISCOPUS LUCENSIS EVULGAVIT.

EDITIO NOVISSIMA

AB EODEM OPTIME MERITO PRÆSULE

POTISSIMUM FAVOREM ETIAM ET OPEM PRÆSTANTE

EM.^MO CARDINALI DOMINICO PASSIONEO

SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ BIBLIOTHECARIO,

ALIISQUE ITEM ERUDITISSIMIS VIRIS MANUS AUXILIATRICES FERENTIBUS, CURATA,
Novorum Conciliorum, novorumque Documentorum Additionibus locupletata,
Ad MSS. Codices Vaticanos, Lucenſes, alioſque recenſita, & perfecta.

ACCEDUNT ETIAM NOTÆ, ET DISSERTATIONES QUAMPLURIMÆ, QUÆ IN CETERIS EDITIONIBUS DESIDERANTUR.

TOMUS DECIMUS QUINTUS.

Ab Anno DCCCLV. uſque ad An. DCCCLXVIII. incl.

ALMA COLLEGE
263.1
LIBRARY
M318
Alma, California

VENETIIS MDCCLXX.
APUD ANTONIUM ZATTA.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

(Editio iterata ad Editionis principis exemplum ab Huberto Welter, Bibliopola, Via dicta Bernard Palissy 4, Parisiis MDCCCCII)

9447

f
BX
825
S3
1901
V.15

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del *P. D. Filippo Roſa Lanzi* Inquiſitor General del Santo Offizio di *Venezia* nel Libro intitolato: *Sacrorum Conciliorum &c. Auctore P. Philippo Labbeo Soc. Jeſu curante Nicolao Coletti, & Joanne Dominico Manſi &c.* non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza ad *Antonio Zatta* Stampator di *Venezia* che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Data li 20. Decembre 1767.

{ Sebaſtian Zuſtinian Riform.
{ Alviſe Vallareſſo Riform.
{ Franceſco Moroſini Sec.^do Cav. Proc. Riform.

Regiſtrato in Libro a Carte 335. al Num. 2304.

Davidde Marcheſini Segr.

MONITUM.

Curanti mihi, ut omni prælorum meorum niſu Volumen hoc XV. Conciliorum abſolveretur, triſte nuntium allatum eſt, Joannem Dominicum Mansi *Lucenſem Archiepiſcopum de Republica litteraria optime meritum e vivis emigraſſe: quod quidem omnes eruditos viros maximo dolore affecit, tum ob ſummam animi ejus integritatem, tum ob aſſiduos ipſius labores, quos in augendis, perficiendiſque doctiſſimorum Scriptorum Operibus celebrioribus exantlavit. Mirum ſane eſt in ipſo Viro, omnia vitæ ſuæ intervalla aliorum profectibus dicata fuiſſe, tempuſque omne inſumptum aut in evolvendis aliorum ſcriptis, aut in illuſtrandis, aut in ſuis eruditiſſimis Elucubrationibus conficiendis. Atque, ut cetera præteream, nonne maximas eidem gratias referre debet litteraria Reſpublica ob hanc Conciliorum Collectionem auctam, & quamplurimis monumentis decoratam, quæ per longinquorum itinerum, meis licet ſumptibus actorum, incommoda ex illuſtrioribus Bibliothecis aut eruit, aut contulit ac ordine chronologico digeſta inſeruit? Quid dicam de innumeris correctionibus, & præmonitionibus, quæ paſſim occurrunt, & quæ facillime conſpici poſſunt in Syllabo unicuique Tomo præmiſſo, hoc indice ☞ notatæ?*

Verum, cum hujus Moniti mei ſcopus revera ſit, non ut doctiſſimum Archiepiſcopum Mansi *laudibus efferam, ſed ut eos, qui huic Societati meæ nomen dederunt, aut in poſterum dabunt, de hujus Operis continuatione certiores faciam; neminem latere cupio, mortem ipſius bene meriti Viri nullum detrimentum attuliſſe, aut allaturam fore ejus perfectioni. Siquidem jam præ manibus habeo integra exemplaria una cum omnibus additionibus, ſuis paſſim locis diſpoſitis, & chronologico ordine, (ut ſuperius dixi) digeſtis; adeo ut nil mihi deſit ad perfectam hujuſce Collectionis abſolutionem. Quod etiam patet ex eo, quod publici juris feci, ipſius Archiepiſcopi monito, anno* MDCCLXIII. *in eorundem Conciliorum* Conſpectu *recuſo; quodque denuo infra inſertum Lectores reperient in ſinceri animi mei teſtimonium. Quamquam præterea etiam in Volumine* x. *hujus Editionis præmiſerim, Patrem* Mansi, *nondum ad Archiepiſcopatum Lucenſem evectum, omnia tum ſuppleviſſe, præter ultimum volumen; tamen ab eo tempore etiam illud correxit, perfecitque; ſicque factum eſt, ut ego nullis ulterioribus impendiis, quæ Amanuenſes a me recipiebant (gravia quidem, ſed nunquam ſatis commendanda, ut ſollicite omnia conficerentur) in poſterum ſubjici deberem.*

Interea indubium ſit, me operam omnem navaturum, ut quam citius fieri poterit, omnia alia volumina, ſumma diligentia, abſolvantur, mihique datum ſit, ut poſſim typos meos ea, qua uſque adhuc, publica laude exercere.

MO-

MONITUM
JOHANNIS DOMINICI MANSI

Præmiſſum Conſpectui Collectionis Conciliorum Labbeanæ, recuſo anno MDCCLXIII.

INgentis operis, me curante, felicibus auſpiciis incæpti volumen octavum jam prodit, illoque ni vane mihi blandiar, ſpero fore, ut veſtræ expectationi abunde ſatisfactum ſit. Typorum profecto, atque totius Editionis ſplendore Typographus honeſtiſſimus Antonius Zatta, ſuis, quibus olim obſtrictus erat pollicitationibus, ſeſe exſolvit. Ego nihil omiſi eorum, quæ addenda mihi propoſui, atque publico in Conſpectu hujus Editionis, quem jamdudum vulgavi, ſpoponderam; quæ enim in meo Supplemento adjeci ad veteres collectiones, hic ſuo loco fideliter comparent; nempe Epiſtola Bonifacii Papæ primi ad Juſtum Dorobernenſem in Anglia Epiſcopum, alia ejuſdem Bonifacii ad Eleutherium Comitem; Concilium Corinthium anni 419. Cteſiphontis in Perſide anni 420. Numidiæ anni 423. Additiones ad Concilium Antiochenum, vel Syriacum anni 424. Tricaſſinum anni 429. Concilium in Cœnobio Arcæ in Perſide anni 430. Sed & ſunt alia, quæ cum olim me fugerint, nunc ſecundis curis diligentius inquirenti reperire licuit, ſicut & nonnulla e vetuſtiſſimis codicibus de novo ſuppeditata; alia inſuper ab amicis tranſmiſſa accepi; ut eſt Concilium Carthaginenſe anno 419. integrum a Ballerinis Fratribus quidem excuſum, ſed in hac Editione numeris omnibus abſolutum. Aliud etiam Carthaginenſe anni 421. quod e Ballerinorum editione huc tranſtuli; integra pariter Bonifacii I. epiſtola ad Epiſcopum, Presbyteros, & Vicarium ſuum tranſmiſſa ex mſ. Friſingenſi Codice nunc primum eruta. Sunt etiam excerpta, ſeu veteres tituli geminarum epiſtolarum Cæleſtini Papæ, quæ codex Lucenſis nunc primum ſuppeditavit. Statuta Complutenſia e mſ. Codice Lucenſi in lucem producta; Concilium Hipponenſe anni 427. nunc primum in Collectiones invectum. Epiſtola Romanorum Presbyterorum pro Bonifacio I. Papa a Patre Couſtant olim edita. Canones Concilii Telenſis, ſeu Teleptenſis ex Codice Lucenſi; excerpta, ſeu veteres tituli Epiſtolæ Zoſimi Papæ ad Eſychium Salonitanum. Erunt fortaſſe & alia, quæ me tumultuarie nunc ſcribentem fugerunt (*). Neque hæc ſatis, ſed & veterum editionum textum cum manuſcriptis, & antiquiſſimis, ac primigeniis editionibus contuli; nec fruſtra labor meus ceſſit: reperi enim in prioribus editionibus non ſemel receſſum fuiſſe a ſincera lectione, quod ſæpe accidit, cum aliæ poſt alias promulgantur. Meæ igitur curæ fuit, ut ad illas meam hanc diligenter emendarem, nec ſane infrequenter accidit, ut periodos integras repetitas nactus ſim; cum enim prior periodus iiſdem verbis ac ſecunda interdum incipiat, hinc factum ut minus cautus Typographus ſecundam daret, priorem omitteret. Ex hoc porro ſpecimine intelligent eruditi, hoc volumen reſpondere ceteris præcedentibus; niſi forte & illa additionum multitudine ſuperet, quæ & majora erunt, cum e vetuſtiſſimorum ſæculorum tenebris, propius ad ſæcula clariora accedentes, nos magis magiſque expedierimus. Interim volo ac jubeo Lectores grates referre ſuas viris doctiſſimis, qui mihi manus adjutrices ad eruenda vetera monumenta exhibuerunt, inter quos profecto emicat P. Forbenius Fonſter, Ordinis ſancti Benedicti, Ratisbonenſis inſignis Cœnobii Sancti Emmerami Prior, & Bibliothecarius, qui divites Bibliothecæ ſuæ pluteos mihi aperuit, & ad commodum publicum pretioſa monumenta ſuppeditavit; ne quid dicam de Ballerinis Fratribus Veronenſibus, e quibus ego, & eruditi omnes adeo multum profecimus. Eorum exemplo excitari opto & alios viros doctos, eoſque precor ad commune commodum mihi beneficos fore. Et ſane ſunt alii cum gratiarum actione mihi commemorandi, qui ſymbolam ſuam ad uſum futurorum voluminum anticiparunt, veluti Pater Philippus Nerius Puell Congregationis Canonicorum Regularium Lateranenſium Neocellenſis; P. F. Benedictus Bonello Ordinis Sancti Franciſci Strictioris Obſervantiæ, Tridenti agens, aliique quorum nomina ſuo loco gratus producam. Nec prætereundus Cl. Gerardus Meerman J. C. & Penſionarius Rotterdamenſis, cujus nomen eſt clarum inter eruditos, qui opportunis monitis ſuis, identidem ſuggeſtis de hac editione optime meruit. Ut vero eruditi, ad quos editionis hujus noſtræ fama nondum pervenit, quid illa futura ſit, intelligant, idem honeſtiſſimus Typographus Venetus Antonius Zatta editum olim ejuſdem Conſpectum, emendatum, auctumque evulgandum iterum ſuſcepit, & literis hiſce ſubjecit.

Admonuiſſe eruditos juvat, me non pigere, aliquod tempus inſumpſiſſe Typographum in ſuperioribus voluminibus excudendis, cum & illi, & mihi Eruditorum Virorum additiones (ſero quidem, at opportune) pervenerint. Longinqua locorum ſpatia, exactæ ad Codices collationes, & multis impenſis peractæ, necnon Eruditorum virorum obſervationes in cauſa ſunt, quin celerius exequeretur opus. Certum interea maneat frequentius impoſterum proditura volumina: habeo enim fere omnia parata, ut ſi quid ſiniſtri mihi forte acciderit (homines enim ſumus mortales) nihil pro editione timendum ſit.

SYL-

(*) *Revera doctiſſimus* Vir *quamplurima alia inſeruit, quæ tunc temporis aut memoriam ejus fugiebant, aut nondum præ manibus ipſe habebat. Siquidem in poſterum ab eruditis viris perplura documenta, eaque magni momenti, ipſi ſubminiſtrata fuerunt.*

SYLLABUS
EORUM, QUÆ IN TOMO XV.
CONTINENTUR.

Quæ hoc Indice ☞ notata ſunt, noſtræ Editioni noviter acceſſere *P. Joannis Dominici Manſi* cura, nunc Archiepiſcopi Lucenſis; omiſſis iis, quæ tipothetarum vitio notari non potuerunt.

ANNO CHRISTI		
855	*CONCILIUM VALENTINUM III.* juſſu Lotharii Imp. celebratum.	*pag.* 1
	Tituli Canonum.	*ibid.*
	Præfatio.	2
	Canones XXIII.	3
	Exemplum Legis de confirmando judicio Epiſcoporum.	13
☞	Capitulum Legis Gondebadæ,	14
	Subſcriptiones Epiſcoporum.	*ibid.*
	Nota Jacobi Sirmondi.	*ibid.*
	— *Severini Binii.*	15
	CONCILIUM TICINENSE.	*ibid.*
	Huc pertinet conventus qui ſupra ad annum DCCCLIII.	
	1. Capitula ab Auguſto propoſita.	*ibid.*
	2. Ad eumdem, reſcriptum conſultationis epiſcoporum.	*ibid.*
☞	Collectoris Additio ad idem Concilium.	19
	CONCILIUM apud *BONOILUM VILLAM.*	21
☞	Adnotatio Chronologica, & Additio ad idem Concilium.	25
☞	*CONCILIUM ROMANUM.*	27
☞	Judicatum Leonis Papæ IV.	29
anno incerto	De Joanna Papiſſa, *adnotatio Severini Binii.*	35
	Obſervatio Philippi Labbe.	37
	Cenotaphium ejuſdem Papiſſæ.	38
	Demonſtratio Chronica adverſus hanc fabulam.	40
	Tabula annorum XI. Sæculi IX. digeſta ex ſolis Scriptoribus Synchronis ejuſd. Sæculi a	*pag.* 42. *ad* 102
855	VITA ET EPISTOLÆ BENEDICTI PAPÆ III	102
	Nota Severini Binii.	110
	Ejuſdem epiſtolæ duæ.	*ibid. & ſeq.*
	Diploma in confirmationem privilegiorum Corbejenſis cœnobii.	113
	Aliud privilegium monaſterii S. Dionyſii.	120
	Donatio Æthelvvlfi, ex triplici editione.	*ibid.*
	CONCILIUM VVINTONIENSE.	122
856	*CONCILIUM ROMANUM.*	124
☞	*CONCILIUM CONSTANTINOPOLITANUM.*	*ibid.*
857	*Synodus Carifiaca.*	126
	Notæ Jacobi Sirmondi.	128
	— *Severini Binii.*	*ibid.*
	CONCILIUM VVORMATIENSE, in quo confirmatur unio Eccleſiæ Bremenſis cum Hamburgenſi.	130
☞	Adnotatio Chronologica, & Additio ad eandem Synodum.	*ibid.*
	CONCILIUM MOGUNTINUM.	140
	Adnotatio PP. Martene & Durand.	140
858	Epiſtola Nicolai Papæ I. ad epiſcopos Germaniæ.	141
	VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA NICOLAI PAPÆ I.	144
☞	Præmonitio in Epiſtolas ejuſdem Pontificis.	159
	Epiſtolæ.	*ibid. & ſeq.*
	Arſenii Hortenſis Epiſcopi Sedis Apoſtolicæ Legati, generalis Epiſtola ad omnes epiſcopos.	326
	Prologus Æneæ Pariſiacenſis Urbis Epiſcopi adverſus errores Græcorum.	362
	Appendix I. Epiſtolarum hujus Papæ	366
	Adventii Metenſis epiſcopi ad Nicolaum epiſtola.	368
	Caroli Calvi epiſtola ad Nicolaum.	371
	Lotharii regis epiſtola ad Nicolaum papam.	384
	Scriptum Servati Lupi ad Nicolaum, de Herimanno epiſcopo Nivernenſi.	397
	Fragmenta aliarum Epiſtolarum.	399
	Reſponſa ejuſdem Pontificis ad Conſulta Bulgarorum.	401
	Decreta, ſeu Reſcripta Nicolai Papæ I.	434
	Appendix II. Epiſtolarum continens Epiſtolas IV. Nicolai Papæ.	449
	De ſententiis atque interdictis Sedis Apoſtolicæ.	451
	Epiſtola Anaſtaſii Bibliothecarii ad Adonem Archiep. Vienenſem de morte Nicolai Papæ.	453
	Appendix III. Epiſtolarum.	454
	Capitula reſponſionum Nicolai Papæ ad Legationem Salomonis Epiſcopi.	*ibid.*
	Fragmenta Epiſtolarum quatuor ejuſdem Pontificis.	457
☞	Ejus Decretum ex Baluzio.	458
	Reſponſa Nicolai Papæ I. ad Conſulta Arduici Archiepiſcopi Veſontionenſis.	459
☞	Excurſus Chronologicus in ejus Epiſtolas.	463
☞	Appendix ad Epiſtolas Nicolai I.	470
☞	Ex Decretis ipſius.	474

Capi-

ANNO CHRISTI

858 Capitula Hincmari Archiepiſcopi Rhemenſis. 475
1. Presbyteris data anno DCCCLII. capitula XVII. *ibid.*
2. Capitula XXVI. quibus de rebus magiſtri & decani inquirere, & epiſcopo renuntiare debeant. 479
3. Capitula III. anno XII. epiſcopatus ſuperaddita. 491
4. Capitula V. in ſynodo Rhemenſi anni DCCCLXXIV. 493
5. Capitula XIII. eodem anno archidiaconis presbyteris data. 497
Ejuſdem epiſtola ad presbyteros, de baptiſmo. 499
Canones Iſaac Epiſcopi Lingonenſis. 503
Nota Jacobi Sirmondi S. J. *ibid.*
Capitula Herardi Archiepiſcopi Turonenſis. *ibid.*
— VValterii Aurelianenſis. *ibid.*
Obſervatio Philippi Labbe S. J. *ibid.*
Notæ Ludovici Celoti in eadem Capitula. 518
CONCILIAB. CONSTANTINOPOLITANUM. 518
Adnotatio P. Pagi. *ibid.*
Synodus Conſtantinopolitana in Palatio ex Libello Synodico G. L. 519
Synodus Conſtantinopolitana in Blachernis G. L. 520
Synodus Conſtantinopolitana in Templo Apoſtolorum ex eodem Libello. G. L. 521
Synodus Romana Nicolai I. G. L. *ibid.*
CONCILIUM SUESSIONENSE indictum juſſu Ludovici Regis Tranſrhenani. 523
Epiſtola Epiſcoporum apud Cariſiacum miſſa ad Ludovicum Regem Germaniæ. *ibid.*
Tituli Capitulorum. *ibid.*
Nota Jacobi Sirmondi. *ibid.*
☞ *Synodus Turonenſis.* *ibid.*
☞ *Synodus Moguntina.* 525
859 *CONCILIUM METENSE.* *ibid.*
Nota Jacobi Sirmondi. *ibid.*
CONCILIUM LINGONENSE. *ibid.*
CONCILIUM TULLENSE I. apud Saponarias. 527
Index Canonum. *ibid.*
Epiſtola Synodalis ad VVenilonem. 529
— ad Epiſcopos Britonum. 532
— ad eoſdem. 534
Decreta Synodi Lingonenſis. 537
Notæ Jacobi Sirmondi. 540
— *Severini Binii.* 541
Commonitorium Herardi Turonenſis, ad Vvenilonem Senonenſem. 541
Synodus Syſtericenſis. 542
CONCILIUM CONSTANTINOPOLITANUM. 543
CONCILIABULUM CONSTANTINOPOLITANUM, ſive *PHOTIANUM II.* 546
☞ *CONCILIUM LINGONENSE.* *ibid.*
860 *CONCILIUM AQUISGRANENSE* duplex. 547
Synodica epiſcoporum regni Lotharii ad Nicolaum. 548
CONCILIUM CONFLUENTINUM. 549
Notæ Sirmondi. 553
CONCILIUM TULLENSE II. 557

ANNO CHRISTI

Præfatio & Canones. *ibid. & ſeqq.*
860 Ad eos additio. 560
Subſcriptiones Epiſcoporum. *ibid.*
Obſervatio Philippi Labbe S. J. 561
Epiſtola Synodalis ejuſdem Concilii. 563
Epiſtola Hincmari Archiepiſcopi Rhemenſis. 571
Notæ Jacobi Sirmondi. 589
☞ *CONCILIUM MEDIOLANENSE.* 590
Conventus Epiſcoporum incerti Loci in Gallia. *ibid.*
861 *CONCILIABULUM CONSTANTINOPOLITANUM.* 595
Adnotatio P. Pagi. 598
CONCILIUM ROMANUM I. in cauſſa Joannis Epiſcopi Ravennatis. *ibid.*
☞ Jo. DOMINICI MANSI, Monitum ad Lectores. *ibid.*
☞ Catalogus Epiſcoporum juxta Codicem Modoeſienſem. 604
CONCILIUM SUESSIONENSE. 605
Obſervatio Philippi Labbe. *ibid.*
862 *CONCILIUM SENONENSE.* 607
☞ Duo *CONCILIA ROMANA.* 609
☞ *CONCILIUM MEDIOLANENSE.* *ibid.*
CONCILIUM ROMANUM II. 611
Nota Severini Binii. 612
CONCILIUM AQUISGRANENSE III. *ibid.*
1. Acta concilii. *ibid.*
2. Conteſtatio Lotharii regis. 614
3. Sententia epiſcoporum pro Lothario. 615
4. Collectio variorum locorum, ſuper hoc, an liceat homini, uxore dimiſſa, aliam ducere, adhuc illa vivente. 617
Notæ Jacobi Sirmondi. 625
— *Severini Binii.* *ibid.*
☞ Præmonitio in ſequentem Libellum. 626
☞ Libellus. *ibid.*
Conventus Trium Regum Francorum, & Epiſcoporum Galliæ in villa ad Sablonarias. 630
De eodem ex annalibus Bertinianis. *ibid.*
Privilegium eidem monaſterio a Landerico Pariſienſi epiſc. datum, in hoc concilio confirmatum. 634
☞ Additio ad *CONCILIUM PISTENSE.* 635
CONCILIA SUESSIONENSIA preſente Carolo Calvo Rege. 638
CONCILIUM SCHIRACHAVANENSE. 639
Canones XV. ejuſdem Concilii. *ibid.*
Obſervatio. 641
Explanationes Canonum IX. XI. XIII. XIV. *ibid. & ſeq.*
863 *CONCILIUM SILVANECTENSE.* 643
Notæ Jacobi Sirmondi S. J. & Severini Binii. 644
Epiſtolæ Synodales II. Epiſcoporum Regni Lotharii. 646
Obſervatio Philippi Labbe. *ibid.*
CONCILIUM METENSE in Synodo Romana damnatum. 647
Additio ex annal. Bertinianis. 648
Notæ Jacobi Sirmondi, & Severini Binii. 649
CONCILIUM ROMANUM III. in quo Synodus Metenſis damnata eſt. *ibid.*
Tituli Canonum. *ibid.*

ANNO CHRISTI

Præfatio, ſive Capitula Nicolai Papæ ad univerſos Epiſcopos. *ibid.*
863 Capitula ſeu Decreta. 651
Notæ Jacobi Sirmondi, & Severini Binii. 658
Supplementum ejuſdem Concilii una cum Monito Ludovici Muratorii. *ibid.*
Notæ. 659
☞ Additio Jo: Dom. Mansi. *ibid.*
CONCILIUM ROMANUM IV. 661
— *ROMANUM V.* *ibid.*
CONCILIUM in loco, qui dicitur Piſtis ad fluvium Sequanam. 663
Additio ad idem Concilium. 664
Privilegium S. Martini Turonenſis confirmatum. 664
Notæ Jacobi Sirmondi. 667
Analecta Opuſculorum, quæ Sirmondi Notis commemorata ſunt. *ibid.*
CONCILIUM INCERTI LOCI IN AQUITANIA. *ibid.*
CONCILIUM VERMERIENSE. 670
☞ Additio ad idem Concilium. *ibid.*
864 *CONCILIUM ROMANUM VI.* 673
☞ Additio ad idem Concilium. *ibid.*
Synodus II. Piſtenſis. 678
Obſervatio P. Guillelmi Beſſin. 679
865 ☞ *CONCILIUM* ſeu *CONVENTUS* Attiniacenſis. 680
CONCILIUM ROMANUM VII. *ibid.*
Libellus Proclamationis Rothadi Epiſcopi Sueſſionenſis. 681
Sermo Nicolai Papæ. 685
Epiſtola ejuſdem Pontificis ad Clerum & Plebem Romanam. 687
— Ad Carolum Calvum Regem. 688
— Ad Hincmarum Epiſcopum Rhemenſem. 691
— Ad univerſos Ep. Galliæ. 693
— Ad Clerum & Plebem Sueſſionicam. 700
— Ad Rothadum Epiſcopum. 701
Nota Severini Binii. 703
☞ Additio ad *CONCILIUM ROMANUM VII.* *ibid.*
☞ Epiſtola Synodica Nicolai Papæ ad Ludovicum Imperatorem. *ibid.*
866 *CONCILIUM SUESSIONENSE III.* *ibid.*
Elenchus omnium, quæ pertinent ad idem Concilium. *ibid.*
Epiſtola Nicolai Papæ ad Hincmarum de convocatione Concilii. 705
— Caroli Regis ad Nicolaum Papam I. 707
— Nicolai Pont. ad Carolum. 709
— Ejuſdem ad Herardum Archiepiſc. Turonenſem, de convocando Concilio. 710
Schedulæ quatuor Synodo oblatæ ab Hincmaro. 712
Annuntiatio Herardi Turonenſis Archiepiſcopi. 725

ANNO CHRISTI

Epiſtola Synodica ad Nicolaum Papam. 727
866 — altera Synodica ad eumdem. 732
— Caroli Regis ad Nicolaum Papam. 745
Privilegium a Synodo Sueſſonica conceſſum Monaſterio Solemniacenſi. 735
Epiſtola Nicolai ad Epiſcopos Synodi. 738
— ad Hincmarum Rhemenſem. 745
— ad Carolum Regem. 753
— ad VVIfadum Clericum & ſocios. 754
☞ *Synodus Ticinenſis.* 759
Epiſtola Hincmari ad Nicolaum Papam. 765
— ejuſdem ad Egilonem. 768
— ejuſdem ad Nicolaum Papam. 772
— ad eundem. 783
— Clericorum Rhemenſium ad eundem. 785
Privilegium Monaſterii Atrebatenſis conceſſum in Concilio Vermerienſi. 786
867 *CONCILIUM TRICASSINUM.* 790
Epiſtola Epiſcoporum in regno Caroli & Lotharii ad Epiſcopos in regno Ludovici manentes. 789
— Synodica ad Nicolaum. 791
— Caroli Calvi ad eundem. 796
Notæ Jacobi Sirmondi. 801
— *Severini Binii.* 802
☞ Additio ad Tricaſſinam Synodum. *ibid.*
CONCILIABULUM CONSTANTINOPOLITANUM. 803
CONCILIUM CONSTANTINOPOLITANUM. 806
Vita, Epistolæ et Decreta Hadriani Papæ II. *ibid.*
Nota Severini Binii. 818
Epiſtolæ ejuſdem XXXVI. 819. *& ſeqq.*
— Baſilii Imp. ad ipſum. *ibid.*
— S. Ignatii ad eundem. 820
— Synodica ex Concilio Conſtantinopolitano ad eundem. 821
CONCILIUM ROMANUM. 861
868 *CONCILIUM* apud *CARISIACUM.* 862
CONCILIUM VVORMATIENSE. 866
Tituli Canonum. *ibid.*
Præfatio. 867
Profeſſio fidei. *ibid.*
Canones LXXX. 870. *& ſeqq.*
☞ Additio ad *CONCILIUM VVORMATIENSE.* 883
☞ *Piſtenſis Conventus.* 886
☞ *CONCILIUM ROMANUM.* *ibid.*
CONCILIUM INCERTI LOCI. 887
☞ — Epiſcoporum Galliæ & Burgundiæ. 888
☞ *Laudunenſis Synodus Diœceſana.* *ibid.*
☞ — *Romana vel forte Caſinenſis.* 890
☞ — *Caphartutæ Jacobitarum.* 895

ANNO CHRISTI 855.

[a] CONCILIUM VALENTINUM III.

[*] LOTHARII IMPERATORIS JUSSU

ANNO CHRISTI 855.

In cauſſa Valentini epiſcopi celebratum, VI. Idus Januarias, indict. III. anno Chriſti DCCCLV. [b] Leonis IV. papæ anno VIII. Lotharii ejuſdem imperatoris & Caroli Calvi regis XV.

TITULI CANONUM.

P. Sirmondo.

I. *Quod novitates vocum omni ſtudio vitandæ ſint.*
II. *De æterna Dei præſcientia bonorum & malorum.*
III. *De prædeſtinatione Dei, electorum ad vitam, & impiorum ad mortem.*
IV. *De redemptione ſanguinis Chriſti: & de quatuor, & novemdecim capitulis.*
V. *Quod omnes regenerati a peccatis abluti ſint, non tamen omnes ſalvi fiant.*
VI. *De gratia & libero arbitrio.*
VII. *Ut epiſcopi per civitates minus idonei non ordinentur.*
VIII. *Ut excommunicentur qui poſſeſſiones eccleſiarum invadunt, etiamſi a principe indultas dicant.*
IX. *De presbyteris parochialibus, dotibuſque baſilicarum: & de iis qui baſilicas in prædiis ſuis condere volunt.*
X. *Ut nonæ ac decimæ de rebus eccleſiæ ſubtractis perſolvantur, & decimæ de omnibus quæ poſſidentur.*
XI. *Ut in judicio forenſi juramentum juramento legitime facto non opponatur.*
XII. *De iis qui ſingulari certamine alios occidunt, vel occiduntur.*
XIII. *Ut epiſcopi mutuo ſe adjuvent contra rebelles, & auctoritatis ſuæ contemptores.*
XIV. *Ut epiſcopi gregem ſuum nulla oppreſſione lædant.*
XV. *Ut epiſcopi formam diſciplinæ in omni vita & converſatione ſua ſe intuentibus exhibeant.*
XVI. *Ut verbum prædicationis per ſe vel per alios fidelibus adminiſtrent.*
XVII. *Ut viſitationes parochiarum moderate & apte peragant.*
XVIII. *De ſcholis inſtaurandis.*
XIX. *Ut metropolitani de vita & opinione epiſcoporum præcipuam curam gerant.*
XX. *Ut theſaurus omnis eccleſiæ fideliter cuſtodiatur.*
XXI. *De commutationibus rerum eccleſiaſticarum nullatenus aut diligentiſſima cura faciendis.*
A XXII. *De ſervitio presbyterorum erga epiſcopos ſuos.*
XXIII. *Synodi ſententia pro archidiacono eccleſiæ Viennenſis, qui de ſtatus ſui conditione ab æmulis impetebatur.*

PRÆFATIO. (a)

B Regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto, anno DCCCLV. ab incarnatione ejus glorioſiſſimo Lothario imperante XV. indictione III. menſe Januario, VI. Idus ejuſdem menſis, apud urbem Valentinam, in domo baſilicæ ſancti Joannis adjacente. Cum propter cauſſam epiſcopi civitatis ipſius criminibus diffamati, ex juſſione præfati pii principis, reverentiſſimi trium provinciarum epiſcopi in unum collecti reſediſſent, id eſt Lugdunenſium, C Viennenſium. & Arelatenſium, numero XIV. quibus præfuerunt auctore Domino epiſcopi metropolitani, videlicet Remigius Lugdunenſis, * Agilmarus Viennenſis, Rodlandus Arelatenſis, (b) collaborante eis quam maxime venerabili Ebbone Gratianopolitano epiſcopo, adjuncto etiam venerabili cœtu presbyterorum, devotiſſimis quoque diaconis adſtantibus, evangeliis in medio poſitis, poſt objectiones epiſcopo factas, diſcuſſas, & finitas, placuit omnibus in ſancta ſynodo conſtitutis, ne fratrum conventus abſque ædificatione diſcederet, hæc pauca in Chriſti nomine, quæ ſub-

* Egilmarus

(a) Concilium iſtud collatum a me eſt cum Cod. Vatican. ſignato 3827. in quo legitur eadem manu, qua cetera; hæc adnotatio: *Exemplar ex authentico Prothi fideliter tranſlatum.* Hic autem variantes ſubjicio.
(b) corroborante.

subter annexa sunt, ad commonitionem sui ceterorumque fidelium, devota & sollicita pietate annotare. ANNO CHRISTI 855.

CANONES.

I.

Quia doctorem gentium in fide & veritate fideliter commonentem obedienterque audimus: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, (a) quam quidem promittentes circa fidem exciderunt.* & iterum: *Profana autem & inaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum ut cancer serpit.* & iterum *Stultas autem & sine disciplina quæstiones devita, sciens quia generant lites. servum autem Domini non oportet litigare.* & iterum: *Nibil per contentionem, neque per inanem gloriam:* paci, quantum Deus dederit, & caritati studere cupientes, attendentes pium ejusdem apostoli consilium, *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis*, novitates vocum, & præsumptivas garrulitates, unde potius inter fratres contentionum & scandalorum fomes excitari potest, quam ædificatio ulla timoris Dei succrescere, cum studio omni devitamus. Indubitanter autem doctoribus pie & recte tractantibus verbum veritatis, ipsisque sacræ scripturæ lucidissimis expositoribus, id est Cypriano, Hilario, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, ceterisque in catholica pietate quiescentibus, reverenter auditum, & obtemperanter intellectum submittimus, & pro viribus quæ ad salutem nostram scripserunt amplectimur. Nam de præscientia Dei, & de prædestinatione, & de quæstionibus aliis, in quibus fratrum animi non parum scandalizati probantur, illud tantum firmissime tenendum esse credimus, quod ex maternis ecclesiæ visceribus nos hausisse gaudemus.

1 Tim. 6.
2. Tim. 2.
Ibidem.
Philipp. 2.
Ephes. 4.

II.

Deum præscire & præscisse æternaliter, & bona quæ boni erant facturi, & mala quæ mali sunt gesturi, quia vocem scripturæ dicentis habemus: *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant*, fideliter tenemus, & placet tenere, bonos præscisse omnino per gratiam suam bonos futuros, & per eamdem gratiam æterna præmia accepturos: malos præscisse per propriam malitiam malos futuros, & per suam justitiam æterna ultione damnandos: ut secundum psalmistam, *quia potestas Dei est, & Domini misericordia*, (b) *ut reddat unicuique secundum opera sua.* & sicut apostolica doctrina se habet: *His quidem secundum patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem (c) quærunt, vitam æternam: bis autem qui ex contentione, & (d) qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum.* In eodem sensu idem alibi: *In revelatione*, inquit, *Domini nostri Jesu Christi de cælo cum angelis virtutis ejus, in igne flammæ dantis vindictam bis qui non noverunt Deum, & qui non obediunt evangelio Domini nostri Jesu Christi, qui pœnas dabunt in interitu æternas, cum venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt.* Nec prorsus ulli malo præscientiam Dei imposuisse necessitatem, ut aliud esse non posset, sed quod ille futurus erat ex propria voluntate, ille sicuti Deus, qui novit omnia antequam fiant, præsciit ex sua omnipotenti & incommutabili majestate. Nec ex præjudicio ejus aliquem, sed ex merito propriæ iniquitatis credimus condemnari. Nec ipsos malos ideo perire, quia boni esse non potuerunt; sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt.

Psal. 61.
Rom. 2.
2. Thess. 1.

III.

Sed & de prædestinatione Dei placuit, & fideliter placuit, juxta auctoritatem apostolicam, quæ dicit: *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* ubi & statim subjungit: *Quod si volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata sive præparata in interitum, ut ostenderet divitias gratiæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam*: fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem: in electione tamen salvandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione autem perituroram meritum malum præcedere justum Dei judicium. Prædestinatione autem Deum ea tantum statuisse, quæ ipse vel gratuita misericordia, vel justo judicio facturus erat, secundum scripturam dicentem: * *Qui fecit quæ futura sunt*: In malis vero ipsorum malitiam præscisse, quia ex ipsis est; non prædestinasse, quia ex illo non est. Pœnam sane malum meritum eorum sequentem, uti Deum, qui omnia prospicit, præsciviisse, & prædestinasse, quia justus est, apud quem est, ut sanctus Augustinus ait, de omnibus omnino rebus tam fixa sententia, quam certa præscientia. Ad hoc siquidem facit sapientis dictum, *Parata sunt derisoribus judicia, & mallei percutientes stultorum corporibus.* De hac immobilitate præscien-

Rom. 9.
* Isa. 45. juxta 70. ὁ ποιῶν τὰ ἐπερχόμενα.
Prov. 19.

(a) quam quidam. (b) *deest* ut. (c) quærentibus. (d) quia.

ANNO CHRISTI 855.

scientiæ & prædestinationis Dei, per quam apud eum futura jam facta sunt, (*a*) etiam apud Ecclesiastem bene intelligitur dictum: *Cognovi quod omnia opera quæ fecit Deus perseverent in perpetuum.* Non possumus his addere, nec auferre, quæ fecit Deus ut timeatur. Verum aliquos ad malum prædestinatos esse divina potestate, videlicet ut quasi aliud esse non (*b*) possint, non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum mali credere velint, cum omni detestatione, sicut Arausica synodus, illis anathema dicimus.

Eccl. 1.

Cap. 25.

IV.

Item de redemptione sanguinis Christi, propter nimium errorem qui de hac causa exortus est, ita ut quidam, sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impiis, qui a mundi exordio usque ad passionem Domini in sua impietate (*c*) mortui æterna damnatione puniti sunt, (*d*) effusum eum definiant, contra illud propheticum: *Ero mors tua ô mors, ero morsus tuus inferne*: illud nobis simpliciter & fideliter tenendum ac docendum placet, juxta evangelicam & apostolicam veritatem, quod pro illis hoc datum pretium teneamus, de quibus ipse Dominus noster dicit: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipso non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* & apostolus. *Christus*, inquit, *semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Porro * capitula quatuor, quæ a concilio fratrum nostrorum minus prospecte suscepta sunt, propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati: * sed & * alia XIX. syllogismis ineptissime conclusa, & licet jactetur, nulla sæculari literatura nitentia, in quibus commentum diaboli potius, quam argumentum aliquod fidei deprehenditur, a pio auditu fidelium penitus explodimus, & ut (*e*) talia & similia caveantur per omnia auctoritate Spiritus sancti interdicimus: novarum etiam rerum introductores, ne districtius feriantur, castigandos esse censemus.

Osee 13.

Hebr. 9.

* In c. *Insule Barbare sic ista leguntur.* Sed & alia capitula numero X. & XI. syllogismis ineptissime & mendacissime conclusa: ubi non argumentum fidei, sed potius commentum perfidiæ patet, nulla omnino philosophica arte, ut arroganter a quibusdam jactatur, constructum, sed sinani fallacia & deceptione imperitissime confusum, a pio auditu &c.

V.

Item firmissime tenendum credimus, quod omnis multitudo fidelium ex aqua & Spiritu sancto regenerata, ac per hoc vere ecclesiæ incorporata, & juxta doctrinam apostolicam in morte Christi baptizata, in ejus sanguine sit a peccatis suis abluta: quia nec in eis potuit esse vera regeneratio, nisi fieret & vera redemptio: cum in ecclesiæ sacramentis nihil sit casSum, nihil ludificatorium, sed prorsus totum verum, & ipsa sui veritate ac sinceritate subnixum. Ex ipsa tamen multitudine fidelium & redemptorum, alios salvari æterna salute, quia per gratiam Dei in redemptione sua fideliter permanent, ipsius Domini sui vocem in corde ferentes: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*: alios, quia noluerunt permanere in salute fidei, quam initio acceperunt, redemptionisque gratiam potius irritam facere prava doctrina, vel vita, quam servare, elegerunt, ad plenitudinem salutis, & ad perceptionem æternæ beatitudinis nullo modo pervenire. In utroque siquidem doctrinam pii doctoris habemus: *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.* &: *Omnes qui in Christo baptizati estis, Christum induistis.* & iterum: *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, asperSi (f) corda a conscientia mala, & abluti corpus aqua munda teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem.* & iterum: *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia.* & iterum: *Irritam quis faciens legem Moysis, sine ulla miseratione duobus aut tribus testibus moritur. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?*

Matth. 10. 22. & 24.

Rom. 6.

Hebr. 10.

Ibid. 26.

Ibid. 28.

VI.

Item de gratia, per quam salvantur credentes & sine qua rationalis creatura nunquam beate vixit, & de libero arbitrio per peccatum in primo homine infirmato, sed per gratiam Domini Jesu fidelibus ejus redintegrato & sanato, idipsum constantissimi & fide plena fatemur, quod sanctissimi patres auctoritate sacrarum scripturarum nobis tenendum reliquerunt; quod Africana, quod Arausica synodus professa est, quod beatissimi pontifices apostolicæ sedis catholica fide tenuerunt: sed & de natura & gratia, in aliam partem nullo modo declinare præsumentes. Ineptas autem quæstiunculas, & aniles pene fabulas, Scotorumque pultes puritati fidei nauteam inferentes, quæ periculosissimis & gravissimis temporibus, ad cumulum laborum nostrorum, usque ad scissionem caritatis miserabiliter & lacrymabiliter succreverunt, ne mentes Christianæ inde corrumpantur, & excidant a simplicitate & castitate fidei, quæ est in Christo Jesu, penitus respuimus, & ut fraterna caritas cavendo a talibus auditum castiget,

(*a*) *deest* etiam. (*b*) possent. (*c*) mortui & æterna. (*d*) effusum eum *deest* eum.
(*e*) talia similia. (*f*) corde.

ſtiget, (a) Domini Chriſti amore monemus. Recordetur fraternitas malis mundi graviſſimis ſe urgeri, meſſe nimia iniquorum, & paleis levium hominum ſe duriſſime ſuffocari. Hæc vincere ferveat, hæc corrigere laboret, & ſuperfluis cœtum pie dolentium & gementium non oneret: ſed potius certa & vera fide, quod a ſanctis patribus de his & ſimilibus ſufficienter proſecutum eſt, amplectatur.

ANNO CHRISTI 855.

VII.

* Hincmarus cap. 16. contra Gotheſcalcum.

Et quia indiſcuſſi * & inexaminati ſcientiæque literarum pene ignari, minuſque apoſtolicæ præceptioni appropinquantes, peccatis noſtris agentibus, per civitates epiſcopi ordinantur; qua occaſione maxime vigor eccleſiaſticus deperit: placuit, ut ſi quando alicujus civitatis epiſcopus * (b) a vocatione Domini deceſſerit, (c) & a glorioſiſſimo principe ſupplicando poſtuletur, ut canonicam electionem clero & populo ipſius civitatis permittere dignetur. Atque ita aut in clero, aut in diœceſi certe ipſa, vel ſi opus ſit, in vicinia ipſius probata & officio digna perſona quæratur, quæ inventa conſenſu totius cleri & populi ad honorem Dei civitati ipſi præficiatur. Sed etſi a ſervitio pii principis noſtri aliquis clericorum venerit, ut alicui civitati præponatur epiſcopus, timore caſto ſollicite examinetur, primum cujus vitæ ſit, deinde cujus ſcientiæ: & vigore eccleſiaſtico ſub oculis omnipotentis Dei agat metropolitanus in hac parte, (d) epiſcopis ſicut Dei miniſtris adjutorium ferentibus, ne maculatæ vitæ, & pompis ſæculi (e) turbidus, & ſimoniaca hæreſi pollutus, humilibus & mundis membris Chriſti, eccleſiæque ipſius ſuperponatur epiſcopus: nec præſumat illiteratum, & cupiditate nimia cæcatum, redditurus facti ſui rationem, populo Dei præficere. Si neceſſarium idem metropolitanus viderit, ne tantum malum cogatur agere, ut indebito honorem bonis tantum debitum tradat, inſtruat populum, informet clerum, potius (f) adire clementiam imperialem, & ipſe cum coepiſcopis quibus valuerit modis adeat, ut eccleſiam Dei glorioſus imperator digno honoret miniſtro. Si autem turpiter cupiditate quacumque metropolitanus victus, aut aliquo munere deceptus, tanto opus negligenter & ægre fuerit executus, judicium omnia cernentis Dei ſe incurrere non dubitet, ſed & ſententia fratrum ſe noverit (g) eſſe culpandum.

* abeſſe omnino debet hæc præpoſitio ut de facto abeſt a cod. Vat.

VIII.

Placuit ne prædia & poſſeſſiones eccleſiarum, voto fidelium collatæ cupidis ad invadendum paterent, & ne tali fraude rebus ſuis vacuarentur & ſpoliarentur eccleſiæ, ne & glorioſorum principum animi ſubreptione quorumdam talium deceptivis callidiſque mendaciis læderentur: ut ſi quis non metuens judicium Dei, & damnationem æternam; & poſſeſſiones eccleſiarum, ſive exſpoliare quæ pertinent ad jus earum præſumpſerit, excommunicationis ſententiam, quouſque præſumptionis factum recorrigat, ſecundum eccleſiaſticam cenſuram ferat. Quod (h) etſi prætenderit hujuſmodi ſibi indulta & conceſſa ab auguſtiſſimis dominis noſtris, nec ſic a ſententia (i) epiſcopi ſit liber, (multi enim probantur in ſimilibus (k) mentiri) donec rector ipſarum eccleſiaſticarum rerum ad clementes aures principis cauſſam tam male facti cum precibus eccleſiæ deferat, ut ejus judicio & moderatione res unde agitur deliberetur, & is qui caritate fuerit privatus eccleſiæ, tunc, ſi dignus eſt, abſolvatur.

ANNO CHRISTI 855.

IX.

Item quia parochiales presbyteri graviſſime & indigne a ſæcularibus premuntur, nullaque reverentia ſacerdotali gradui ab aliquibus ſervatur: & quia poſſeſſiunculæ, vel dotes baſilicis collatæ irreverenter auferuntur, duriſſimoque ſervitio extenuantur, quod clamor ſacerdotum, & ruinæ etiam baſilicarum produnt, placuit ut ipſi presbyteri ſub epiſcopis, quibus adjutores ſunt, maneant, & ſub matre eccleſia liberi & quieti officium eccleſiaſticum exequantur: dotes vero a fidelibus deſignatæ baſilicis, ad hoc quod ſtatutum eſt ab eis vendicentur, nullaque redhibitio cenſus inde a quolibet ſæculari exigatur, ſed quod canonice tantum ordinatum eſt ſuppleatur. Si quis autem ſæcularium noſtram hanc ordinationem confundere præſumpſerit, ab eccleſia noverit ſe canonice feriendum, cujus inſtitutionem temere contempſit. Sed & ipſi ſæculares & fideles laici, ſi condere voluerint baſilicas in prædiis ſuis, ſicut edictum piiſſimorum Auguſtorum continet, unam colonicam veſtitam cum tribus mancipiis donationis gratia eis conferant, moxque epiſcoporum juri, & ſanctæ matri eccleſiæ, eamdem baſilicam ſubmittant. Aliter vero nos earum conſecrationem ſciant non impleturos. Illi autem qui dotes eccleſiarum auferre, dure ſervitium ab eis exigere, inſuper non metuunt periculum ſacerdotibus intentare, ſi actiones non (l) melioraverint, eorum excommunicationi nos addere noverint deſtructionem penitus talium baſilicarum, locumque alium ſub pace meliori ſitum quæſituros,

(a) *deeſt* Domini. (b) *deeſt* a. (c) *deeſt* &. (d) ceteris epiſcopis ſicut.
(e) turgidus. (f) *in Cod. Vat. deletum eſt*, verbum adire. (g) *deeſt* eſſe. (h) &.
(i) epiſcopi. (k) mentiti. (l) emelioraverint.

turos, ibique pacificam basilicam conse- A
ANNO CHRISTI 811. craturos.

X.

Sed & de fiscis & villis quas constat dominio Ecclesiæ a fidelibus olim fuisse contraditas, & nunc potestati sæcularium subditas voluntate eorum ordinari, placuit, (a) ut sicut edictis principum jussum est, (b) nonæ & decimæ ipsis ecclesiis, unde subtractæ sunt, fideliter persolvantur: hi qui eas retinuerint, ut sacrilegos noverint se ab ecclesiæ liminibus pellendos. Sed & decimas suas omnes fideles promptissime Deo offerant de omni- B
bus quæ possident, nec ullis oppositionibus quod statutum est permutare audeant, ne forte cogamur eos districtione ecclesiastica ferire. Usurarum etiam turpia lucra iterum canonica severitate inhibemus.

XI.

Quia impia & Deo inimica, & Christianæ religioni nimis contraria, ex iniquissima ac detestabili constitutione quarumdam sæcularium legum consuetudo (c) invaluit, ut in forensi judicio litigantes ex utraque parte contendentium æqualiter juramentum dare cogantur, ubi sine dubio C
duobus contra se jurantibus unus perjurus efficitur: tanti sceleris immanitatem, & animarum perditionem dolentes, statuimus ut quicumque uno juramento legitime dato, quod secundum legem divinam (d) humanæ controversiæ finis esse debet, alterum e contrario juramentum opponere præsumpserit, ab ipsis liminibus ecclesiæ, quæ sua impietate profanavit, exclusus, omnium Christianorum consortio atque convivio reddatur extraneus, nisi se continuo admonitus ad agendam pœnitentiam tanti reatus humili satisfactione inclinaverit. D

XII.

Et quia ex hujusmodi juramentorum, immo perjuriorum, contentione etiam usque ad armorum certamina solet prorumpi, & crudelissimo spectaculo effunditur cruor belli in pace, statuimus juxta antiquum ecclesiasticæ observationis morem ut quicumque tam iniqua & Christianæ paci inimica pugna alterum occiderit, seu vulneribus debilem reddiderit, velut homicida nequissimus, & latro cruentus, ab ecclesiæ & omnium fidelium cœtu separatus, ad agendam legitimam pœnitentiam E
modis omnibus compellatur. Ille vero qui occisus fuerit, tamquam sui homicida, & propriæ mortis spontaneus appetitor, (e) dominicæ oblationis commemoratione habeatur alienus, nec (f) cadaver, juxta sanctorum canonum decretum, cum psalmis vel orationibus ad sepulturam deducatur. Super quibus duobus titulis, propter tam funesta & horrenda animarum ANNO CHRISTI 811.
vel etiam corporum exitia, Christianissimi imperatoris pietas sacerdotali omnium nostrum supplicatione imploranda est, ut tantum malum a populo fidelium suis publicis sanctionibus amoveat, & nostrum super hoc tam necessarium (g) ecclesiasticum decretum propria auctoritate confirmet.

Sequente die hæc iterum a reverentissimis episcopis sunt executa.

XIII.

Ut tanta inter nos largiente Domino caritas & unitas teneatur, ut quoties aliqui in populis quibus regendis præesse dignoscimur, adversus ecclesiam & sacerdotalem auctoritatem contemptores & rebelles existunt, tanta instantia invicem & literis & verbis (h) juvare studeamus, ut pondere ecclesiastici vigoris (i) retusi & pressi, vel (k) humilitatem pœnitentiæ compellantur, aut si ab una ecclesia fuerint excommunicati, in nulla alia falso & furtive communicandi inveniant facultatem. Placet firmatum.

XIV.

Ut unusquisque nostrum in clero & populo, & sacerdotibus, ac monasteriis sibi commissis, sollicita & paterna pietate provideat, ne propter aliquas oppressiones pestiferis murmurationibus, & querimoniis ac detractionibus adversus eosdem pastores suos inserviant: quia per hæc caritatis vinculum, quod præcipue inter pastorem & gregem Deus requirit, & quod nos singulariter Deo jungit, nimis dolenter solvitur: & recedente Deo, qui in (l) scissura mentium habitare non potest, gravissima quotidie damna & mortes animarum fiunt: ita ut si hæc negligantur, non jam pastores, sed interfectores, quod absit, Christi ovium inveniamur. Placet firmatum.

XV.

Ut de* vita & religione sua unusquisque, tam in conversatione sua, quam etiam in habitus & vultus ac sermonis gravitate, talem se domi forisque & suis & extraneis exhibere studeat, ut maturitate morum, & repudiatione omnium levitatum ac vanitatum omnibus sibi adhærentibus, seque intuentibus, formam disciplinæ & verecundiæ ac modestiæ infundat. Placet firmatum.

XVI.

Ut unusquisque nostrum sive per se, sive per aliquem vel aliquos ex ministris ecclesiæ fideliter doctos, ita verbum prædica-

(a) *Deest* sicut. (b) nonæ decimæ. (c) convaluit. (d) omnis humanæ.
(e) a dominicæ. (f) cadaver ejus. (g) atque ecclesiasticum. (h) jurare.
(i) retunsi. (k) ad humilitatem. (l) scissuramenta.

dicationis, tam in urbe, quam foris, in plebibus exhibeat, ut omnino eis admonitio & exhortatio salutaris deesse non possit: quia ubi verbum Dei fidelibus non ministratur, quid aliud quam vita animæ subtrahitur? Placet firmatum. ANNO CHRISTI 813.

XVII.

Ut ipsa visitatio plebium & parochialium sacerdotum, tam moderate, & in quantum fieri potest, juxta canonicam institutionem fiat, ut manifestum sit, sive per nos, sive per nostros, sola ibi animarum lucra perquiri, nec aliquem importunitate & nimietate gravari, & contristari, ne verbum Domini & doctrina blasphemetur. Placet firmatum.

XVIII.

Ut de scholis tam divinæ quam humanæ (a) literarum, nec non, & ecclesiasticæ cantilenæ, juxta exemplum prædecessorum nostrorum, aliquid inter nos tractetur, &, si potest fieri, statuatur atque ordinetur; quia ex hujus studii longa intermissione, pleraque ecclesiarum Dei loca & ignorantia fidei & totius scientiæ inopia invasit. Placet firmatum.

XIX.

Ut singulis metropolitanis cum suffraganeis suis cura præcipua sit de vita & opinione (b) solum totius cleri, sed etiam ipsorum episcoporum, ne se per culpam vel negligentiam suam tales exhibeant, qui merito apud laicos viles atque infames, ac per hoc in ipso sacro ministerio contemptibiles habeantur. Placet firmatum.

XX.

Ut thesaurus, sive ministerium vel ornamentum ecclesiarum, fideliter devotioni eorum, qui hæc vel ad honorem domus Dei, vel ad sustentationem familiæ ecclesiasticæ, si necessitas (c) egerit, obtulerunt, custodiatur, nec quidquam ex eis nisi juxta institutionem canonicam fieri (d) permittatur. Placet firmatum.

XXI.

Ut de commutationibus rerum ecclesiasticarum diligentissima adhibeatur cura, ut vel juxta interdictum & obtestationem sacrorum canonum nullatenus fiant, vel certe fraudulentia & nequitia quorundam in hac re ita coerceatur & amputetur, ut ecclesia Dei suis prædiis & facultatibus tam impudenter & dolenter minime spolietur. Quia cum ipsæ res ecclesiarum a piis & fidelibus Deo oblatæ, juxta antiquorum patrum sententiam, nihil sint aliud nisi vota fidelium, patrimonium pauperum, redemptio peccatorum; si eas fideliter & integre ecclesiasticis usibus non defendimus, & in eos qui obtulerunt, & in Deum, cui oblatæ sunt, gravissimo nos reatu implicamus. Placet firmatum. ANNO CHRISTI 813.

XXII.

Ut de servitio presbyterorum erga episcopos suos consuetudo, ut nobis videtur, valde reprehensibilis amputetur, ut scilicet quoties episcopus statuto tempore visitationem & prædicationem per eosdem sacerdotes & populos non exercet, nequaquam ab eis pro solito servitio pecunias exigat. Hoc enim & B. Job per similitudinem terræ fructiferæ & agricolarum ejus, id est ecclesiæ & sacerdotum nimis cavendum significat, dicens: *Si fructus ejus comedi absque pecunia, & animam agricolarum ejus afflixi*: docens nequaquam absque pecunia, id est prædicationis verbo vel pretio, ecclesiastica stipendia usurpanda; nec improbitate aliqua agricolarum, id est consacerdotum & collaborantium, animas affligendas. Quod aperte declarant etiam verba apostoli dicentis: *Non alligabis os bovi trituranti*, ut videlicet triturans comedat. & alibi: *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus accipere*. & Dominus: *Dignus*, inquit, *est operarius cibo suo*. Placet firmatum. Job. 31. 1. Cor. 9. 1. Tim. 5. 1. Tim. 2. Matth. 10.

XXIII.

Pervenit etiam ad nos nimis dolenda & lugubris querela ecclesiæ Viennensis per venerabilem fratrem & coepiscopum nostrum Agilmarum, qui nobis lacrymabiliter (e) conquestus, quod præfata ecclesia ipsius regimini commissa, propter archidiaconum & præpositum suum, virum honestum & idoneum, per quorumdam sæcularium violentiam, qui eum nescimus quibus machinationibus in servitium inclinare nituntur, gravissimam & insedabilem toto jam biennio vel amplius sustineat persecutionem: & neque legum vel sacrorum canonum tricennali præscriptione, neque pii principis nostri auctoritate, neque legatorum ejus, tam venerabilium episcoporum, quam illustrium comitum, ceterorumque laicorum legitimo & celeberrimo judicio, neque maximo & idoneo testimonio pagensium, qui jam LXX. & IV. præfati diaconi integram libertatem juramento legitimo probaverunt, neque totius populi terræ consona attestatione, neque ullo divini timoris respectu, ab eorum (f) infestationibus atque injuriis quiescere sinitur: dum post judicia & juramenta legitime & imperiali auctoritate peracta, unus homuncio, contra omnem legem Dei, suo iniquissimo juramento ea infringere potuisse creditur. Et præfati diaconi consanguinei ac propinqui, post mortem illius

(a) Litteraturæ. (b) non solum. (c) exegerit. (d) præsumatur.
(e) conquestus est. (f) infectationibus.

lius decrepitæ mulierculæ, cujus notiſſima (*a*) ingenuitas ſemper ideo juramento firmata eſt, diverſis oppreſſionibus & calamitatibus, inſuper & exiliis violentiſſime ac nequiſſime exagitantur. Unde omnes gravi dolore permoti, & memores divinæ legis dicentis: *Judicate mane judicium, & eruite vi oppreſſum de manu calumniatoris.* & iterum. *Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare ne ceſſes;* & quia proprie epiſcopale miniſterium eſt, ut omnium inique laborantium & oppreſſorum cauſſas pia propugnatione ſubleyent, & maxime pro eccleſiaſticis neceſſitatibus paterna ſollicitudine deſudent; ne tantum malum ad perturbationem eccleſiarum Dei convaleſcat, & tam aperte diſciplinam religionis evertat, ipſa miniſterii noſtri neceſſitate compulſi, & eccleſiæ laborantis compaſſione provocati, ſtatuimus ut quicumque ex præfatis viris poſt tot juramenta legitime decreta & probata, & regalis auctoritatis judicio celebrata, quibus etiam de reipublicæ ſtatu, quanto magis de paucorum hominum capite, omnis debuit querela finiri, præfatum archidiaconum amplius, vel in ſua, vel in propinquorum ſuorum perſona, in quolibet ex noſtris epiſcopatu, ſive comitatu, inquietare, vel quæcumque eorum ſunt invadere, ſeu diripere, præſumpſerit, mox ab omni eccleſiæ cœtu, & omnium noſtrum conſortio, tamquam veræ impugnator juſtitiæ & totius religionis, uſque ad ſatisfactionem pœnitentiæ excommunicatus habeatur. (*b*) Illum etiam, qui tot juramenta legitima ſuo impio juramento velut evacuare auſus eſt, ſimili ex die (*c*) commonitionis excommunicatione damnamus, niſi ſe feſtina humilitate pœnitentiæ ſubmittat, quatenus & vigor legum, & pax eccleſiarum, ſub tutela pii principis noſtri integro jure ſalva conſiſtere valeat. Quod judicium noſtrum tam neceſſarium & publicæ diſciplinæ eccleſiaſticæ defenſioni, omnino ſuppliciter poſtulamus ejuſdem pii principis auctoritate muniri.

ANNO CHRISTI 855.

v. 21.

ev. 24.

EXEMPLUM LEGIS

de confirmando judicio epiſcoporum.

Imperator Conſtantinus Auguſtus Ablavio præfecto prætorio.

Nota quatenus tribuat ſententiis epiſcoporum Conſtantinus.

REligionis eſt, clementiam noſtram ſciſcitari voluiſſe, quid de ſententiis epiſcoporum vel ante moderatio noſtra cenſuerit, vel nunc ſervari cupimus: Sanximus namque, ſicut edicti noſtri forma declarat, ſententias epiſcoporum, quolibet genere latas, ſine aliqua ætatis diſcretione, inviolatas ſemper incorruptaſque ſervari: ſcilicet ut pro ſanctis ſemper & venerabilibus habeatur, quidquid epiſcoporum fuerit ſententia terminatum. Sive itaque inter minores, ſive inter majores ab epiſcopis fuerit judicatum, apud vos qui judiciorum ſummam tenetis, & apud ceteros omnes judices, ad executionem volumus pertinere. Multa enim, quæ in judicio captioſæ præſcriptionis vincula promi non patiuntur, inveſtigat & promit ſacroſanctæ religionis auctoritas. Omnes itaque cauſſæ, quæ vel Prætorio jure, vel civili tractantur, epiſcoporum ſententiis terminatæ, perpetuo ſtabilitatis jure firmentur: nec liceat ulterius retractari negotium, quod epiſcoporum ſententia deciderit.

ANNO CHRISTI 855.

☞ CAPITULUM LEGIS GONDEBADÆ (*d*)

quod Epiſcoporum ſententia decernit.

OMnes omnino cauſſæ, quæ infra triginta annos motæ non fuerint, nec moveri poſſunt de originariis, & colonis xxx. annorum perſcludunt, qui hoc tentare præſumpſerit xxx. libras auri eſſe damnandos, & hoc in vetus. legum antiquarum inveniri poteſt.

SUBSCRIPTIONES EPISCOPORUM.

Remigius indignus eccleſiæ Lugdunenſis epiſcopus hanc ſynodalem definitionem ſubſcripſi.

(*e*) * Agilmarus eccleſiæ Viennenſis epiſcopus hanc ſynodalem definitionem ſubſcripſi. * Anglimarus

(*f*) * Rodlandus eccleſiæ Arelatenſis epiſcopus hanc ſynodalem definitionem ſubſcripſi. * al. *Rotlandus*, tom. 3. Spicil. p. 263. H.

Ebbo Gratianopolitanus epiſcopus hanc ſynodalem definitionem ſubſcripſi.

(*g*) * Ragenutus indignus epiſcopus eccleſiæ Avenionenſis hanc ſynodalem definitionem ſubſcripſi. * Ragemotus

Elias vilis epiſcopus hanc ſynodalem definitionem ſubſcripſi.

Baldemarus humilis epiſcopus hanc ſynodalem definitionem ſubſcripſi.

Richardus epiſcopus hanc ſynodalem definitionem ſubſcripſi.

Audinus chorepiſcopus ſubſcripſi.

Reliquæ ſubſcriptiones in manuſcripto exciſæ.

In Vaticano manuſcripto codice additur, ut admonuit Holſtenius,

CAPITULUM LEGIS * GONDOBADÆ, *quod Epiſcoporum ſententia decernit.*

Verba hæc *quod Epiſcoporum &c.* habentur in Cod. Vatic. unde iſta deſumpſit Holſtenius. *Manſi.*

Omnes omnino cauſſæ quæ infra 30. annos motæ non fecerint, nec moveri poſſint de originariis & colonis 30. annorum ... qui hoc tentare præſumpſerint, 30. libris auri eſſe damnandos. Et hoc in vetus ..... legum antiquarum inveniri poteſt. Codicem ni fallor Vviſigothicum intelligit lib. 10. tit. 2. aut cod. legum Burgundicarum tit. 79. §. ubi hæc lex extat integra.

NOTA JACOBI SIRMONDI S. J.

1 *Lotharii Imperatoris juſſu.*) In ea enim regni parte, quæ Lotharii in diviſione fratrum obtigerat, ſita erant Valentia & reliquæ civitates quarum epiſcopi huic Concilio ſubſcribunt. Inter hos Ebbo Gratianopolitanus, Ebbonis

(*a*) ſemper ingenuitas ideo. (*b*) Illud. (*c*) Communicationis.

(*d*) Capitulum illud huc tranſtuli in ſuum nempe locum, prout reperi in codice Vaticano, poſt quod ſtatim ſuccedunt ſubſcriptiones Epiſcoporum. Labbeus dederat illud quidem ex Holſtenio, ſed vagans, & extra ſuum locum, tanquam ſi alienum eſſet actis Concilii.

(*e*) Angilmarus. (*f*) Rodrandus. (*g*) Ragemoeus.

ANNO CHRISTI 855.

bonis Rhemenſis nepos, & monachus olim ſancti Remigii, quem ſex primorum concilii canonum auctorem habitum docet Hincmarus in priore epiſtola ad Carolum Calvum, apud Flodoardum lib. 3. cap. 15.

2 *Capitula quatuor.*) Illa nimirum, quæ ab Hincmaro contra Gotheſcalci errores compoſita ſynodus apud Cariſiacum anno 848. approbans ſuſceperat, ut in ejus ſynodi actis videre eſt. Quæ a Valentina ſynodo nunc exploſa, & ab auctore incerto, Lugdunenſis eccleſiæ nomine, confutata in libello de tenenda ſcripturæ veritate, Hincmarus idem ſcripturarum patrumque teſtimoniis confirmare conatus eſt in poſteriori opere adverſus Gotheſcalcum.

3 *Alia* XIX. *Syllogiſmi.*) Joannis Friugenæ Scoti, (ſic enim, non Erigenam, vocant libri manuſcripti) cujus extat in Bibliotheca Corbejenſi de unica prædeſtinatione liber capitum 19. ad Hincmarum & Pardulum epiſcopos. Contra hunc autem Joannis Scoti librum ſcripſit, non ſolum Florus magiſter diaconus eccleſiæ Lugdunenſis, cujus refutatio eccleſiæ Lugdunenſis titulo vulgata eſt, verum etiam Prudentius Tricaſſium epiſcopus opuſculum nondum editum, quod in bibliotheca Thuana nunc viſitur.

A princeps Gotheſcalcus erat, de prædeſtinatione & præſcientia Dei, de gratia & libero arbitrio pravas opiniones in vulgus ſpargere laborarent. Ex quibus dum catholica doctrina moreſque eccleſiæ corrumperentur, epiſcopi novitatis ultores convenerunt, nihilque aliud in eccleſiam inducendum eſſe cenſuerunt, quam quod ſanctiſſimi patres doctores eccleſiæ fideles omni ſinceritate docuiſſent, quodque patres concilii Carthaginenſis in Africa, & Arauſicani ſecundi in Galliis celebroti, ante aliquot ſæcula hac de re definiviſſent: nimirum bonos nonniſi per gratiam Dei ſalvari, malos vero per ſuam iniquitatem damnari: non ideo quod (ut illi ajebant) boni eſſe non potuerunt, ſed quia eſſe noluerunt. De Gotheſcalco ejuſve erroribus dixi plura ſupra in concilio Moguntino II. ſub Rabano archiepiſcopo. Poſt hæc in eadem ſynodo ad corrigenda mala quæ per laicos eccleſiis inferebantur patres converſi, reliqua capitula ad mores eccleſiæ pertinentia ediderunt.

b *Leonis IV. papæ anno* VIII.) Erratum eſt hactenus in titulo, dum ſub Benedicto papa ſucceſſore Leonis collocarum fuit, nam etiam ſi hoc anno 855. Leo mortuus B fuerit, eique Benedictus ſucceſſerit, tamen ſub Leone celebratum eſſe oportuit, qui menſe Julii ex hac vita migravit.

Quo tempore celebratum.

Vaſquius tom. 1. diſput. 91. num. 103. plura habet quæ ad duorum canonum de præſcientia & prædeſtinatione Dei explicationem pertinent.

Notæ Severini Binii.

Occaſio concilii præcipua quæ. Decreta concilii.

a *Concilium.*) Occaſio hujus ſynodi congregandæ præcipua illa fuit, quod Scoti quidam * vagi homines quorum

*Hic in pluribus peccat Binius.

CONCILIUM TICINENSE

CISALPINORUM EPISCOPORUM

In cauſſa diſciplinæ eccleſiaſticæ celebratum, anno Domini DCCCLV. * tempore Leonis papæ IV.

*Vide paulo ante pag. 976.

Ex Tom. 3. Concil. edit. Venetæ.

Capitula qua glorioſus imperator Ludovicus ſuis epiſcopis de ſtatu ſui regni conſiderare præcepit.

C *Reſcriptum conſultationis ſeu exhortationis epiſcoporum ad dominum Ludovicum imperatorem.*

DE converſatione epiſcoporum, presbyterorum, & ceterorum clericorum, de doctrina & prædicatione in populo, de conſcriptione librorum, de reſtauratione eccleſiarum, de ordinatione plebium & xenodochiorum, de monaſteriis virorum, ſeu feminarum, quæ ſecundum regulam ſancti Benedicti, vel ea quæ ſecundum canonicam auctoritatem diſpoſita eſſe debent, quidquid in præfatis ordinibus extra ordinem eſt, aut per negligentiam præpoſitorum, aut per deſidiam ſubditorum, vehementer cupio ſcire: & ſecundum Dei voluntatem, veſtrumque ſanctum conſilium, ſic D emendare deſidero, ut in conſpectu Dei nec ego reprobus ſim, neque vos & populus in commiſſis iram ſuæ indignationis incurrat. Quomodo autem iſtud rationabiliter quæſitum & inventum perficiatur, vobis hoc ad tractandum, ac nobis renuntiandum committimus. De minoribus quoque cauſſis, quæ generaliter omnes, ſpecialiter aliquos tangunt, & indigent emendatione, volumus ut poſthac illas quæratis, & ad noſtram notitiam reducatis. Sicut eſt de comitibus & eorum miniſtris, ſi juſtitias negligunt, aut ipſas vendunt, ſi ſunt rapaces, aut eccleſiarum viduarum, orphanorum aut pauperum, oppreſſores: ſi ad prædicationem veniunt, ſi debitum honorem, aut obedientiam ſacerdotibus ſuis impendunt, ſi aliquas E novitates, aut argumenta, quæ ad detrimentum populi pertinent, agere præſumunt, ſicut eſt in acquirendis proprietatibus, aut irrationabiles preces ad adjutoria facienda, ſive in reliquis cauſſis quæ ad peccatum noſtrum pertinere poſſunt ac populi noſtri.

DOmino glorioſiſſimo regi Ludovico pax & vita & victoria miniſtretur a Deo patre & Domino noſtro Jeſu Chriſto. Nos quidem in Dei nomine [1] Angilbertus archiepiſcopus & Andreas patriarcha una cum Joſeph archicapellano, cum ad hanc ſynodum in urbe regia Ticino congregatam veniſſemus, replicavimus eis piam veſtram exhortationem, qua viva voce ad nos uſi fuiſtis, flagrantes Spiritus ſancti munere, & ultra quam hujus ætatis teneritudo capere potuiſſe videretur, totius modeſtiæ & gravitatis atque ſapore ſapientiæ conditam protulimus, etiam & coram eis relegi fecimus commonitorium a veſtra nobis magnificentia traditum. Quibus auditis, omnes unanimiter pro veſtra indole omnipotenti Deo * digniſſime gratias egerunt, quia populo ſuo tam piiſſimum quamque ſanctiſſimum principem dedit, qui cuncta ordinabiliter & rationabiliter diſponere cupit. Et quoniam religioſa ſolitudo veſtra primum de converſatione epiſcoporum, presbyterorum & ceterorum clericorum quærere ſtuduit, nos quoque, quo regulariter melius fieri potuit, eumdem ordinem ſervamus. Et epiſcopum quidem ita converſari debere pronuntiamus, ut ejus vita recte vivendi ſit norma. Presbyteros vero & clericos ita vivere oportet, ut ſubditæ plebi exemplo ſuæ converſationis proficiant.

*devotiſſime

Et quidam coepiſcoporum noſtrorum, qui bonæ converſationis ſibi conſcii ſunt, palam fateri recuſabant, ne ſui ipſorum laudatores viderentur. Qui vero negligentiam ſuam recognoſcunt, more humani ingenii ſeipſos accuſare verebantur. Juxta commotionem tamen veſtram diligentius perſcrutantes, quoſdam quales deſideratis, qualeſque populi Dei paſtores & rectores eſſe decet, invenimus. Quorumdam vero negligentiam vel erga cle-

[1] Angilbertus Archiep. Mediolanenſis, Andreas Patriarcha Aquilejenſis, Joſeph Epiſcopus Eporedienſis.

clericorum ſuorum cuſtodiam, vel erga plebium ſollicitudinem reperimus; quibus ut aliquantulum emendandi ſpatium tribuatis, humiliter petimus. Qui ſi cito delicta non correxerint, ſeveriori ſententiæ ſubjacebunt.

Ceterum ſi quilibet laicorum vel clericorum contra epiſcopum, vel alicujus ordinis clericum, aliquid queritur, noverint nos paratos & legitimam præbere audientiam, & ſi quid perperam geſſiſſe probati fuerint, debita animadverſione puniri.

Doctrina vero & prædicatio in populum, partim epiſcoporum & reliquorum ſacerdotum, partim vero populi negligentia, non ſicut neceſſarium eſt, procuratur: & ſacerdotum quidem * injuria nullatenus eſt excuſanda. Quidam vero laici, & maxime potentes ac nobiles, quos ſtudioſius ad prædicationem venire oportebat, juxta domos ſuas baſilicas habent, in quibus divinum audientes officium, ad majores eccleſias rarius venire conſueverunt. Et dum ſoli afflicti & pauperes veniunt, quid aliud quam ut mala patienter ferant illis prædicandum eſt? Si autem divites, qui pauperibus injuriam facere ſoliti ſunt, venire non renuerint, admoneri utique poſſent, ut eleemoſynis peccata ſua redimerent, ut a fluxu rerum temporalium ſe abſtinerent. Admonendi ſunt igitur potentes, ut ad majores eccleſias, ubi prædicationem audire poſſint conveniant, & quantum dono omnipotentis Dei divitiis & honoribus ceteros antecedunt, tanto ad audiendum præcepta conditoris ſui alacrius feſtinent. Quidam autem comites & vaſſi * domeitici, presbyteros & clericos noſtros ceteros (quod nec epiſcopis facere licet) abſque noſtra licentia recipiunt. Inſuper etiam ubicumque ordinatos, & quoſdam, de quibus dubium eſt utrum conſecrati ſunt, in parochiis noſtris abſque noſtra examinatione miſſas celebrare faciunt. Quod ne ulterius fiat, omnimodis eſt inhibendum. Quare in ordinandis plebium rationibus, civium inſtituta ſerventur, & peſtiferæ ambitionis vitium radicitus extirpetur: & neque ob quorumdam propinquitatem, neque pro alicujus familiaritatis gratia, neque quod maxime deteſtandum, propter pecuniarum acceptionem, indignus quilibet ordinetur. Et primum quidem ipſius loci presbyteri, vel ceteri clerici idoneum ſibi rectorem eligant: deinde populi qui ad eamdem plebem aſpicit, ſequatur aſſenſus. Si autem in ipſa plebe talis inveniri non potuerit qui illud opus competenter peragere poſſit, tunc epiſcopus de ſuis, quem idoneum judicaverit, inibi conſtituat.

Sane removenda quorumdam laicorum procacitas, qui hoc ſolo obtentu, quod ad electionis conſortium admittuntur, archipresbyteris ſuis dominari præſumunt: & quos tanquam patres venerari debuerunt, velut ſubditos contemnunt. Hi igitur intra proprii juris terminos ſunt redigendi: & ſi extraordinariam dominationem in eccleſiis exercere præſumpſerint, regia ſunt diſciplina coercendi. Ipſi vero qui ad gubernandas plebes legitime provecti ſunt, nullatenus a ſuis epiſcopis repellantur, niſi aut in alicujus criminis reatum inciderit, aut eaſdem plebes male tractaverint. Tollenda eſt enim prava omnino conſuetudo, quæ in quibuſdam locis oriri cœpit: quia nonnulli archipresbyteri vel aliorum titulorum cuſtodes, fruges, vel aliarum eccleſiarum reditus, ad proprias domos abducunt. Quidam vero aliorum poſſeſſiones conducunt, ut in eis quæ ab eccleſiis ſuis male ſubtraxerunt recondant. Nonnulli autem laicorum in tantum eorum nequitiæ ſe complices faciunt, ut quæ hujuſmodi tranſgreſſores ab eccleſia ſubripuerunt, ipſi in ſuis domibus abſcondant. Tales ergo primum a ſuis epiſcopis corripiantur. Quod ſi ſe citius corrigere noluerint, tanquam qui eccleſiaſticas res ſacrilega temeritate tractaverunt, ſynodali ſententia feriantur. Laicos vero, qui poſt hanc denuntiationem ſocios ſe hujus expilationis præbuerint, tanquam furti reos, judiciaria coarctabit auctoritas.

De reſtauratione eccleſiarum illud capitulum ſufficit, quod genitor veſter in.....conſtituit: ſed ut ſervetur, veſtra indiget admonitione.

Similiter & de xenodochiis, ſicut in eodem capitulari continetur, obſervandum eſt.

De monaſteriis autem virorum ſeu feminarum, quæ ſecundum regulam ſancti Benedicti, vel ſecundum canonicam auctoritatem diſpoſita eſſe debent, quia inſpiratio omnipotentis Dei (credimus) cor veſtri moderaminis incitavit, ipſi gratias referimus. Nam quod jam maxima ex parte ordinem ſuum amiſerint, omnibus eſt manifeſtum. Quæ ut ad priſtinum ſtatum reducantur, in domini ac genitoris veſtri, ac veſtra glorioſa diſpoſitione conſiſtit.

Ea quidem monaſteria, quæ adhuc ſtatum ſuum retinent, unumquemque epiſcoporum, in cujus parochia conſtituta ſunt, providere oportet, utrum ordinem ſuum teneant. Quod ſi aliter invenerit, una cum rectore monaſterii corrigere debebit. Quod ſi rectoris monaſterii principaliter culpa fuerit, & ſe ſuoſque ſubditos ad epiſcopi ſui admonitionem corrigere diſſimulaverit, ſynodica debet auctoritate percelli.

Quidam autem epiſcopi & rectores monaſteriorum res eccleſiarum ſuarum ſubtractas & aliis perſonis largitas eſſe queruntur: & ideo eccleſiaſticas utilitates nequaquam ſe implere poſſe dicunt. Quæ ut reſtituantur, veſtram regiam majeſtatem imploramus: quia ſi hi, qui eas pro animarum ſuarum remedio eccleſiis contulerunt, præmium merentur, ſine dubio damnatione digni ſunt, qui eas ſubtrahere moliuntur.

In ſacris canonibus præfixum eſt, ut decimæ juxta epiſcopi diſpoſitionem diſtribuantur. Quidam autem laici, qui vel in propriis vel in beneficiis ſuas habent baſilicas, contempta epiſcopi diſpoſitione, non ad eccleſias, ubi baptiſmum, & prædicationem, manus impoſitionem, & alia Chriſti ſacramenta percipiunt, decimas ſuas dant: ſed vel propriis baſilicis, vel ſuis clericis pro ſuo libitu tribuunt. Quod omnimodis divinæ legi & ſacris canonibus conſtat eſſe contrarium. Unde veſtram poteſtatem, ut eos corrigatis, expetimus. Sacra docet auctoritas, ut publice peccantes publicæ pœnitentiæ ſubjiciantur,

Inveniuntur autem quidam, qui inceſta matrimonia contraxerunt, & vel proximis ſuis, vel Deo ſacris mulieribus copulati ſunt. Quidam etiam publicæ poſſunt pœnitentiæ ſubjugari: petimus ut comitum veſtrorum auxilio fulciantur. 1. Tim. 5.

Quoſdam miniſtros comitum propter frequentia placita pauperiorem populum nimis affligere comperimus. Unde majeſtatem veſtram obſecramus, ut capitulare avi veſtri de hac re obſervari præcipiatis.

De comitibus vero, de quorum vita & actibus a nobis quærere voluit ſublimitas veſtra, quoſdam tales eſſe ſcimus, quales Dei miniſtros & veſtræ reipublicæ proviſores eſſe decet. Nonnulli autem, ut ſe ſuoſque miniſtros corrigant, veſtra admonitione indigent. Quibus tamen ut aliquantulum emendandi ſpatium tribuatis, expoſcimus. Qui, ſi ſe citius corrigere noluerint, regia ſunt auctoritate reprimendi.

Statuimus etiam, ne epiſcopi, quando pro con-

ANNO CHRISTI 825

Hujus capitularis etiam infra mentio fit in ſynodo Moguntina.

ANNO CHRISTI 855.

confirmando populum parochias circumeunt, archipresbyteros suos gravent, ut hujusmodi dispensa contenti sint: Panes centum, * fristingas quatuor, ami sextaria quinquaginta, pullos septem, ova quinquaginta, agnum unum, porcellum unum, annonam ad caballos modios sex, * fenum corr. * tres, mel, oleum, cera, quod sufficit.

* fristingas

* for. seni corbes

Petimus etiam, ut emunitates progenitorum vestrorum ita conservari præcipiatis, sicut a glorioso genitore vestro.....constitutum est.

Per singulas parochias eas festivitates populus observare studeat, quas proprius episcopus venerari prædicaverit: ita ut neque illas negligant, quas sacerdotes monuerint: neque inani superstitione eas celebrare præsumant, quæ nequaquam sunt observandæ. Si vero aliqui inventi fuerint, qui sacerdotibus obtemperare noluerint, per ministros reipublicæ distringantur: & satisfactionem pœnitentiæ, quam presbyteri imposuerint, subire cogantur.

In nomine Dei omnipotentis anno incarnationis dominicæ 855. indictione 13. mense Februario, die mensis ejusdem quarto: cum dominus magnificentissimus Ludovicus Augustus apud Ticinensem civitatem in Augustali aula resideret, tractaturus de statu sanctæ matris ecclesiæ & pace, divina dispositione commissi sibi imperii ac generali totius populi salute, præsentibus optimatibus suis, dixit: Crebro vestram fidelitatem retroactis temporibus commonuimus, ut secundum normam Christianæ religionis vivere unusquisque nostrorum fidelium satageret, & suos a rapina compesceret. Attamen quia hactenus indiligenter est actum, amodo omni conamine omnes studere volumus, quo penitus a nostro regno rapina eliminetur, & pauperum voces usquenunc Domini Sabaoth aures pulsantes querimoniis, incipiant suo creatori laudes rependere pro ubique pace & quiete concessa nobis a gentibus.

Statuimus autem, ut ecclesiæ Dei per totius regni nostri fundatæ terminos, sub nostræ emunitatis tuitione securæ cum rebus & familiis permaneant, ceu prædecessorum nostrorum piissimorum videlicet Augustorum temporibus fuisse probantur, earumque rectores propriis utantur privilegiis, & monachi per sua cœnobia regularem teneant ordinem. Similiter & clerus omnis proprio fungatur ministerio, nemine molestante nostri terroris formidine.

Sancimus nihilo minus, ut singuli conventus & exactores reipublicæ in suis ministeriis legalem procurent populo facere justitiam, pupillos & viduas protegant, per loca solita restaurent palatia, quibus cum iter dictaverit, nos legatosque nostros valeant recipere, ne gravetur ecclesia: quando etiam episcopos, abbates, vel comites, seu fidelium nostrorum quempiam in propria villa morari contigerit, cum suis in suis maneant domibus, ne sub obtentu hospitii, vicinos opprimant, vel eorum (a) diripiant.

ANNO CHRISTI 855.

Denique quia Christi custodiente clementia neminem (b) injuste privavimus, sed neque privari absque legali sanctione aliquem nostrorum fidelium voluimus beneficio: Jubemus ne quis suum depravet ullo modo, sed instauret securiter: ne qui dirigendi sunt a nobis undique, si depravata reperirent, legaliter emendare compellant, & eos deinceps perfrui prohibeant.

Porro cum ad nostrum quislibet nostrorum fidelium properat obsequium, tam eundo quam redeundo gradiatur pacifice, (c) & ni generalis utilitas cum scaritis veniat in statutis, juxta maneat episcopus & comes, per quorum transeunt terminum, diligenter provideant, ne molestentur incolæ, aut eorum domus per vim patiantur * invadere, vel propria * diripere absque pretio. Sed neque (d) indigne per solita loca, tectum, focum, aquam, & paleam, hospitibus denegare, aut (e) aquam carius quam vicinis audeant vendere.

* for. invadere
* for. diripere

Igitur qui hactenus in regno nostro (f) frænate vixisse nulli est ambiguum, sancimus unumquemque suorum hominum sollicitudinem gerere, ne solitam rapinam patrare præsumant. Qua pro re si quis arctatus suum seniorem dimiserit, penitus interdicimus, ne (g) recipiat ab altero, quatenus, nisi corrigi voluerit, a nostri regni penitus excludatur finibus.

Hæc olim sæpe inculcata, & Augustali nostra sanctione promulgata, quia ex parte in aliquibus videntur neglecta hactenus, acriori ulcisci debuerant examine. Attamen nostra mansuetudine ut corrigantur quantulumcumque largimur spatium, quo quique neglecta emendare valeant, destinaturi post modicum legatos strenuos emendata inquirere. Qui vero negligens repertus fuerit, propriis honoribus nostro privabitur judicio.

AD CONCILIUM TICINENSE

Anni 855.

ADDITIO COLLECTORIS.

Ex Supplem. Manſi to. 1. pag. 932.

CLar. Muratorius e Bibliothecæ Ambrosianæ pluteis leges quasdam Ludovici II. in hoc Concilio datas eruit, deditque in volumine I. p. 2. rer. Ital. quarum pars quidem apud Labbeum legitur, pars vero meæ diligentiæ relinquitur ut hic suppleatur. Sunt autem monita Legatis suis, quos se missurum in capite ultimo Concilii denunciat Imperator, ut inspiciant, num mandatis suis obtemperatum sit. Id vero vel ex titulo ipso constat.

LE-

Dantur variantes ex Murator. Rer. Italic. tom. 1. par. 2.
(a) res diripiant. (b) juste consequuto. (c) ut terra generalis utilitas exigit cum Scaritis veniat in statu. 2. Episcopus & Comes per quorum &c. (d) indigenæ. (e) aut suo carius. (f) infrænate. (g) recipiatur.

ANNO CHRISTI 855.

LEGATIO.

ANNO CHRISTI 855.

Cap. I.

ECclesiarum Dei justitia inquiratur, & omni studio perficiatur; & ne a sacrilegis thesaurus diripiatur earum, fideliter describatur.

II.

Pupillorum & viduarum causa investigetur, & diligenti cura misericorditer examinetur.

III.

Totius populi querimonia generaliter audiatur & legaliter diffiniatur.

IV.

De statu reipublicæ inquirendum. Ubi cum iter dictaverit, dominus imperator recipi debet per singula ministeria. Ubi ab eo directi Legati.

A Unde eis administrentur obsequia: unde Paraveredæ, unde, vel quæ dona annualia, aut tributa publica exigi debeant. Qui debeant palatia restaurare; qui pontes. Ut non destruantur beneficia, & destructa restaurentur. Quæ beneficia Dominicus Gasindius habuit, quis habeat illa, vel ubi conjacent.

V.

Directi abbates monasteria monachorum, & puellarum, & xenodochia circumeant, si unde administrentur debita obsequia habeant, & concorditer degant, inquirant. Quicquid inordinatum repererint, regulariter corrigant. Xenodochia au-
B tem sicubi quæ sunt neglecta ad pristinum statum revocent. Hospitales vero pauperum tam in montanis, quam & ubicumque fuisse noscuntur, pleniter & diligenti cura restaurentur.

CONCILIUM APUD BONOILUM VILLAM

x Thesaur. Anecdot. m. VI.

Anno DCCCLV. celebratum in gratiam monachorum Anisolensium adversus episcopum Cenomanensem.

Observatio Prævia.

Cum privilegia Anisolensis monasterii actore quam forte par erat zelo subvertere conarentur episcopi Cenomanenses; Caroli Calvi Francorum regis, libertates & immunitates præfati monasterii tam a se quam a suis decessoribus confirmatas temerari egre ferentis animum adeo commoverunt, ut, quo securos in posterum a Cenomanensis antistitis jugo redderet monachos Anisolenses, regni sui præsules apud Bonoilum villam congregari jusserit. Hi visis omnium fere regum præceptis, monasterii jura intemerata permanere debere sanxerunt, propriisque ea subscriptionibus firmaverunt. Verum qui Aldrico in sede Cenomanensi successit Robertus episcopus, concilii spretis decretis, ad sedem apostolicam confugit, auctoritate & favore, quo apud Nicolaum papam pollebat, fretus. Is susceptis episcopi litteris, urgentes ad Carolum regem, ad episcopos, & ad monachos ipsos dedit epistolas; quæ alteri Galliæ episcoporum concilio in loco qui dicitur Pistis *convocando locum præbere potuerunt*, quibusdam *propter summi pontificis auctoritatem* monachorum privilegio renitentibus. *Verum* inspectis rursum auctoritatibus priorum & recentiorum regum, approbatum & confirmatum est ab omnibus & decretum, ut absentes & eorum qui obierant successores, idipsum suis subscriptionibus propriis roborarent. *Sed & ipse Nicolaus de rei veritate per Carolum regem certior factus, Robertum episcopum compescuit, & monasterium privilegia apostolica auctoritate confirmavit, datis ad episcopos Galliæ amplissimis litteris, quas refert Sirmondus conciliorum Galliæ tom.* 3.

INCIPIT PRIVILEGIUM SANCTORUM Præsulum apud (*a*) Bonoilum Villam Concilium celebrantium.

C

IN nomine summæ & incomparabilis clementiæ, adorandæ scilicet & incomparabilis Trinitatis. Cum sacrosancti conventus fraterna societas venerabilium præsulum Bonoilum unanimem sui exhiberet præsentiam, vocatione magni atque orthodoxi regis serenissimi Karoli, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLV. (*b*) indictione prima, regni etiam memorati Augusti XVI. inter cetera variarum rerum sanctæ matris ecclesiæ sinu erumpentia discrimina, quæ sacrorum præsen-
D tium antistitum ibidem sanxerat dignatio conferenda, & auctoritate sibi conlata in pristinum & necessarium ordinem relevanda; obtulit sese eorum paternæ & piissimæ conlationi ordinis monastici cultus, ac status ejusdem professionis ipsorum quidem regimini pastorali solatio subvehenda ac consovenda religio, quæ quondam in patribus virtute divina promulgata refloruit: sed jam nunc emergentium tempestatum procellis attrita, vada sui portus inexplebili naufragio subigens, optati littoris quietem adire non patitur. Hujus igitur institutionis utilitates, & convenientes pro tempore necessitudines, cum efficacius pertractare, & eas sollerti cura Christi freti juvamine, ad effectum usque idem sacer conventus optaret efferre: Rainaldum religionis cultu & vitæ merito venerabilem, eidem sacro concilio cum quibusdam aliis sanctitatis fama reverendis abbatibus residentem, accidit commissi sibi cœnobii pii patris & pretiosi confessoris Carilefi inconvenientias, & fratrum in ea consistentium oppressiones, & calamitatum anxietudines, studio regis contraditi lacrymabili sermone prosequi, breviterque suæ sermocinationis alloquia. Protulit (*c*) præceptiones regum catholicorum orthodoxorum suprafato monasterio conlatas pro Dei omnipotentis amore, & sanctorum veneratione, ibique consistentium monachorum remota & inconcussa quiete; qualiter identidem monasterium per successiones temporum illustrium regum immunitatum titulos & securitates perceperit; quibus felici successu, divina id providente clementia, salubri

(*a*) Bonoilus vicus adjacens Carentonio oppidulo sito ad confluentes Matronæ & Sequanæ, altero milliari supra Lutetiam Parisiorum, in quo duos vinctos S. Medericus virtute divina solvit. (*b*) *Lege* indictione tertia.
(*c*) Tres exhibuimus tomo primo, scilicet Dogoberti, Ludovici Pii & Caroli Calvi.

ANNO CHRISTI 811.

lubri & efficaci tramite hactenus deguerit. Ipsis etiam eisdem præceptionibus adnexum juste & rationabiliter inerat, ut monachi jam dictæ congregationis regularis propositi studio contenti, sub norma Beati Benedicti Patris cœnobitice viventes, ex propria congregatione sibi eligendi abbatem jus habeant, licentiam & facultatem: nempe ut quibus cor unum & anima una necessario est habenda, patri spiritali tam corda quam corpora subdentes, jugo etiam Christi suavi & oneri levissimo corda submittentes, obedientiæ fræno devincti, discant patris spiritalis se suaque committere. Præterea harum præceptionum irruptiones, & violentissimas quorumdam instinctu ipsius infectiones, asserentium subdole jure possessionis propriæ idem monasterium debere subjici urbi Cinomanicæ, prænominatus vir venerabilis Rainaldus abba evidentissimis intimavit: cum nihil horum acta & præceptorum confirmationes præscriptæ contineant, sed potius hæc interdicant, amputent, & inhibeant. Quapropter prædictorum beatorum antistitum unanimitas pari assensu, communi quoque voto retractans, & regularis auctoritatis & regiæ collationis ac corroborationis gesta concordi æquitatis vigere libramine, acta prædicta piissimorum regum sanctæ religionis patrata intuitu de reliquo intemerata manere percensuit. Ne vero ab aliquo eorumdem patrum sacrosancta institutio ausu temerario aggredi præsumatur, neque quis id nefario conamine pertentet irrumpere, quod propriæ auctoritatis tenore cuique ipsorum libuerit confirmare, necessario placuit adnotare. Statuimus ergo, optamus, & communi æquitatis auctoritate determinamus, ut sæpedictum monasterium Beatissimi Carilefi confessoris omni libertate monasticæ religionis, adepta pace, & quiete per Christi gratiam potita, ordine libero & inconcusso, per succedentia quietum valeat degere tempora: ita ut non episcopus, nulla extera persona laicalis seu clericalis, ad hoc inquietandum, perturbandum, ac sollicitandum, aut invadendum, vel possidendum monasterium aspiret; nec etiam præmemoratæ urbi Cinomanicæ proprietate rerum suarum subjaceat: cum liberum sit dono antiquorum regum præter communem canonum auctoritatem a propriis pontificibus ipsi & universis monasteriis conservandam, sed liceat eidem loco de proprio grege, juxta regularis vitæ auctoritatem, proprium habere pastorem. Si quis autem his nostris constitutionibus refragari nisus fuerit, & multipliciter præscriptam principum bonitatem & indulgentiam, simul etiam nostræ auctoritatis institutа, per quamcumque calliditatem seu cupiditatem infringere, & aliquo modo pervertere præsumpserit; anathematis ultione se plectendum noverit, justo Dei omnipotentis, quem sacrilege irritavit, una cum nostræ auctoritatis judicio. Postremo tenorem hujusce firmitatis, potestate nobis a Domino cælitus contributa; dicente: quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælo, eo sermone ligamus, ut quicunque hæc irrumpere, vel aliter quam a nobis sunt statuta, ligata solvere, aut solvenda ligare percensuerit; nequaquam se in cælesti regione solvendum; sed clauso æterni regni aditu, in tenebras exteriores ligandum esse cognoscat, nisi digna satisfactione correxerit quod arroganti impietate præsumpsit. Harum itaque sanctionum evidentissimam confirmationem manibus sacrorum præsentium pontificum subter notatam, absentium quoque consacerdotum nec minus idoneis astipulationibus per Christum & in Christo fulciri postulamus.

ANNO CHRISTI 811.

Amalricus gratia Dei Turonicæ metropolis ecclesiæ humilis episcopus, sub signo sanctæ Crucis volui, consensi, & subscripsi.

VVenilo munere divino Sennonensis ecclesiæ episcopus huic privilegio assensum præbui, & subscripsi.

Incmarus sanctæ metropolis ecclesiæ Remorum episcopus.

Paulus sanctæ Rotomagensis ecclesiæ archiepiscopus.

Heribaldus Autissiodorensis ecclesiæ episcopus.

Ercenradus Parisiacensis ecclesiæ episcopus.

Rothadus Suessionensis ecclesiæ episcopus.

Teutboldus Lingonicæ ecclesiæ episcopus.

Hirminfridus gratia Dei Belloacensis ecclesiæ episcopus.

Balfridus Bajocensis ecclesiæ episcopus.

Herluinus Constantinensis ecclesiæ episcopus.

Herpuinus Silvanectensis ecclesiæ episcopus.

Guntbertus Ebrocensis ecclesiæ episcopus.

Jonas Eduorum humilis episcopus.

Hariardus Lixoviensis ecclesiæ.

Hildebrandus Sagensis ecclesiæ episcopus.

Hildegarius Meldensis ecclesiæ episcopus.

Immo episcopus Noviomensis hoc privilegium subscripsi.

Agius episcopus humilis Aurelianensis ecclesiæ.

Frotboldus Carnotensis ecclesiæ episcopus.

Pardulus Laudunensium ecclesiæ episcopus.

Elmeradus Amianensium ecclesiæ episcopus.

Remedius Abrincatensis ecclesiæ episcopus.

Gotelsadus episcopus subscripsi.

Braidingus Matisconsium sedis episcopus.

Prudentius sanctæ Trecasinæ ecclesiæ episcopus.

Dodo Andecavensis ecclesiæ indignus episcopus.

Actardus Namnetensis indignus episcopus huic privilegio subscripsi.

Ludovicus abba in Dei nomine.

Adalardus abba in Dei nomine.

Ego Lupus abba in Dei nomine.

Hembardus abba.

Frodinus abba indignus.

Odo abba monasterii Corbejensis.

Hunfredus abba monasterii Dervensis.

Bernardus abba huic privilegio subscripsi.

Gauslenus abba.

Arcamboldus abba.

Abbo abba.

Georgius abba.

Item Abbo abba.

Data VIII. Kali Septembris anno XVI. regnante Carolo glorioso rege indictione I. *

Actum Bonoilo Villa in Dei nomine feliciter. Amen.

* Lege in Gallione I.

AD

ANNO CHRISTI 855.

AD CONCILIUM APUD BONOILUM VILLAM

ANNO CHRISTI 855.

Anno 855.

ADNOTATIO CHRONOLOGICA, ET ADDITIO.

: Suppl. anſi t. 1. . 933.

AD reſtituendam concilii hujus epocham hæc olim adnotavi ad Pagium ad A. 855. 3. Memoratur hoc anno concilium quoddam apud Bonoilum villam a pluribus Galliarum epiſcopis celebratum die VIII. Kal. Septembris pro aſſerendis juribus monaſterii Aniſolenſis, quæ Cenomanenſes archiepiſcopi ſubvertere conabantur. Præfuit illi Amaricus Turonenſis, cujus ſubſcriptio ceteras 27. epiſcoporum præcedit. Celebratum autem ſcribitur *anno Dominicæ incarnationis* 855. *Caroli regis XVI. Indict. I. die VIII. Kal. ſeptembris.*

Ab inauguratione ſua in regem epocham unam regni deduxiſſe Carolum, eruo ex data concilii apud Bonoilum. Conſignatur enim Caroli anno *XVI. Indictione I. die VIII. Kalendas ſeptembris*; quæ omnia cum anno 853. concurrunt, ducta epocha regni Caroli a ſeptembri anni 837. Hinc patet notam numeralem anni DCCCLV. quæ huic concilio in Anecdotis Martenii additur, corruptam eſſe, & ita emendandam: *anno DCCCLIII.*

Concilium vero iſtud ex Martene Anecdot. tom. V. Venetus Labbei editor deſumpſit. Hanc ipſam chartam dedit Mabillonius ex eodem, quo Martene, Aniſulenſi tabulario acceptam, cui idem Mabillonius Annal. ord. S. Benedicti tom. III. in appendice num. VII. adjecit privilegium eodem in loco, eademque die, & anno, eademque de cauſſa datum, quod proinde ad idem concilium pertinere certum eſt, idemque, in editione Veneta omiſſum, hic dandum cenſui.

PRIVILEGIUM EPISCOPORUM APUD BONOILUM VILLAM

Concilium celebrantium pro Aniſulenſi monaſterio.

d.

IN nomine ſummæ, & incomparabilis clementiæ, adorandæ ſcilicet & incomparabilis Trinitatis. Cum ſacroſancti conventus fraterna ſocietas venerabilium præſulum Bonoilum unanimem ſui exhiberet præſentiam, vocatione magni atque orthodoxi regis ſereniſſimi Karoli, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLV. indictione prima, regni etiam memorati Auguſti XVI. inter cetera variarum rerum ſanctæ matris eccleſiæ ſinu erumpentia diſcrimina, ſacrorum præſentium antiſtitum ibidem ſanxerat dignatio conferenda, & auctoritate ſibi conlata in priſtinum, & neceſſarium ordinem relevanda, obtulit ſeſe eorum paternæ & piiſſimæ conlationi ordinis monaſtici cultus, ac ſtatus ejuſdem profeſſionis, ipſorum quidem regimini paſtorali ſolatio ſubvehenda ac confovenda religio, quæ quondam in patribus virtute divina promulgata refloruit, ſed jam nunc emergentium tempeſtatum procellis attrita, vada ſui portus inexplebili naufragio ſubigens, optati litoris quietem adire non patitur. Hujus igitur inſtitutionis utilitates, & convenientes pro tempore neceſſitudines, cum efficacius pertractare, & eas ſollerti cura, Chriſti freti juvamine, ad effectum uſque idem ſacer conventus optaret efferre; Rainaldum religionis cultu, & vitæ merito venerabilem, eidem ſacro concilio cum quibuſdam aliis ſanctitatis forma reverendis abbatibus reſidentem, accidit commiſſi ſibi cœnobii pii patris, & pretioſi confeſſoris Carileſi inconvenientias, & fratrum in ea conſiſtentium oppreſſiones, & calamitatum anxietudines ſtudio gregis contraditi lacrymabili ſermone proſequi; atque ſuæ ſermocinationis alloquia protulit, præceptiones regum catholicorum orthodoxorum ſuprafato monaſterio conlatas pro Dei omnipotentis amore, & ſanctorum veneratione, ibique conſiſtentium monachorum remota, & inconcuſſa quiete, qualiter identidem monaſterium per ſucceſſiones temporum illuſtrium regum immunitatum titulos, & ſecuritates perceperit, quibus felici ſucceſſu, divina id providente clementia, ſalubri & efficaci tramite hactenus deguerit. Ipſis etiam, eiſdemque præceptionibus adnexum juſte & rationabiliter inerat, ut monachi jam dictæ congregationis regularis propoſiti ſtudio contenti, ſub norma beati Benedicti patris cœnobitice viventes, ex propria congregatione ſibi eligendi abbatem jus habeant, licentiam, & facultatem: nempe ut quibus cor unum & anima una neceſſario eſt habenda, patri ſpirituali tam corpora quam corda ſubdentes, jugo etiam Chriſti ſuavi, & oneri leviſſimo colla ſummittentes, obedientiæ fræno devincti, diſcant patri ſpiritali ſe ſuaque committere. Præterea harum præceptionum irruptiones, & violentiſſimas quorumdam inſtinctu ipſius loci infeſtationes aſſerentium ſubdole jure poſſeſſionis propriæ idem monaſterium debere ſubjici urbi Cinomanninæ, prænominatus vir venerabilis Rainaldus abba evidentiſſimis intimavit, cum nihil horum acta, & præceptorum confirmationes præſcriptæ contineant, ſed potius hæc interdicant, amputent, & inhibeant. Quapropter prædictorum beatorum antiſtitum unanimitas pari aſſenſu, communi quoque voto retractans, & regularis auctoritatis, & regiæ collationis, ac corroborationis geſta concordi æquitatis vigere libramine, acta prædicta piiſſimorum regum ſanctæ religionis patrata intuitu de reliquo intemerata manere percenſuit. Ne vero ab aliquo eorumdem patrum ſacroſancta inſtitutio auſu temerario aggredi præſumatur, neque quis id nefario conamine pertentet irrumpere, quod propriæ auctoritatis tenore cuique ipſorum libuerit confirmare, neceſſario placuit adnotare. Statuimus ergo, optamus, & communi æquitatis auctoritate determinamus, ut ſæpe dictum monaſterium beatiſſimi Carileſi confeſſoris, omni libertate monaſticæ religionis adepta, pace & quiete per Chriſti gratiam potita, ordine libero, & inconcuſſo per ſuccedentia quietum valeat degere tempora, ita ut non epiſcopus, nulla extera perſona, laicalis ſeu clericalis, ad hoc inquietandum, perturbandum, ac ſollicitandum, aut invadendum, vel poſſidendum monaſterium aſpiret, nec etiam præmemoratæ urbi Cinomannicæ proprietate rerum ſuarum ſubjaceat: cum liberum ſit dono antiquorum regum præter communem canonum auctoritatem, a propriis pontificibus ipſi, & univerſis monaſteriis conſervandam; ſed liceat eidem loco de proprio grege, juxta regularis vitæ auctoritatem proprium habere paſtorem. Si quis autem his

no-

nostris constitutionibus refragari nisus fuerit, & multipliciter præscriptam Principum bonitatem, & indulgentiam, simul etiam nostræ auctoritatis instituta per quamcumque calliditatem, seu cupiditatem infringere, & aliquo modo pervertere præsumpserit, anathematis ultione se plectendum noverit, justo Dei omnipotentis, quem sacrilege irritavit, una cum nostræ auctoritatis judicio. Postremo tenorem hujusce firmitatis, potestate nobis a Domino cælitus contributa, dicente, *quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælo*, eo sermone ligamus, ut quicumque hæc irrumpere, vel aliter quam a nobis sunt statuta, ligata solvere, aut solvenda ligare percensuerit, nequaquam se in cælesti regione solvendum, sed clauso æterni regni aditu in tenebras exteriores ligandum esse cognoscat, nisi digna satisfactione correxerit, quod arroganti impietate præsumpsit. Harum itaque sanctionum evidentissimam confirmationem manibus sacrorum præsentium Pontificum subter notatam, absentium quoque consacerdotum, nec minus idoneis adstipulationibus per Christum, & in Christo fulciri postulamus.

ANNO CHRISTI 855.

Matth. 16.

Almaricus gratia Dei Turonicæ metropolis ecclesiæ humilis episcopus sub signo sanctæ crucis volui, consensi, & subscripsi. VVenilo munere divino Senonensis ecclesiæ episcopus huic privilegio assensum præbui, & subsc. Incmarus sanctæ metropolis ecclesiæ Remorum episcopus subsc. Paulus sanctæ Rotomagensis ecclesiæ archiepiscopus subsc. Heribaldus Autissiodorensis ecclesiæ episcopus subsc. Ercanradus Parisiacensis ecclesiæ episcopus sub. Rothadus Suessionensis ecclesiæ episcopus sub. Teutboldus Lingonicæ ecclesiæ episcopus subscr. Hirmenfridus gratia Dei Belloacensis ecclesiæ episcopus subsc. Balfridus Bajocensis ecclesiæ episcopus subsc. Guntbertus Ebrocensis ecclesiæ episc. sub. Jonas Eduorum humilis episcopus subsc. Hariardus Lixiovienſis ecclesiæ episc. subsc. Hildebrandus Sagensis ecclesiæ episc. subsc. Hildegarius Meldensis ecclesiæ episcopus sub. Imo episcopus Noviomensis hoc privilegium subsc. Agius episcopus humilis Aurelianensis ecclesiæ subsc. Frotholdus Carnotensis ecclesiæ episcopus sub. Pardulus Laudunensium ecclesiæ episcopus sub. Elmeradus Ambianensium ecclesiæ episcopus sub. Remedius Abrincatensis ecclesiæ episcopus subsc. Godelsadus episcopus sub. Braidingus Matiscensium sedis episcopus sub. Prudentius S. Trecasinæ ecclesiæ episcopus sub. Dodo Andecavensis ecclesiæ indignus episcopus sub. Actardus Nannetensis indignus episcopus huic pr. subsc. Ludovicus abba in Dei nomine sub. Adalardus abba in Dei nomine sub. Ego Lupus abba in Dei nomine subsc. Heinhardus abba sub. Frodinus abba indignus subsc. Odo abba monasterii Corbejensis sub. Hunfredus abba monasterii Dervensis subsc. Bernardus abba huic privilegio subsc. Gaupsenus abba subsc. Abbo abba subsc. Arcamboldus abba subsc. Georgius abba subsc. Item Abbo abba subsc. Data VIII. Kal. septembris anno XVI. regnante Karolo glorioso rege indict. I. Actum Bonoilo villa in Dei nomine feliciter. Amen.

ANNO CHRISTI 855.

CONCILIUM ROMANUM

ANNO CHRISTI incerto.

A Leone IV. pontifice & Ludovico II. imperatore habitum, in quo causa jurium quorumdam parochialium inter Senensem & Aretinum episcopum definita est,

Anno incerto habitum.

ANno 855. qui postremus fuit Leonis papæ IV. Ludovicus II. imperator Romam improvisus venit cogniturus de Gratiano quodam, quem Daniel magister militum molitæ conspirationis in Francos reum egerat. Ea occasione coactum fuisse a pontifice concilium nemo veterum prodidit. Verum Cl. Muratorius Antiquit. Ital. tom. VI. pag. 389. ex Aretino tabulario chartam eruit, in qua de concilio a Leone IV. pontifice habito præsente Ludovico imperatore perspicua fit mentio. Hoc vero non alio referendum esse, quam ad hanc Ludovici Romanam profectionem, contra ac opinetur Muratorius, arbitror. Vir ille doctissimus sermonem hic esse censet de synodo celebri Romæ a Leone celebrata anno 853. decembri mense; quæ tamen ejus opinio ex eo falsi arguitur, quod concilio anni 853. Lotharius, non vero Ludovicus subscribit; & Joannes Ravennatensis episcopus concilio anni 853. nonnisi per ablegatum suum Paulum interfuit, cum per se præsens adfuerit nostro huic concilio anni, ex nostra quidem sententia, 855.

ibidem.

Hæc olim mihi sederat opinio, antequam offenderem chartam quandam Lucensem relatam a Muratorio Antiquit. Ital. tom. III. col. 167. datam anno *Lotharii postquam in Italiam ingressus est trigesimo primo, & filii ejus domini nostri Ludovici imperatoris anno quarto, indictione prima*, idest anno 853. *mense Aprili*, qua in charta Hieremas Lucensis episcopus repræsentatur. Huic vero Lucensi episcopo præcessisse constat Ambrosium, qui synodo huic, quæ in Aretina charta exhibetur, subscripsit. Fit inde ut synodus ista retrahenda sit post Aprilim anni 853. ex quo duo ad rem præsentem consequuntur. Primo quidem synodum istam plane diversam esse ab ea, quæ legitur apud Labbeum to. IX. col. 1137. anno quidem 853. sed mense decembri coacta; planeque errare Muratorium, qui utramque confundendam arbitratur. Secundo neque cohærere posse cum profectione Romana Ludovici anno 855. adornata. Unicum superest, ut synodum hanc vel diversam ab omnibus conciliis a Leone IV. coactis, de quibus memoria supersest, agnoscamus, vel cum alterutro e duobus illis confundamus, in quibus Anastasio dies dicta est, de quibus nos supra egimus. Ut ut res habeat se se, synodi hujus acta, saltem quoad portionem non modicam, e charta illa Aretina Muratorii hic damus. Referunt vero litigium illud celebre inter Aretinum & Senensem episcopos de jure quodam in ecclesias aliquas parochiales, quod sibi uterque episcopus vindicabat. Porro in ea ipsa causa non semel concilia sese exercuerunt, cum superius ad annum 715. concilium quoddam in Vico VValari produxerimus, in quo hæc eadem agitata est, & pro Aretinis decisa; nunc vero Senensibus adjudicatur. Rursus ad annum 1029. in concilio apud plebem S. Marcellini redibit in scenam, ut ex actis ejusdem synodi a nobis producendis patebit. Nunc chartam ipsam, acta conlii Romani continentem, promamus.

JUDI-

ANNO CHRISTI incerto.

JUDICATUM LEONIS PAPÆ IV.

Et Ludovici II. imperatoris in Concilio I. Romano pro episcopo Senensi contra Episcopum Aretinum in controversia de diversis ecclesiis, sive Parochiis.
Anno 853.

IN nomine Domini. Amen: Dum nos Leo summus pontifex, & universalis papa quartus, constitutus in Beati Petri apostoli cathedra, una cum piissimo, & gloriosissimo Lodoyco, Lotharii filio, imperatore Augusto, pluribusque archiepiscopis, episcopis, Abbatibus, Synodale habentes concilium, congregatum Romæ, videlicet in ecclesia beati Petri Apostolorum principis: advenit in præsentia sancti concilii Senensis ecclesiæ episcopus, nomine Cantius, & retulit qualiter jam sæpe petierat apud jam dictum Lotharium, Epistolis Adriani papæ specialiter conscriptis, quatenus ..... judicii censuram inter Senensem ecclesiam, & Petrum Aretinæ ecclesiæ episcopum de ecclesiis, seu baptisteriis, & Monasteriis, quæ infra comitatum Senensem sunt, cum eorum pertinentiis, item jam multis vicibus prolixa fuit contentio, finitivam secundum canonicam auctoritatem perciperet sententiam. Tunc nos Leo summus pontifex ita diximus: *& quoniam sacerdotali officio, quo modo, licet inviti, fungimur ..... oportet nos spirituali mucrone talium altercationum, quæ veternosi serpentis sæva aguntur astutia, funditus incidere, & exstirpare radices, ne forte discordia ibi vigeat, ubi inveteratæ pacis debent consistere bona.* Simul omne concilium, *justa*, inquit, *& vera catholica, & apostolica definivit cathedra.* Tunc autem episcopus manibus decretalia, & judicialia tenens, ubi finitiva sententia Sena servat, & auctoritate Adriani summi pontificis, & universalis papæ, & Constantini queritando dixit: *Frater, & coepiscopus noster Petrus Aretinæ ecclesiæ Senensis ecclesiæ parochias, atque Diœcesim perverso ordine, & contra canonicam regulam invasit, & per vim detinet.* Tunc nos, & Lodoicus imperator in præsentia magni concilii Decretalia ab episcopo Cantio ostensa relegi jussimus. His igitur perlectis, nos Leo summus pontifex, sic ad universalem plebem loqui exorsi sumus. *Quantum enim præcellit dignitas omnium ordines dignitatum, superna dispensatione animarum nobis credita, tanto amplius cogimur, cuique petenti solvere rationes. Aliud enim est unumquemque sui curam gerere, aliud ecclesiæ Dominicæ cura regimen tenere. Quapropter canonicam sequentes doctrinam, dissensiones atque discordias Sacerdotum apostolica nos pertinet obviare censura, Redemptoris nostri sequentes præcepta dicentis:* Pacem meam do vobis. Pacem relinquo vobis. In hoc enim cognoscent omnes, quod mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem. Pretiosi enim pedes evangelizantium bona, *gratia Sancti Spiritus*, inquit. *Quatenus vero orta fuerit immoderata quæstio, spirituali debeat mucrone amputari, ne adolescat, & Christi concutiat plebem, & ne occasione discordiæ fideles delinquant, Sancti Petri apostolicis monitis parentes, omni sorde perdita, pura frumenta in horreo Domini residere valeant. Igitur dum per aliquot jam lapsos terminos Longobardorum gens diversa eripiens territoria, invasa desolabatur loca, contigit, ut diœceses Episcoporum alter alterius invadere, & temerario ausu immoderate eas detinere, atque in magno nunc usque permaneant errore, & ignorantes, canonum definitiones, alterutrum anhelantes arripere Parochias, perjurii reatum contrahunt. Insuper callida versutia inter se dimicantes, pejora peragunt exitia, errore ita in malum incidunt piaculi facinus, dum procul abjiciunt canonum censuram, transgredientes sanctissimorum prædecessorum nostrorum Pontificum decreta, canonicis auctoritatibus fulcita. Propterea talia inhibentes apostolica institutione una cum glorioſissimo, & piissimo Loduico, & sanctis episcopis, in corona hujus sacri concilii residentibus, Apostolicæ constitutionis privilegio promulgantes sancimus, ut sicut canonice in decretis constituunt, secundum territoria, seu pertinentias civitatum, sic Parochias, & Diœceses ad disponendum episcopos tenere censemus, observantes canonicam censuram, quæ ait:* Episcopum non licere alienam Parochiam propria setta * pervadere. *Et iterum:* Episcopus alienam civitatem, quæ non est illi subjecta, non invadat, nec ad ullam possessionem ejus accedat, quem ad eum non pertinet, nec constituat presbyteros aut Diaconos alteri episcopo subjectos, nisi forte ex consensu, & voluntate regionis Episcopi. Si quis autem tale aliquid facere tentaverit, irrita sit ejus ordinatio, atque coerceatur a Synodo. *Et sicut Prædecessoris nostri beati Cælestini papæ continent constituta;* ut sit contentus unusquisque episcopus suæ civitati concessis hominibus, alter in alterius provincia nihil præsumat: *Ita & nos beati Petri Apostolorum principis, cujus vicem, quamvis immeriti, Dei benignitate gerimus, sumentes auctoritatem, decernimus, ut sicut statutum est, unusquisque episcopus Parochias, seu Diœceses, juxta limites suæ civitati pertinentes, imperturbate possideat, sub divini Judicii obtestatione, & anathematis interpositione.*

* *f.* extra propria septa.

Dum igitur nos Leo summus pontifex sanctæ adhortationis sermonem claudimus, Decretalibus supra nominatis per ordinem ostensis, & relectis, tunc Petrus Aretinæ ecclesiæ episcopus dixit Cantio episcopo: *Ista tua Decretalia & judicata, quæ hic ostendisti, nullam possunt facere jacturam meæ ecclesiæ, neque dispendia; quoniam nos & antecessores nostri monasteria & baptisteria cum eorum oraculis, seu pertinentiis, seu adjacentiis, quæ intra fines Comitatus Senensis sunt constituta, unde tu, frater & Coepiscope, adversus meam ecclesiam quæris, possessa habemus amplius quam quadraginta annos.* Tunc Cantius episcopus ad hæc: *Semper enim* (inquit) *monasteria & baptisteria, quæ infra fines Senensis territorii sunt, parochiæ nostræ ecclesiæ fuerunt, & sunt. Et crisma ibi dedimus, & consecrationem fecimus. Presbyteros, & Diaconos ego & antecessores mei ibi sacravimus, & ecclesias consecravimus. Sed tu, frater, callide & fraudolenter prædicta monasteria, seu baptisteria contra sacrorum canonum instituta usurpasti.* Petrus vero episcopus civitatis Aretii hæc audiens dixit: *Vere ista monasteria, seu baptisteria, quæ intra fines tui territorii sunt, unde adversus nos queritas, a tempore Longobardorum Ecclesiæ sancti Donati pervenerunt. Nam Judicatum habeo, quod tempore Liuprandi regis Longobardorum a tuis prædecessoribus .... ad meæ ecclesiæ utilitatem conjuncta fuerunt. Et præceptum etiam habeo, quod Carolus rex confirmavit in Ecclesia Sancti Donati. Sed hic modo præ manibus non habeo: quoniam super hac re altercationem hic habere non arbitrati sumus. Inducias & spatium a sacro concilio peto, donec Aretium celeriter petens, assertionis meæ judicatum, atque præceptum, quemadmodum pollicitus sum, in conspectu domni nostri summi Pontificis, atque imperatoris piissimi & totius*

con-

ANNO CHRISTI incerto.

concilii veſtriſque partibus ..... Inducias uſque ad duodecim dies contulerunt, quatenus unuſquiſque eorum in prædicto ſpatio quicquid firmitatis per præceptorum ſanctiones, ſeu decretorum inſtitutiones haberet, deferre, nec non teſtes idoneos de prædicta eccleſia unuſquiſque ad indagationem veritatis ſecum duceret. Finitis igitur dictis duodecim diebus Petrus epiſcopus Aretinæ eccleſiæ, & Cantius epiſcopus Senenſis in præſentia noſtri, & imperatoris Ludovici piiſſimi Auguſti perſonaliter venerunt, & in conſpectu eorum epiſcoporum, quorum nomina ſubter adnexa ſunt, Johannes archiepiſcopus civitatis Ravennæ, Ambroſius epiſcopus Lucenſis eccleſiæ, Oſchefis epiſcopus Piſtorienſis, Donatus epiſcopus Feſulanæ civitatis, Johannes epiſcopus Piſæ, Andreas epiſcopus Volaterranenſis civitatis, Taceprandus epiſcopus civitatis Cluſi, Otho epiſcopus Roſellenſis, Tanimundus epiſcopus Suanenſis, Petrus epiſcopus civitatis Orbevetanenſis, Johannes epiſcopus Tuſcanenſis, Johannes epiſcopus Centumcellenſis, Petrus Epiſcopus Spoletinus, aliique plures. In prædictorum itaque præſentia ambo epiſcopi, hoc eſt Cantius epiſcopus Senenſis, & Petrus Aretinæ Eccleſiæ, cum ſanctionibus præceptorum, atque inſtitutionibus decretorum, idoneis teſtibus ex utraque parte, ut impetratum fuerat, adhibitis, iterum corona ſancti concilii in eadem eccleſia Beati principis Apoſtolorum, ubi prius fuerat, reſidentibus cum nobis in concilio, & volentibus tantæ altercationis litigium rectiſſima lance penſare, & libratum æquitatis trutino finire; ecce Petrus Aretinæ eccleſiæ Decretalia, atque præcepta, juxta quod promiſerat, in manibus retinens, ex juſſu noſtro, & Auguſti Lodvici piiſſimi Joſepho Archicappellano edita ſunt ad legendum. Cumque perlecta fuiſſent in conſpectu magni concilii Lodvicus imperator ſic in aures totius eccleſiæ concionatus eſt: *Et quoniam uniuſcujuſque rei poſſeſſio talis debet eſſe, ut principium poſſeſſionis in ſe nullum habeat vitium, liquido colligere poſſumus, dum conſtat has parochias eccleſiam Aretinam ex tempore Longobardorum tenuiſſe tantummodo, non ſibi ſufficere poſſeſſionis oppoſitionem, dum antequam Longobardorum gladius Italiam populando devaſtaret, Romanis imperatoribus tranquillæ pacis felicitate orbem regentibus, Senenſis eccleſia, ſicut mos antiquus ſtatuit, eaſdem parochias rexit, & tenuit.* Tunc omne concilium verum & probabile laudeque dignißimum imperatorem protuliſſe acclamabat. Ad hæc Petrus epiſcopus Aretinus: *Et quoniam imperatoria majeſtas, & apoſtolica ſublimitas non ſolum ſcripturarum, verum & teſtium juſſit in hoc teſtimonium adhiberi, jubeant illi, Sacerdotes teſtimonii veritatem proferre, qui in eiſdem inhabitantes parochiis, incorruptam veritatem, antiquorum relatione hominum per parentelæ gradus inſigniter conſociantur.*

Tunc nos Leo pontifex univerſalis papa & Lodovicus imperator juſſimus exhiberi ſacerdotes, alioſque fideles. Qui ſubito vocati ſunt in conſpectu magni concilii. In primis venit Giſulpherianus de plebe ſancti Quirici in Auſinora: Aterpalianus presbyter, & monachus de plebe ſancti Stephani de Cinnano: Geſilarus Archipresbyter ſanctæ Mariæ in Pava: Malperianus presbyter de plebe ſanctæ Mariæ de Soleta: Lanfrancus preſbyter de plebe ſanctæ Mariæ de Cuſona; Benedictus archipresbyter de plebe ſancti Viti Vitaliano: Agiprandus archipresbyter de plebe ſancti Andreæ Malcino: Leucari presbyter de plebe ſanctæ Mariæ in Sexta: Aliperus archipresbyter de Plebe ſancti Donati de Ziliano. *Hi ſunt mei archipresbyteri de jam dictis plebibus*, dixit Petrus Aretinus epiſcopus: Tum nos Leo papa juſſimus, librum Evangeliorum in medio concilio poni, ſimulque ſanctæ crucis vexillum inibi collocari. Atque per hæc ſciſcitati ſumus: *Audite vos, Sacerdotes, quibus reddendi teſtimonium facultas a ſanctiſſimo concilio tributa eſt, in virtute obedientiæ, & ſub obteſtatione divini judicii vobis præcipimus, ut in continenti nobis de hac re veritatem dicatis.* In primis ergo omnium Geſolfrandus jam dictus archipresbyter ait: *Quoniam nefarium eſt ſub tanta obteſtatione jurantem reticere, ſacrilegium eſſe arbitror in conſpectu hujus ſacri concilii falſum teſtimonium dicere. Idcirco quod a meis parentibus didici, & ego ipſe, cum ſim fere nonagenarius, memini, abſque falſitatis colore narrabo. Scio namque ſecundum meorum parentum relationem, Senenſem eccleſiam uſque Longobardorum tempora prædictas parochias inconcuſſe, & abſque ullo litigio tenuiſſe. Sed eorum iniquus gladius cuncta diripiens, ſubjectaſque hominibus terras, multis populis refertas, redegere in ſolitudinem. Contigit denique ex illius temporis deſolatione, invaſione callida alter epiſcopus, alteri parochiæ nefario auſu commorare, & invaſam totis viribus detinere. Sic itaque Senenſi eccleſiæ ab Aretina accidiſſe ſcimus. Quamlibet Petrus Aretinus epiſcopus nos huc ſui cauſſa duxit, tamen veritatis rationem celare nefas eſſe credimus; ita nimium re in ambiguo poſita, utriſque eccleſiis parere, alteri quidem ex neceſſitate, alteri vero ex voluntate, prædictas Parochias meminimus: Senenſi quippe ex voluntate, Aretinæ ex neceſſitate. Conſtat nos eccleſia Senenſi uſque hodie reddidiſſe eccleſiæ & conſtitutum ſervitium, & criſma ab eadem eccleſia cœpiſſe, conſecrationemque Diaconorum & presbyterorum hactenus ab ea ſumpſiſſe. Aretinæ vero eccleſiæ, armorum viribus concuſſos, ſervitium nos coacte exhibere non negamus. Jure igitur apoſtolica ſublimitas & imperatoria majeſtas nos noſtcaſque parochias a tali periculo eripiat, & hujus ſacri concilii decreta ſtatuat, eccleſiæ poſtbac libere, & inconcuſſe ſervire nos oporteat.* Tamen hoc, ſicut unum, ſingillatim unuſquiſque eorum interrogatus teſtimonium Geſolfranci aſſerebat veriſſimum. Aripaldus presbyter & monachus de plebe ſancti Stephani de Anciano, ut Geſolfrandus ita refert. Et Geliſarius archipresbyter de ſaltu ſimiliter confeſſus eſt. Benedictus archipresbyter ſancti Viti ſimiliter dixit. Aliprandus de plebe S. Donati ſimiliter dixit. Aliprandus de plebe ſancti Andreæ ſimiliter dixit. Laufridus archipresbyter ſanctæ Mariæ de Oſona ſimiliter dixit. Laucari archipresbyter de plebe ſanctæ Mariæ de Sexta ſimiliter dixit. Omnes itaque, ac ſi uno ore Senenſi eccleſiæ prædictas parochias pertinent, & rectiſſimo jure pariter conſtanter aſſerebant. Petrus vero hæc audiens, prædictos Sacerdotes teſtimonium ferentes, perjurii reatum incurriſſe arguebat. Tunc jubentibus nobis, & piiſſimo imperatore, & univerſo concilio, juraverunt, omnes prædicti Sacerdotes, quod in teſtimonium perducti ſatis vera & probabilia narrarent, & ſicut dixerant, ſe habet veritas.

Tunc nos Leo ſummus pontifex ſic ad Petrum epiſcopum, & ad omne concilium effati ſumus: *Similiter oportet nos, fratres, hujuſmodi æquitatis lance penſare, quoniam eorum affectionem, qui teſtimonio ſupradicto frater noſter Petrus juſtitiam ſuæ eccleſiæ adipiſci ſperabat, Senenſis eccleſia triumphum ſui certaminis eſt conſecuta.* Ad hæc univerſum collegium dixit: *Liquido patet prænominatas parochias Senenſis eccleſiæ eſſe, quoniam ejuſdem comitatus limitibus pertinere probatum evidenter eſt, & teſtium veriſſimorum aſſertio clamat, & ſcripta ſanctiſſimorum pontificum hæc roborant. Jubeat ergo veſtra*

ANNO CHRISTI incerto.

ANNO CHRISTI incerto.

ſtra ſanctitas, & imperatoria majeſtas, Senenſi eccleſiæ ea, quæ ſua fuere, reſtituantur: quatenus diſcordia de medio ſublata unuſquiſque eorum propter hoc, & ſicut in omnibus ſtatutum eſt, ſibi ſubjectas parochias regat, nec ad vicinam diœceſim ſui fratris nullatenus accedere præſumat. Tunc Comeranus epiſcopus dixit omnibus: *Sunt mihi adhuc teſtes idonei, quos de mea civitate huc duxi, quibus propoſitæ altercationis patet ambiguum: qui antiqua relatione nobilium parentum quicquid inde eſt, inſigniter noverunt. Ipſi, ſi introducti fuerint, veritatem nullo modo celabunt.* Tunc ingreſſus VVilleradus bonæ memoriæ Merempridi filius, & Gunteramus filius quondam Sicheradi Ginnonis, qui erant milites regis, & Lamfredus miles prædicti epiſcopi Aretini. Et VVilleradus ſuttestatione divini nominis a nobis interrogatus, dixit: *Scimus igitur, quod prædictæ plebes & monaſteria, juxta relationem meorum antiquorum parentum, Senenſis eccleſiæ fuerunt. Conſignationes, rectorum conſecrationes, & presbyterorum ordinationes, Epiſcopus Senenſis eccleſiæ ibi feciſſe vidimus. Nullum inibi fuiſſe litigium, manifeſta res docet, niſi ab ingreſſu gentis Langobardorum in Italiam. Senenſis quippe eccleſia uſque ad eorum tempora inconcuſſe prædictas parochias poſſederat.* Reliqui vero omnes, cum ſingillatim interrogati fuiſſent, teſtimonium veritatis Villeradum protuliſſe teſtati ſunt: illi vero una voce teſtimonium veritatis proferentes, ſacroſanctis Evangeliis, in medio poſitis, tactis juraverunt .... prænominatæ parochiæ jam Senenſis eccleſiæ ſint propriæ, quod eccleſiæ Aretinæ recto iure non pertinent. Hoc ſacramento expleto, nos Leo ſummus pontifex diximus Petro epiſcopo: *Oportet te frater Petre, jam nunc tuis tantummodo parochiis contentum eſſe, & ab illicita præſumptione ceſſare, & primam de hac inuſitata finire, aut ſi quid ad opponendum potes, quod utile ſit, adhibere. Nam nihil vanum, neque ſuperſtuum, aut quod a veritate ſit alienum, hoc ſacrum recipit concilium.* Petrus vero epiſcopus inquit: *Juxta examinationes veſtras ſanctas litigium rectum penſavit, neque in ambiguo, quod a vobis hic definitum eſt, pono. Et jam neque aliorum præſentiam hominum, quibus vos magis credere poſſitis, exhibere valeo, neque aliorum ſcriptorum decreta, præter quæ a me hic ſunt oſtenſa.*

Ad hæc Imperator: *Conſtat itaque evidenter, Petrum epiſcopum ſuperatum; quoniam teſtimoniis eorum, a quibus ſe ſalvari putabat, Senenſis eccleſia victoriam eſt conſecuta. Juſtum eſt*, inquit, *ut propter hoc fleat, neque amplius hujus rei altercationem adire præſumat. Superſtuum eſt ei, ut cum ſuæ civitati parochias ſubjectas retineat, ad alterius epiſcopi Diœceſim illum temerario auſu tranſire. Quapropter volumus, ut in hoc ſacrum & venerabile concilium ita hujus litis altercationem æquiſſimo termino includat atque definiat, quatenus futuro tempore ulla poſſit inter eos ſcrupoloſitas renovari.* Tunc imperator relictis nobiſcum miſſis ſuis ad iſtam cauſſam finiendam, ideſt Joſeph Archicapellano, Angelberto archiepiſcopo, Notingo epiſcopo, & Adelcheſi comite, a concilio diſceſſit. Remanſere autem Cantius cum duodecim Sacerdotibus idoneis, quorum non fuerat adhuc in teſtimonio jusjurandum receptum. Tunc juravit Cantius cum duodecim Sacerdotibus, quod in ſacramentis ſupradictorum teſtium veritas abſque ullo dolo verſata eſt. Tunc omne concilium ſimul clamavit: *Jubeat ergo Apoſtolici culminis ſanctitas, ex totius concilii decreto, prædictarum parochiarum, quas temere invaſit, Petrum epiſcopum reſutationem Senenſi eccleſiæ facere, ac deinceps ſuper hac re penitus ſilere.* Tunc jubente Apoſtolico, & legatis imperatoris, ac univerſo concilio, penitus poſuit, & refutavit Petrus epiſcopus Senenſis eccleſiæ parochias ſupra nominatas, quas illicite, & nefario auſu invaſerat. His igitur ita expletis, nos Leo ſummus pontifex ſic dicendo definivimus: *Opportunum itaque valde reor in hujus litigii definitionem auctoritatem noſtram accommodare, atque ſub anathematis interpoſitione æquiſſima ratione finitum litigium hinc inde ſopire, ne forte in futuro tempore aliquis, pravitate plenus, quod modo juſte, & canonice a nobis definitum eſt, audeat violare. Nam firmum & ſtabile in Senenſi manere eccleſia ſancimus quicquid per teſtium indagationem eidem pertinere eſt compertum. Si quis igitur adverſus hujus noſtri privilegii decretum aliquo tempore quilibet violare temptaverit, ſive clericus, ſive laicus, ſive dignitate præditus, ſive honoribus decoratus, aut qualibet magna, parvaque perſona, ſciat ſe auctoritate Domini noſtri Petri Apoſtolorum principis omni honore privatum, atque anathematis maranatha vinculis innodatum, & cum Juda proditore Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Anania & Saffira perpetuo ſupplicio deputandum. Et quoniam in Dei ſumus nomine collecti, Dominus vere inter nos eſſe creditur, ejus auxilio, quicquid agimus vel definimus, credimus eſſe fulcitum; idcirco prædictæ maledictioni ſe innodat, quiſquis violare temptaverit quicquid a nobis eſt, Deo auxiliante, decretum.*

Leo Dei gratia Catholicæ, & Apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ epiſcopus, hujus Judicati decretum propria manu roboravi.

Joſeph Archicapellanus Domni imperatoris ſubſcripſi.

Joannes Archiepiſcopus Ravennæ ſubſcripſi.

Angelbertus archiepiſcopus Mediolanenſis ſubſcripſi.

Notingus epiſcopus Brixienſis ſubſ.
Ambroſius epiſcopus Lucenſis ſub.
Olchiſi epiſcopus Piſtorienſis ſub.
Donatus epiſcopus Feſulanus ſub.
Gerardus epiſcopus Florentinus ſub.
Johannes epiſcopus Piſæ ſub.
Andreas Volaterræ epiſcopus ſub.
Taceprandus epiſcopus Cluſinus ſub.
Otto epiſcopus Roſellenſis ſub.
Tanimundus epiſcopus Suanenſis ſub.
Dominicus epiſcopus Centumcellenſis ſub.
Petrus epiſcopus Orbivetanus ſub.
Joannes epiſcopus Tuſcanenſis ſub.
Petrus epiſcopus Spoletanus ſub.

FUERIT NE FEMINA QUÆDAM ROMANÆ ECCLESIÆ Papissa & Pseudopontifex.

Adnotatio Severini Binii.

Auctores fabulæ qui sint?

Auctoritate Mariani Scoti, Sigeberti, Gemblacensis, & Martini Poloni, hanc fabellam tamquam rem vere gestam novatores hæretici acerrime defendunt; Rudolphus autem Higedinus, Matthæus Palmerius, aliique viri pii & catholici res majorum prosecuti, ea quæ apud hos invenerunt absque delectu imprudenter descripta suis scriptis per nimiam oscitantiam inseruerunt. Primus fabellæ architectus & scriptor Marianus Scotus in chronico inscripsit circa annum Domini 856. paucis verbis, de Joanne pseudopontifice agens, ista quæ sequuntur: *Anno octingentesimo quinquagesimo tertio Leo papa obiit Kalendis Augusti, Huic successit Joanna mulier annis duobus mensibus quinque, diebus quatuor.* Quæ vero post Marianum Scotum in chronico Sigeberti Gemblacensis hac de re in codicibus impressis leguntur, ita se habent: *Fama est hunc Joannem feminam fuisse, & uni soli familiari tantum cognitam, qui eam complexus est, & gravida facta peperit papa existens. Quare eam inter pontifices non numerant quidam, ideo nomini numerum non facit.* In chronico Martini Poloni, qui plusquam ducentis annis posterior est Mariano Scoto, ista leguntur: *Post hunc Leonem Joannes Anglus natione Moguntinus, qui alibi legitur fuisse Benedictus tertius, sedit annis duobus, mensibus 5. diebus 4. Et cessavit pontificatus mense 1. mortuus est Romæ. Hic, ut asseritur, femina fuit: & cum in pupillari ætate a quodam suo amasio in habitu virili Athenas ducta fuit, in diversis scientiis ita profecit, ut nullus sibi par inveniretur, adeo ut post Romæ triennium legens, magnos magistros di. scipulos & auditores haberet. Et cum in urbe vita & scientia magnæ opinionis esset, in papam concorditer eligitur. Sed in papatu per suum familiarem impregnatur: verum tempus partus ignorant, cum de sancto Petro in Lateranum tenderet, angustiata inter Coloseum & S. Clementis ecclesiam peperit, & postea mortua, ibidem, ut dicitur, sepulta fuit.* Hæc chronicon Martini Poloni.

Prima ratio, qua fabula refellitur.

Ut mendacium occultarent, recentiores alias circumstantias nominis, locorum & temporum addiderunt: suaque veritate hoc effecerunt, ut quod ante bonis quibusdam scriptoribus credibile videbatur, hoc nunc plane omnes mecum universi orbis scriptores Christiani commentum schismaticorum & imposturam hæreticorum jure meritoque exsibilent & proscribant. Et quidem primum ea maxime de caussa, quod Anastasius bibliothecarius, qui Sergii II. Leonis IV. Benedicti III. & Nicolai I. creationi præsens interfuit, in vita Leonis IV. & Benedicti III. apertis verbis profiteatur, post interregnum quindecim dierum, hunc Benedictum Leoni IV. pie defuncto subrogatum fuisse.

Secunda ratio.

Secundo quia Lupus abbas Ferrarienſis in epist. ad Benedictum III. quam ex Papirio Massonio recitat illustrissimus cardinalis Baronius tom. 10. annalium, item Nicolaus papa successor Benedicti III in epist. 8. & 9. ad Michaelem imperatorem, & in ea quam scripsit ad episcopos Suessionensis concilii, Victoriance in suis annalibus, acta concilii Tullensis sub Nicolao I. anno Domini 859. celebrati, in epistola synodali. Flodoardus lib. 3. cap. 11. Benedictum Leonis IV. successorem nominant & profitentur.

Tertia ratio.

Tertio, quod ante Marianum Scotum, qui anno Domini 1086. ducentis nimirum & amplius annis post hæc tempora vixit & scripsit, nemo scriptorum anteriorum hujus fabellæ vel uno verbo mentionem fecerit. Nihil hac de re invenias apud Anastasium, Joannem diaconum, vel Adonem Viennensem, qui nono sæculo vixerunt: nihil apud Reginonem & Luithprandum scriptores decimi sæculi: nihil denique apud subsequentis sæculi undecimi historicos, Hermannum Contractum & Lambertum Schaffnaburgensem reperias. Quis uni Mariano hac in re majorem quam supra numeratis aliisque pluribus anteriorum temporum probatissimis scriptoribus fidem attribuat? Quarto,

Quarta ratio.

quod manuscripti & antiqui indices pontificum pluriml, quos vidi & contuli, inter Leonem IV. & Benedictum III. nullum alium pontificem interponant, nullaque ibidem ra-

Quinta ratio.

suræ nota conspiciatur. Quinto, illi qui summorum pontificum vitas descripserunt, diligenter notarunt, primis nongentis annis neminem in summum pontificem delectum fuisse, qui non prius Romæ aliqua dignitate ecclesiastica perfunctus esset, & quinquagesimum annum attigisset; quodque Leo octavus, anno 903. primus repente ex laico nullis antea habitis ordinibus ad hunc apicem magna totius orbis admiratione conscenderit. Ut ergo femina aliqua isto sæculo, quo nemo spurius vel nothus, vel incertis laribus aut parentibus ortus, nemoque vagus & tenuioris fortunæ citra titulum beneficii ad tonsuram & sacros ordines admittebatur, per saltum evecta fuerit ad

Sexta ratio.

summum pontificatum, nullam fidem meretur. Sexto, Leo IX. epistola quadam ad Michaelem imperatorem Constantinopolitanum, & Leonem Acridanum episcopum negat Constantinopolitanam ecclesiam in puritate, integritate & gratia a Deo accepta comparari posse cum Romana ecclesia; quod post alios eunuchos feminam quondam, ut vulgato rumore ferebatur, in sedem suam recepisset. *Absit autem*, inquit Leo prædicta epist. cap. 23. *ut velimus credere, quod publica fama non dubitat asserere, Constantinopolitanæ ecclesiæ contigisse, ut eunuchos contra primum sancti Nicæni concilii capitulum passim promovendo, feminam in sede pontificum suorum sublimasset aliquando. Hoc tam abominabile scelus, detestabileque facinus, etsi enormitas ipsius, vel horror, fraternaque benevolentia non permittit nos credere; considerata tamen incuria vestra ergo sanctorum censuram canonum, quia eunuchos & aliqua ex parte corporis imminutos non solum ad clericatum, sed pontificatum etiam indifferenter ac sollemniter adhuc promoveris, fieri potuisse pensamus.* Hoc sane argumento nequaquam usus fuisset pontifex prudentissimus, si intellexisset talo aliquid adversus Romanam ecclesiam, cujus puritatem tuebatur, objici posse. Septimo, detegitur impostura eo maxime argumento, quod præcipuæ fabulosi commenti circumstantiæ plane falsæ sint & absonæ. Anglia nullam habet Moguntiam: Moguntiæ nullum Angli pontificis vestigium aut monumentum reperitur. In numero eorum pontificum, qui Joannis nomen usurparunt, neminem invenias, qui vel Anglus, vel Moguntinus, aut Germanus fuerit. Primus & vigesimus fuerunt natione Tusci, secundus, tertius, octavus, item nonus, decimus, undecimus, duodecimus, decimus tertius, decimus quintus, decimus sextus, decimus-octavus & decimus nonus, Romani fuerunt: quartus Dalmata: quintus Antiochenus: sextus, septimus & decimus septimus, Græci: decimus quartus Patavinus, vigesimus primus Lusitanus, vigesimus secundus Gallus, duo postremi Neapolitani extiterunt. Inconcinne igitur & valde inconvenienter auctor fabellæ Joannis nomen imposuit pseudopapissæ, quam in Anglia vel Moguntiæ in Germania natam fabulatur. Non minus falsum est, quod studiorum gratia Athenas profecta, ibidem magisterii lauream adepta fuerit. Nam his temporibus, quibus in ea urbe Joanna studuisse fingitur, solo adæquata civitas nihil antiqui splendoris præter antiquas ruinas obtinebat.

Septima ratio a mendaciis fabulæ.

Postquam enim eversam a Sylla Hadrianus imperator anno Domini 109. restaurasset, Scythæ qui tempore Claudii II. e septentrione eruperant, omniaque clade vastabant, eamdem incenderunt & exciderunt: quamquam dici posset, quod multis ante sæculis, teste Strabone, Athenis studia deferbuerint, eaque ætate, quam proponunt adversarii, universa Græcia barbarie fœdata nullum antiquæ suavitatis & eloquentiæ vestigium impressum retinuerit; ideoque Nicolaus Benedicti successor scholas jacentes in meliorem formam erexerit. Nonum manifestæ fraudis & impostura

Nona ratio a notitia fabularum

indicium præbet inconstans, vaga & certissima mendacii nota scriptorum varietas in nomine, tempore, loco, aliisque circumstantiis describendis. Quidam enim Anglam; quidam vero Moguntinam esse scribunt. Aliis Agnes, aliis vero Isabella, Margareta, Dorothea, Gilberta, Jutta vocatur. Nonnulli eam sancto Martino Pontifici, quidam Stephano V. alii Leoni V. Polonus, Fasciculus, & novatores pene omnes Leoni IV. successisse ajunt. Septimus, an octavus Joannes fuerit, uno, an pluribus annis sederit, graviter inter se contendunt. Quis ergo non credat totam hanc narrationem commentitiam esse? Et quamquam hæc ad explodendam contumeliosam fabellam sat roboris habeant, magis tamen ad extremum eamdem confutat, quod nullo certo testimonio in vulgus emissa circumferatur. Nam quod Marianus habet, adulterinum est, immo plane surreptitium. Nam vetera manuscripta exemplaria dubio & ancipite sermone de Joanna sic habent: *Leoni, ut aliqui commemorant, Joanna mulier in pontificis successit*, corruptel dolique artifex Heroldus hæc verba, (*ut aliqui commemorant*) quæ nihil aliud quam levem & plebeiam auram arguunt, penitus abrasit. Ex Lutheranorum laribulis erupisse adeoque plane surreptitium esse, quidquid de Joanna apud eumdem Marianum sive dubio sive certo sermone continetur; eo argumento non male probatur, quod in manuscriptis & in impressis Mariani codicibus omnibus Leo IV. immediatus antecessor Joannæ numeretur, ac nominetur papa centesimus secundus. Sergius antecessor Leonis, papa centesimus primus. Benedictus vero Joannæ successor immediatus centesimus tertius papa nominetur.

Decima ratio qua fabulæ fundamenta eversa esse ostenduntur.

Marianus Scotus corruptus.

Si igitur Mariano Sergius est centesimus primus, Leo centesimus secundus, Benedictus centesimus tertius papa; sequitur quod Joannam, quæ inter Leonem & Benedictum ponitur, Marianus verus & incorruptus nunquam agnoverit. Confirmatur hæc de corrupto Mariano sententia nostra, quod nemo antiquorum, qui post eum de Joanna scripserunt, ipsum in suæ sententiæ patrocinium adscive-

rit,

rit, suamque hac arce opinionem munierit. Adde, quod etiamsi concedamus Marianum primum omnium hanc fabulosam historiam contexisse, nihil tamen auctoritatis eidem conciliare possit: utpote qui rem ante suam ætatem ducentis & amplius annis prius gestam non aliter quam per famam & rumorem acceptam esse fatetur. Fortasse accidisse potuit, ut id quod de muliere in sedem patriarchalem Constantinopoli sublimata vulgato rumore spargebatur, hoc per calumnias schismaticorum odio pontificis in Romanam ecclesiam tortum, eademque fama a Mariano acceptum & descriptum fuerit. Illa enim ætate, qua Marianus scripsit, prædictus rumor, quem ex Leonis epistola supra recensui, omnium ore vulgabatur: eodemque tempore Henricus III. imperator propter investituram per schisma ab ecclesia desciverat, plurimosque incontinentes clericos Germaniæ in Gregorium VII. strenuum impudicitiæ & incontinentiæ vindicem concitatos in suas partes pertraxerat; quorum malitia sine dubio Romanæ ecclesiæ objectum esse potuit, quod communi fama de sede Constantinopolitana ferebatur. De origine hujus fabulæ valde probabile est quod ait illustrissimus cardinalis Baronius anno 879. num. 5. his verbis:

Hinc puto factum (si quæ tamen veritatis vel saltem speciem mendacii apertissimi esse potuit) quod ob nimiam Joannis animi facilitatem & mollitudinem, abjecta penitus omni virilitate, fractus animo, sacerdotalis constantiæ expers, atque robore enervatus, non papa, ut Nicolaus & Hadrianus, sed papissa fuerit contumeliæ loco dictus; utpote quod qui nec resistere sciret cunucho, quique vinceretur a semiviro, non vir, sed esset femina potius nuncupandus; & sic nomen contumeliæ transierit posteris verum insciis in veritatis opinionem, atque ita a compluribus decantatum fuerit, Joannem octavum papam fuisse feminam; sicque fallata vulgo invenerit eo modo locum fabulæ.

Id quod supra hac de re ex Sigeberto allatum est, auctore Geneb. plane fictum est & excogitatum. Nam in antiquo ejus manuscripto autographo exemplari quod in Gemblacensi cœnobio asservatur, non modo nihil tale reperitur; verum etiam in chronico Guillelmi Nangiaci, in quibus totus liber Sigeberti exscriptus est, hoc unum desideratur. Tacco quod, auctore Trithemio, in gratiam schismatici imperaturis alia nimis affectuose suppresserit, alia addiderit: quodque continuator Sigeberti Robertus abbas ea quæ voluit immutaverit, istamque fabellam, quæ in antiquis exemplaribus non legitur, more sciolorum intexuerit, acceptaque a Galphrido Anglo Monumetense, prout hac de re non immerito conqueritur Alanus Copus, in chronico Sigeberti congesserit.

Martinum Polonum hac fabula adauxit Heroldus Basileensis typographus, ex cujus prælo anno Domini 1559. in lucem prodiit. Extant enim, Suffridi Petri & Josiæ Simlero attestantibus, plurima manuscripta exemplaria, a quibus hanc aliasque infinitas fabulas abesse animadverterunt, quæ in impresso codice reperiuntur. Verba Suffridi ista sunt: *Satis mirari non possum, unde tot & tam absurdæ ineptiæ in Martinum Polonum illabi potuerint, quas in prioribus editionibus cernere licet, cum earum ne vel minima in manuscriptis vestigia appareant, & verisimillimum sit, Martinum Polonum hac non dicam scripsisse, sed nec unquam præmeditari ausum. Neque enim putandum est, auctorem, quantumvis mediocrem, ita turpiter passim sibi infamiæ labem inurere voluisse, & singulis plane periodis ignorantiæ argumenta amplissima reliquisse.* Hæc ille.

Paullo ante quam hæc postrema conciliorum editio emitteretur in lucem, manuscriptum exemplar antiquissimum Martini Poloni hac fabula carens reverendus in Christo pater ac frater Joannes Cæsar ad me transmisit, ut ad propulsandam a sede apostolica gravem calumniam typis Gerhardi Genarb expressum toti mundo publicaretur, & apud me tamquam sequestrem aut depositarium manuscriptum ipsum detineretur; nullam corrupti exemplaris suspicionem esse, videbis quisquis apud me illud perlustrare voluerit.

Ex quibus satis evidenter lucet, quod incerta huc illucque vacillans auctorum, quibus innituntur, sit diversitas, adeoque nulla plane hujusmodi figmentis fides adhibenda videatur. Conjecturas a sede perforata & statua desumptas, quibus hanc suam fabellam stabilire nituntur, post alios doctissime refutarunt illustrissimus Card. Baronius an. 853. Bellar. de Rom. pont. nec non Florimundus Raimundus senator Burdigalensis, Nicolaus Serarius in hist. Mogunt. quos lector plura requirens consulere potest.

Observatio Philippi Labbe, S. J.

De eadem Joannæ papissæ fabula quam creduli quidam scriptores σβεσαντίως promulgarunt, ac detersa modo per eruditos viros etiam in alienis a catholica ecclesia castris militantes caligine fanatici quidam novatores, *Maresius*, *Hottingerus*, &c. defendere moliuntur, plura alias docuimus in cenotaphio illius eversо a nobis, funditusque diruto demonstratione chronica ineluctabili, quam ex solis sæculi noni scriptoribus iisdemque coævis contexuimus ad calcem tomi primi de scriptoribus ecclesiasticis. Illas ne quis forte desideret Binianæ annotationi subjicimus in nonnullis altera hac editione auctiorem atque emendatiorem.

CENOTAPHIUM.

JOANNÆ PAPISSÆ

NUPER AB HETERODOXIS Samuele Maresio, Claudio Salmasio, Congnardo, Calixto, Hottingero, Cookio, Grimo, &c.

Ex Utopia in Europam nuper revocatæ, eversum funditusque excisum demonstratione chronica ineluctabili,

Contexta e coætaneis dumtaxat unius IX. sæculi scriptoribus.

Addita ad calcem Virgidemiæ Maresiana, & præmetiis Hottingerianæ.

PHILIPPUS LABBE, BITURICUS, Soc. Jesu theologus,

LECTORIBUS VERITATIS Studiosis S. P. D.

PLurimi scriptores catholici nostro ac superiore sæculo adversus vulgarem Joannæ papissæ fabulam ingeniose simul ac feliciter dimicarunt: quorum hic in fronte chronologicæ dissertationis brevem alphabetica serie contexam indiculum, ut qui majori abundant otio, ac quæstionem a novatoribus heterodoxis magna animorum contentione agitari solitam profundius perscrutari voluerint, habeant, quos consulere possint. Hos ego hactenus deprehendi. Alanum Copum *cap.* 8. *dialogi primi*, Andream Duchesnium *in libro de Romanis pontificibus*, Arnaldum Pontacum Vasatensem episcopum *in chronico*, Aubertum Miræum *in scholis ad Sigeberti chronicon ad MS. exemplar Gemblacense &c. excusum*, Bartholdum Nihusium *de quo paullo post in Leone Allatio*, Cæsarem Baronium cardinalem eminentissimum *in annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 853. ubi meritissimo jure vocat fabulam indoctam, omni ex parte mendacem, insulsam, ineptam, frivolam, sibi contradicentem, se invicem dissolventem, nulla verisimilitudine subsistentem, vel saltem mentito veritatis fuco nitentem, calumniosam, leviter fusam, levius creditam, perfide assertam, procaciter defensam, obstinate retentam a novatoribus, Florimundum Ræmundum senatorem Burdegalensem *in refutatione vernacula erroris popularis de Joanna Papissa*, Francis. Coriolanum *in chronico*, Georgium Schererum in tractatu Germanice de ea re edito, Gilbertum Genebrardum ad *an.* 858. Jacobum Gordonum societatis Jesu *in opere chronologico ad ann.* 853. Jacobum Gretserum societatis Jesu *in defensione Bellarmini tomo II. libro tertio capite vigesimo quarto*, Jacobum Gualterum societatis Jesu *in tabulis sæculi IX.* Joannem Aventinum *libro quarto annal. Bojorum*, Joannem Carolum Ræmondum, *qui Florimundi patris opus Latine reddidit, emisitque in lucem Burdigalæ apud Simonem Millangium anno* 1601. *in* 8. *dicatum illustrissimo ac reverendissimo domino Francisco Joyeusæo archiepiscopo Tolosano Sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali*, Jodocum Coccium *tomo I. Thesauri catholici*, Justum Lipsium *in ep. ad Franc. Sweertium*, Leonem Allatium Chium *qui ex monumentis Græcis confutationem fabulæ illius edidit Romæ anno* 1630. *quam recudendam curavit Coloniæ anno* 1645. *Bartoldus Nihusius adjunctis prologo, epilogo, ac telescopio*. Ludovicum Richeomum S. J. *Si vere*

Blondellus, & quidam alii, Ræmundianum opus ei A *adjudicarint: qua de re nihil noſtri Ribadeneira aut Alegambius*, Nicolaum Sanderum *lib. 7. de viſibili eccleſiæ monarchia*; Nicolaum Serarium S. J. *in deſcriptione Moguntiacarum antiquitatum*, Onuphrium Panvinium *in notis ad vitas pontificum Bartholomæi Platinæ*, Papirium Maſſonum *libro de epiſcopis urbis Romæ*, Petrum Maturum S. J. *in annotationibus ad chronicon ſancti Antonini Florentiæ archiepiſcopi*, Robertum Bellarminum S. R. E. cardinalem *de pontifice Romano tomo I. controv. III. lib. 3. cap. 24.* Severinum Binium *in notis ad concilia & vitas Leonis IV. & Benedicti III. Romanorum pontificum*, Siffridum Petri *annotationibus in chronicon Martini Poloni ad MS. codicem emaculatum*: quodque anno 1616. Coloniæ Agrippinæ B e veruſtiſſimo MS. & ipſi ſcriptori pene coætaneo ſumma fide & diligentia expreſſum excudendum curavit in folio F. Joannes Fabricius cognomento Cæſar, ordinis candidi Præmonſtratenſium alumnus, Simonem Majolum ep *Colloquio tertio*, &c. Mihi quoque ante quindecim annos pauca exciderunt in opere Gallico. Et in chronico technico ad an. LV. ſæculi noni. Ut nullus hic locus eſſe poſſit, Joannæ papiſſæ, quam nonnulli inſulſe nimis atque inſipienter deprædicant fabulam ab Henricianis aliiſve pontificiæ ſedis hoſtibus inſenſiſſimis haud dubie cum aliis ejuſdem farinæ deliciis excogitatam, & in vulgus ſparſam. Puduit etiam eruditiores hæreticos noſtri temporis, Calvinianos, Lutheranoſque, tam impudenti C mendacio ſubſcribere, & Calvinus ipſe; quamquam ægre, veritati manus tandem porrigit, niſi quod ridicule ſuſpicatur forraſſis pontificiorum cura a libris omnium, qui circa ea tempora ſcripſerunt, auctorum, etiam Græcorum atque Francorum, hæc tam immania portenta fuiſſe eraſa.

Ex hæreticis certe qui eccleſiam catholicam lacerare maledictis, & Romanos pontifices innato ſibi odio calumniari atque allatrare non ceſſant, pauci admodum reperti ſunt, qui præ inſita obtenebratis mentibus cæcitate, clariſſimam veritatem conſpicere potuerint, aut ei probe cognitæ perſpectæque hactenus litare voluerint, ſaltem publice, propter metum collegarum, aut inſanæ minas plebeculæ ſimilibus jampridem næniis aſſue D factæ. Unus David Blondellus, Catalaunenſis, Calvinianæ hæreſeos adminiſter, hanc ſpartam exornandam ſuſcepit, conquiſitis ex antiquitatis hiſtoricæ penu pluribus argumentis, tum *in Gallica elucidatione quæ præmiſſa ad fratrem epiſtola Amſtelodami excuſa fuit anno* 1647. tum in libello poſtumo in eadem Hollandia Latine edito, (hoc titulo, *Famoſæ Quæſtionis, an Femina ulla inter Leonem IV. & Benedictum III. Romanos pontifices, media ſederit*, Ἀνάκρισις) quem Samuel Mareſius, vocaliſſimus ineptiarum præco, cum mendaciſſimis mendoſiſſimiſque animadverſionibus ſuis Groningæ Friſiorum anno 1658. recudendum curavit. Verum cum Blondellus propter ſinuoſas inconditæ plerumque orationis am- E bages, & inextricabiles περιπλοκὰς καὶ παρόδους labyrinthos minus gratus politis lectoribus eſſe ſoleat, & bonæ cauſſæ offuſis tenebris ſæpius incommodaverit, χρώμενος καὶ κατὰ κόρον τῇ παρεκβάσει inquit Photius de Damaſcio cod. 181. operæ pretium viſum fuit eamdem reciprocare ferram, ac deſcriptis ipſorum auctorum teſtimoniis cum ſubjectis brevibus identidem corollariis & in bono lumine collocatis, clare pauciſque controverſiam omnem definire, ne quis impoſterum Congnardus, Grimmius, Salmaſius, Hottingerus, aut Mareſius; mutire adverſus manifeſtiſſimam veritatem, nedum obſtrepere, aut perfricta fronte tricari audeat.

Quamobrem, ceteris prætermiſſis, quæ ab aliis afferri ſolent, argumentis, DEMONSTRATIONEM CHRONOLOGICAM e ſcriptoribus coævis, quorum revocari in dubium auctoritas apud æquos judices non poſſit, contextam, præciſis ambagibus atque excurſionibus exhibebo, ut nuperrimorum veritatis conteſtatiſſimæ hoſtium vaniloquos conatus atque offucias, quivis etiam ex ipſis heterodoxis vel ἀναλφάβητος irridere valeat & diſpellere.

ADVERSUS FABULAM
JOANNÆ PAPISSÆ
CHRONICA DEMONSTRATIO
INELUCTABILIS,

Ex auctoribus ſynchronis, qui ſæculo nono vixerunt, unice contexta, ſic ſe habet.

ANnis æræ Chriſtianæ 853. & 854. integris uſque ad diem 17. Julii anni 855. ſummus Romæ pontifex ſedit Leo IV. Ejus vero ſucceſſor Benedictus III. die dominica 29. Septembris ejuſdem anni 855. conſecratus pontificatum tenuit uſque ad diem 8. Aprilis anni 858. quo obiit; ſuccedente Nicolao I. a die dominica 24. Aprilis, qua eodem anno 858. conſecratus eſt, uſque ad diem 13. Novembris anni 867. quo deceſſit; C ſucceſſorem nactus Hadrianum II. a die 14. Decembris ad Kalendas Novembris anni 872.

Igitur commentitia eſt ac plane futilis Joannæ papiſſæ fabula, quæ ab imperitis temporum veteriſque hiſtoriæ ſcriptoribus inter Leonem IV. & Benedictum III. annis 854. 855. vel 856. ac ſequenti, integris ſeu tantum ex parte delibatis Romanam cathedram mentito ſexu occupaſſe perhibetur per 2. annos menſes 4. dies 5.

Atque ut ad hypotheſim deſcendam, falſiſſimum eſt atque ineptiſſimum, quod ait Mareſius Trico pag. 167. Leonem obiiſſe anno 854. circa Julium & poſt interpontificium duorum menſium cum aliquot diebus Joannam ei ſubrogatam quæ ſedem occuparit per biennium cum aliquot menſibus. D Benedictum vero electum circa initia 857. ſic tamen ut ejus conſecratio in Auguſtum uſque dilata ſit, ac ſic occupaſſe annis 857. & 858. cum aliquot menſibus anni 859. quod ad ſummum Nicolaum accepit ſucceſſorem. Alibi enim idem magis inclinat in 860.

Ceterum antequam utramque propoſitionis partem evincam, monendus es lector eadem quoque opera mihi probandum incumbere, Lotharium imperatorem Ludovici Pii anno 840. die 20. Junii defuncti filium a vivis ſublatum fuiſſe Prumiæ exeunte Septembri ejuſdem anni 855. ſuccedentibus filiis LUDOVICO II. imperatore, LOTHARIO Lotharingiæ rege, & CAROLO rege Provinciæ.

TABULA ANNORUM XI.

SÆCULI IX. DIGESTA

EX SOLIS EJUSDEM SÆCULI

SCRIPTORIBUS SYNCHRONIS.

Ad cujus examen ac cenſuram ex illis ipſis ejuſdem temporis coætaneis auctoribus faciendam provocatur, & per totidem feciales, quot hic ſunt litteræ, diffidatur, ut ejus voce utar, Samuel Mareſius Groninganæ academiæ profeſſor, ceterique omnes Παπιστομανῆντες *heterodoxi, eccleſiæ catholicæ, ejuſque ſummorum pontificum calumniatores.*

ANnus Chriſti domini 840. a Kalend. Januariis, more apud chronologos recepto, (quod de ſequentibus accipiendum moneo) inchoatus, notatur indictione tertia uſque ad menſem Septembrem; Quarta vero a menſe Septembri (de die diſſident Græci a Latinis, ut vel pueri ſciunt) uſque ad pridie Kalendas Januarias. *Quod diſcrimen ad majorem lectorum opportunitatem deſignabimus hac forma* $\frac{3}{4}$ *ſimili quoque diſcrimine diſtinguemus annos pontificum, imperatorum, ac regum*, ut hic v. g. 840. dicitur Gregorii IV. papæ, ſi numeres ab electione facta die 24 Septembris $\frac{13}{14}$ Lotharii imp. a morte patris die 20. Junii obita primus, ab inauguratione vero Romæ per Paſchalem papam in ſancto paſchali die 5. Aprilis 823. facta $\frac{17}{18}$ a coronatione per Ludovicum patrem Aquiſgrani in generali totius imperii conventu populo acclamante, vivat imperator Lotharius, peracta anno 817. $\frac{23}{24}$ Caroli Calvi Franciæ regis primus a morte patris, ſive aliquot poſt eam diebus a menſe Julio. *Ludovici Germaniæ regis annos omittimus annotare, quod cum annis Caroli Calvi fratris apprime conveniant.*

Ludovicus Pius, cum Pictavis natalem Domini & purificatæ Virginis feſtum celebraſſet, audita rebellione Ludovici filii ſui, Aquiſgranum contendit, ibique celebrato paſchate, quod contigit 28. Martii, Rhenoque tranſmiſſo, in Turingiam penetravit. Quo in tempore deliquium ſolis contigit tertia die litaniæ majoris, ſeu in pervigilio aſcenſionis, tertio Nonas Maii, ante nonam diei horam, & imperator viribus deficiens, in inſula Rheni infra Moguntiam, ad proſpectum Ingelheimenſis palatii ſita, pie ac Chriſtiane obiit, die 20. Junii dominica, ætatis 64. regni Aquitanici 37. Imperii 27. & Metis in baſilica S. Arnulfi a Drogone fratre ſepultus eſt. Hæc & alia plura auctor anonymus vitæ Ludovici, Nitardus, Ado, aliique innumerabiles. Probant vero mortem Ludovici anno 840. contigiſſe ſex argumenta chronologica. I. Feria 1. ſeu dominica hoc anno conjuncta cum Junii die 20. II. Eclipſis ſolis, quam omnes aſtronomi huic anno affigunt. III. Indictio tertia, quæ cum antecedentibus & conſequentibus convenit. IV. petitur ex auctoribus ſynchronis. V. ex conciliis ſequentibus. VI. ex infinita diplomatum copiâ, quæ filios ejus Lotharium, Ludovicum, & Carolum, hoc ipſo anno auſpicatos eſſe demonſtrant. Adde contextum concentumque hiſtoriæ, & aptam inter ſe concatenationem temporum, quam ſi vel in uno ſolvas, omnia evertas oportet, ac cum Groningano nebulone, qui pag. 170. & ſequenti impudentiſſime dicam an imperitiſſime, ex privilegio, ὀνοχοϊνικῆς ὠφελητηρίας, contendit indictionem primam cœpiſſe menſe Septembri anni 868. non anni 867. & 19. Kal. Januarias anno 867. non fuiſſe diem A dominicam, iterum tenebras pluſquam Cimmerias & horrendum chaos, (teſtor omnes quotquot ſunt ubique terrarum ac præſertim in fœderato Belgio academiarum chronologos) in orbem litterarum inducas.

Lotharius edicto Remenſem ſedem reſtituit Ebboni, cui ſubſcripſerunt 20. Epiſcopi 8. Kal. Julii, ind. 3. anno reverſionis Lotharii primo, quo ſucceſſor factus eſt patris in Francia. Vide extremum tomum II. conciliorum Sirmondi, & quæ nos ſuperiori tomo.

Annus 841. Ind. $\frac{5}{5}$ Gregorii IV. papæ $\frac{14}{15}$ Lotharii ab obitu patris $\frac{1}{2}$ ab anno 823. $\frac{18}{19}$ ab anno 817. $\frac{24}{25}$ Caroli Calvi $\frac{1}{2}$.

Carolus Biturica in civitate, pridie Idus Januarii Ind. 4. anno primo regni ſui, confirmavit privilegia eccleſiæ Nivernenſis. Vide Romenæum p. 42. hiſt. Nivern. B

Adalbertus comes, incentor diſcordiarum inter fratres, a Ludovico rege occiditur 3. Idus ſeu 13. Maii Feria 6. ex annalibus Fuldenſibus.

In regione Autiſſiodorenſi prope Fontanetum VII. Kal. Julias ſeu 25. Junii Sabbato Ludovicus & Carolus Lotharium fratrem ac Pipinum nepotem vicerunt: ut infiniti narrant hiſtorici, præcipue Nithardus, quem ne quidem de titulo videtur noviſſe Onochronus Groninganus, *Anticyras melior ſorbere meracas.*

Annus 842. Ind. $\frac{6}{6}$ Gregorii IV. $\frac{15}{16}$ Lotharii a morte patris $\frac{2}{3}$ ab 823. $\frac{19}{20}$ ab 817. $\frac{25}{26}$ Caroli Calvi $\frac{2}{3}$. C

Theophilo Imp. CP. ſuccedit Michael ὁ μέθυσος Potor dictus ſub Theodora matre.

Defectus Lunaris, die 30. Martii, majoris hebdomadæ feria quinta ante paſcha, Lutetiæ Pariſiorum a media circiter nocte, in Germania ſerius, hoc eſt horis fere tribus poſt mediam noctem.

Mediante Junio, feria quinta, propter civitatem Matiſconis, in inſula quæ Anſula ſive Anſilla dicitur, Fratres convenerunt. Nithardus lib. 3. & 4. qui meminit translationis Angilberti patris ſui abbatis Centulenſis, factæ Nonis Novembris hujus anni 28. poſt ejus diſceſſum.

Annus 843. Ind. $\frac{6}{7}$ Gregorii IV. Papæ ult. Lotharii a morte patris $\frac{3}{4}$ ab 823. $\frac{20}{21}$ ab 817. $\frac{26}{27}$ Caroli Calvi $\frac{3}{4}$. D

Rainaldus comes contra Britones pugnans occiditur 9. Kal. Julii.

Deſcripto regno a primatibus, & in tres partes diviſo apud Virdunum tres reges illud inter ſe diſpertiunt.

Juditha mater Caroli Calvi obiit 19. Aprilis alii 24. Turonibus.

Charta, quam Æneas notarius ad vicem Hludovici ſubſcripſit 3. Kal. Sept. Ind. 6. an. 4. regni Caroli.

Capitula presbyterorum Gothiæ rogatu acta apud Toloſam. Item in villa quæ dicitur Colonia prope Vindinum Cenomanorum, anno IV. Caroli, Ind. 6. Capitula in ſynodo, acta apud Lauriacum in pago Andegavenſi menſe Octobri Ind. 7. Vide Capitularia Caroli Calvi, Tomum III. Conciliorum Galliæ Sirmondi & Tomum XXI. Collectionis Regiæ. E

Annus 844. Ind. $\frac{7}{8}$ Gregorius IV. papa obiit die, ut volunt 25. Januarii aut circiter, Sergii II. primus a die 10. Februarii ſaltem eo die, quo tanta nix in Urbe effuſa eſt, ut omnibus candidata cerneretur: Lotharii a morte patris $\frac{4}{5}$ ab 823. $\frac{21}{22}$ ab 817. $\frac{27}{28}$ Caroli Calvi $\frac{4}{5}$.

Ludovicus a patre Lothario Romam miſſus, a Sergio papa coronatus eſt Rex Longobard. nec deſuit quidquam ad imperatoriam dignitatem, quam quod noluerit Romanos nobiles fidelitatis

jura-

juramentum illi exhibere: qua de re videndi Anaſtaſius, Ado qui narrat, cum Pontifex coronam imponeret, acclamante populo imperatorem & Auguſtum eſſe ſalutatum, annales Bertiniani, &c.

Toloſam obſedit Carolus: unde charta epiſcopii Biterrenſis pag. 300. libri de allodiis Landgothicis Caſanovæ data XIV. Kal. Junias Ind. 7. anno 4. regnante Carolo, in monaſterio S. Saturnini dum obſideremus Toloſam I. D. N. F. A.

Lotharius, Lud. ac Carolus fratres, Octobri menſe in Theodonis villa conveniunt. Extant apud Sirmondum capitula ſex edita ſecus Teodonis villam in loco qui dicitur Judicium, præſidente ex conſenſu regum Drogone Metenſi epiſcopo. Sequuntur ibidem canones duodecim in Verno palatio habiti menſe Decembrio, ubi præſedit Ebroinus Pictavorum epiſcopus ſacri palatii archicapellanus, &c. Verum irrepſit error in notam indictionis quæ utrobique numerari debuit VIII. non VII. an. 5. Karoli.

Annus 845. Ind. $\frac{8}{9}$ Sergii II. papæ $\frac{3}{4}$ Lotharii a morte patris $\frac{5}{6}$ ab 823. $\frac{22}{23}$ ab 817. $\frac{28}{29}$ Caroli Calvi $\frac{5}{6}$.

Concilium Belvacenſe Aprilio menſe celebratum Indictione VIII. non VII. ut jam alias in chronico monuimus, in quo inter cetera ordinatus eſt Hincmarus, quem vide ep. 19. pag. 272. Tomi II. editionis R. P. Sirmondi.

In Meldenſi quoque eccleſia celebratum eſt die XV. Kalendas Julias, Caroli Calvi regis anno ſuccreſcente feliciter ſexto, Ind. 8. concilium præſidibus VVenilone Senonenſi, Hincmaro Rhemenſi, & Rodulfo Bituricenſi, metropolitanis.

Eodem anno, Ind. 8. feria quinta hebdomadæ quartæ in quadrageſima, quarto Idus Martii, tranſlatæ reliquiæ ſancti Mauri, &c.

Eclipſis ſolis die dominica 18. Octobris cum eſſet Nithardus ſuper Ligerim apud ſanctum Fludualdum ſuoſque libros ſcriberet: conſule finem libri II. & in fine lib. IV. meminit lunaris defectus menſe Martio anni præcedentis.

Annus 846. Ind. $\frac{9}{10}$ Sergii II. papæ $\frac{3}{4}$ Lotharii a morte patris $\frac{6}{7}$ ab 823. $\frac{23}{24}$ ab 817. $\frac{29}{30}$ Caroli Calvi $\frac{6}{7}$.

Captis Romæ ſuburbiis eccleſias SS. Petri & Pauli apoſtolorum prædantur Saraceni: ſuperantque Lud. cum Francis 4. idus Nov. vivente adhuc Sergio papa, cujus tempore ex Anaſt. aliiſque certum eſt eccleſias apoſtolorum funditus deprædatas.

Annus 847. Ind. $\frac{10}{11}$ Sergius II. papa obiit die 12. Aprilis: Leonis IV. papæ primus, vel ab illo ipſo die 12. Aprilis, vel, ne quis vitilitigator obſtrepat, paullo poſt, cum nondum ad ſepulturam debitam Sergius fuiſſet deportatus, ex Anaſtaſio, Lotharii imp. a morte patris $\frac{7}{8}$ ab 823. $\frac{24}{25}$ ab 817. $\frac{30}{31}$ Caroli Calvi $\frac{7}{8}$.

Hoc anno, ut ex præfatione Meldenſi concilio præfixa conſtat, 16. Kalendas Martias cum Guntboldo Rotomagenſi archiepiſcopo ex regio præcepto convenerunt plures epiſcopi Pariſiis, nec te terreat annus incarnationis dominicæ 846. cum enim Romæ & alibi a Kalendis Januarii numerari jam cœpiſſet annus 847. plerique Galli uſque ad 25. diem Martii incarnationi dominicæ ſacrum, vel uſque ad paſchales ferias, numerabant adhuc annum 846. ut probe norunt etiam, *qui necdum ære lavantur*. In privilegio monaſterio Corbejenſi confirmato in hac ſynodo additur indictio X. quæ rem omnem decidit, evincitque, non aliam eſſe Parriſienſem ſynodum ab ea, cujus meminit Flodoardus libri III. cap. 2. in cauſſa Ebbonis atque Hincmari elapſo jam anno & aliquot menſibus ab hujus ordinatione.

Orgario Moguntiacenſi præſule mortuo XI. Kalend. menſ. Maii; in ejus locum ſubrogatus eſt Rabanus V. Kal. Julii, qui eodem anno ſynodum habuit circa Kal. Octobris.

Methodio patriarchæ CP. die 14. Junii defuncto ſubſtitutus eſt S. Ignatius ad annos 11. cum dimidio.

Annus 848. ind. $\frac{11}{12}$ Leonis IV. papæ $\frac{1}{5}$ Lotharii a m. p. $\frac{8}{9}$ ab 823. $\frac{25}{26}$ ab 817. $\frac{31}{32}$ Caroli Calvi $\frac{8}{9}$.

Leo papa, inſtante (hoc eſt, imminente, proxima, ſuccreſcente, brevi auſpicanda) indictione XII. præſulatus ſui anno ſecundo, Romanæ urbis muros renovare curavit, teſte Anaſtaſio, qui, velint nolint nebulones onochroni, vel hoc argumento evincit, non anno 846. ſed 847. Leonis papæ primordia eſſe collocanda.

Concilium Moguntinenſe adverſus Goteſcalcum circa Kalendas Octobres habitum eſſe perhibetur: quod etſi in annum ſequentem proroges cum Cariacenſi adverſus eumdem Hæreticum ſententia, nihil plane officit illi, quam inveſtigamus, temporum veritati. Vide annales Fuldenſes, Bertinianos, Metenſes, Hincmarum, Flodoardum, &c.

Annus 849. ind. $\frac{12}{13}$ Leonis IV. $\frac{2}{3}$ Lotharii $\frac{9}{10}$ ab 823. $\frac{26}{27}$ ab 817. $\frac{32}{33}$ Caroli Calvi $\frac{9}{10}$.

Ludovicus Lotharii filius hoc anno imperator a Leone papa Romæ coronatus eſt, ut quamplurima demonſtrant venerandæ antiquitatis monumenta, quæ, præter onocrotalos quoſdam tricones, omnes ſuſcipiunt per orbem chronologi, *queis læva in parte mamillæ Cor ſalit*.

Charta S. Martini Turonenſis data in Cariſiaco palatio regio V. Kal. Maji ind. XII. anno nono Caroli glorioſiſſimi regis.

Saraceni vigente ind. XII. ex Anaſtaſio Romam iterum venire decreverunt.

Concilium in cauſſa Turonenſis metropolitani dictum Turonenſe IV. Lutetiæ celebratum eſt hoc anno ex veteribus ſchedis apud Baronium teſte Sirmondo in annotationibus. Extat ſynodica ad Nomenojum Britonum Ducem, &c. Chronicon Fontanellenſe vocat ſynodum generalem Pariſiis habitam. Vide tom. II. coll. Ducheſnianæ.

Annus 850. ind. $\frac{13}{14}$ Leonis IV. $\frac{3}{4}$ Lotharii a morte patris $\frac{10}{11}$ ab 823. $\frac{27}{28}$ ab 817. $\frac{33}{34}$ Caroli Calvi $\frac{10}{11}$ Ludovici II. a coronatione per Leonem papam facta $\frac{1}{2}$ Conſulatus vero, ex antiquo Auguſtorum more, ut in quibuſdam diplomatis habetur, primus a Kalendis Januariis.

Charta pro Herimanno Nivernenſi epiſcopo data in Vermeria palatio 9. Kal. Junii ind. 13. anno decimo regni Caroli.

De Ticinenſibus una vel pluribus ſynodis ſeu conventibus nihil hoc loco diſſeram, cum certum ſit apud omnes vitiatas eſſe quaſdam in iis temporum notas, præſertim cum innumera ſuppetant aliunde ad faciendam adverſus onochronos fidem argumenta.

Annus 851. ind. $\frac{14}{15}$ Leonis IV. $\frac{4}{5}$ Lotharii imper. $\frac{11}{12}$ ab 823. $\frac{28}{29}$ ab 817. $\frac{34}{35}$ Ludovici II. ab 844. $\frac{7}{8}$ ab 849 $\frac{2}{3}$ Caroli Calvi & Ludovici Germaniæ regis $\frac{11}{12}$.

Irmingardis Auguſta obiit XIII. Kal. Aprilis ſeu 20. Martii, ind. 14. in die paraſceves hora quaſi ſexta, ut ex epitaphio a Rhabano ſcripto didicimus.

Ludovicus Lotharii filius plurimos e Saracenis Campaniam infeſtantibus capit occiditque veſpera pentecoſtes die 9. Maji, ut tradit Leo Oſtienſis non hujus quidem ſæculi ſcriptor, ſed antiquiores modo non ſuppetunt.

Charta Solemniacenſis 4. Kal. Januarias Ind. 15. anno duodecimo regnante Carolo, &c.

An-

Annus 852. ind. $\frac{15}{1}$ Leonis IV. $\frac{5}{6}$ Lotharii $\frac{11}{13}$ ab 823. $\frac{29}{30}$ ab 817. $\frac{35}{36}$ Ludovici II. ab 844. $\frac{8}{9}$ ab 849. $\frac{3}{4}$ Caroli Calvi $\frac{12}{13}$.

Nova Roma, Leonina dicta, anno coronationis Leonis papæ ſexto die 27. Junii dedicata fuit. Vide Anaſtaſium S. R. E. bibliothecarium, anonymum ſub nomine Luitprandi deliteſcentem, alioſque.

Translatio S. Remigii Kalendis Octobribus, de qua Hincmarus, Flodoardus, & alii.

Annus 853. ind. $\frac{1}{2}$ Leonis IV. papæ $\frac{6}{7}$ Lotharii imp. a morte patris $\frac{13}{14}$ ab 823. $\frac{30}{31}$ ab 817. $\frac{36}{37}$ Ludovici II. ab 844. $\frac{9}{10}$ ab 849. $\frac{4}{5}$ Caroli Calvi $\frac{13}{14}$.

Leo papa Anaſtaſium S. Marcelli cardinalem die 29. Maji indictione prima Ravennæ excommunicat in eccleſia S. Vitalis, tum Romæ in eccleſia B. Petri die 29. Junii, ex annalibus Bertinianis.

Synodus Romana, in qua depoſitus idem jam excommunicatus Anaſtaſius, die 8. Decembris indictione ſecunda, Leonis papæ ſeptimo, Lotharii anno imperii 37. (ab epocha ſcilicet anni 817.) Ludovici ejus filii a Deo coronati novi imperatoris anno quinto (ab epocha anni 849. ſive inauguratione per Leonem facta.)

Menſe Aprili 6. Kal. Maji aggregata juſſu regis epiſcoporum ſynodo juxta urbem Sueſſionum in monaſterio S. Medardi, Hincmarus depoſuit ordinatos ab Ebbone indictione prima anno Caroli 13. Altera quoque huc pertinet Cariſiacenſis ſynodus, in qua edita fuere quatuor adverſus Goteſcalcum miſerabilem monachum capitula, ut ex priſcis annalibus Bertinianis didicimus.

Vermerienſe II. concilium iiſdem anno & indictione 6. Kal. Sept.

Annus 854 ind. $\frac{2}{3}$ Leonis IV. papæ $\frac{7}{8}$ Lotharii imp. a morte patris $\frac{14}{15}$ ab 823. $\frac{31}{32}$ ab 817. $\frac{37}{38}$ Ludovici II. filii ejus ab 844. $\frac{10}{11}$ ab 849. $\frac{5}{6}$ Caroli Calvi $\frac{14}{15}$.

Leopoldus urbis a papa duodecim a Centumcellis milliaribus ædificatæ, & de ejus nomine dictæ, muri completi atque perfecti fuerunt, anno præſulatus illius octavo, indictione ſecunda, ex Anaſtaſio. Hanc vero caveſis cum Gioningano onochrono confundas cum Leonina civitate.

Lotharius imp. & rex Carolus Junio menſe colloquium habent in Attiniaco palatio, deinde apud Leodicum.

Gregorius Syracuſanus epiſcopus a S. Ignatio P. CP. damnatur.

Porro hoc, vel præcedente anno, Leoni papæ mortuo ſucceſſiſſe Joannam Anglicam, ſeu Moguntinam papiſſam, ad biennium, menſes 4. & dies 5. aut 6. nulli amplius in tanta eruditionis luce deblaterant, præter fanaticos quoſdam nebulones heterodoxos in doctrina temporum penitus hoſpites & peregrinos; qui ne diffideti, ut ajunt, ceſſiſſe & herbam adverſariis ſuis, quamvis ejuſdem Calviniſticæ quadræ participibus, porrexiſſe videantur, diabolica impudentia, contra reclamantem conſcientiam & agnitam evidentiſſime veritatem, in ſententia, quam ſemel imbiberunt, obſirmato animo perſiſtere moliuntur. Quid agas? Cæci ſunt, & duces Cæcorum.

Annus 855. ind. $\frac{3}{4}$ Leo IV. papa obiit 16. Calendas Auguſti ſeu die 17. Julii poſt octo pontificatus annos. Benedicti III. primus procedit ab eodem menſe Julio (alii 19. diem, alii 21. alii alium deſignant, nec ad demonſtrationem noſtram refert) quo electus eſt. Id enim evincunt verba Anaſtaſii: Leo ubi hac luce ſubſtractus præſul occubuit. MOX omnis clerus, &c. nec non electionis ejus decretum ad imperatores Lotharium ejuſque filium Ludovicum deſtinatum: vel a die 29. menſis Septembris dominica, quia poſt excitatas occaſione Anaſtaſii intruſi turbas, eaſque illo ejecto tandem ſedatas, conſenſu legatorum Ludovici imperatoris, qui tum in Italia morabatur, idem Benedictus, jejunio trium dierum peracto, in baſilica S. Petri in apoſtolica ſede conſecratus eſt, & ordinatus pontifex, Lotharius imperator anno imperii a morte patris 15. expleto & labente a tribus menſibus decimo ſexto, Prumiæ in Arduenna aſſumpto monachali habitu obiit 28. Septembris (IV. enim diem ante Kalendas Octobres ex quo facili lapſu II. III. & VI. prodierunt, plures referre videntur ſcriptores; ut nihil dicam de 74. diebus elapſis ab obitu Leonis papæ) vel, ut alii nocte inter 28. & 29. Septembris. Non vide ur certum, quod contendit Blondellus ex annalibus Bertinianis die 22. ejuſdem menſis Septembris imperio depoſito factum fuiſſe monachum: alio enim ſpectant dies ſex memorati annalium Bertinianorum auctori diligentiſſimo: qui cum ſcripſiſſet Leonem papam obiiſſe XVI. Kalendas menſis Auguſti, amanuenſis dormituriens, *menſe Auguſto*, dumtaxat ſcripſit, omiſſis ut ſæpiſſime in aliis contigit, Kalendarum notis. Ludovici II. a morte patris primus, ab 849. $\frac{6}{7}$ ab 844. $\frac{11}{12}$ Caroli Calvi $\frac{15}{16}$ Lotharii Lotharingiæ regis & Caroli Provinciæ regis fratrum primus.

Concilium Valentinum III. anno 855. die 8. Januarii indictione tertia, Lotharii imperatoris 15. labente anno ab obitu patris, ut nihil dicam de conventu apud Ticinum iiſdem anno & indictione habito a Ludovico Auguſto die 4. Februarii.

O quanto premitur Roma dolore,
Tam claris ſubito patribus orba.
Infirmata prius morte LEONIS,
Nunc, AUGUSTE, *tuo funere languet.*

Canebat poeta anonymus eodem vivens tempore.

Translatio reliquiarum S. Vincentii martyris ex Hiſpania ad Caſtrum monaſterium in pago Albienſi.

Benedicti III. diploma in gratiam Corbejenſis monaſterii Nonis Octobris indictione quarta anno 39. Lotharii, cujus mors nondum erat nuntiata Romæ, Ludovici ejus filii ſeptimo, extabat in manuſcripto codice noſtro cum hæc primum demonſtratio prodiit. Dacherius poſtea illud idem edidit ſpicilegii VI. pag. 297. & nos poſtea integrum proferemus.

Eodem tempore circiter ſcriptam fas eſt credere epiſtolam ad Hincmarum, quam Sirmondus edidit pag. 107.

Carolus Calvi filius in urbe Lemovicum mediante Octobri coronatus eſt rex Aquitanorum.

Drogo, Metenſis epiſcopus, Caroli Magni filius, obiit die 8. Novembris.

Annus 856. ind. $\frac{4}{5}$ Benedicti III. $\frac{1}{2}$ Ludovici II. a morte patris $\frac{1}{2}$ ab 849. $\frac{7}{8}$ ab 844. $\frac{12}{13}$ Caroli Calvi $\frac{16}{17}$ Lotharii & Caroli fratrum $\frac{1}{2}$.

Die 6. menſis Januarii Tiberis extra alveum ſuum elatus Romam inundabat in menſe quinto coronationis Benedicti, ut loquitur ſtylo ſuo tribiliginoſo ac ſæpe obſcuro Anaſtaſius S. R. E. bibliothecarius. Fluxerant enim integri tres menſes October, November atque December, ex Septembri vero & Januario aliquot dies tantum delibati.

Edelvulfus Judith filiam Caroli Calvi menſe Julio deſponſatam Calendis Octobribus in Vermeria palatio in matrimonium accipit.

Ludovicus imperator, & Lotharius frater, cum Carolo puero germano ſuo, apud Urbam in Helve-

vetiis (mendoſe urbem habet Blondellus) conveniunt, inviti licet, Carolo, quod paterna diſpoſitione acceperat, permittunt. Conſuleſis annales Bertinianos.

Atque illa ipſa pax eſt, quam ſuo interventu pactam commemorat Benedictus papa in epiſtola adverſus Hubertum Clericum ſcripta ad epiſcopos regni Caroli Calvi, quæ edita eſt pag. 110. tomi III. conciliorum Galliæ his verbis, *Pacemque, quam inter Hludovicum munivimus Cæſarem ſemper Auguſtum, ſuoſque glorioſos germanos, ſua miſerrima cupiditate ſcindere non dubitavit.* Hanc vero inficetiſſime Mareſius intelligendam hariolatur, de qua capitulum tertium ſynodi Tullenſis apud Sapodarias anno 859. celebratæ. *Reges nihilominus ac principes noſtri Karolus, & Hlotharius, atque item Karolus, ad Dei voluntatem, atque ſanctæ eccleſiæ ſtatum, ſuamque ſalutem, & populi ſalvationem, gratias Deo, uniti, & in eadem ſalutari unitate firmati ſunt.* Iis quippe verbis, ne per umbram quidem, fit mentio Ludovici Auguſti: & capitulo primo ſoli recenſentur fratres *Hludovicus* & *Karolus*, ut vel hinc videas, quanta inſcitia, ſeu potius impudentia, ſcribit onochronus nebulo, qui modo caliginem ſpargat, fucumque faciat imperitis ſuis fungis ſecurum ſe putat ab eruditorum cenſura & cachinnis.

Rabanus Moguntinus arch. deceſſit 4. die Februarii anni 856. more Romano chronologis modo omnibus uſurpato, vel labente adhuc anno 855. qui apud pleroſque Gallos deſinebat tantum in Martii 25. diem incarnationi dominicæ ſacrum, vel in paſchalem feſtivitatem. Hinc in quibuſdam chronicis eodem anno includuntur Leonis, Lotharii, Drogonis & Rabani obitus. Succeſſit illi Carolus, Pippini quondam Aquitaniæ regis filius, junioris Pippini frater.

Annus 857. Ind. $\frac{5}{6}$ Benedicti III. papæ $\frac{3}{5}$ Lud. II. a morte patris $\frac{3}{5}$ ab 849. $\frac{8}{9}$ ab 844. $\frac{13}{14}$ Caroli Calvi $\frac{17}{18}$ Lotharii & Caroli fratrum $\frac{2}{3}$

Extat a Jacobo Dupletio typis excuſum diploma ſeu privilegium a Benedicto papa conceſſum celeberrimo S. Dionyſii monaſterio die 11. Maii coniuiatus Hludovici Auguſti anno 8. indictione quinta. Nec ſani hominis eſt ea repudiare, quæ proferuntur cauſſæ firmamenta, eam tantum ob rem, quod jugulum tuum fodicent. Aſſignet vero noſter trico Groningius vel minimam in eo diplomate labeculam, & *erit mihi magnus Apollo.* Sunt equidem in hoc tabulario quædam falſa ac ſuſpecta, quis autem id de omnibus aſſerere auſit, niſi qui ſacerdotem execratum aut excucullatum monachum dicat eſſe Mareſium, quod multi miniſtri Calviniſticæ ſectæ, præſertim patriæ ſuæ deſertores, aut ipſi presbyteri & cœnobitæ, aut eorum filii ex meretricibus ac monialibus inceſtis nati ſint? Videat quibus argumentis utatur impoſterum.

Annus 858. Ind. $\frac{6}{7}$ Benedictus III. papa obiit die 8. Aprilis. Nicolai I. papæ primus ab eodem menſe Aprili, cujus die 24. Dominica dicitur conſecratus. Lud. II. ab obitu patris $\frac{3}{4}$ ab anno 849. $\frac{2}{10}$ ab 844 $\frac{14}{15}$ Caroli Calvi $\frac{18}{19}$ Lotharii & Caroli fratrum $\frac{3}{4}$

Herardus Turonenſium pontifex anno 858. ordinationis ſuæ tertio, indictione ſexta, ex corpore canonum capitula excerpſit, & in ſynodo 17. Kal. Junii promulgavit, a Sirmondo edita.

Hincmarus & alii epiſcopi e ſynodo apud Cariſiacum extremo menſe Septembri miſerunt capitula ad Ludovicum Germaniæ regem, cum ad occupandum Caroli fratris ſui regnum veniſſet. Vide Sirmondi tomum III. & quæ nos poſtea.

De S. Ignatii patr. CP. quod Bardam Cæſarem ob ſceleratam vitam in epiphaniis ab eccleſiæ aditu prohibuiſſet, depoſitione & incarceratione, atque in illius locum ſubrogato Photio, & in Chriſti natalitiis die 25. Decembris contra canones ejuſdem Bardæ factione, a Gregorio Syracuſano aliiſque epiſcopis depoſitis & excommunicatis conſecrato. Vide Nicetam in vita S. Ignatii, Scylitzam, Epiſtolas Nicolai, &c.

Annus 859. Ind. $\frac{7}{8}$ Nicolai I. papæ $\frac{1}{2}$ Lodovici II. Imp. a morte patris $\frac{4}{5}$ ab anno 849. $\frac{10}{11}$ ab 844. $\frac{15}{16}$ Caroli Calvi $\frac{19}{20}$ Lotharii & Caroli fratrum $\frac{4}{5}$

Concilium Metenſe indictione VII. anno 859. quinto Kalendas Iunii. Vide pag. 131. tom. III. Conc. Galliæ.

Lingonenſe 13. Kal. Maii eadem Ind.

Tullenſe apud Saponarias menſe Junio indict. VII. 859. anno Caroli Calvi 19. nepotum ejus quarto, e duodecim provinciis collectum 18. Kal. Julias. Vide pag. 137. & ſequentes tomi III. conc. Galliæ.

Ex epiſtola ſynodi ad epiſcopos Britonum pag. 148. notentur hæc verba: *De qua reverentia ſalubriter a vobis & a gente veſtra, metropolitano* (Turonum) *impendenda tempore Nomenoii ducis & reverentiſſimi papæ Leonis, & ſucceſſoris ejus Benedicti, ſcripta docuerunt, & refragantibus apoſtolica auctoritate dignam excommunicationis protulerunt ſententiam.*

Indictione 8. die 30. Octobris & 27. Decembris exundavit Tiberis, ut docent Anaſtaſius & annales Bertiniani.

Agilmarus Viennenſis Arch. moriens die 6. Julii, ſucceſſorem nactus eſt Adonem, cujus extant chronicon & martyrologium.

Annus 860. ind. $\frac{8}{9}$ Nicolai papæ $\frac{2}{3}$ Ludovici II. ab obitu patris $\frac{5}{6}$ ab anno 849. $\frac{11}{12}$ ab 844. $\frac{16}{17}$ Caroli Calvi $\frac{20}{21}$ Lotharii & Calvi $\frac{5}{6}$

Menſibus Januario atque Februario indictione 8. duplex habitus eſt epiſcoporum conventus in cauſſa Theutbergæ juſſu Lotharii, regni ejus anno quinto, ut docent Hincmarus, & epiſtola ad Nicolaum. Ejuſdem habetur charta data 7. Kal. Febr. Ind. 8. anno regni quinto, unde convincitur Lotharium imp. obiiſſe 855.

Ludovicus rex Germaniæ, Carolus rex Franciæ, nepoſque eorum Lotharius, nonis Junii cum epiſcopis & primatibus ſuis in Baſilica S. Caſtoris apud Confluentes ad Rhenum convenerunt. Vide pag. 229. capit. Caroli IX. Calvi.

Sub Autumnum ind. 9. inchoatum XI. Kal. Novembres Caroli regis Galliæ 21. celebratum eſt ab epiſcopis quatuordecim provinciarum concilium in Tullenſis territorii villa Tuſiaco, quod edidit Sirmondus cum ſynodali epiſtola ad rerum eccleſiaſticarum pervaſores, & pauperum deprædatores.

Terræ motu evertuntur muri CP. die 23 Maii. in die feſto aſcenſionis Chriſti: quam in urbem Nicolaus miſit 25. Septembris Ronoaldum & Zachariam epiſcopos, quos Photii fautores dire vexarunt, & ad nefanda adegerunt.

Annus 761. ind. $\frac{9}{10}$ Nicolai I. papæ $\frac{3}{4}$ Ludovici II. ab obitu patris $\frac{6}{7}$ ab anno 849. $\frac{12}{13}$ ab 844 $\frac{17}{18}$ Caroli Calvi $\frac{21}{22}$ Lotharii & Caroli $\frac{6}{7}$

Concilium Romanum in cauſſa Joannis epiſcopi Ravennatis apud Anaſtaſium, & alios.

Photius convocata CP. Synodo 320. fere epiſcoporum damnari curat S. Ignatium patriarcham præſentibus legatis pontificis, qui anni ſequentis die 18. Martii omnia illa abrogavit, ut diſcimus ex Niceta, aliiſque.

Annus 862. Ind. $\frac{10}{11}$ Nicolai papæ $\frac{4}{5}$ Ludovici II. imp. ab obitu patris $\frac{7}{8}$ ab 849. $\frac{13}{14}$ ab 844. $\frac{18}{19}$ Caroli Calvi $\frac{22}{23}$ Lotharii & Caroli $\frac{7}{8}$

Aqui-

Aquisgrani in palatio III. concilium in causa Teutbergæ 3. Kalendas Majas Ind. x. anno 862. Vide Nicolai varias hoc anno datas epistolas.

Charta sancti Martini Turonensis data 9. Kal. Maji Ind. x. anno 22. regnante Carolo glorioso rege.

Annus 863. Ind. $\frac{13}{14}$ Nicolai $\frac{5}{6}$ Ludovici II. ab obitu patris $\frac{7}{8}$ ab 849. $\frac{14}{15}$ ab 844. $\frac{19}{20}$ Caroli Calvi $\frac{23}{24}$ Lotharii Lotharingiæ regis $\frac{8}{9}$ Carolo rege Provinciæ mortuo, & Lugduni in monasterio sancti Petri sepulto, fratres ejus Ludovicus atque Lotharius regnum inter se diviserunt. Vide Adonem, ceteroſque.

Concilium Metense mense Junio indictione XI. de quo vide Nicolai epistolas, & alia apud Sirmondum, Baronium, & Binium de Romano adversus Guntharium & Theutgaudum.

Carolus rex VIII. Kal. Novembris synodum in Vermeria palatio habuit, unde Rothadum episc. Suessionensem nuper depositum cum suis & episcoporum literis atque vicariis Romam misit.

Annales Bertiniani anno 861. docent Hincmarum in synodo comprovinciali apud martyrium SS. Crispini & Crispiniani secus civitatem Suessionis Rothadum ipsius urbis episcopum episcopali privasse communione. Sirmondus tamen noster Suessionicam synodum alteri postponit, quam in Convicino villa publica propter Silvanectum congregatam 8. Kal. Novemb. præsidente Hincmaro affigit anno 863. neque quicquam opis ad eruendam temporis rationem, aut a libello Rothadi aut a Gratiano Distinctione X. aut ab epistolis Nicolai, qui plurimas hoc anno dedit.

De damnatione Photii in synodo Romana, eorumque legatorum, qui prævaricati turpiter fuerant, ac de eodem Photio per summam impudentiam anathema in summum pontificem retorquente, consule Anastasium in præfatione VIII. synodi, Baronium, &c.

Annus 864. Ind. $\frac{12}{13}$ Nicolai $\frac{6}{7}$ Ludovici II. $\frac{9}{10}$ ab anno 849. $\frac{15}{16}$ ab 844 $\frac{20}{21}$ Caroli Calvi $\frac{24}{25}$ Lotharii $\frac{9}{10}$

Carolus Calendis Junii Pistis generale placitum habet. Plura dabunt Annales Bertiniani, Anastasius, & Nicolai papæ variæ epistolæ apud Baron. Sirm. & alios.

Annus 865. Ind. $\frac{13}{14}$ Nicolai $\frac{7}{8}$ Ludovici II. imp. ab obitu patris $\frac{10}{11}$ ab 849 $\frac{16}{17}$ ab 844. Caroli Calvi $\frac{25}{26}$ Lotharii $\frac{10}{11}$

Concilium Romanum XII. Kal. Februarias in quo Rothadus restitutus est, & Nicolai epistolas adeat, qui plura volet cum annalium scriptoribus, ex quibus discimus Normannos XIII. Kalendas Novembris monasterium sancti Dionysii expilasse.

Annus 866. ind. $\frac{14}{15}$ Nicolai papæ $\frac{8}{9}$ Ludovici II. imp. $\frac{11}{12}$ ab anno 849. $\frac{17}{18}$ ab 844. $\frac{22}{23}$ Caroli Calvi $\frac{26}{27}$ Lotharii $\frac{11}{12}$

Michael imperator Græcorum Bardam avunculum suum Cæsarem a se creatum jussit occidi Kalendis Aprilis, & Basilium Macedonem die pentecostes 26. Maji Cæsarea dignitate ornavit.

Michael Bulgarorum rex mense Augusti Ind. 14. mittit legatos ad Nicolaum papam, qui plurimas hoc anno dedit ad varios epistolas, tam ante, quam post Septembrem, indictionibus XIV. & XV.

Concilium Suessionense III. celebratum est die 15. Kal. Septembris, ind. XIV. Caroli Calvi regis 27. ut habet epistola data 8. Kalendas Septembris ad Nicolaum papam: ad quem postea Carolus rex Egilonem Senonensem & Lotharius Adonem Vienhensem archiepiscopos destinarunt.

Annus 867. ind. $\frac{15}{16}$ Nicolaus papa I. magni vir animi, idemque sanctissimus, cum multas hoc anno scripsisset, mensibus Januario, Februario, Martio, atque Octobri epistolas, inchoata jam a Septembri mense indictione prima, obiit die 13. Novembris. Hadriani II. papæ primus a die 14. Decembris Dominica, qua ductus ad ecclesiam sancti Petri annum agens vitæ 76. ordinatus est pontifex, eumque jam in apostolico sedentem throno Actardus, missus a Trecensi synodo & rege Carolo, invenit. Ludovici II. imp. ab obitu patris $\frac{22}{23}$ a coronatione per Leonem IV. papam facta anno 849. $\frac{18}{19}$ ab 844. $\frac{23}{24}$ Caroli Calvi $\frac{27}{28}$ Lotharii regis $\frac{22}{23}$

Concilium Tricassinum, apud civitatem Trecas, celebratum octavo Kalendas Novembris, indictione prima, anno 867. ex quo qui præcedenti anno apud Suessionas convenerant, episcopi, synodicam ad Nicolaum papam miserunt, expositaque tota Ebbonis ordinatorumque ab eo clericorum historia, pallium pro Vulfado Bituricensi archiepiscopo petierunt. Vide Tomum III. conciliorum Galliæ, & quæ infra exhibebimus.

Egbertus rex Anglorum constitutus die 21. Martii feria 6. ante dominicam palmarum.

Michael, Potor & Scurra dictus, cum Basilium Cæsarem necare statuisset, ejus factione interfectus est, die 24. Septembris, hora noctis tertia, indictione prima paullo ante inchoata, unde quidam numerant annos Basilii, cum tamen hic secundus sit a die 26. Maji superioris anni, quo Cæsar creatus est.

Extat Anastasii ad Adonem epistola de morte Nicolai Idibus Novembris, & de successore ejus Hadriano.

Hic vero Maresius tria minimum portenta admisit, quæ vix ac ne vix quidem sera credet posteritas a publico historiæ ac chronologiæ professore potuisse vel per somnium aut ægræ mentis delira effundi.

I. Indictione quidem labente prima Idibus Novembris obiisse Nicolaum papam, sed eam indictionem primam, non Sept. anni, ut omnes hactenus docuerunt, docent, docebuntque chronologi, 867. sed sequentis 868 incepisse.

II. Hadrianum eadem currente prima indictione die 14. Decembris consecratum fuisse, sed eam 19. Calendarum Januariarum diem anno Christi 867. Periodi Julianæ 5580. aureo numero 13. cyclo solis 8. litera dominicali E non incurrisse in diem dominicam.

III. Ludovici XIX. annum a coronatione per Leonem papam facta non recte numerari ab anno 849. vanosque ac futiles esse hujus anni 867. ab Anastasio seu Guillelmo S. R. E. Bibliothecario summa fide prolatos characteres: quibus nihil certius dici potest.

Quod si modo revivisserent Josephus Scaliger, Sethus Calvisius, Ebbo Behmius, Dionysius Petavius, Gerardus Joannes Vossius, sed præcipue Ubbo Emmius & Nicolaus Mullerus celeberrimi quondam Groninganæ academiæ professores, primique quodammodo fundatores, quot flagellis miserum onochronon nebulonem conciderent, quam ardenter atque enixe a curatoribus exposcerent, ut mataeologum historiæ cathedram tam fœde incestantem amandarent adferri crepidinas insulas, ubi vivos homines mortui incursant boves? sed de his postea fusius.

Annus 868. Ind. $\frac{1}{2}$ Hadriani II. papæ $\frac{1}{2}$ Ludovici II. imp. ab obitu patris $\frac{13}{14}$ ab epocha anni 849. $\frac{19}{20}$ ab altera anni 844. $\frac{23}{24}$ Caroli Calvi $\frac{28}{29}$ Lotharii $\frac{13}{14}$

Hadrianus papa varias scripsit epistolas ad synodum Tricassinam, ad Carolum regem, Hincmarum Rhemensem, Herardum Turonensem, Ludovicum & Lotharium reges, VValdradam, &c. Indictione I. mensibus Februario, Martio, Augusto: *Ex quibus invictissima atque ineluctabili demon-*

demonſtratione adverſus Mareſii deliria evincitur Hadrianum cœpiſſe & Nicolaum defunctum fuiſſe anno 867. *proindeque actum eſſe de fabula Joannæ papiſſæ, cum Benedictus Nicolai deceſſor anno* 858. *dumtaxat labente mortuus, ac ſubſtitutus menſe, ut vult, Februario, locum, non biennii cum* 4. *ſive* 5. *menſibus, ſed aliquot tantum menſium vacuum reliquerit Mareſianæ illi Chimæræ, quamvis ex ejus falſiſſimis rationibus Leo anni demum* 854. *menſe vel Junio, vel Auguſto deceſſiſſet: non autem, ut demonſtravimus, anno* 855.

Concilium VVormatienſe 17. kalend. Julii & Romanum coram Baſilii legatis adverſum Photium pertinent ad eamdem I. indictionem: ad ſequentem vero II. Anaſtaſii condemnatio ab Hadriano papa facta die 12. Octobris, de qua adi, ſi vacat, annales Bertinianos.

Annus 869. indictione $\frac{2}{3}$ Hadriani II. papæ $\frac{2}{3}$ Ludovici II. imp. $\frac{14}{15}$ ab 849. $\frac{30}{31}$ ab 844. $\frac{25}{26}$ Caroli Calvi $\frac{29}{30}$ atque in regno Lotharii primus a feria 6. menſis Septembris 9. qua Metis ab Adventio ep. coronatus eſt. Lotharius rex Lotharingiæ in Italiam ad imp. ac pontificem profectus, cum Roma exiſſet, Lucam venit, ac ſuperdiurnans die dominica prope Placentiam, poſtridie feria 2. die 10. menſis Auguſti obiit. Conſule annales Bertinianos, & ex iis continuatorem Aimoini cap. 21. libri V. alioſque.

Hadriani epiſtolas dabunt concilia regiæ editionis, Biniana, Sirmondiana, ac deinde noſtra deinceps.

Actio prima octavæ œcumenicæ ſynodi, quæ CP. IV. dicitur, ſic incipit: *In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, Amen. Anno tertio conſulatus amicorum Chriſti & piiſſimorum imperatorum noſtrorum Baſilii & Conſtantini perpetuorum Auguſtorum, indictione tertia, menſis Octobris die quinta, propoſitis & vivificis lignis & intemeratis ſalutis noſtræ evangeliis*, &c. ex verſ. Anaſt. In ſequentibus actionibus Baſilii annus tertius, Conſtantini vero ejus filii nominatim ſecundus tantum annus deſignatur. In actione vero nona, quæ pridie Idus Februarii anno 870. celebrata eſt, annus numeratur Baſilii & Conſtantini tertius, Leonis vero, qui Sapiens dictus eſt, primus annus definitur. Unde colligas in Chriſti Domini natalitiis anni 867. Conſtantinum, Leonem vero in eodem feſto anni hujus 869. fuiſſe a patre in conſortionem imperii aſſumptos. In Græcæ editionis actione prima ac ſeqq. conſulatus Baſilii annus tertius, Conſtantini vero filii ſecundus dumtaxat exhibetur.

Carolus Synodum omnium epiſcoporum regni ſui 8. kalend. Maii ſecundæ indictionis apud Vermeriam condixit, quo Hincmarum Laudunenſem ep. vocari præcepit.

Hermintrudis Caroli Calvi uxor pridie Nonas Octobris in monaſterio S. Dionyſii obiit, ibique ſepulta eſt.

Annus 870. Ind. $\frac{3}{4}$ Hadriani II. papæ $\frac{3}{4}$ Ludovici II. imp. $\frac{13}{10}$ ab 849. $\frac{31}{32}$ ab 844. $\frac{26}{27}$ Caroli Calvi $\frac{30}{31}$ in Lotharii regno $\frac{1}{2}$

Ad papam ſcripſerunt Baſilius imp. S. Ignatius P. CP. ipſaque ſynodus univerſalis die Febr. 28. Baſilii anno tertio, indictione tertia.

Hadriani epiſtolas hujus anni vide in collectionibus regia, Biniana, Sirmondiana ac noſtra.

Synodus Attiniacenſis epiſcoporum decem provinciarum menſe Auguſto: Colonienſis 6. Kal. Octobris.

Diviſio Lotharienſis regni facta inter Ludovicum & Carolum fratres haud procul Aquiſgrano kal. Auguſti vel VI. Idus Auguſti.

S. Edmundus Anglorum rex a Danis occiſus die 20. Novembris, feria 2. Luna 22.

Annus 871. Ind. $\frac{4}{5}$ Hadriani II. papæ $\frac{4}{5}$ Ludovici II. imp. $\frac{16}{17}$ ab 849. $\frac{32}{33}$ ab 844. $\frac{27}{28}$ Caroli Calvi $\frac{31}{32}$ in Lotharii regno $\frac{2}{3}$

Epiſtola pro conſecratione Anſegiſi electi Senonum archiepiſcopi V. kal. Julii 871. Caroli 13. indictione IV.

Concilium Duziacenſe 1. menſe Auguſto Caroli 32. cui reſpondit Hadrianus VII. kal. Januarii indictione V. Sirmondum ac Cellotium adi, atque hujus tomi VIII. finem.

Annus 872. Ind. $\frac{5}{6}$ Hadrianus II. papa obiit kalendis Novembris. Joanne VIII. primus a die 14. Decembris uſque ad eumdem ejuſdem menſis diem anni 882. Ludovici II. imp. ab obitu patris $\frac{17}{18}$ ab 849. $\frac{33}{34}$ ab 844. $\frac{28}{29}$ Caroli Calvi $\frac{32}{33}$ in Lotharingia $\frac{3}{4}$

Ludovicus imperator in vigilia pentecoſtes die 19. Maii Romam venit, ubi poſtera die ab Hadriano papa coronatus Lotharingiæ quam patrui occupaverant, rex, ut quidam volunt, poſt celebrata miſſarum ſollemnia una cum eo ad Lateranenſe palatium cum pompa equitando perrexit, ex ann. Bert.

In capitularibus quinto Idus Septembris apud Gundulfi villam facta dicitur ab epiſcopis omnibus profeſſio, & a laicis ſacramentum conceptis verbis juratum, ſed male annus 873. adſcribitur, cum & annales ſupra citati, & ipſa indictio refragentur.

Annus 873. ind. $\frac{6}{7}$ Joannes VIII. papæ $\frac{1}{2}$ Ludovici II. imp. $\frac{18}{19}$ ab 849. $\frac{34}{35}$ ab 844. $\frac{29}{30}$ Caroli Calvi $\frac{33}{34}$ in Lotharii regno $\frac{4}{5}$

In concilio Cabillonenſi annus dominicæ incarnationis 873. dicitur 12. kalendas Junii, Caroli in Francia 33. in Burgundia tertius poſt mortem nepotis ſui Lotharii regis, idemque reperitur poſt ſubſcriptionem antiſtitum Remigii Lugdunenſis, Adonis Viennenſis, & aliorum.

Annus 874. Ind. $\frac{7}{8}$ Joannis VIII. papæ $\frac{3}{4}$ Ludovici II. imp. $\frac{19}{20}$ ab 849. $\frac{35}{36}$ ab 844. $\frac{30}{31}$ Caroli Calvi $\frac{34}{35}$ in Lotharingia $\frac{5}{6}$ in Burgundia quartus.

Concilium Duziacenſe II. Idibus Juniis, indictione ſeptima, Caroli Calvi 34. Hincmari capitula in ſynodo Remenſi Julio menſe.

Annus 875. Ind. $\frac{8}{9}$ Joannis VIII. papæ $\frac{3}{4}$ Ludovicus II. imp. obiit die 31. Auguſti feria quarta, Caroli Calvi $\frac{35}{36}$ in Lotharingia $\frac{5}{6}$ in Burgundia quintus, imperii vero primus a die 25 Decembris, quo evocatus in Italiam, & menſe Sept. Alpes tranſgreſſus, a Joanne papa unctus & coronatus eſt.

Anaſtaſius S. R. E. Bibliotecarius, hoc anno, ſuadente Martino epiſcopo Narnienſi, duplicem narrationem de S. Martini papæ & martyris exilio vertit e Græca lingua, &c.

Annus 877. Ind. $\frac{9}{10}$ Joannis VIII. papæ $\frac{4}{5}$ Caroli Calvi in Francia $\frac{36}{37}$ in ſucceſſione Lotharii $\frac{7}{8}$ in Burgundia 6. imperii $\frac{1}{2}$ Ludovicus rex Germaniæ obiit Francofurti die 28. Auguſti cum regnaſſet ab obitu patris annos 36. menſes & dies octo. Succeſſerunt filii tres Ludovicus, Carlomannus, & Carolus Craſſus, qui poſtea imperator a Joanne VIII. creatus eſt.

Carolus imperator, Nonis Januarii Roma digreſſus, Papiam ſeu Ticinum venit, ubi & placitum ſuum ſeu ſynodum habuit indict. 9. menſe Februario, cujus acta confirmata ſunt in concilio apud Pontigonem villam regiam pagi Catalaunenſis, quod die 30. Junii ac Julio ſequenti peractum eſt ab epiſcopis, de Francia, Burgundia, Aquitania, Septimania, Neuſtria, ac Provincia collectis, anno Caroli in Francia 37. imperii primo.

Edita

Edita eſt tertio tomo conciliorum Galliæ ex codice ſancti Remigii Rhemenſis epiſtola ad Hincmarum data juſſu Joannis papæ & domni Caroli novi imperatoris per manus Anaſtaſii bibliothecarii in ſecretario eccleſiæ ſancti Petri Theodorico anno 876. Nonis Januarii indict. 9. & delata ab eodem ac data Remis Hincmaro, eodem anno & indict. quinto Idus Martii.

In noſtris miſcellaneis pag. 473. reperies diploma ex archivis ſancti Stephani Lemovicenſis depromptum; Pontigone actum 16. Kalendas Auguſti anno 37. Caroli in Francia, in ſucceſſione Lotharii ſeptimo (ſic enim ſcribendum) imperii primo.

Vide & decretum Laudunenſis eccleſiæ de Hedenulfo tomo III. Sirm. p. 431.

Annus 877. ind. $\frac{10}{11}$ Joannis VIII. papæ $\frac{6}{7}$ Carolus Calvus, cum placitum ſuum generale Calendis Julii habuiſſet, venit in Italiam, Vercellas uſque, Papiam, & Tardunam, auditoque nuncio de Carlomanni nepotis ſui adventu, regreſſus inter manus portantium, tranſito monte Ciniſio, undecimo die poſt venenum a Sedecia Judæo medico exhibitum, in viliſſimo tugurio loci, qui Brios dicebatur, mortuus eſt, pridie, vel, ut alii, tertio Nonas Octobris (forte nocte media inter utrumque illum diem) inchoato jam regni in Francia ab obitu patris Ludovici Pii 38. in ſucceſſione Lotharii nono, cum nondum expleviſſet annum imperii ſecundum. Ludovici Balbi Francorum regis primus, qui die 8. Decembris Compendii ab Hincmaro conſecratus eſt, Ludovici Carlomanni & Caroli fratrum Germaniæ regum $\frac{2}{3}$

Concilium Romanum menſe Februario indict. 10. anno 877.

Charta ſancti Martini Tur. Kal. Aug. indict. 10. anno Caroli 38. in Francia, in ſucc. Lotharii 8. & imperii ſecundo.

Annus 878. Indict. $\frac{11}{12}$ Joannis VIII. $\frac{6}{7}$ Ludovici Balbi $\frac{1}{3}$ Fratrum Germanorum $\frac{1}{4}$

Sirmondus exhibet pag. 464. & ſeqq. multas Joannis papæ epiſtolas anni 877. & 878. datas Ludovico regnante, quibus ſubjicit concilium Tricaſſinum II. præſentibus Joanne papa & Ludovico rege menſibus Auguſto & Septembri indict. XI. qua exeunte Nonis Septembris data reperiuntur diplomata anno primo regni Ludovici: qui a pontifice coronatus fuit Trecis die 7. Idus Septembris, non tamen ut multis creditum eſt, in imperatorem; cum præter argumenta ab aliis prolata, ipſe pontifex Joannes VIII. epiſtola 82. apud Duchesnium pag. 911. tomi III. ad Ludovicum & Carlomannum fratres ſcribens hæc diſertis verbis exponat: *Sicut D. Carolus divæ memoriæ imperator avus veſter, ac poſtmodum genitor veſter Hludovicus rex*, &c. Eclipſes Lunæ 15. Solis 29. Octobris utroque fidere in quindecim diebus deficiente.

S. Ignatius P. CP. obiit die 23. Octobris, cui ſuffectus eſt jam alias depoſitus Photius, maximo eccleſiæ detrimento, ut pluribus deplorat Baronius, ac merito: quidquid fremant novatores.

Annus 879. ind. $\frac{13}{13}$ Joannis VIII. papæ p. $\frac{7}{8}$ Ludovicus Balbus Francorum rex obiit Compendii ipſo ſacræ paraſceves die decimo Aprilis, ac poſtridie in vigilia paſchæ ſepultus in æde beatæ Mariæ. Ludovici & Carlomanni ejus ex Anſgarde priori conjuge filiorum primus, Fratrum Germanorum $\frac{4}{5}$

Leo Baſilii Macedonis filius die 6. Januarii coronatus fuit Auguſtus.

In concilio Mantalenſi prope Viennam ab Arelatenſis regni epiſcopis & proceribus Boſoni regium nomen delatum eſt Idibus Octobris.

Rhemenſis ſynodus 10. Kalendas Majas celebrata apud Hincmarum tom II. pag. 821.

Carolus Simplex, ex Adeleide altera Ludovici Balbi uxore poſtumus filius, natus eſt die 17. Septembris in miſſa ſancti Lamberti, ut ipſe loquitur in diplomate dato anno 917. Maji 28.

Qui ſequuntur anni longius abeunt ab inſtituto noſtro, neque ad obſtruenda Παρεισφυόντων *ora videntur neceſſarii, ideoque chronicis noſtris technico atque hiſtorico reſervandi.* Nunc vero probationes expedio productis in medium aliquot coætaneorum ſcriptorum teſtimoniis, eo ſane libentius, quod ex penuria Samuelis Mareſii chimærarum reſtitutoris, cujus libro titulum hunc nonnemo appinxit, *Pergula pictorum, veri nihil, omnia ficta*, videam Groningæ, ubi controverſiam hanc agitari ac penſiculatius examinari neceſſe eſt, deeſſe quamplurimos bonos libros, & editiones probæ notæ, quæ hic nobis ſunt ad manum. Præeat

I.

ADO VIENNÆ ARCHIEPISCOPUS.

Folio CLXXXIII. editionis Pariſienſis anni MDXII. ex qua ceteræ deinceps prodierunt.

LUdovicus Pius adverſa valetudine fatigatus diem clauſit ultimum anno ab incarnatione Domini DCCCXL. Corpus ejus ab epiſcopo Drogone fratre ejus ex alia femina ſimul & a primoribus Francorum Mediomatricum delatum atque in eccleſia beati Arnulfi confeſſoris conditum eſt.

Lotharius imperator filius piiſſimi Ludovici imperatoris annis XV. Huic pater imperium, &c. poſt humationem glorioſi patris ſequenti anno ab Italia egreſſus totum imperium accipere molitur. Ob id adverſus fratribus, in prælium Fontaneticum eos concitat: juncti duo adverſus unum, &c.

Non multo poſt Lotharius filium ſuum Ludovicum, quem in Italia regem fecerat, ut imperatoris nomen ſortiretur, per Drogonem patruum Romam miſit. Cui Sergius jam tunc pontifex coronam imponens, acclamante populo imperator & Auguſtus eſt ſalutatus.

Lothatius imperator infirmari ſe conſpiciens, regnum inter filios dividit. Carolo minori Provinciam & partem Burgundiæ: Lothario medio filio ſedem ſuam: Ludovico imperatori Italiam conſignare jubet. Ipſe vero Promiæ monaſterium regno temporis ſe exuens ingreditur tonſuratus & monachus effectus aliquot diebus interpoſitis defungitur anno incarnationis Domini DCCCLV. imperii vero XXXIII. atque ibi in baſilica ſancti Salvatoris a fratribus reverenter humatur.

Pontifex Romanus Gregorius moritur: atque ejus loco Sergius ordinatur. Illo defuncto Leo ſuccedit. Quo obeunte Benedictus in ſede apoſtolica ſubſtituitur, jam tamen defuncto Lothario imperatore.

Nicolaus papa vir religione præcipuus moritur, ac in atrio ante portas beati Petri non longe a membris Benedicti prædeceſſoris ſui ſepelitur. Huic Adrianus in epiſcopali ordine ſuccedit.

Ex his aliiſque concludimus.

I. LUdovicum Pium obiiſſe, anno 840. quod non tantum Adonis & innumerabilium aliorum ſcriptorum auctoritate conſtat, ſed demonſtrationibus etiam aſtronomicis, quas nemo niſi ſtupidior Antronio aſino, aut ſi quod aliud eſt animal aſino ſtupidius, in dubium unquam re-

vocare poterit, ut chartas ac diplomata quamplurima prætermittam.

II. Lotharium annos 15. imperasse, ideoque non decessisse anno 856. ut inficeti Πατριαρχικῶς mentiuntur.

III Ludovicum II. a patre missum ad Sergium papam fuisse ut in imper. coronaretur. Verum a Sergio & nobilibus Romanis denegatum ei tamquam imperatori fidelitatis sacramentum docet Anastasius: ideoque postea a Leone Sergii successore in imperatorem præstito ab omnibus sacramento coronatus est: qua de re ex diplomatum ac conciliorum subscriptionibus; plura alias.

IV. Lotharium anno 855. obiisse: quod etiam evidenter convincit annus XXXIII. imperii, cujus coronam Romæ a Paschale I. papa anno 823. acceperat.

V. Leone obeunte (non vero Joanna papissa) Benedictum III. in sede apostolica substitutum: idque defuncto Lothario imperatore, qui vel nocte præcedente coronationem Benedicti factam die 29. Septembris dominica, vel potius pridie IV. Kalendas Octobris defunctus est Prumiæ.

VI. Nicolao successisse Hadrianum.

Hominis porro furiosi est, testem omni exceptione majorem, de quo ne levis unquam apud bonos malosve enata sit suspicio, eam tantu ob rem, quod caussæ tua adversetur, omni testimonii jure atque auctoritatis pondere privare velle. Quidni enim eadem fide denigres quoscumque scriptores, sacros profanosque, historicos, chronologos, concilia, chartas, diplomata, ac cetera venerandæ vetustatis monimenta? Sed quid facias? sic affecti sunt plerique omnes matæologi hæresiarcharum Lutheri, Calvini, Socini sectatores, qui nec Deum timent, nec homines reverentur; ut quidquam in buccam calamumque venerit, dicant scribantque, in hoc unum intenti, ut desideriis suis serviant, plebeculæ atque imperitis placeant, pecuniam per fas & nefas, qua docendo, qua concionando, qua scriptitando corradant, fumæ interim suæ liberaliter prodigi, atque eruditæ posteritatis securi.

II.

ANASTASIUS BIBLIOTHECARIUS.

Pag. 175. editionis regiæ anni 1649. procurante V. C. Carolo Annibale Fabroto I. C.

LEo IV. natione Romanus; ex patre Radoaldo, sedit annos octo, menses tres, dies quinque, &c.

Qui tunc præerat Sergius, Romanæ sedis antistes, ex præsenti vita subtractus est, sub cujus etiam tempore ecclesiæ beatorum principum Petri & Pauli a Saracenis, funditus deprædatæ sunt, &c.

Nec dum enim is, qui obierat, pontifex ad sepulturam debitam fuerat deportatus; & ecce omnes a novissimo usque ad primum una voce, una simulque concordia Leonem venerabilem presbyterum sibi futurum pontificem flagitarunt, &c.

Tunc omnes peigentes cum gaudio multæque aviditatis lætitia ad ecclesiam, in qua degebat, beatorum quatuor Coronatorum, eum coactum invitumque exinde abstrahentes, cum hymnis laudibusque præcipuis, ad Lateranense patriarchium perduxerunt: qui morem conservantes antiquum omnes osculati sunt pedes. Quanta autem in ejus pontificali electione concordia, &c.

Hoc timore (Saracenorum) & futuro casu perterriti eum sine permissu principis præsulem consecraverunt, fidem quoque illius, sive honorem, Apost Deum, per omnia & in omnibus conservantes.

Pagina 190. Quamobrem secundo præsulatus illius anno præfata civitas (Leoniana) ædificandi sumpsit exordium: & in sexto consecrationis suæ utpote magnis ac mirabilibus omnis est fabricis civitas undique consummata.

Fuitque de illo magna cunctis lætitia, videlicet die septimo & vicesimo mensis Junii, pridie ante beatissimorum apostolorum Petri & Pauli vigilias, &c.

Pagina 194. Tunc demum sancti ei Spiritus gratia revelante, una cum consilio sereniſſimorum Lotharii ac Ludovici imperatorum, anno imperii eorum quinto (legendum septimo, ut ex concilio Romano patet) & trigesimo, atque pontificatus jam dicti præsulis septimo, mense Decembris die octavo, indictione secunda, sanctam ac venerandam in ecclesia beati Petri apostoli synodum congregavit. In qua tam ipse catholicus & apostolicus vir, quamque & alii cum eo sexaginta & septem episcopi resederunt, &c. Anastasius presbyter cardinalis tituli sancti Marcelli ab omnibus canonice est depositus anno, mense, die & indictione superius adnotata.

Pagina 199. His peractis imperator abiit, & sanctissimus domnus Leo IV. papa, non post multos dies, obdormivit in domino XVI. Calendas Augusti, sepultus vero est in ecclesia beati Petri apostoli.

Ex his aliisque colligimus.

I. LEonem IV. sedisse an. 8. m. 3. d. 5. ab anno 847. ad 855.

II. Urbem Leonianam ann. 848. inchoatam dicatam fuisse 27. Junii an. 852.

III. Concilium Romanum fuisse celebratum 8. Decembris indictione secunda anni 853. Leonis septimo, Lothari XXXVII. Ludovici V. adversus Anastasium sancti Marcelli cardinalem, cujus hic est titulus.

Theodorus notarius ac scriniarius S. R. E. legit: Imperantibus dominis piissimis perpetuis Augustis Lothario a Deo coronato pacifico & magno imperatore anno XXXVII. & Hludovico a Deo coronato ejus filio novo imperatore anno V. mense Decembrio die octava, indictione secunda, in civitate nova, cujus vocabulum Leoniana est, intra ecclesiam, ubi corpus beatissimi Petri Apostolorum primi conditum est, Leo episcopus. Vide pag. 671. tomi XXI. collectionis regiæ Parisiensis.

IV. Leonem obiisse 17. Julii 855.

III.

IDEM ANASTASIUS S. R. E. BIBLIOTHECARIUS.

Pag. 199. editionis regiæ Parisiensis anni 1649.

BEnedictus Tertius natione Romanus, ex patre Petro, sedit annos 2. menses 6. dies 10.

Pagina 200. Leo quidem ubi hac luce subtractus præsul occubuit, MOX omnis clerus istius Romanæ protectæ sedis, universique proceres, cunctusque senatus ac populus congregati sunt, Domini clementiam exorantes, ut beatificum illis omnibus demonstrare dignaretur pastorem, qui culmen apostolatus regere valuisset tranquille. Divinitus igitur æthereo tunc lumine inflammati, uno con-

consensu, unoque eum conamine Benedictum, pro tantis quibus pollebat sacris operibus pontificem promulgaverunt eligere.

Illico vero alacri universa studio plebs & populi cœtus cœlesti titulo properantes, Deo illum omnipotenti, ut solitus fuerat, invenerunt fundentem orationem. Surgens autem & populi densissima cernens agmina rem cognovit, & mente concepit. Interea multis cum lacrymis genua flectens, flebili more omnes deprecabatur, taliter dicens: Non me a mea deducatis ecclesia rogo, quia tanti culminis non sufficio sustinere nec bajulare gravamen.

Illi vero nullatenus acquieverunt, sed virtutibus eum ex eodem titulo abstrahentes, cum hymnis & canticis spiritualibus, ampla exultatione & ineffabili gaudio in patriarchium Lateranense perducentes, pontificali solio, ut mos est pontificum, canaque consuetudo demonstrat, posuerunt.

His peractis clerus & cuncti proceres decretum componentes propriis manibus roboraverunt, & consuetudo prisca ut poscit, invictissimis Lothario ac Ludovico destinaverunt Augustis. Ipsum autem qui deducebant legati decretum, fuerunt hi, &c.

Pagina 202. Anastasius (*intrusus eo quo pluribus narravit modo*) eumdem benignissimum Benedictum electum, humana, non Dei, virtute custodibus, qui arctius eum constringerent tradere studuit, &c. Omnis plebs ac populi multitudo extensa voce clamavit: Benedictum beatissimum papam volumus, ipsumque desideramus: quod jam fati audientes legati mirabantur, &c. Eum super equum ovantes, in quo Leo præsul sedere consueverat, posuerunt, quem etiam magna populi præcedente caterva in basilicam Dei genitricis, quæ ad præsepe dicitur, deduxerunt, &c.

Omnes episcopi universusque clerus atque innumera Romani populi multitudo ex eadem eum ducentes basilica cum hymnis & canticis spiritualibus in patriarchium Lateranense introduxerunt, & in pontificali solio, de quo ejectus fuerat, posuerunt. Denique universa congratulabatur ecclesia, & omnis populus amplis vocibus resultabat. Præterea dominico die diluculo in basilicam beati Petri apostoli ab episcopis, clero, proceribus deductus est, & in conspectu omnium imperialibus missis cernentibus in apostolica sede, ut mos est, & antiqua traditio dictat, consecratus, ordinatusque est pontifex. Post sacra autem tunc missarum sollemnia celebrata, in patriarchii Lateranensis pontifex ordinatus reversus est ecclesiam.

Pagina 204. In mense vero quinto consecrationis hujus præclari pontificis, id est mense Januario die .... fluvius, qui appellatur Tyberis, alveum egressus est suum, & per campestria se dedit, intumuitque innundatione aquarum multarum, & ingressus est per posterulam, quæ appellatur sanctæ Agathæ, in urbem Romanam hora diei, &c. Exinde vero reflexus ingressus est per porticum quæ est posita ante ecclesiam sancti Marci, mense supradicto die sexto apparitionis Domini nostri JESU CHRISTI secundum carnem, id est theophaniæ.

Pag. 207. Nicolaus natione Romanus ex patre Theodoro regionario, sedit annos novem, mens. duos, (7.) dies viginti, &c. Leone scilicet papa mortuo, Benedictus miræ beatitudinis vir & sacratissimus pontifex superno protectus auxilio Romanæ præponitur sedis, suæque illum (Nicolaum) administrationi conjunxit, &c.

Sacris acclamationibus in patriarchium Lateranense introduxerunt, apostolicoque solio posuerunt. Postmodum vero a nobilissimorum cœtibus, cunctoque etiam populo in basilicam beati Petri deductus apostoli, præsente Cæsare consecratus est, apostolicaque sublimatus in sede, factus est pontifex, & missarum sollemnia supra sacratissimum corpus apostoli beatifice celebravit, &c. Coronatus denique octavo Kalend. Maii, *ut in suo Anastasii codice legit Baronius*.

Pag. 210. Hujus præclari pontificis .... id est, mense Octobris die trigesima, indictione octava, fluvius, qui appellatur Tyberis, alveum suum egressus est, &c. simili modo in mense Decembrio die vigesima septima, natali sancti Joannis evangelistæ, indictione supradicta, ingressus est alia vice fluvius, &c.

Pag. 222. Postquam autem sedem apostolicam victoriosissime, & ut verus Dei athleta catholice ac principaliter rexit, ex hac luce Idibus Novembris indictione prima, migravit ad Dominum, &c.

EX EODEM ANASTASIO SEU GUILLELMO S. R. E. BIBLIOTHECARIO.

Pap. eadem.

HAdrianus natione Romanus ex patre Talaro post episcopo, regionis tertiæ, sedit annos quinque, &c. Ab omni clericali gradu, ab omni senatorio & populari concordissimo cœtu sicut post mortem quarti papæ Leonis, ita post obitum tertii Benedicti pontificis subire summum pontificium nisi ipse diversis argumentis, &c.

Sed cum apostolicæ memoriæ sanctissimus papa Nicolaus rebus excessisset humanis, & iste impræsentiarium *Tertio quintum & vigesimum* annum (hoc est LXXV.) transiret, omnes urbis Romanæ concives ..... contemptis omnibus excusationibus Hadrianum desiderant, Hadrianum dari sibi præsulem ac pastorem exoptant.

Pag. 224. Itaque sabbato peractis rite orationibus, vigiliis & eleemosynis, Dominica secundum morem, idem venerabilis sacerdos ab universitate ad ecclesiam sancti Petri apostolorum principis ductus, nono decimo Kalendarum Januariarum, indictione prima, anno præfati Augusti (Ludovici) decimo nono, per episcopos benedictionem summi pontificatus suscipere meruit, &c.

Pag. 228. Favore Augustali sabbato mansionem sucipiunt; & Dominica, quæ quinta decima dies Septembris erat, indictione tertia, singulos equos, &c.

Ex his aliisque multa colligimus.

I. BEnedictum sedisse anni 2. m. 6. d. 10. ab anno 855. ad 857.

II. Particulas illas, *Ubi*, *Mox*, *Tunc*, & *Illico*, sive duos, 6. 10. pluresve aut pauciores dies insinuent, non posse nisi apud Utopienses mataeologos, & in fabulosis Luciani inversi insulis, ad annos duos, aut tres extendi: ideoque merito exsufflandam papissam, quæ inter Leonis obitum & Benedicti electionem insulse intruditur.

III. Anno dumtaxat 855. non 856. aut sequenti electum fuisse Benedictum, cujus electionis decretum destinatum sit Lothario imperatori qui obiit exeunte Septembri anni 855. ejusque filio Hludovico qui nondum solus imperabat.

IV. Super equum quo Leo, non Joanna, sederat, impositum Benedictum.

V. Diem 29. Septemb. fuisse dominicam, non annis 856. aut 857. sed præcise anno 855.

VI. Die 6. Januarii festo epiphaniæ anni 856. Tyberim exundasse cum jam fluxissent a consecratio-

tione Benedicti menſes integri October, Novem-
ber, ac December cum parte aliqua Septembris
& Januarii, qui hac ratione ſtylo Anaſtaſii dicitur
quintus.

VII. Nicolaum ſediſſe an. 9. m. 7. d. 20. a die
24. Aprilis anni 858. & 867. exeuntem.

VIII. Diebus 30. Octobris & 27. Decemb. na-
tali S. Joannis evangeliſtæ indictione 9. hoc eſt
anno Chriſti 860. exeunte Tyberim exundaſſe.

IX. Nicolaum obiiſſe 13. Novembris indictione
prima labente anno 867. ideoque corrigendum
Flodoardum qui Decemb. 13. habet.

X. Hadrianum II. ſediſſe annis quinque ab an-
no 867. ad 872. electumque anno ætatis ſuæ 76.
anno vero 28. ut inſulſiſſime nugatus eſt Samuel
Mareſius in gratiam fabulæ fabularum omnium
fabuloſiſſimæ fabuloſiſſimus fabulator, ut omnes
norunt.

XI. Hadrianum conſecratum die 14. Dec. do-
minica, indictione labente prima, adeoque om-
nium chronologorum confeſſione, non anno Chri-
ſti 870. 869. aut 868. ſed 867. Ludovici impera-
toris anno XIX. ab anno ſcilicet 849.

XII. Indictione tertia labente diem 15. Septem-
bris fuiſſe dominicam, ideoque anno Chriſti 870.

Iis adde fragmentum epiſtolæ ejuſdem Anaſtaſii
S.R.E. bibliothecarii editæ pag. 244. chronici no-
ſtri technici.

Domino ſancto Patri Adoni venerando mihi
& valde diligendo archiepiſcopo, ego Anaſtaſius
S. R. E. bibliothecarius plurimam opto ſalutem.
Triſte tibi nuntium proh dolor! nimium triſtis &
gemens tranſmitto. Venerabilis quippe recorda-
tionis pater & papa noſter Nicolaus ab hac miſera
vita Idibus Novembris ad cæleſtem beatitudinem,
&c. Habemus autem præſulem Adrianum nomine
virum per omnia, quantum ad bonos mores per-
tinet, valde ſtrenuum & induſtrium, &c.

IV.

AUCTOR ANNALIUM, QUI DICUNTUR VULGO BERTINIANI.

Tomo III collectionis Ducheſnianæ pag. 208.
quam, moh pudor! non vidit Mareſius.

ANno DCCCLV Lotharius infirmatur: qua
de re occaſio data eſt Ludovico & Carolo
fratribus ad concordiam redeundi.

Menſe Auguſto, Leo apoſtolicæ ſedis antiſtes
defunctus eſt eique Benedictus ſuccedit.

Lotharius imperator morbo correptus, vitam-
que deſperans, monaſterium Promeæ in Arduen-
na conſtitutum adiit, ſæculoque & regno abre-
nuncians tonſus eſt, vitam habitumque monachi
humiliter ſumens. Diſpoſitoque inter filios ejus,
qui ſecum morabantur, regno, ita ut Lotharius
cognominem ejus Franciam, Karolus vero Pro-
vinciam obtineret, intra ſex dies vita deceſſit
IV. Kalendarum Octobrium, atque in eodem
monaſterio ſepulturam, ut deſideraverat, conſe-
cutus eſt.

Anno DCCCLXVII. pag. 229. Hincmari Cle-
rici in menſe Auguſto Romam venientes Nico-
laum papam jam valde infirmatum invenerunt;
quapropter uſque ad menſ. Octob. ibidem ſunt
immorati. *Iidem retulerunt epiſtolam* Datam x. Ca-
lendas Novembris indictione prima. Quam epiſto-
lam Hincmarus Idibus Decembris primæ indictio-
nis ſuſcipiens, &c. Nicolaus papa Idibus proxime
præcedentis menſis Novembris obiit. Cui ſucceſſit
Adrianus papa electione clericorum & conſenſu
Ludovici imperatoris in pontificatu. Quem Adar-
dus Romam veniens in apoſtolica ſede jam ordi-
natum invenit.

Anno DCCCLXVIII. pag. 230. Carolus vero
ſabbato ante palmas, &c. ſecunda die Rogatio-
num Adventio Metenſium ep. & Grimlando Lo-
tharii cancellario deferentibus epiſtolas Adriani
papæ accepit unam ſibi directam, &c. Silvacum
autem perveniens Adardum Nanuetenſem ep. Ro-
ma venientem ſuſcepit ſibi deferentem epiſtolas,
quarum una reſponſum reddidit de his quæ Ni-
colao in contrarietate Hincmari mandavit, &c.
Cetera vero quæ pag. 231. & 232. habentur de
damnatione Anaſtaſii omittenda cenſui, ut in ſo-
la clauſula epiſtolæ Adriani hæream. Anno pon
tificatus domni Adriani ſummi pontificis & uni-
verſalis papæ primo, per quartum Idus Octobris,
indictione ſecunda, hoc eſt an. 868.

Anno DCCCLXIX. Adrianus papa Romam
reverſus eſt: quem e veſtigio Lotharius eſt pro-
ſecutus, &c.

Lotharius vero Roma lætus promovens uſque
Lucam civitatem venit, ubi febre corripitur; &
graſſante clade in ſuos, uſque Placentiam 8. Id.
Auguſti pervenit, ibique dominica die ſuperdiur-
nans circa horam nonam inopinate exanimis pe-
ne effectus eſt & obmutuit, atque in craſtina (die
ſequenti) hora diei ſecunda moritur, &c.

Anno incarnationis dominicæ DCCCLXIX. in-
dictione ſecunda, V Idus Septembris Metis civi-
tate in eccleſia ſancti Stephani martyris hæc quæ
ſequuntur capitula Adventius, &c. In miſſa ſancti
Martini ad Gundulfi villam pervenit. Ubi miſſos
Adriani papæ Paulum & Leonem epiſcopos ſuſce-
pit cum epiſtolis miſſis ſibi & præſulibus ac regni
primioribus in his Galliarum partium regionibus
conſiſtentibus. In quibus continebatur, ut regnum
quondam regis Lotharii, quod Ludovico imperatori
ſpirituali filio ejus hæreditario jure debetur,
& quod ad eum poſt mortem ipſius Lotharii re-
diit, vel homines in eo degentes, mortalium nul-
lus invaderet, &c. quæ innumerabiles referunt an-
nalium hiſtoriarumque ſcriptores, quos non eſt
neceſſe hoc loco recenſere.

Anno DCCCLXXII. Adrianus papa moritur
& Joannes archidiaconus Romanæ eccleſiæ XIX.
Kal. Januarii ſubſtituitur.

Ex his aliiſque concludimus.

I. LEonem obiiſſe anno 855. Quod autem ait
menſe Auguſto, nullus dubito, quin ſit
error libiarii, qui cum ſcriptum fuiſſet XVI. Kal.
menſ. Auguſt. ſubſtituerit *menſe Auguſto*: quo ni-
hil facilius eſſe ſciunt, qui veteres libros evol-
vunt. Idem accidit in Mariani Scoti chronico,
ubi Leo papa obiiſſe dicitur Kal. Auguſti ex a-
manuenſis ut apparet incuria, cui excidit præce-
dens XVI. nota.

II. Leoni anno 855. ſucceſſiſſe Benedictum,
non vero commentitium illud imperitorum mini-
ſtrorum idolum.

III. Lotharium obiiſſe die 28. Septembris an-
ni 855.

IV. Obiiſſe anno 867. Nicolaum 13. Novem-
bris ſuccedente Hadriano.

V. Joannem VIII. Hadriano ſubrogatum anno
872. quod etiam ab hiſce annalibus Bertinianis
verbatim expreſſum reperies extremo cap. 28. li-
bri V. hiſtoriæ Aimoini ab ejus continuatore, qui
cum ex aliis annalium atque hiſtoriarum Francica-
rum ſcriptoribus, tum ex hoc anonymo auctore
plurima mutuatus eſt, ut alibi obſervavimus.

Ceterum auctor ſum, lectoribus ἀνδροφίλοις, ut
annales illos attente legant, expendantque; ex iis
enim,

enim, non tantum una alterave elicitur veritas, papiſſam ejuſque fautores confodiens, ſed quot ſunt periochæ, tot ſunt veluti Herculeæ clavæ, quibus ex mirabili concatenatione temporum illorum, ſive XL. annorum, quos ab anno 840. ad 879. in tabula noſtra expandimus, omnes Mareſii, Conguardi, Hottingeri, ſimiliaque Παπισμαστίγωτα portenta proſternantur, maſtentur, & invictiſſime atterantur.

V. VI. VII.

REGINO ABBAS PRUMIÆ
ANNO DCCCXCII.

Tomo rerum Germanicarum Joannis Piſtorii pag. 41.

ANno dominicæ incarnationis DCCCXL. Ludovicus imperator, dum filium Ludovicum trans Rhenum perſequitur, morbo gravatur, & in navim miſſus per Mogonum fluvium in Rhenum deducitur, ibique in inſula juxta Ingelnheim vita decedit, inde Mediomatricum deportatus in baſilica ſancti Arnulfi honorabiliter ſepulturæ mandatur. Statimque Lotharius Italiam egreſſus imperium arripuit.

Anno dominicæ incarnationis DCCCLV. Lotharius convocatis primoribus regni imperium filiis ſuis diviſit. Ludovico Italiam tradidit, eumque imperatorem appellari fecit: æquivoco vero Lothario, regnum quod ex ſuo nomine vocatur, conceſſit. Carolo autem, qui junior natu erat, Provinciæ regnum largitus eſt. Diſpoſitis itaque ac ordinatis regni negotiis valedicens ſuis, mundum reliquit, atque in Prumiam monaſterium veniens comam capitis depoſuit, habituque ſanctæ converſationis ſuſcepto, in religionis profeſſione diem clauſit extremum tertio Kalendas Octobris. *Quæ verba de Lothario eadem reperies* in annalibus Metenſibus tomo III. coll. Ducheſnianæ pag. 304.

Ex his aliiſque concludimus.

LUdovicum obiiſſe anno 840. & Lotharium 855. die 29. Septemb. niſi legendum ſit IV. Kal. Octobris: quemadmodum arbitror emendandum in auctore annalium Fuldenſium a Pithœo primum edito: Vide pag. 553. tomi II. Ducheſnianæ collectionis.

Anno DCCCLV. Hlotarius imperator renuncians omnibus quæ habuit, Prumienſe monaſterium ingreſſus, effectuſque ibi monachus IV. Kal. Octob. mortalem hominem exuit, & ad vitam perrexit æternam. Alibi quoque in diem illum error irrepſit; ut in fine epitaphii Lotharjani a Rhabano Mauro conſcripti legitur II. pro IV. Kal. Octob. Quoniam vero hic Rhabani incidit mentio, idem auctor annalium Fuldenſium anni proxime ſequentis initio, quem more Romano DCCCLVI. numerat, hæc habet: Menſe Februario, quarto, die menſis, defunctus eſt Hrabanus archiepiſcopus Mogonciacenſis eccleſiæ, habens in epiſcopatu annos novem, menſem unum, & dies quatuor. Idem quoque non præterierunt alii ejuſdem ſæculi ac proxime conſequentium ſcriptores, qui intra unum anni vertentis ex ſupputatione Gallicana orbem, quatuor magni nominis viros obiiſſe perhibent, Leonem papam 17. Julii, Lotharium imp. 28. aut 29. Septembris, Drogonem Metenſem epiſcopum imperatoris patruum die 6. aut 7. Novembris, & Habranum noſtrum die 4. Februarii, quem menſem, & quod ſuperfuit uſque ad feſtum incarnationis dominicæ, aut paſchales ferias Galli anno DCCCLV. tribuerunt. Unde pariter adverſus Παπισμαστίγωτας validiſſimum torquetur argumentum. Idem quoque Annales ad annum 868. obſervant Lotharium regem Romam profectum ſummo ſtudio niſum eſſe VValdradam cum conſenſu & favore Nicolai pontificis ſibi matrimonio conjungere; ſed eum jam defunctum reperientem, Beneventum ad fratrem ſuum Hludovicum perrexiſſe, & hujus copulæ favorem illum poſtulaſſe apud Hadrianum II. qui Nicolao in pontificatu ſucceſſerat. Unde luce meridiana clarius apparet, Nicolaum papam non anno 870. aut exeunte anno 869. die 6. Decembris e vivis abiiſſe, ut inepte Marianus Scotus, aut quiſquis fuit ejus chronici corruptor.

VIII.

HINCMARI RHEMENSIS ARCH. EPIST. XXVI.

Tomo II. editionis Sirmodi pag. 298. cui jungat lector alteram editionem Cordeſianam.

DOmino ſanctiſſimo & reverendiſſimo patrum patri Nicolao primæ ac ſummæ ſedis apoſtolicæ & univerſalis eccleſiæ papæ, Hincmarus Remorum epiſcopus & veſtræ ſanctiſſimæ paternitatis devotiſſimus famulus, Decimo tertio Kalendas Junii præſentis XV. indictionis mandatus, &c. ſic enim bonæ memoriæ domnus Hlotarius in initio ordinationis meæ apud Sergium, & poſtea apud ſucceſſorem ipſius Leonem ſategit, &c.

Poſtquam has litteras domni papæ Leonis accepi, ſicut mihi innotuit domnus Hlotharius, petente quodam epiſcopo regni ſui qui adhuc vivit, per Petrum Aretinum epiſcopum præfato domino papæ mandavit, ut geſta epiſcoporum de eiſdem clericis non firmaret. Quæ cum ad fratres & coepiſcopos noſtros retuli, rogantibus eis apud Hlotharium imperatorem epiſtolam exinde ipſo ex animo largiente; per miſſos meos obtinui, ubi inter cetera ita ſcriptum habetur. Sed ad noſtras petitiones exequendas & obtinendas Petrum venerabilem & dilectiſſimum nobis Spoletinum epiſcopum viva voce noſtra vice executorem inſtruximus: & alium Petrum venerabilem æque & amantiſſimum epiſcopum Aretinum litteris commonuimus, & alios filios veſtros atque noſtros ſimiliter inde monuimus, & reliqua, ſicque cum iſta epiſtola & cum legatione imperatoris per præfatum venerabilem epiſcopum, Missos meos cum litteris Romam direxi. Quibus in via nuntius venit de obitu papæ Leonis. Pervenientes autem Romam cum præfatis litteris, & intervenientibus prædictis epiſcopis, Domnus nomine & grātia Benedictus, mihi, quod noſtis, privilegium inde direxit. *Quod palmare argumentum ex ore R. P. Jacobi Sirmondi τῦ μακαρίτου, qui eam epiſtolam primum edidit ex codice ſanctæ Mariæ Laudunenſis, antequam David Blondellus de papiſſa Joanna ac toto hoc argumento quidquam in litteras referret, audiviſſe recordor.*

Inde concludimus,

BArdum eſſe oportere, aut Morycho ſtultiorem, qui non videat ex hac narratione evidentiſſime evinci, Leoni eodem anno (non poſt duos treſve annos) ſucceſſiſſe Benedictum: cum miſſi ab Hincmaro ad Leonem nuntii, audito in via illius obitu, pervenientes Romam, ab ejus ſucceſſore Benedicto privilegium, quod petebant, obti-

nue-

nuerint. Notent, si placet, lectores φιλαλήθεις verba ista 1. Pervenientes Romam, iidem, qui cum litteris directi, quique in via Leonem obiisse audierant. 2. cum præfatis litteris; non aliis, sed quæ præfato Leoni fuerant inscriptæ. 3. intervenientibus iisdem episcopis, Petro Spoletino & Petro Aretino episcopis, de quibus apud Anastasium & in concilio Romano. Idem quoque videtur confirmare.

Lupi abbatis Ferrariæ sive Bethleem in pago Vastinensi epistola CIII. tomo II. collectionis Duchesnianæ pag. 778. & 154. Baluzianæ.

Domino præcellentissimo, & omnibus Christianis unice singulariterque venerando, universali papæ, Benedicto, ultimus abbatum Lupus ex monasterio Galliæ, quod vocatur Bethleem sive Ferrariæ, præsentem prosperitatem, & futuram beatitudinem. Tempore decessoris vestri beatæ memoriæ Leonis functus legatione Romæ, cui auctore Deo præsidetis, & ab eodem antistite exceptus benigne atque tractatus; postquam vos non esse inferiores religionis fama declaravit, nec tantum potestatis beatissimi Petri participes; verum etiam humilitatis, quam in allocutione Cornelii vulgavit, hæredes, vera morum vestrorum expensio certa ratione perdocuit: ausus sum ego tantillus, &c.

Plura ex eodem Hincmaro Rhemensi arch. proferre possemus. Unum sufficiat ex resp. 1. de divortio Lotharii & Teutbergæ, quæ non uno in loco edita est.

Convenerunt Principis jussu anno Incarnationis Dominicæ DCCCLX. & regni ejus quinto, Indictione VIII. Quinto Idus Januarias, Aquis palatio, Guntharius summus capellanus & Theutgaudus archiepiscopi, &c.

IX.

BENEDICTI III. EPISTOLÆ SEU DIPLOMATA

Ex pag. 240. Chronici nostri Technici, & Dupletii Chronico S. Dionysii.

NOndum de morte Lotharii imperatoris perlatus Romam fuerat nuncius, cum Benedictus papa prolixum edidit diploma de rebus ac privilegiis Corbejensis abbatiæ ad Somonam fluvium sita in territorio Ambianensi, ad universos Galliarum episcopos. Benedictus episcopus, servus servorum Dei, &c. Scriptum per manum Theodori notarii & scriniarii S. R. E. in mense Octobri indictione IV. Actum Nonas Octobrias per manum Theophylacti secundicerii sanctæ sedis apostolicæ imperante domino piissimo Augusto Hlothario a Deo coronato magno imperatore anno 38. sed & Hludovico novo imperatore ejus filio anno 7. indictione IV. *Quod diploma pontificium eum nonnullis ad idem monasterium & quædam alia spectantibus, extat apud nos in mundissimis membranis ante annos plus minus octingentos graphice descriptum. Inde vero & ex quibusdam aliis observes velim annos imperatoris Lotharii aliquando ab anno Christi 817. quo Aquisgrani a Ludovico patre corona donatus est, fuisse numeratos, cum tamen sæpius ab anno 823. quo a Paschale I. papa Romæ regio diademate & imperatorio nomine fuit insignitus, aut ab ejusdem Ludovici obitu, soleant numerari.* Ejusdem Benedicti privilegium a Blondello citatum, quia illud Maresius non vidit, & magna est Groningæ inopia librorum ad res Gallicas spectantium, ex libri II. cap. VI. antiq. mon. S. Dionysii p. 453. a domno Jacobo Dupletio anno 1625. Parisiis excusarum exscribam. *

X.

NICOLAUS I. PAPA IN EPISTOLIS

Tomo XXII. collectionis regiæ p. 103. *

EX VIII. ad Michaelem imp. Si tamen non falsata, more Græcorum, sed sicut a sede missa est apostolica, penes ecclesiam CP. hactenus perseverat, & epistolæ diversæ sanctissimis pontificibus, Leoni scilicet & Benedicto decessoribus nostris missæ testantur, &c.

Ex IX. ad eumdem pag. 167. Quoniam & præfati decessores nostri Leo scilicet & Benedictus, beatæ recordationis pontifices, si tale quid diebus eorum Gregorius (Syracusanus ep. depositus) vel complices ejus patrassent, videlicet, ut abusi tanto compassionis & patientiæ sedis apostolicæ circa se beneficio in Ignatium manus suas injecissent, &c. sed quia illi divina vocatione ab hac convalle lacrymarum subducti sunt, hanc tyrannidem nondum intuentes, nos debemus in eorum labore succedere, qui successissimus in honore, in cujusque tempore crudelitas, quæ diebus ipsorum cœpit radices mittere, consummata perpatuit. Proinde nos, primo quia sedis apostolicæ de tota ecclesia fas habentis judicare moderamina retinemus: secundo, quoniam fratribus injuriam passis subvenire debemus: postremo, quia (sicut jam diximus) oportet nos in eorum labore succedere, in quorum successissimus pontificatus honore, &c.

Pag. 205. Sed decessores mei beatæ memoriæ Leo & Benedictus sedis apostolicæ moderamina servantes, noluerunt sic unam partem audire, ut aliæ parti nihil penitus reservarent. Unius quippe mediator non est, &c.

XI. Quæ est ad Photium dicitur pag. 224. Data Idibus Novembris indictione XV. & ad Bardam Cæsarem XII. eadem die eademque indictione: Item XIII. ad Ignatium XVI. ad Theodoram Augustam. XV. ad Eudoxiam Augustam.

Pag. 245. ad Lotharium regem data IX. Kalend. Decemb. ind. XI. & XVIII. ad Carolum Calvum regem & XIX. ad Ludovicum II. imperatorem, & aliæ.

Pag. 257. ep. XXIV. ad Trasulfum abbatem Corbejensem in hæc verba definit: Scriptum per manum Leonis notarii regionarii & scriniarii S.R.E. in mense Aprili indictione XI. Data IV. Kalendas Maias per manum Tiberii primicerii sanctæ sedis apostolicæ, imperante domino piissimo Augusto Ludovico a Deo coronato, magno, pacifico imperatore, anno XIV. & post ejus annum XIV. indictione XI. *In eo autem fit mentio privilegii a decessore papa Benedicto eidem cœnobio concessi.* Quod ex membranis calamo exaratis descriptum, ex parte supra repræsentavimus.

Pag. 299. ep. XLV. Data XV. Kalend. Octob. ind. XIII. XLVIII. IX. Kal. Feb. ind. XV. & aliæ. LII. Nonis Martii ind. XV. LV. ep. III. Cal. Nov. ind. I. & aliæ, præsertim LXX. ad Hincmarum & ceteros episcopos in regno Caroli constitutos, ut refellant objectiones Græcorum, data X. Kalend. Novemb. ind. I.

Ep. V. appendicis pag. 390. quæ incipit Pastoralis, &c. ex Tomo III. conciliorum Galliæ nostri Sirmondi pag. 217. eo fine clauditur qui pene similis supra jam notatus est in ep. ad Trasulfum.

Blondellus præterea excerpsit nonnulla ex epistola 1. ad Michaelem quæ est numero 2. ex ep. 3.

ad

ad eumdem imp. quæ eſt nu. 8. ex ep. 47. ad Hincmarum, ex ep. 46. ad prælatos Sueſſione anno Domini 865. Dec. 6. congregatos, &c.

XI.

HADRIANI II. PAPÆ EPISTOLÆ

AD SYN. TRECENSEM, &c.

Tomo III. conc. Galliæ pag. 364. *

LEgationis veſtræ ſcripta beatæ memoriæ deceſſori meo papæ Nicolao miſſa, &c. Data IV. Nonas Febr. indictione prima: ep. ad Carolum Calvum, qua pallium Vulfado concedit, Data VII. Kalendas Martias indictione eadem: ep. ad Hincmarum & ad Herardum VIII. Idus Martii eadem indictione: Ad Actardum vero ſic deſinit: Scriptum per manum Zachariæ notarii regionarii & ſcriniarii ſanctæ Romanæ eccleſiæ, in menſe Februario, indictione prima. Bene vale. Quinto Kalendas Martias, per manus Anaſtaſii bibliothecarii ſanctæ ſummæ ſedis apoſtolicæ, imperante domino noſtro piiſſimo PP. Auguſto Hludovico magno imperatore anno XIX. & poſt conſulatum ejus anno XVII. indictione prima. Ejuſdem papæ ep. ad epiſcopos ſynodi Duziacenſis pag. 400. ſcribitur data VII. Kalendas Januarii, indictione quinta.

Inde concludimus.

NOn ſecus atque ex plurimis aliis epiſtolarum ſubſcriptionibus Hadrianum ſediſſe annis 868. 869. 870. 871. & 872. indictionibus I. II. III. IV. & V. Vide Tomum XXIII. collectionis Regiæ, aut concilia Binii ac Sirmondi: quibus & addi poterit nondum edita, quod ſciam, ad Adonem:

Hadrianus epiſcopus, ſervus ſervorum Dei reverentiſſimo & ſanctiſſimo & confratri noſtro Adoni archiepiſcopo Viennenſi: epiſtolam ſanctitatis tuæ magna cum exultatione ſuſcepi, &c. Data VIII. Idus Maii, indictione prima, hoc eſt anno 868.

XII.

STYLIANUS MAPAS EPISCOPUS

NEOCÆSAREÆ.

Apud Baronium ad annum 886. num. 17.

SAnctiſſimo ac beatiſſimo Stephano domino ac œcumenico papæ, Stylianus epiſcopus Neocæſareæ Euphrateſiæ provinciæ ſervus ſervorum Dei & qui mecum ſunt epiſcopi: necnon omnes epiſcopi & presbyteri & diaconi ſanctiſſimæ eccleſiæ CP. & omnes presbyteri per occidentem & orientem conſtituti, & presbyteri monachi quietam vitam agentes. Dei catholica & apoſtolica eccleſia ſemper prævalet adverſus eos qui illi bellum concitant, &c. Gregorium ſuſcitat cognomento Asbeſtam & Euiapium & Petrum & eorum ſocios ac per eos Chriſti membra ab invicem divellere & a ſanctiſſimo Ignatio patriarcha ſæpius ſynodice advocatos & qua decebat humanitate tractatos ut nullo pacto ab eccleſia Dei ſegregati præda dæmonum fierent, efficere non potuit. Quapropter privatione tandem & anathemate ipſos damnavit. Illi vero literas miſerunt & legatos ad ſanctiſſimum tunc temporis pontificem Romanum beatum Leonem, petentes ut ab ipſo quaſi injuriam paſſi vindicarentur. Pontifex & ipſe damnavit eodem modo quos Ignatius damnaverat tanquam ſchiſmaticos. Sed beato papa Leone vita functo, iterum illi Benedicto papæ ſucceſſori moleſtias intulerunt. At Benedictus ſanctiſſimus re iterum diligenter examinata eorum damnationem cum Ignatio confirmavit, &c.

Conciliabulo congregato depoſitione & anathemate patriarcham Ignatium damnat mœchus ipſe & adulter Photius. Deinde vero ſuam iniquitatem ex ſuperabundanti confirmare volens ad veſtram urbem Romam & tunc temporis pontificem Nicolaum miſit epiſcopos cum literis imperatoris & petiit ab illo legatos mitti ad CP. eccleſiam, &c.

Ex his concludimus.

OMnes qui hujus tragœdiæ funeſtiſſimæ primordia progreſſuſque attente perpenderint, Mareſianæ de Joanna papiſſa fabulæ illico renuntiaturos. 1. Anno 854. depoſitus ſynodali ſententia Gregorius Asbeſtes ep. Syracuſanus ad Leonem papam confugit, ab eoque iterum damnatur: ergo non anno 853. obierat Leo nec an. 854. ejus locum mulier occupabat. 11. Damnatus Gregorius non acquieſcit, nec duos annos, menſes 5. & dies 4. Joannæ papiſſæ expectat, ſed audita Leonis morte confeſtim ad Benedictum ejus ſucceſſorem appellat, a quo iterum Ignatii ſententia firmatur. III. Ardens furore Gregorius adjutore Barda Cæſare Ignatium de ſede CP. dejicit anno 858. & Photius 25. Decembris ipſo Chriſti natali patriarchalem thronum aſcendit, Nicolao jam ab Aprili menſe pontificiam Romæ cathedram obtinente: ergo non uſque ad annum 859. aut 860. pontifex vixit Benedictus, ut aſſerunt Παπισομανῆται, ſed ab anno 855. ad 858.

Omitto quæ alii ex Photio ipſo, Metrophane Smyrnæo, aliiſque afferunt: neque enim adeo robuſte ſtringunt Proteos novatores, quin ex hiſce vinculis elabi ſe poſſe quamquam ægre ſperent, ac velut ingenti fumo mediati & immediati ſucceſſoris in mirionum ſuorum ora diffuſo præſtigiis ſolitis in tutum evadere. Sed adverſus allatam demonſtrationem chronologicam ne hiſcere quidem, ſi ſapiant, umquam audebunt, etiam apud cerdones ſartoreſque puſilli gregis egregoros vigilantiſſimos, ipſaſque oneratas peccatis mulierculas.

In embolo ſeu porticu magnæ eccleſiæ CP. ſcriptum fuiſſe dicitur, vel, ut contendit Blondellus, in libello adverſus Photium edito Pariſiis, ad finem ſectionis poſterioris partis primæ tomi tertii conciliorum, habetur Photium cum Gregorio uſque ad annum Formoſi papæ primum Chriſti 891. per 45. annos fuiſſe anathemate percuſſum a novem Romanis pontificibus Leone, Benedicto, Nicolao, Hadriano, Joanne, Marino, Hadriano altero, Stephano, & Formoſo: quorum annis ſi adjicias Joannæ papiſſæ 2. an. m. 5. & dies 4. non an. 45. ſed 47. numerandi fuerant, ut ait Leo Allatius: qui etiam advertit a primo Leonis anno Chriſti 847. uſque ad 858. Nicolai papæ primum, annos undecim tantum fuiſſe, idque confirmat auctoritate veriſſimi temporum illorum ſcriptoris Nicetæ in vita ſancti Ignatii, & a primo Nicolai ad Formoſum reliquos 34. numerandos eſſe.

POteram hic quoque cum Viris eruditis de Hermanno Contracto, Mariano Scoto, Sigerto Gemblacenſi, Martino Polono, Bernardo Guidone, aliiſque recentioribus diſputare, atque ex Græcorum pharetris tela adverſus fabulatores Παπισομανῆται intorquere. Poteram cum Florimundo Ræmundo, cete-

ceteriſque, fabulæ illius circumſtantias omnes perſcrutari, & ex tempore, loco, nomine, patria, ætate, ſtudiis, ſimilibuſque adjunctis longiſſimas mendaciorum, contradictionum, ineptiarum, ἀνιζορητῶς, ἀβλεφίων, παραλογισμῶν telas contexere. Poteram negativi, ſive abnutivi, ut vocant, argumenti vim experiri, Blondelliano catalogo nonnullos ſcriptores, partim veteres, partim recentiores adjungere, qui Joannæ papiſſæ, cum res exigebat, nuſquam meminerunt, & cum plurimis latius evagari, ac μάτηρα ad exornandam, quam nactus ſum ſpartam, undequaque conquirere. Verum cum hæc argumenta, licet apud æquos judices ac veritatis hiſtoricæ amantes robur ſuum obtineant, contumacium tamen perditorumque Mareſiorum audaciam furiaſque non penitus profligent, obterantque: in una tantum Demonſtratione Chronologica placuit immorari, eaque non ex poſteriorum ſæculorum mendoſiſſimis plerumque monumentis, ſed ex coætaneis ſæculi noni ſcriptoribus coagmentata. Hæc enim machina, etiamſi ſola ſit, cenotaphium Joannæ papiſſæ ab imperitis malevoliſve ſcriptoribus erectum, non ſolum labefactat ac evertit, ſed ſubruit funditus & in auras ventoſque diſpergit. Quis enim illi fanaticorum idolo locum dederit Romæ per biennium cum aliquot menſibus, ſi eodem anno Chriſti 855. quo Leo IV. obiit, Benedictus III. ſubrogatus fuit, & Benedicto anno 858. Nicolaus: quod Deo bene favente & eccleſiam ſuam adverſus inferorum portas ſemper protegente evicimus. Stant enim ſtabuntque æternum immoti decem illi chronologiæ Cardines quos nullæ unquam concutient imperitorum λογομαχίαι.

I. Anno 840. obiiſſe Ludovicum Pium, cum patri Carolo Magno die 28. Januarii anni 814. more Romano, aut 813. ex ſupputatione Gallica mortuo, ſucceſſiſſet.

II. Lotharium obiiſſe anno 855. cujus tres numerantur epochæ, I. ab anno 817. II. ab anno 823. III. ab anno 840. quo ὑποστατικῶς evincitur mortuum fuiſſe patrem ejus Ludovicum I. ex feria. 2. ex eclipſi. 3. ex indictione. 4. ex conciliis. 5. ex diplomatis. 6. ex ſcript. ſynchronis.

III. Ludovicum II. obiiſſe anno 875. cujus tres quoque celebrantur epochæ. I. ab anno 844. II. ab anno 849. III. ab anno 855. quo cum fratribus Lothario patri ſucceſſit.

IV. Carolum Calvum obiiſſe anno 877. cujus & tres pluresve recenſentur epochæ. I. ab an. 840. II. ab anno 869. III. ab anno 875. exeunte, quo imperator coronatus eſt a papa Joanne VIII.

V. Ludovicum Germaniæ regem obiiſſe anno 876.

VI. Leonem IV. Sergio, qui a Februario anni 844. ſederat, ſucceſſiſſe anno 847. obiiſſe 855.

VII. Benedictum III. cœpiſſe anno 855. obiiſſe 858.

VIII. Nicolaum I. cœpiſſe 858. obiiſſe 867.

IX. Hadrianum II. cœpiſſe 867. obiiſſe 872.

X. Joannem VIII. cœpiſſe 872. obiiſſe 882.

Quibus tanquam adamantinis vinculis infelices Promethei verſatileſque Protei ineluctabiliter conſtricti affixique, Mareſius, Congnardus, Salmaſius, Hottingerus, ceterique ταπεινομανοῦντες ἀνωνυμάκριτοι plangent gemitibus inenarrabilibus miſeram ſortem ſuam, quod inani apud ſuos gloriolæ aucupio, aut pinguioris a curatoribus emungendæ penſionis expectatione, aut implacabili adverſariorum ſuorum etiam ſymmyſtarum, a quibus provocati fuerant, odio, VERITATEM ſolaribus radiis micantiorem reclamante jugiter conſcientia impugnare non fuerint veriti.

VIRGIDEMIA MARESIANA, SIVE ELENCHUS ALIQUOT INEPTIARUM ac mendaciorum Samuelis Mareſii academiæ Groninganæ matæologi.

SI contuderis ſtultum in pila, quaſi ptiſanas, ſeriente deſuper pilo, non auferetur ab eo ſtultitia ejus, inquit Salomon proverbiorum XXVII. v. 22.

Experiri placet, an brevi ſed nervoſa mendaciorum ſuorum atque ineptiarum recenſione ſimul & refutatione contuſus velut in mortario Samuel Mareſius, Groninganus profeſſor, priſtinam ſanitatem vetereſque nænias abjecturus ſit, & quod de Phrygibus jactatur, ſero tandem. hoc eſt, poſt an. ætatis ſexageſimum, ſapientiam ac veritatem amplexurus. Neque plura præfatus, ad rem venio; *& machinas everto, quas μετὰ τοῦ παρρησίας ad impugnationem veritatis, abuſus ad id ſuo otio, erexit*, ex impotentia furoris in Blondellum ejuſque παρρησίαν datus in reprobum ſenſum, ac plane dementatus. Vide lector, quiſquis es, & judica.

Pag. 2. mentitur I. Anaſtaſium bibliothecarium Joannæ papiſſæ meminiſſe. Contrarium enim omnibus oculos in capite habentibus docet ipſa narrationis ſeries, quæ hiatum illum biennii & aliquot inſuper menſium omnino reſpuit. Si qui vero codices MSS. non tam vitarum Anaſtaſii, quam ex illis vitis exerptorum, Joannam papiſſam inculcant, id factum eſſe a librariis nemo ambiget, qui verba illa ex Martino Polono, aliiſque recentioribus deſcripta obſervaverit. Audi clariſſimum Fabrorum pag. 290. editionis regiæ: *Hic interſeritur vita Joannis Angli in utroque codice* (id eſt, regio, & Mariziano qui fuit Gabrielis Naudæi.) *Sed quia fabula hæc jamdiu exploſa eſt, ideo hic expungendam duximus, ne male feriati homines* (Mareſio ſimiles) *exinde calumniandi occaſionem raperent: ſi quis autem ægre ferat hanc vitam a nobis prætermiſſam, is regium codicem conſulat, ibique Martini Poloni verba interpolata leget, quæ inepti homines Anaſtaſii codicibus inſeruerunt.* Hæc ille. De Saravio ſenatore Pariſienſi dicemus ſuo loco. II. Falſum eſt quod ſubdit, Radulfum Falviacenſem Joannæ pontificatum recenſuiſſe. Proferat enim, amabo, vel verbulum ex libris ejuſdem 20. in Leviticum, aut aliis operibus. At, id habet Blondellus. Eſto, ea enim ſunt paullo poſt ejus verba: *Radulfus Flaviaci monachus anno 1157. Alberico teſte defunctus*. Verum, quod valde notandum eſt, nec verbatim refert ex editis ejus, aut ex calamo exaratis operibus, nec (ut in ceteris facere ſolet) locum indicat, ut mihi valde probabile ſit, lapſum hic fuiſſe Blondellum, & Rudolfum (ſic enim vocat p. 63. quæ cum Mareſiana 194. concurrit) Ranulfum, aut Radulfum aliquem alium cum Flaviacenſi confudiſſe. Quid enim non liceat mihi, quod Mareſio, impoſuiſſe memorioſiſſimo alias viro homonymiam vocis; ac de Radulfo de Rivo Tungrenſi decano, qui non anno 1157. ſed anno 1403. deceſſit, accipiendum id eſſe, quod Flaviacenſi Blondellus attribuit? III. Probabilius eſt quod ait de Mariano Scoto licet adeo intra 10. aut 20. an. perturbatæ ſunt rationes, ut facile credam a mala manu eſſe vitium illud omne inficeti interpolatoris, qui Joannæ papatum intrudere per fas & nefas quacumque tandem ratione voluerit. Sed de his poſtea fuſius.

Pag. 3. negat Æneam Silvium revera de hiſtoria Joannæ dubitaſſe, licet nihil clarius dici poſſit ejus verbis epiſt. ad Joannem Carvajalium ſcriptæ die 20. Aug. anni 1451. *Iſthic neque juris*

ris error, ſed ignorantia facti fuit. NEQUE CERTA HISTORIA EST. Quod vero ſubdit de proſtante Joannæ nomine cum ceteris pontificum nominibus in dominico Senenſi, id falſiſſimum aſſerunt viri eruditi, & anilibus fabulis accenſent. Joannis autem Aventini, quem Bellarminus vocat auctorem parum probatæ fidei, tanto hac in re robuſtius eſt teſtimonium, quo pontificum famam ſæpius arrodit. Sub finem quoque ejuſdem paginæ ſplendide mentitur, cum ait ſe ſolius veri ſtudio Blondelli anacriſi ſuas ſubjeciſſe notas. Notum quippe heterodoxis omnibus, illud omne opus ex odio in Blondellum, Curcellæum, Daillæum, ſimileſque ejuſdem Calviniſticæ ſectæ vinculo colligatos, profectum fuiſſe.

Pag. 5. De portentoſa Mareſii inſcitia in Radulfi Flaviacenſis, Radulfi Tungrenſis, Alberici Trium Fontium monachi, & Alberici Bergomenſis ætate aſſignanda non repetam ea quæ notavi tomo II. noſtræ diſſertationis hiſtoricæ ac philologicæ de ſcriptoribus eccleſiaſticis quorum meminit Bellarminus pag. 274. & in auctario pag. 795. ac ſequentibus. Conſule, Lector, ut Mareſianam in fingendo confidentiam penitus noſcas. *Quam certum eſt*, inquit, *hunc Radulphum de Rivo decanum Tungrenſem eum eſſe, cujus meminit Albericus*, &c. Malam fidem hoc loco admirare. Nemo paullum eruditior neſcit editum Sigeberti anno 1513. Pariſiis chronicon multorum additionibus corruptum fuiſſe, ac ſincerum illud demum eſſe, quod ex MS. veteri codice Gemblacenſis abbatiæ aliiſque edidit Antuerpiæ in 4. an. 1608. Aubertus Miræus. At utrumque nebulo noſter tacuit, veri ſcilicet amans. Quod vero exſcriptores Sigeberti Vincentius, Albericus, Nangiacus, aliique id omiſerunt, argumentum eſt illud in autographo defuiſſe. Adde & illud, *Fama eſt*, &c.

Pag. 6. Pantheonis genitivum a nomine Pantheon, aut formavit ipſe ex ſupina in rebus Græcis ignorantia, aut ab adverſario ſuo flexum non animadvertit. Quid dicam de hiſce ἀχαρίσιαν, ἀμόψους, στρὸν φασμαχὸν, ἀαρίβειαν, Elepolin, ἐμαδὸν; quæ monſtra ſcuticis plectuntur in Grammaticæ ſcholis? An Groningæ iſta liceant, neſcio: viderint curatores, ne ex impunitate Mareſii detrimentum capiat reſpublica literaria.

Pag. 10. ſub finem, demonſtrationes chronologicas vocat impoſtor frigidas aliquot conjecturas, cyclis ſcilicet ſolis, lunæ, æque indictionum innixas, atque auctorum coætaneorum teſtimoniis firmatas, conciliorum diplomatumque ac inſtrumentorum publicorum ſubſcriptionibus munitas. Quid ad hæc Manes Emmii atque Mulleri? Nulluſne vindex Groningæ, aut hæres tantorum virorum? Ceſſant maſtigophori? Ubi cardui, quibus pro merito coronatus miſellus hiſtoriæ profeſſor per vicos deducatur, & in piſtrinum iiſdem paſcendus detrudatur?

Pag. 11. neſcit, quis ſit *Bernardus Guido Lutebenſis eccleſiæ*, quam modo Lodevenſem in Occitania dicimus, epiſcopus, ex ordine Prædicatorum aſſumptus, multiſque libris conſcriptis, ac præcipue de vitis Romanorum pontificum, celeberrimus. Nos vitam illius exhibuimus tomo II. novæ bibliothecæ MSS. librorum paginis 512. & ſeqq. & 820. Si in iis ætatem triviſſet ὀψιμαθὴς onochronus, non dubitaſſet de fide Blondelli, aut certe non elevaſſet petulantius: *Sed eorum fides eſto penes illum*. Eadem pagina laudat ſuppoſitam ab inſaniſſimo eccleſiæ catholicæ matris ſuæ calumniatore Huldrico Huttenio epiſtolam academiarum Pariſienſis, Oxonienſis & Pragenſis, & in Honorato Boneto auctore libri vernaculi, qui inſcribitur *l'Arbre des batailles*, multa peccat: I. Priorem *de Challon* vocat, cum fuerit *de Salon*. II. compoſitum librum dicit ante annos 300. cum ſamen Carolus VI. cui dicatus fuit, regnarit dumtaxat ab anno 1388. ad 1422. III. *Challon* reddit Catalaunenſem, id eſt *Chualons*, cum appellare Cabillonenſem debuiſſet. Ita enim diſcriminantur illæ civitates; hæc Matronæ in Campania, illa Arari in Burgundia impoſita, utraque epiſcopalis. IV. Atque hinc longe abſurdior apparet alluſio, alioquin Alpina nive frigidior: *Quod ſi illius teſtimonium vidiſſet Blondellus qui Catalaunenſis fuit, minus impendiſſet operæ in fabula illa expugnanda.*

Pag. 12. falſum eſſe arbitror, quod dicit de Gerardo Joanne Voſſio; neque enim fas eſt cordatum quemque exiſtimare, tam bardum baronemque fuiſſe Varronem illum Belgicum, ut tamquam apodicticum urſerit etiam adverſus Bellarmini conteſtatiſſimam ſententiam, quod habet ipſe Bellarminus chronologiæ ſuæ parte altera agens de Joanne XXI. in hæc verba; *Mirum cur iſte Joannes papa dici voluerit XXI. cum nullus præceſſerit XX.* Ad populum phaleras: Unde enim iſta concluſio: ergo hic pontifex judice Bellarmino non potuit ſe Joannem XXI. nuncupare, quin ſuo loco & ordine Pſeudo-Joannem Anglicum, id eſt Joannam papiſſam reſtitueret, ac tantum non peremptorio edicto juberet, ut qui Joannes VIII. dicebatur omnibus, diceretur impoſterum IX. & qui IX. decimus, & ſic de ceteris uſque ad vigeſimum. Apageſis, o bone vir, *fatuas fabrorum prandia ætas* ab erudito Voſſio, (quamquam & hic etiam ſuos quandoque patitur manes) ac divinationes pluma ac foliis farfari leviores.

Pag. 13. Aureum vocat opus Salmaſii inconditam ſatyram adverſus primatum papæ, cui recoctam adjunxit Barlaami monachi, quam cum Nilo Theſſalonicenſi jampridem ediderat, inſulſam crambem.

Pag. 17. ſciat Remigium ſeu domini Remigii vicum *Dam Remy*, *Aſpiencourt*, & vallem colorum *Vaucouleurs*, quam inepte Vaucolurium in Lotharingia vocat, eſſe loca proxima pauciſque milliaribus diſſita, nec proinde cum Moguntia & Anglia multis paraſangis ab invicem diſtantibus potuiſſe comparari.

Pag. 24. ut pro more nebulis obſcuret clariſſimum diem, & adverſus veritatem omni ex parte arietet noſter onochronus, ait Papyrium Maſſonum præfatione præfixa epiſt. Lupi in bibliotheca patrum tomo III. ultimæ editionis ſynodum Sueſſionenſem, quam hic David Blondellus rejicit ad annum 853. cum Sirmondo, facere decennio toto antiquiorem & aſſignare anno 843. Sane ſi lapſus eſt typographicus, ut in ea editione innumerabiles, prætereundus erat: ſi Maſſoni allucinatio, confutanda validis argumentis. Verum quiſquis doceat alios, quod ipſe prius non didicerit?

Ερδοι τις ἣν ἕκαστος ἀδὰν τέχνην.

Quam quiſque novit artem, in ea ſe exerceat. Vel ipſum Hincmari nomen, qui ad infulas pontificales anno demum 845. in concilio Belvacenſi vocatus eſt, Caroli annus 13. indictio prima, ac plurima quæ omitto, ſi mens Mareſio læva non eſſet, ad obterendam Maſſoni inſcitiam illico occurriſſent, ἀλλ' ἄνες πρὸς λύρην. Occaſione vero epiſtolæ Lupi illius Ferrarium abbatis ad Benedictum papam Leonis ſucceſſorem omnes ad illud velim attenta mente defixos advertere? Mirum profecto videri atque omni admiratione majus; quomodo factum ſit, ut qui per biennium integrum & ali-

quot menſes δοξαστικῶς ſaltem ac ſpecie tenus pontificatum geſſit, nec ullam ad quemquam epiſtolam miſerit, nec diploma ullum ſcripſerit, nec a quoquam conſultus fuerit, nec nuncium acceperit: biennium expectarint Gregorius Syracuſanus aliique Græci ab Ignatio depoſiti: biennium Lupus atque Hincmarus: aliique in Gallia totoque occidente atque oriente epiſcopi, clerici, imperatores, reges, principeſque per univerſum orbem ſomnum dormierint profundiſſimum Endymioni ſimiles Latmio. Hoc adeo ridiculum eſt, ut Lucas boves aut boas Lucanicas eſſe oporteat eos, qui omnia iſta devorare parati ſint, ut cum Mareſio ſimilibuſque mendacio ac falſitati conſecratis victimis, ab anno 854. ad 859. Græcos omnes Latinoſque ſomniaſſe velint extra ſolis lunæque vias procul in Utopia conſepultos. Non urgeo qui factum, ut nemo, vel obiter, in conciliis, epiſtolis, libris, tractatibus, ſatyris, invectivis, carminibus, ſaltem hoſtis, aut parum æquus Romanæ ſedi, qualis Gunthārius Agrippinenſis metropolitanus a Nicolao depoſitus, &c. monſtri illius tam informis meminerit, ſed omnes tanquam ad Meduſæ caput λιθωθέντες καὶ ἐμβρόντητοι hæſerint neque hiſcere auſi. Sub Sergio ac Leone multa, ſub Benedicto, Nicolao Adr. ac Joanne VIII. non pauciora, geſta eſſe reperiuntur. At ſub Joanne Anglico per duos annos, 5. menſes, & dies 4. ne τὸ quidem, cum tamen *Athenius multa didiciſſet ab optimis magiſtris* in famoſa univerſitate, *& in diverſis ſcientiis ita profeciſſet, ut nullus illi par inveniretur, adeo ut poſt Romæ trivium legens, magnos magiſtros & diſcipulos & auditores haberet; & quum in voce & vita & ſcientia magnæ opinionis eſſet, in papam concorditer electus fuiſſet*. Meminit Cicero Caninii conſulis, qui tam ſedulus vigilanſque fuerit, ut nec ipſe nec ullus eo conſulatum gerente ſomnum viderit: at non minus novum atque inauditum videri debet Joanne Anglico papatum Romæ adminiſtrante per duos annos, & aliquot menſes, ac dies, dormiiſſe cunctos, nec pedem, aut manum, aut linguam vel tantiſper moviſſe, ut ejus memoriam poſteritati commendarent, ac de eo ejuſque rebus geſtis exteros, qui tum toto orbe vivebant, certiores facerent. Perſuadeant hoc rupicibus ac fungis craſſioribus matæologi in hiſtoria hoſpites, opinione tantum καὶ δοξαστικῶς, non revera καὶ ὄντως cronologi.

Pag. 26. & 27. de Adone multa nugatur, quæ alias caſtigavimus p. 681. & 682. auctarii ad tomum I. citatæ jam ſupra diſſertationis de ſcriptoribus eccleſiaſticis anno 1660. vulgatæ. Nunc autem placet fatuitatis convincere Mareſium, dum tradit Adonem nullam Bernardi, nullam Agilmari archiepiſcoporum Viennenſium facere mentionem. Nam & Bernardi mortem memorat his verbis: *Bernardus Viennenſis epiſcopus ſub hujus* (Lotharii) *imperio moritur*, & Agilmari diſerte meminit in editionibus Badiana anni 1512. Baſileenſi anni 1568. Laurentii Barræi 1583. & aliis: *& Aglimarus*, quædam exemplaria etiam mendoſius, *Aglimelus Viennenſem ſuſcepit* epiſcopatum: Eſto in omnibus editionibus ſcriptum ſit; *Aglimarus*, ſeu Aglimatus, *non Agilmarus*, an propterea rejicienda erit Adonis auctoritas? Nonne in ipſo chronici initio, ut alias obſervavi, *Victorem Turonenſem* legis, pro *Tunonenſi* aut *Tononenſi*, & Ludovicum *fratrem* Lotharii imperatoris, pro *filio*, & in aliis plurimis. Ineptire pergit in *Dracone* pro *Dogrone*, quæ vox totidem literis ſcripta reperitur in Badiana editione, aliiſque. Nec deſinit nugari, cum ſubdit pugnare Adonem cum Anaſtaſio, Sigeberto, & annalibus Bertinianis: quis enim niſi ὀψιμαθὴς aut κακόζηλος tres Ludovici II. non ſecus ac Lotharii patris & Caroli patrui celebrari neſciat epochas: ut in tabula oſtendimus. Sed quidquid agas, ſemper ὀψιχρόνῳ triconi gratiſſimus erit.

Carduus, & ſpinis ſurgens poliurus acutis.

Pag. 29. Anaſtaſium quidam abbatem Romanum, quidam monachum vocant, alii tacent; ergo, nullus in rerum natura fuit Anaſtaſius S. R. E. bibliothecarius & vitarum pontificiarum ſcriptor. Pudeat matæologum cudere gladium, quo ſe ipſe jugulet. Papiſſam alii Juttam, alii Joannam, alii Gilibertam, & aliis forte nominibus appellant, quidam Anglicam, quidam Moguntinam e Germania aſſerunt; ergo non fuit una & eadem, ſed plures, proindeque nulla. Deinde, quid veritati nocet, quod compilatores bibliothecæ patrum, Onuphrius, Bellarminus, aliive recentiores, aberrarint, aut in diverſas abierint partes? Quid ſi hac quoque methodo Virgilium, Homerum, Ariſtotelem, Ciceronem expungas ex albo mortalium? Septem urbes contenderunt de natalibus Homeri, nec de ejus patria poſteri conſentiunt, ergo nullus fuit, aut plures. Verum *hæret lateri lethalis arundo*, & actum eſt de idolo papiſſico, ſi ſua conſtet Anaſtaſio auctoritas. Pergit inſanire, cum ait credibilius videri Anaſtaſium illum, qui cum Suppone comite Conſtantinopolim, a Ludovico II. imperatore miſſus eſt legatus, tempore ſynodi octavæ, eſſe, non abbatem, ſed alterum Anaſtaſium presbyterum cardinalem titulo S. Marcelli, qui execratus toties ac depoſitus, in locum Benedicti III. tantum non intruſus fuit in ſedem apoſtolicam. En quo *furor iraque mentem præcipitent?* Addere debuit eumdem cardinalem vitam Joannis eleemoſynarii, ſeptimæ octavæque ſynodorum acta, paſſionem S. Dionyſii Areopagitæ, martyrium Martini papæ, hiſtoriæ eccleſiaſticæ excerpta, atque alia plura e Græca lingua in Latinam vertiſſe. Deinde numquid Apuleius, Symmachus, Ennodius, Capella, Sidonius, Blondellus, aliique Græce ac Latine docti dici non poſſunt, quod ſtylo rudiori, agreſti, obſcuro nonnunquam ſcripſerint, & barbariſmos ac ſoloecíſmos quandoque miſcuerint, an ideo non diſerti, aut utroque periti eloquio dici merentur? Verum reponendum erat aliquid Blondello. Denique quid ad rem I. ſcripſerit integrum illud opus de vitis pontificum Anaſtaſius, an ab alio inchoatum, puta Damaſo, continuaverit. II. ultra Nicolai vitam ſcribendo progreſſus ſit, an ibi ſteterit; iſta enim nihil ad Leonis IV. & Benedicti III. vitas. III. variæ ſint in aliquot Anaſtaſii locis lectiones, quas regiæ editionis curator V. C. Fabrotus ſumma diligentia e tribus MSS. condicibus collegit. IV. qui ejus meminerunt, mendoſe citarint, aut codicis vitio, aut memoriæ lapſu, aut ſua verba interponendo, propriaſque conjecturas. V. Antilogiæ in illo quædam obſervatæ ſint, quædam prætermiſſa, quædam mendoſe ac falſo ſcripta, an præterea omnis ei abroganda fides, præſertim cum de rebus ſui temporis, quibus vivens videnſque interfuit, meminiſſe dignoſcitur? Verum provocatus a Blondelli fautoribus, quanquam αὐτοκατακρίτως, reluctante, ſi quæ obfirmato in peccatis hæretico ſupereſt, συναδόντα καὶ σωτήρια, reſpondere debuit per fas & nefas, ac dicenda tacendaque promere ex ſuo ἀνδράκων θησαυρῷ. Quod vero ſubjungit longe veriſimilius eſſe, pontificios Joannæ hiſtoriam deleviſſe, quam illam primitus ab Anaſtaſio conſcriptam fuiſſe; hoc omnem ſuperat impudentiam. Quodque verba illa Jeſuitarum Moguntinæ editionis curatorum poſt Leonis IV. vitam, *Hic a quibuſdam falſo interjiciun-*

tur Joannes octavus femina, in eum detorquere velit ſenſum, ut de quibuſdam ſinceris Anaſtaſii exemplaribus accipienda arbitretur. Si, *in quibuſdam*, dixiſſent, ſorte locum aliquem ambiguitati reliquiſſent, an de quibuſdam ſcriptoribus aliis, an de quibuſdam Anaſtaſii codicibus ſumendum putaſſent. Euge, frontem jam omnem pone, Mareſi, liberaliter impudentiæ litandum eſt.

Pap. 32. *Cum editores Moguntini obtinuiſſent a Marquardo Frehero copiam ſibi fieri aliquot manuſcriptorum Anaſtaſii: quæ tum erant in Palatina bibliotheca cum Joannæ elogio, ſub fide data quod publici juris facturi eſſent, quidquid illis contineretur, fucum ipſi fecerunt, ſubmiſſis quidem duobus exemplaribus editionis ſuæ cum iſto Joannæ elogio in bibliothecam Palatinam inferendis, ſed eo ſuppreſſo in ceteris, qua de re publice queſtus fuerit Freherus.* Hæc impoſtor Mareſius a Salmaſio ſuo, quem Puteani, Saravius, aliique amici dolebant miſere a papiſſa fuiſſe incucurbitatum, inficetiſſime excogitata, & in vulgus imperitorum ſparſa, ipſa pene Joannæ fabula fabuloſiora. Agedum, ſingula expendamus. Marcus Velſerus vir literis juvandis natus a Marquardo Frehero toto orbe celeberrimo copiam MSS. Heidelbergenſium impetravit Moguntinis editoribus. Eſto. At illi editione perfecta ut fucum facerent miſero homuncioni, fidemque ſuam quadantenus liberarent, ſubmiſerunt duo editionis ſuæ exemplaria cum Joannæ elogio in bibliothecam Palatinam inferenda, in ceteris ſuppreſſerint. Quis hoc credat vel Judæus Apella? Verum illud quoque, licet omnium abſurdorum abſurdiſſimum, concedamus? Quid illis duobus exemplaribus auro contra non caris factum eſt? In direptione bibliothecæ Palatinæ anno 1622. perierunt? Sed quis ab anno 1602. uſque ad 1622. ea vel per ſomnium vidit? quis meminit, antequam Salmaſius, ut colorem aliquem fatuitati ſuæ incruſtaret, fabulam illam confinxit? An Marquardus Freherus injuriam ſibi orbique literario factam ſiluiſſet? An ſi ille Jeſuitis reconciliatus, & tantumnon catholicus effectus, credant nugatores, ſiluiſſet; an idem præſtitiſſent Miniſtri, Vigilantii, Profeſſores omnes Maximi, Infimi, Medioxumi, Heidelbergenſes, Neoſtadienſes, Marpurgenſes, Francofurtenſes, & qui non? in tota Germania, Belgio, Anglia, Helvetiis, atque arce malorum omnium Geneva in qua vivebat adhuc ſcelerum omnium artifex Theodorus Beza? An non occaſio maxima triumphandi de Jeſuitis impoſtoribus? An Tuſſanus, Paræus, ſimileſque intenſiſſimi Jeſuitarum & catholicæ veritatis hoſtes tamdiu tacuiſſent elingues facti, & præſtigiis Jeſuitarum irretiti ac tantumnon dementati? An nulli tunc Heidelbergæ, Neoſtadii, Hanoviæ characteres typographici, refrixerant præla, deſierant nundinarum Francofortenſium vernarum & autumnalium catalogi? Tantine erat unam alteramve pagellam excudere, teſtem impoſturæ, vindicem veritatis papiſticæ, Joannæ pontificis toto orbe impoſterum adorandæ buccinatricem? o infelices parumque cautos ac bonæ cauſſæ prævaricatores Calviniſtas, Lutheranos, Acatholicos omnes: Ne ipſe quidem, qui fabulam excogitavit, Salmaſius, auſus eſt dicere ſe vidiſſe exemplaria illa Jeſuiticæ editionis, aut Anaſtaſii codices Joannæ elogio impregnatos, licet omnes forulos pluteoſque bibliothecæ Palatinæ per multos annos Heidelbergæ commoratus excuſſerit, legerit, exſcripſerit. An non illud venerandæ novitatis κειμήλιον aut in præfatione, aut in notis ad Barlaami ac Nili ſchiſmaticorum adverſus Romanum pontificem libellos infames commode addi, aut ἄνθρωπος ἀχρεῖος inſeri potuiſſent anno 1608. ſi tum in ore omnium ſermonibuſque fraus illa Jeſuitica viguiſſet? Verum tunc vivebant Velſerus & Freherus, tunc adhuc integra erat bibliotheca Palatina, necdum cunabulis fabulæ illius ſat aptus locus. Expectandus erat annus 1622. quo bibliotheca illa direpta, & plerique ex ea in Vaticanum theſaurum evecti codices curante Leone Allatio: quo Velſerus & Freherus non erant ſuper; quo inveteratus malorum Paræus delirabat morti proximus, aut ad plures abierat cum Grutero qui præ ſtudio in papam ac Jeſuitas hactenus ſuppreſſerat, nec ulli qui vidiſſe ſe dixerit oſtentarat, ſecreti ſcilicet ac ſilentii quod haud dubie ſub grandi & horrendo jurejurando adactus fuerat a Marquardo Frehero ſervantiſſimus; credite poſteri, quo denique vix ullus ſupererat, qui rebus illis præſens interfuiſſet. Scribantur iſta vetulis Groninganis per me licet, & in priſtinis tonſtriniſque Calvinianæ Lutheranæque hæreſeos divulgentur. At apud veritatis ſtudioſos atque eruditos lectores æterno ſilentio, ut pote falſiſſima, obruantur. Illud tantum adjungo, Blondellum ſcite pluribus in locis docuiſſe, non tantum nullam Joannæ mentionem feciſſe Anaſtaſium, ſed nec ulla ratione potuiſſe, cum ex ejus narrationibus, & aliunde, certo certius conſtet Sergio anno 847. ſucceſſiſſe Leonem, Leoni anno 855. mortuo Benedictum, Benedicto anno 858. Nicolaum, proindeque ad Lamiarum pectines, & inſanorum cucurbitas ablegandam Joannem papiſſam cum Mareſio, Congnardo, Cookio, Callixto, Hottingero, ſimilibuſque meretricis illius amaſiis. Tuus ille Claudius Saravius, ſenator Pariſienſis, a quo te ad Puteanos & bibliothecam regiam deductum gloriaris, Mareſi, tuam illam de Anaſtaſio inſulſitatem damnavit epiſtola ad Salmaſium data 29. Septemb. anni 1645. Vide pag. 172. & 172. epiſtolarum ejus: quas exſcribere forte fuerit operæ pretium.

Pap. 33. Ut impactam ab Hincmari miſſis validiſſimo ictu ſecurim excutiat Mareſius, *Veriſimile*, ait, *Petrum Aretinum epiſcopum & Hincmari Rhemenſis archiepiſcopi legatos accepto in via nuncio de obitu Leonis papæ, aut ſubſtitiſſe* (per annos ſcilicet duos, menſes 5. & dies 4. idque in concavo lunæ vel in Cicæo antro) *aut Rhemos ad Hincmarum rediiſſe novorum mandatorum conſequendorum gratia*: cum tamen exploratum ſit iiſdem, quas ad Leonem Hincmarus miſerat, literis reſpondiſſe Benedictum. An amabo in Galliam redierunt Actardus, aliique a Carolo Calvo & ſynodo Tricaſſina miſſi, audita morte Nicolai, novorum mandatorum conſequendorum gratia? Piget tot ineptiarum. Sed quid ad hoc monſtrum? Blondellus ait 74. diebus ab obitu Leonis defunctum fuiſſe Lotharium, & Ado defuncto Lothario imperatore ſucceſſiſſe (hoc eſt, ſedatis turbis ac rivali ejecto conſecratum pacificam adiiſſe pontificatus poſſeſſionem) Benedictum III. refert. Ergo legati qui vivo adhuc Leone e Gallis profecti ſunt, & de Leonis hujus morte in via nuncium acceperunt, illico aut in eodem ſubſiſtere diverſorio, aut redire Remos debuerunt, cum præſertim prophetico afflati ſpiritu didiciſſent die 28. aut 29. Septembris, aut media inter utrumque nocte moriturum Lotharium? Quis ad has nugas non cohorreſcat? aut mendacium illud ferat, quod ſubjicit, omnem illam legationem directam fuiſſe ad unum Benedictum, ideoque miſſos illos, non ſe de novo accinxiſſe ad iter, (ſeu potius continuaſſe) quam certo prius audierint Benedictum ſedere: Hincmarum vero audita morte Leonis (per veredarios utique certis ſtationibus diſpoſitos) ordinem legationis mutaſſe, &

revo

revocaſſe literas, quas ad illum direxerat pro obtinenda confirmatione ſynodi Sueſſionenſis habitæ anno 853. & in eumdem finem ſcripſiſſe ad Benedictum, non quidem illico poſt auditum Leonis & Lotharii exceſſum, ſed poſt biennium trienniumve legationem ſuam ſuſpendiſſe, donec poſt abominandam univerſo orbi papiſſam, cum qua communicare ne per literas quidem vellet, Benedictum ſucceſſiſſe accepiſſet. O fatuos Groninganos, qui pendeant ex ore effutientis iſta ſcribentiſque Mareſii! ſed pergendum ulterius: licet enim fateatur non extare illas Hincmari ad Benedictum literas, quas poſt auditum a legatis, ſua per veſtigia Remos confeſtim reverſis, Leonis obitum, ſubrogavit in locum earum, quæ prius ad Leonem dirigebantur, impudenter tamen ſubdit, rem ita ſe habere, luce meridiana clarius patere ex ipſiuſmet Benedicti III. ad Hincmarum epiſtola reſponſoria quam exhibet Sirmondus pag. 107. tomi III. conciliorum Galliæ. Verum in his, quæ citat, verbis ne vola quidem aut veſtigium apparet, quo quis elicere poſſit, non ſuper literis ab Hincmaro ad Leonem datis, ſed ſuper aliis ejuſdem Hincmari ad ipſum unice Benedictum ſcriptis literis confirmatam fuiſſe ſynodum Sueſſionenſem a Benedicto, adeoque priores non proceſſiſſe. Legant, amabo, quiqui ſunt Groningæ, aut alibi, fautores Mareſii epiſtolam illam, & in ea *pontificii* mentionem, *præſulatus & ſedis apoſtolicæ* dumtaxat fieri (*ſemper ad ſanctam ſedem recurrere contemplamur*, &c.) nec ullum verbulum, quo colligatur Benedictum ad peculiares, ſibique unice directas literas reſpondiſſe potius, quam ad alias ad deceſſorem miſſas, reperient. Criticis naſutioribus luet opinor pœnas, eaſque graviſſimas, quod inſcite arguerit Blondellum, *qui teſtudineo, quem grandire nemo potuerit, gradu mediam inter Remos ac Romam viam permenſos legatos* dixerit. Phraſis enim iſta comica Plauto uſurpatur: *ſi hodie hercle fuſtem cepero, aut ſtimulum in manum, Teſtudineum iſtum tibi grandibo gradum*. Qui vero *gradum gradiri* dixerit, præter onochronum mataeologiæ profeſſorem, qui addiſcendis in ſenio hiſtoriis totum tempus impendens, liberali criticæ nuntium remiſerit, nondum deprehendi.

Pag. 35. Fraudi Jeſuitarum Moguntinorum ad ſcribere velle videtur verba Guillelmi, ſive Anaſtaſii bibliothecarii in vita Nicolai: quæ ipſe aſſuta nugatur, & præ deridenda omnibus ſtoliditate non intellexit, ſic enim argumentatur: *Cum apoſtolicæ memoriæ*, verba ſunt Guillelmi, *ſanctiſſimus papa Nicolaus rebus exceſſiſſet humanis, & iſte impræſentiarum tertio quintum & vigeſimum annum tranſiret* (id eſt 75.) *communi omnium conſenſu electus fuerit:* Erat igitur Adrianus tantum 28. annorum, aut circiter, cum electus eſt: Cum autem Anaſtaſius tribuat Nicolao annos 9. m. 2. d. 20. Benedicto vero annos 2. m. 6. dies 10. oporteret Adrianum fuiſſe jam tum papabilem, cum demum exceſſerat ex ephebis, nec dum ætatis annum 17. attigerat. En portentum Grunnianæ ἀνυπαγωγίας jam a nobis alio loco exagitatum.

Pag. 36. Annales Bertinianos, de quibus ſibi nunquam viſis, tanquam cæcus de coloribus, judicium ferre aggreditur, locupletiſſimum eccleſiaſticæ ac civilis hiſtoriæ, præſertim Gallicanæ, theſaurum, ſolita impulſus maledicendi prurigine, opus monachale appellat; additque præ ſtupore non ferendo neſcire ſe, an publice proſtet. Atque hoc certe loco facere non poſſum, quin lugeam infelicitatem curatorum Groninganæ academiæ, qui magnis ſtipendiis tradendam publice hiſtoriam concrediderint mataeologo in rebus hiſtoricis & chronologicis plane tironi, atque in rebus etiam patriis adeo hoſpiti ac peregrino, ut ignoret ab Andrea & Franciſco Duchenſnils emiſſos in publicam lucem quinque coætaneorum hiſtoriæ Franciæ ſcriptorum ingentes tomos. Quos ſi volutaſſet, ut a 20. ferme annis, quæ Dei gratia eſt, non indiligenter præſtitimus, non ſe, ſuamque, quam inceſtat, academiam ludibrio omnium per orbem eruditorum expoſuiſſet. Hoc primum, hominis inſcitiam; alterum, furorem denotat; cum ſubdit, parum fidei annalibus illis tribuendum quod R. P. Heriberti Roſvveidi ἀνεκδότων cura ex veteribus membranis deſcripti, a R. P. Joanne Bollando illuſtrandis ſacræ hiſtoriæ monumentis exercitatiſſimo Antuerpia Lutetiam Pariſiorum ad Andream Duchenſnium V. C. fuerint tranſmiſſi. Addit Laurentii Bochelli verba, (qui quam probatæ fuerit fidei & eruditionis, dictum eſt alio loco) eaque perperam tribuit Jeſuitis, cum Calvini Lutherique catulis longe verius conveniant.

Pag. eadem, Luitprandum cum negat auctorem epitomes de vitis pontificum, id a Jeſuitis Moguntinis editoribus didicit, qui illud dumtaxat nomen anonymo tribuerunt, quod Centuriatores Magdeburgici nonnulla ex ea deſcripſerint, & Luitprando tribuerint. Sed in hoc cauſſæ ſuæ præjudicare videtur, quod teſtes ſæculi noni uno augeat, ſive is abbreviator Anaſtaſii, ſive continuator dicendus ſit.

Pag. 38. Pudere debuerat Groninganos curatores, ſi tamen Voluſianum illud Mareſii ſui oletum inſpicere dignati ſunt, impudentiæ tam effrontis nebulonis, qui de doctiſſimo juxta ac ſanctiſſimo pontifice Leone IX. ex nobiliſſima principum, regum, atque imperatorum progenie exorto, hæc effutiit, ſi quid bonæ leges, ut alibi, ſic quoque Groningæ valerent, non tantum candente ferro, ſed flammis ultricibus vindicanda: *Ne dum eunuchos & ſemiviros ad ſedem CP. evectos exprobrat Michaeli, pateat ipſe retorſioni facillimæ de femina in papam Romanum quondam electa: Nam ita ſolent manticularii in foro primi furem conclamare, ne facinoris auctores deprehendantur: & mulier mali commatis rixanda cum alia, ei ſtatim objicit adulteria & artes meretricias, ut in anteceſſum eludat quæcumque iſtius generis novit ſibi objici poſſe, & quæ ſi objiciantur, pro muliebribus recriminationibus habeantur, & minus fidei reperiant*, &c. Taceo quod pag. ſeq. iterum mentiatur Anaſtaſium Joannæ papiſſæ meminiſſe. Quod enim addit de Radulfo Flaviacenſi, præterquam quod, ut diximus, falſum eſt, ridiculum inſuper apparet, quod centum poſt Leonem IX. vixerit ex Helinandi & Alberici fide, quibus aut antiquiores, amabo, aut ſuppares opponat. Impudens quoque imprudenſve ſubjungit, Marianum Scotum, qui 30. ferme annis poſt obitum Leonis IX. anno 1054. defuncti chronicon ſuum anno 1083. ſcripſit fabulam illam papiſſicam literis conſignaſſe, priuſquam Leo papa ad Michaelem CP. imperatorem ſcriberet. Quod quis admittat etiam ex Groninganis cerdonibus?

Pag. 41. Cum nihil ſani habeat, quod Hermanno Contracto opponere poſſit, ad calumnias confugit, eumque vocat monachum ſuperſtitioſum, & totum addictum ſedi Romanæ, quaſi vero monachi non fuerint, quos ad ravim uſque ingeminat, Marianus, Radulfus, Sigebertus, Martinus Polonus, ut nihil de Anaſtaſio dicam. Verum, cum is eodem anno deceſſiſſe aſſerat Leonem, Lotharium, Drogonem, atque Rabanum, idemque Benedictum ſucceſſorem Leoni tribuat, hinc illæ in ſanctum atque eruditum virum furiæ atque intemperiæ.

Pag.

Pag. 43. quæ poſt Conguardum tradit de Hugonis Floriacenſis chronico, ſuo, ſi Deus voluerit, tempore caſtigabuntur a nobis longe commodius, ne hic omnia criticorum profanorum peccata exagitare voluiſſe videamur.

Pag. 45. affirmat nihil veterum illorum auctorum, quos Blondellus citat, ab Hugone Floriacenſi uſque ad Gobellinum Perſonam, perveniſſe ad nos niſi per manum monachorum & Jeſuitarum, quod nomen tanquam μορμολυκεῖον imperitis de Calvini Lutherique grege Aſiniis objici ſolet ad quod omnes illico clamare debeant, ἄφετε, ἄφετε, ἔρρετε εἰς κόρακας. Nemo tamen ignorare poteſt craſſiſſimum eſſe mendacium, aut Hugonem Floriacenſem, aut Florentium Vigornienſem, eadem eſt ratio Nicolai Mamacutii, Veſpergenſis, Stadenſis, Vincentii Belvacenſis, Matthæi VVeſtmonaſterienſis, & Gobellini Perſonæ, a quoquam Jeſuita ſaltem primo fuiſſe typographorum prælis ſubmiſſos. Sed quid facias? ſemper in ſanctiſſimum Jesu nomen, eique peculiari ſtudio addictam Societatem oblatrabunt, ogganientque cacodæmones, eorumque miniſtri. Quæ de Photio, aliiſque dicit, omitto; nam majora nos vocant, indubii ſcilicet veritatis characteriſmi, quos convellere, luxare, evertere, aut ſaltem obſcurare aggreſſus eſt onochronus hiſtoriæ Groninganæ profeſſor, ſed infeliciſſimo ſucceſſu.

Pag. 58. Dubium eſſe ait Ludovicum Pium obiiſſe anno 840. quod in confeſſo eſt, nec tantum apud Anacritam ſuum: ſed etiam apud omnes, qui ſapiunt, demonſtrationis perfectiſſimæ vicem obtinet, quam invicte muniunt adverſus omnes onochronorum impetus quinque aut ſex, quæ jam inſinuavimus propugnacula. I. obiit die dominica 20. Junii, atqui nec annis 838. aut 839. 841. aut 842. ſed ſolo anno 840. id contigit. II. obiit poſt ſolis eclipſim in vigilia aſcenſionis, atqui annis prænotatis non accidit ille ſolis labor, ſed ſolo anno 840. III. obiit indictione III. quæ ſoli Junio anni 840. competit. IV. & V. Concilia, chartæ ac diplomata innumera, necnon VI. Auctores ſynchroni id fatentur, anonymus vitæ Ludovici auctor a Pithœo editus, ex quo ſua excerpſit Aimoini continuator, annales Aſtronomi, Bertiniani, Fuldenſes, (in Metenſibus librarii culpa erratum eſt) Nithardus, Ado, Regino, &c. ut nihil dicam de Hermanno Contracto, Mariano Scoto, Lamberto Schafnaburgenſi, Hepidanno, Godefrido, ac recentioribus Bar. Bell. Spond. Scal. Calv. Emmio, Bohmo, Petavio, &c. quos coacervare poſſem, ſi res exigeret, eſto impudenter Mareſius dicat omnes iſtos impoſuiſſe Blondello, & hunc characteriſmum nihil habere certi, *Clamet Melicerta periſſe Frontem de rebus*. Quæ vero Mareſiano labore, hoc eſt ridiculo ac vere Ixioneo, addenſat, fluctus ſunt feri maris ad Marpeſiam cautem allidentes, & ab ea refracti cum manibus ſpumis algiſque fœtentibus.

Pag. 59. De Lotharii obitu, quæ Blondellus affert ex probatiſſimis ſcriptoribus (ſolos ἐμπείρους nunc moror, Rabanum, Adonem, Reginonem cum annalibus Bertinianis, Fuldenſibus, Metenſibus) mentitur multo eſſe incertiora: cum tamen certum ſit expleviſſe in imperio poſt obitum patris annos 15. cum aliquot menſibus, & obiiſſe 28. vel 29. Septembris aut nocte inter utrumque: cum ergo obierit pater anno 840. neceſſum eſt obiiſſe filium anno 855. At Rabanus Lotharii epitaphium ſcribere non potuit. Quid ita? Trithemius, idoneus ſanæ tam antiquæ rei teſtis, ut qui deceſſerit anno ſuperioris ſæculi 16. in catalogo ſcriptorum eccleſ. docet *Rabanum mortuum eſſe anno* 855. (more ſcilicet Gallico) *indictione* 3. *ætatis* 68. *epiſcopatus* 9. Miseret me ſtoliditatis & inſcitiæ tuæ, Mareſi onocrotale, qui tam facilia tam expedita conciliare inter ſe non potueris, & indictionem III. in IV. mutare: ſed malam fidem atque impudentiam nullus etiam ex molliioribus heterodoxis amicis tuis excuſare unquam poterit. Trithemius teſtis ille tuus, utor editione anni 1512. quam ni fallor aliæ poſtea imitatæ ſunt, aſſerit Rabanum obiiſſe ſub Ludovico & Lothario principibus, hoc eſt Ludovico rege Germaniæ & Lothario rege Lotharingiæ, ad quorum regna ſpectabant diœceſis & provincia Moguntina. Tu vero nebulo, ut fucum faceres, & veritati tenebras offunderes, Ludovicum, qui præcedit, nequiter ſuppreſſiſti, & Lotharium regem ſeu principem in imperatorem transformaſti. Quid enim mirum quod mortuus ſub Lothario rege Rabanus Lotharii patris ejus atque imperatoris epitaphium ſcripſerit?

Quid plura? Mareſius nugatur, & quiſquilias ſordeſque hinc inde convertit ex Mariano Scoto, ex Anſelmo canonico Leodienſi, ex Siffrido Preſbytero, & compilatione chronologica, Faſciculo temporum & ſupplemento, chronico magno Belgico, Platina, Hallanio, Severto, ſimilibuſque errorum chronologicorum promptuariis, paratus furias omnes totumque Acheronta movere prius, quam veritatem inſtar æſtivi ſolis radiantem agnoſcere, eique victrici ac de falſitate & fabulis inſignes triumphos genti ſe ſubmittere. Quid, quod & ipſius Blondelli chronologicam tabulam in ſubſidium evocat, quod Lotharii imperatoris primum annum anno Chriſti 841. & Ludovici II. ejus filii pariter primum anno 856. aſſignet, demens, qui non viderit, aut videre noluerit, more apud pleroſque hiſtoricos ac chronologos recepto imperii regnique annorum numerum duci, non ab anno eo Juliano præciſe, quo imperii regnique habenas ſumpſerint, ſed a proxime ſequenti, cujus majorem, ſaltem aliquam partem, expleverint: ſic Tiberii imp. primus annus dici ſolet, non Æræ Chriſti decimus quartus, quo Auguſtus in Campania die 19. Auguſti obiit, ſed decimus quintus, in quo orbe evoluto finitus eſt primus Tiberii a morte Auguſti annus, ſic Caji, Neronis, & aliorum principum numerantur plerumque anni, ut nihil dicam de indictionibus, (quæ illum annum deſignare ſolent in tabulis chronologorum, non in quo inchoantur, ſed in quem deſinunt,) de annis Græcorum ab orbe condito, de annis Seleucidarum, Antiochenorum, Laodicenorum, Ruthenorum, Diocletiani ſive Æræ martyrum, ac ſimilibus. Sed audio monentem: *Nolite projicere margaritas*, &c. Cum ergo anni 840. & 855. Ludovico Pio & Lothario tamquam ultimi aſſignati ſint, nihil mirum, ſi Blond. primos Lotharii & Ludovici II. annos non aſſignaverit 840. & 855. ſed 841. & 856. Atque eadem ratione de indictione philoſophandum, in qua nonnunquam latebras quæſivit Mareſius. Probroſum certe eſt eritque ſemper academiæ Groninganæ, & dominis ejus curatoribus æternum exprobrandum, quod publicæ pecuniæ decoctorem tamdiu paſſi ſint hiſtoriam profiteri, qui ea, quæ trunculi diſcunt in trivialibus ſcholis, quæque, ſi neſcierint, pœnas luunt, turpiter ignoraverit. Neque vulgatum illud apud Francos *le mort ſaiſit le vif*, quicquam eum juvat, quæque Congnardus, dignum ſane patella operculum, ei ſubminiſtravit ex Jacobo Severto, omnium quotquot in Gallia & de rebus Gallicis ſcripſerunt, mendoſiſſimo, ac chronologiæ imperitiſſimo, ſi Hallanium forte excipias, Serranum, ſimileſque. Neque in Adone vitium eſt, ut habent editiones antiquæ, ſed in Pariſienſi bibliothe-

theca veterum patrum poſtremæ ſed corruptiſſimæ impreſſionis, in qua ſterlentium operarum culpa noſa decuſſis X. ex numero XXXIII. in DCCCLV. defluxit: quod inſcitiæ ſeu infelicitatis Mareſianæ non ultimum eſt argumentum, emendatos codices a vitiatis diſcernere non poſſe, & quodcumque ſub manum venerit, tanquam certum exploratumque illico arripere. Dabunt operam impoſterum Groningani curatores, ut in arenam deſcendat, non nudus & ab armis imparatus, ſed lorica protectus & galea Mareſius, nec futilem, plumbeumque enſem in adverſarios diſtringat. Et vero ſi chartis diplomatibuſque velit pugnare onochronus noſter, præſto adſumus, eumque veteribus regum noſtrorum inſtrumentis, ut olim Sabini armillis ſcutiſque ſuis Tarpejam, conſeſtim obruemus. Sed non eſt omnium arma iſta tractare, ac mendas, quæ exſcriptorum incuria irrepſerunt, eluere.

Tricari pergit pag. 61. in Reginone, Lamberto, & Sigeberto, ut vel curſim legenti apparebit; nec quicquam dicam de Siffrido, chronico Belgico, Faſciculo temporum, ſimilibuſque. In Hermanno lectoris patientia abutitur. Cum enim varient chronici illius editiones, & Francofortenſis anni 1613. ann. 855. etiam ipſo teſte pag. 49. morti Lotharii aſſignet, cur impudenter ex Colonienſi anni 1618. haud dubie mendoſa, aſſerit abſque ulla dubitatione Hermannum ejuſdem Lotharii morti aſſignare an. 856.

Tantæ molis erat maleſanæ applaudere turbæ,
Calvinique gregem paſcere furfuribus.

Pag. 63. & ſeq. quæ de Sergii, Leonis, Benedicti, Nicolai & Adriani initiis ac morte diximus in tabula non refrico, nec quæ Blondelli characteriſmos arrodendo rabioſæ canis inſtar Mareſius oppoſuit, omnia perſequor. Quis enim tam ſedam Camarinam lente atque otioſe moveat, quam vel ex levi oculorum conjectu quivis chronologiæ peritus agnoſcet? Quædam tamen in ſpecimen paucis attingam: *Bacchæ enim bacchanti ſi velis adverſarier, ex inſana inſaniorem facies.*

1. Inſulſe ex Adone concludit, mortuo dumtaxat Lothario electum fuiſſe Benedictum. Verbum enim *ſucceſſiſſe*, non ad electionem, quæ jus tantum ad rem dare dicitur (præſertim ſi ad illud reſpicias tempus, quo electionis decretum ad imperatores mittendum erat, ut eorum conſenſu atque approbatione ratum quodammodo exiſteret: atque, ut in illa ſpecie accidit, competitores rivaleſque accedant, qui tuibas concitent nec pacificam electionem rebus dilatis ac veluti jure vacillante atque ſuſpenſo eſſe ſinant) referri debet, ſed ad conſecrationem ſeu inthronizationem, quæ ſedatis commotionibus ejectoque competitore turbarum auctore, conſentientibus imperatoris legatis, locum pacificæ poſſeſſionis, quæ jus in re dare perhibetur a jureconſultis, obtinere videtur. Hoc ſi, ut fas eſt, intelligatur, nemo eſt, qui non fateatur mortuo jam vel 28. vel nocte in 29. vergente Lothario, die 29. labente conſecratum Benedictum Leoni ſucceſſiſſe, & importunum vitiſtigatorem ad Catonianos murices damnet.

11. Ineptiſſimum eſt, quod tradit nullam rationem eſſe, cur electione Leonis facta IV. Aprilis in diem Maji 24. conſecratio dilata fuerit. Nonne id in ſingulis pene pontificum, epiſcoporum, imperatorum, regum, principumque inaugurationibus contingit, ut modo citius, modo ſerius, propter emergentes ſubinde cauſſas, aut acceleretur, aut prorogentur?

111. Errores atque allucinationes recentiorum ſcriptorum Sifridi, Naucleri, Rolevinckii, Bergomatis, compilatorum, ejuſdemque commatis chronographorum dicam an chronorraphorum? cum nihil aliud reſpondendum occurrit adverſus Anaſtaſium, Nithardum, Adonem, Hincmarum, annalium coætaneos ſcriptores, in patrocinium ſuæ *ἀνοησιας* impudenter aſſumit, quæ ex iis caſtigare ac profligare debuerat, ſi unico, quod mendaciter profeſſus eſt, veri inveſtigandi ac publicandi ſtudio ductus, in hanc concertationem deſcendiſſet. Quid enim, ſi recentiores hiſtoricos, chronologoſque inter ſe toto ſæpe cælo diſſidentes, neglectis veteribus conſulas, aut quod longe deterius eſt, præferas, eorumque auctoritati ac teſtimoniis evidentibus opponas, quid de annis Chriſti, Romæ, Olympiadum, Petri, Silveſtri, Auguſti, Tiberii, Clodovei, Clotarii, Caroli, Ludovici, Carpeti, Roberti, ut Philippos, Alexandros, Ptolomæos, Romulos, Cyros, Nabuchodonoſores, omneſque demum pontifices, imperatores, reges, epiſcopos, abbates, ſimileſque prætermittam, certum atque exploratum erit deinceps in rebus humanis? I nunc Groninga, & tali fruere hiſtoriæ publico profeſſore.

IV. Sive biduum, ſive quatriduum, ſive octo decemve dies interceſſerint Leonis mortem inter ac Benedicti electionem, modo de eodem menſe, aut æſtate, aut etiam anno, conſtet, actum eſt de fabula Joannæ papiſſæ, quæ ſaltem biennio a Mariano Scoto, primo illius, ut volunt, prædone, aliiſque ſediſſe dicitur. Non de interpontificii duratione lis eſt inter nos, nec de die præciſe, quo obiit Benedictus, aut Leo V. g. & an librarius in exſcribendis annalibus Bertinianis Kalendarum notam omiſerit necne, ſed de anno agitur, & de temporum illorum ac ſæculi noni concatenatione ineluctabili: quam male feriata tabularum capita nunquam molitionibus ſuis labefactabunt.

V. Falſo ait nullum poſſe dari actum publicum, in quo Benedicti III. ceu pontificis nomen occurrat ante annum 858. Mentitur cum ait Benedicti electionis confirmationem peti debuiſſe a Ludovico & Lothario (ſed quid non etiam a Carolo? Lotharii filiis,) quorum Lotharius nunquam Auguſtus aut imperator extitit. Mentitur quoque cum ſcribit eadem pag. 70. epiſtolam Benedicti ad epiſcopos in regno Caroli conſtitutos non fuiſſe ſcriptam ante annum 858. & illam pacem, quam inter Hludovicum Auguſtum, ſuoſque glorioſos germanos muniverat, eam eſſe, quæ recens coaluerat tempore concilii apud Saponarios anno 859. celebrati juxta ejus concilii capitulum tertium: in quo tamen, etiam ut ipſe recitat ex Sirmondi tomo III. de Carolo Calvo, Lothario rege Lotharingiæ & Carolo rege Provinciæ, fit quidem mentio, at de Ludovico Cæſare ſemper Auguſto ne *κτ* quidem, ut jam alias monuimus in ipſius tabulæ ſerie. Conſule annales Bertinianos, Mareſi, & inſcitiam tuam atque impudentiam, ni ferreus ſis, ac conclamatæ penitus ſalutis, ſtatim depones.

VI. Mentitur quoque nullam in actis publicis mentionem Nicolai papæ reperiri ante annum 860. ac Sirmondum ejuſdem omnes epiſtolas recollegiſſe. Nec verba, quæ ex epiſtola epiſcoporum ad hunc pontificem anno 860. data refert, probant eum de novo promotum, cum potuerint æque dici poſt alterum tertiumve annum ac poſt alterum tertiumve a promotione menſem.

Pag. 72. Horrendum facinus, nec toto, ſi fas loqui, oceano expiandum occurrit his verbis: *Id equidem videtur certum, mortuum Nicolaum, & electum Adrianum ejus ſucceſſorem indictione prima.* Admittimus ultro, teque tuo miſerum homuncionem parumque cautum bellatorem jugulamus gladio.

dio. Quid vero tu ais chronologorum περίφραμα; *Ad quem annum* 867. *aut* 868 *illa indictio pertinuerit, non ita certum*. Itane vero Mulleri, Emmiique in Groningana academia ſucceſſor muginaris? Indictio prima menſe Novembri, quo obiit Nicolaus, & menſe Decembri quo illi ſucceſſit Hadrianus, apud quos tandem pertinere potuit ad alium annum, quam ad 867. Conſuleſis elementa chronologiæ, ridicule trico, & Mullerum, Emmiumque, Scaligerum, Calviſium, ſimileſque lege, & niſi frontem perfricueris egregie, omnemque pudorem abjeceris, impudentiam imprudentiamque tuam damnabis, librumque tuum flammis ultricibus injicies devorandum, in quo de rebus incognitis ut cæcus de coloribus, pronunciare volueris, & tanquam e tripode homines infi nitis paraſangis te doctiores edocere aut refellere. Diſcat ergo Groninganus ardelio indictionem XV. cœpiſſe anno 866. menſe Septembri, eaque finita inchoatam fuiſſe menſe pariter Septembri anni 867. Indictionem primam, qua labente 13. Novembris obierit Nicolaus & 14. Decembris conſecratus fuerit Hadrianus: Nam menſibus Novembri & Decembri anni Juliani 868. jam currebat indictio ſecunda. Hæc ſi non capias aut iis intellectis non acquieſcas, ac palinodiam publice canas, auctor tibi ſum, ut Groninga fugias, futurum enim auguror ut diſcipuli auditoreſque tui, factæ Emmio Mulleroque injuriæ vindices, de tua te cathedra deturbent, ſcuticiſque mactatum loriſque valentibus, ad farinariam molam verſandam rotandamque pro meritis alligent. Meminiſti illius qui paullo ante obitum de ſe vere cecinit:

Diſce meo exemplo mandato munere fungi:
Et fuge, ceu peſtem, τὴν πολυπραγμοσύνην.

Intra tuos te matæologiæ anguſtos fines continere debueras, nec exemplo atque æmulatione Blondelli in latiſſimos hiſtoriæ, chronologiæque, quas nunquam didiceras, campos exſpatiari. Melius certe conſuluiſſes famæ tuæ, neque pſeudotheologi nomini titulum onochroni adjeciſſes, quo impoſterum te tui noſtrique condecorabunt.

Addit ibidem & alterum mendacium, incertiſſimum eſſe quamdiu ſederit Nicolaus: cum enim primus ejus dies a 24 Aprilis anni 858. (quidquid de die mortui Benedicti ſentias. Illud enim diſcrimen ad ſolum interpontificium ſpectat) numeretur, & ultimus fuerit 13. Novembris anni 867. nemini digitos in manibus & oculos in capite habenti dubium eſſe poterit, quin ſederit pontifex ille ſanctiſſimus & doctiſſimus annos novem & ſex ſaltem menſes integros cum 10. inſuper diebus ſive Blondelli de morte deceſſoris ſive Baronii ſententiæ ſubſcribas. Diſcrimen enim iſtud nihil ad rem: cum demonſtratio noſtra illibata permaneat, ſi de annis conſtiterit: eſto, interpontificio epimetron aliquod adjici debeat. Neque vero curamus, quid Calviſius & Camerarius, Platina & Eyſingrenius, hi catholici, illi acatholici ſenſerint.

Iliacos intra muros peccatur & extra.

Neque præſtare debemus, quid quiſque ſomniaverit. Lepidum vero eſt, quod tanquam duo a ſe invicem disjuncta proferat, *Nicolaum conſecratum* 8. *Kal. Maii, quod habet Onuphrius, ſive Aprilis* 24. *quod pertendit D. Blondellus, dum ambo*, ut calumniatur, *ſtudeant* ἀσυγκλώστῳ συγκλώθειν: falſiſſimum vero quod ſubdit, *nullis documentis poſſe demonſtrari Nicolai primordia vetuſtiora eſſe anno* 860. *aut extremo* 859. Adi quæſo tabulam chronologicam. De Orgario ſufficere poterant cordato viro annales aut Fuldæ, aut Moguntiæ, per ea tempora conſcripti, quos V. C. Pithæus primum, tum Freherus & Ducheſnius edidere. Nec de iis verbulum noſter onochronus, qui in Lamberto dumtaxat ac Mariano argutatur: quos præſente ſole tanquam minores ſtellas non reſpicimus. De Rabano ſupra diſputatum eſt abunde. Marianum reum peragant Blondelliani vindices, per me licet. Defendat, modo non inquinet, Mateſius. Quam veritati conformius, quod jam inſinuatum eſt, ab interpolatore, qui fabulam, *qua data porta*, intrudere voluerit, profectas aberrationes omnes illas chronologicas, quæ lectori hiſtoriam illorum temporum attentius contemplanti horrorem incutiunt.

Pag. 84. inſanire pergit Mareſius, dum ait: *ſi approbatio Benedicti petita fuit a Lothario* (ſic enim ſcribendum fuerat) *& Ludovico ſimul, is debet Lotharius junior fuiſſe Ludovici frater, quos una Auguſtos fuiſſe, & in* ἐπιοχῇ *imperiali parti ſuo Lothario ſeniori ſucceſſiſſe alii dixerunt*. Qui porro? Camerarius ad chronologiam Nicephori. At ſi imperite? ſi falſo? ſi contra veterum omnium fidem? ſi Mariani verbis male intellectis, *Ludovicus qui & Lotharius regnavit annis* 15. in foveam eſt dejectus? Deinde quis iſta extricet? *Ludovicus II. cum fratre Lothario deſierunt imperatores eſſe anno vigeſimo*? At Lotharius obiit anno 869. Denique ne Adonis crambem recoquam, Blondellus aliud ſenſit, in grandiori opere. Ergo non licebit cuiquam ſua vineta cædere, & commiſſos ante errores revocare? Humanum eſt peccare, nec Blondellus quicquam humani a ſe alienum putavit, at diabolicum ac Mareſianum eſt in peccatis impudentiæ, temeritatis, invidiæ, calumniæ, contumaciæ, procacitatis, ut de aliis nihil dicam, velle perſeverare, ac cum in lutoſam fœtentemque paludem inciderit, malle ibi in cœno emori; quam juvantem, atque utraſque ad auxilium manus tendentem reſpicere; eique tanquam liberatori ſuo ac ſoſpitatori gratias agere immortales. Verum eſto, uliginoſus ſit uſque ad mortem, quando ſic animum obfirmavit ſuum, Mareſius; nos tamen non ceſſabimus dexteram porrigere miſero, & clamare cum apoſtolo:

Surge qui dormis, & exurge à mortuis.

Pag. 87. Leopolim inepte onochronus confudit cum Leonina civitate: mentiturque, cum ait Anaſtaſium non notare, quo anno Leopolim duodecim a Centumcellis milliaribus diſſitam conſecraverit Leo: id enim anno ejus octavo factum dicit: eoque evertitur Mariani & Mareſii chronologia. Quod vero ſubdit Calviſium eam (Leopoleos) conſecrationem referre ad annum 852. iterato mentitur. Nam Calviſius de Leonina loquitur. En ejus verba ab eodem onochrono in ſuam perniciem prolata: ſic ſorex miſer indicio ſuo periit & turdus creavit ſibi malum, quo implicetur: *Leo papa civitatem novam abſolutam, quam jam quadriennii ſpatio extruxerant abſolvit & dedicat die* 27. *Junii & Leoninam vocat: In dedicatione*, &c. Videant & judicent Groningani curatores ac Mareſiani collegæ & auditores omnes, quam coronam triumphatori ſuo ſint paraturi. Quid ſi placet hic Calviſius Lutheranus in re parvi momenti, cur ejus auctoritatem refugis in rejicienda Joannæ papiſſæ fabula, in annis fatalibus Ludovici Pii & Lotharii, in locandis indictionibus aliiſque capitalibus negotiis? An licet fidem cujuſpiam ac teſtimonium ex parte admittere, & ex parte rejicere? *Ex ore tuo judico te, ſerve nequam*. Tua enim in te verba retorqueo.

Eadem pagina ſophiſtam merum agit, licet enim dicat nolle ſe negare abſolute Lotharium jam ante aſſumpſiſſe Ludovicum filium in quandam ſocietatem imperii, ſub ſe tamen & ſua directione, audet tamen dicere nullum idoneum proferi

ri teſtimonium, in quo Lotharius cum ſuo filio in titulo imperatoris vel Auguſti conjungatur. Adi ſi vacat tabulam lector & mendacem Mareſium deprehendes. Pergit ineptire: *In bulla Sergii, qua Drogonem ſuum trans Alpes vicarium generalem conſtituit, nulla fit combinatio Ludovici cum Lothario patre.* Fateor, quia trans Alpes nulla fuit ſaltem ante obitum parentis Ludovico poteſtas (ut patet ex concilio Valentino aliiſque) ſed in ſola Italia & regno Longobardorum. Adde quod ut ipſe monet, Sergius papa & primates Romani ipſi Ludovico regi (Longobardorum coronato) fidelitatem (tanquam imperatori ſcilicet) per Sacramentum tunc promittere noluerunt: licet id poſtea ſub Leone IV. anno 849. præſtitum ſit, ut innumera docent venerandæ vetuſtatis inſtrumenta, quæ non eſt opus hic repetere, ne lectorem fatigemus. Diſcat itaque onochronus noſter Lotharium duo poſſediſſe cum titulo imperii, Regnum Longobardorum, quod dicebatur, in Italia, & in Galliis trans Alpes Franciam Medianam, quæ deinde in duo regna Lotharingiæ & Provinciæ diviſa fuit: & Regni quidem Longobardiæ (quod quidam cum imperio confundunt) coronam ex voluntate patris Ludovico fuiſſe impoſitam anno 844. a Sergio papa populo dumtaxat (non primatibus) acclamante: Vivat imperator & Auguſtus. Coronam vero imperialem plenumque titulum eidem ex conſenſu ejuſdem ſui parentis conceſſum a Leone IV. papa anno 849. Poſt mortem vero genitoris ſui ſolum imperatoris titulum pleno jure poſſediſſe. Sicque omnia liquido conſtant, quæ nebulo veritatis aſſiduus hoſtis præſtigiis ſuis pro more voluit intricare.

Pag. 88 ex Baronio agnoſcit concilii Valentini III. titulo apponi Benedictum tomo 3. conc. Quod ſane nullam ob cauſſam contingere potuit, quam quod eodem illo anno 855. Leoni ſucceſſit Benedictus. Atque hoc Mareſianas nænias ſubvertit, & prætentum Joannæ papatum: quod non advertit *furiis accenſus & ira* in Blondellum ſuum. Nam eſto, obierit Leo IV. an. 854. ſi jam initio an. 855. cum celebratum eſt concilium Valentinum, ſedit Romæ Benedictus, ut ex titulo ipſe docet, Joanna papiſſa οἴχεται, & in palude Groningia cum ranis coaxantibus demergitur, ſuoque cum Mareſio in cœno volutatur & uligine.

Eadem pagina multa deblaterat de conventu Ticinenſi aliiſque ex Congnardo ſuo, a quo omnia pene mutuatus eſt, deprompta, quæ alio a nobis diſcuſſa ſunt loco. Quod autem addit non deeſſe qui hunc Ludovicum, de quo in narratione conventus Ticinenſis agitur, putent fuiſſe *patrem Lotharii Ludovicum Pium*, ſub cujus auctoritate hinc inde ſimiles conventus habiti leguntur, *non Lotharii filium Ludovicum II.* betas eſſe arbitror, aut fungos in horto Mareſiano harum mercium feraciſſimo una nocte natos. Cui enim ſano hoc in mentem venerit! Quæ ſequuntur, nihil ad rhombum, aut jam a nobis profligata. Meminerit lector, ut tres Lotharii ab annis 817. 823. & 840. ſic Ludovici ejus filii totidem ab an. 844. 849. & 855. numerari epochas in conciliis & diplomatibus, quorum ingentem ſegetem exhibuerunt nobis alias clariſſimorum Puteanorum collectanea, quæ modo in locupletiſſima Thuana bibliotheca viſuntur.

Pag. 90. 91. & ſeqq. multa ſimul deliramenta veluti per ſaturam agglomerat, quæ nobis digito indicare ſufficiet. I. Lotharium anno imperii ſui 16. deceſſiſſe, quod verum eſt; eumque proinde anno 859. obiiſſe, quod falſum eſt: annus enim 16. etiam juxta chronologiam Blondelli inchoatus fuit ab æſtate anni 855. & finitus exeunte Junio anni 856. Cum ergo non expleverit annum 16. alioquin obiiſſet labente 17. a die 20. Junii: quod nemo dixit niſi onochronus. Omnes enim hactenus dixerunt a morte patris imperaſſe anno 15. & mortuum eſſe in 16. ut recte Egidius a Leodio Aureæ vallis religioſus, quem cit. 11. Mentitur, dum dicit ſe certo certius demonſtraſſe Leonem anno 846. creatum, denatum anno 854. III. Mentitur, cum ait Joannam, quæ nunquam in rerum natura fuit, ſed tantum cum tragelaphis, hippocentauris, Chimæris, atque Harpyiis ſtabulata eſt in vetularum aut imperitorum φαντασίαις, obiiſſe anno 857. cum poſt deceſſum Leonis anno 854. papatum conſcendiſſet. IV. Mentitur, aut inſanit, dum hæc proponit: *Dato feriam primam incidiſſe in 3. Kal. Octobris anni* 855. *id nihil facit ad hanc cauſſam, tum quia etiam hoc poſito*, o portentum in ultimas terras deportandum! *Feria prima fuerit quoque 3. Kalendas Octobres anno* 856. &c. Apud quos tandem, Hurones, aut Monomotapas, duobus annis immediate conſequentibus idem 29. Septembris dies Dominicus fuit; An ſicut Groningæ non eſt catholica religio, ita etiam nec catholicum ſed peculiare uſurpatur Kalendarium ex quo præſertim tempore matæologus D. Samuel Mareſius ad profeſſionem hiſtoriæ a ſapientiſſimis curatoribus amicis ſuis & compatribus poſt diligentiſſimum examen vocatus eſt. V. Imponit Blondello, quod alicubi docuerit diem Lunæ fuiſſe 28. Septembris, id eſt IV. Kal. Octobris anno 855. quo obiit Lotharius. Citet locum & mendacii eum ac calumniæ crimine liberabimus. VI. Impudenter ac Thraſonice aſſerit, nec Anaſtaſium, nec quemquam alium veterum, ſomniaſſe diem dominicum, quo Benedictus fuit conſecratus, fuiſſe 29. Septemb. anni 855. VII. In epiſtolam Hincmari inſurgit modo, modo furioſi inſtar in Hincmarum arietat, quem verſutum hominem os Nicolai ſublinere voluiſſe, dicit, cujus malam fidem ipſe Nicolaus non uno in loco notaverit, & Blondellus in aureo ſuo opere de primatu in illum virgulam cenſoriam ſtrinxerit. VIII. Mentitur impudentiſſime dum ait ſe propoſuiſſe argumenta irrefragabilia, ex quibus conſtet, Nicolaum non ante exitum an. 859. aut initium 860. creatum fuiſſe. IX. Fatetur alibi, & certum eſſe dicit, Nicolaum obiiſſe & Hadrianum ei ſucceſſiſſe indictione prima, & nunc intemperiis agitatus videtur id negare, cum ait merito quempiam dubitare poſſe, num Sirmondus conſulto, ut concenturiet ſuas fraudes pias, aliquid hic circa indictionis annum mutaverit: cum tamen poſito, quod Nicolaus obierit & Hadrianus ei ſucceſſerit indictione prima, fieri aliter nulla ratione potuerit, quin concilii Tricaſſini epiſtola ſynodica ſcripta IV. Nonas Novembris, ad quam reſpondit Hadrianus, quod & Nicolaum mortuum & ſe ejus loco ſubſtitutum reperiſſet, atque illa, inquam, epiſtola reſponſoria ſcripta 4. Nonas Februarii proxime ſequentis, non fuerint datæ una labente indictione prima. En hominis inſaniam, quam & ex iis quæ ſubiicit, nec vacat minutatim refellere, melius percipies. Verum pro Sirmondi fide pugnant editiones conciliorum, Crabbi, Surii, Binii, & aliorum, collectores epiſtolarum decretalium pontificum, qui multis ante Sirmondum annis epiſtolas illas publici juris fecerunt. X. Illudit iterum imperitis, dum ait Guillelmum vehementer falli, cum indictionem primam componit cum anno 19. Ludovici, & eum eſſe ex Mariano ac Baronio, Ludovici, tantum 14. præſtigias ejus ſolvet, laqueoſque vitabit, qui duas treſve Ludovici epochas noverit, atque hic, ut in pluribus aliis locis accidit, numerari Ludovici

II.

II. annos ab anno 849. cum a Leone IV. papa inauguratus est. Quid superest, nisi ut coronidem imponat horrendum aliquod facinus? En præsto „ est. Ad indictionem primam, quæ cœpit in Se„ ptemb. anni 868. pertinent cometa, mors Ni„ colai, Lotharii Romana profectio, & obitus „ Placentiæ: ad secundam quæ incepit anno 869. „ in Septembri, &c. ad tertiam quæ incepit anno „ 870. in Septembri, &c. O Manes Emmii atque Mulleri! Nullusne umquam Groningæ *exurget vestris ex ossibus ultor, qui face, qui ferro* illatæ vobis omnibusque chronologis injuriæ memor sceleratum exscindat onochronocrotalum? Cessatis? cunctamini? *frigent effœto in corpore vires?* Ego, ego vice omnium, *Omnibus umbra locis adero, dabis improbe pœnas.*

Pag. 97. Non male Blondellus annum 844. vocavit Lotharii quartum, nec suæ chronologiæ, qua Ludovicum Pium mortuum statuit anno 840. contradixit. Fuit enim annus ille vere Lotharii, partim quartus a Kalendis Januarii ad exeuntem Junium, partim quintus ab exeunte Junio ad finem Decembris: sed pessime de lectoribus veritatis amantibus meritus est onochronus Avimontius, qui mero contradicendi studio σοφιστικῶς facilia, & vel pueris expedita, intricare magno molimine studuit: peccavitque maxime, quod Sergii primordia ad annum 843. Leonis ad annum 846. pertinere sanxerit: quod mnemonico lapsu nomen Lotharii voluerit in restitutione Benedicti per legatos pro nomine Ludovici irrepsisse. Quid enim si Ludovici nomen exciderit? Quid si Lotharii nomine factum dicitur, quod a legatis filii ejus in consortionem imperii adsciti præstitum est? An non hic mos fere semper servatus, cum duo treve uno tempore erant imperatores, ut quod unus sanciret in oriente vel occidente, id & alii sanxisse censerentur? Legisset, vel saltem a primo limine salutasset matæologus noster codices Theodosianum & Justinianæum: Consuluisset jurisconsultos suos Groninganos: Vidisset subscriptiones conciliorum, chartarum, diplomatum. Sed hæc discere nondum potuit chronologus ὀψιμαθὴς καὶ πολυμαθὴς. Quod vero recte consultum voluit Sigeberti depravationi duabus tantum pericopis transpositis, id accipimus, sed memine rit, amabo, vix sex mensis Joannæ suæ integros reliquisse, non Mariani Scoti & aliorum biennium cum aliquot mensibus. Si enim obiit Leo IV. anno 854. mense Julio vel Augusto, & Benedictus mense Februario anni 855. (hunc enim ipsius electioni præscribit mensem) ad cathedram pontificalem vocatus est, quid fiet interpontificiis inter Leonem & Joannam, inter Joannam & Benedictum? Nisi forte incursiones Saracenorum iterum fingat, quæ quod factum est in electione Leonis, ut eodem quo decessor obiit die electus quoque fuerit successor, iterum ac tertio præstare coegerint. Quid si mensem unum duove aut tres in expectandis legatis & consensu imperatoris constituamus, partui infelicis Chimæræ valde immaturo vix duo aut unus relinquetur mensis? Apagesis in morboniam tales fabularum restitutores: qui tamen omni sua industria effugere non possunt quin, velint nolint, Leo IV. anno 847. Romæ præsidere cœperit & Benedictus 855. eodemque anno *partito inter filios regno, & in Prumia habitu monachi suscepto, non multo post obdormiverit in Domino Lotharius: Ludovicus olim a Sergio papa in regem unctus sit, ac Normanni in patriam reversi sint. Anno vero* 856. *Rabanus egregiæ vitæ & scientiæ archiepiscopus obierit.* Sed de his satis: Satius enim fuerat Maresio ad codicem Gemblacensem appellare, & a Miræo editum anno 1608. consulere, quam hæc mendacia jactare pag. 100. se accuratioris chronologiæ calculos jam penitus conturbasse, deletis & inductis illius characterismis, quos Blondellus pro indubitatis venditaverat, & nihil fuisse causæ viro heterodoxo *Calvini de grege* se conjungendi pontificiis in impugnando Joannæ papatu & frivolas ac inanes conjecturas pro demonstrationibus certis & irrefragabilibus obtrudendi. Verum ad reflexiones super tabula ejusdem chronologica accedamus, in quibus addensata videbis Maresii crassissima ac stolidissima σφάλματα.

Pag. 136. Ingeniosæ fraudi adscribit onochronus nebulo, quod ad majorem lectorum opportunitatem a Blondello factum fuerat; qui non diversas indictiones, quarum aliæ desinant in mensem Septembrem, aliæ ineant a Septembri, introducere voluit, sed ejusdem indictionis diversas partes duobus annis convenientes adscribere. Cum enim indictiones cœperint a mense Septembri, ut nemo nescit, indictio v. g. prima ad duos annos Julianos pertinebat, prima quidem sui parte ad Septembrem, Octobrem, Novembrem, atque Decembrem anni v. g. 867. altera vero sui parte ad Januarium, ceteroque menses, usque ad Septembrem: Quod ne fraudi esset lectoribus, & ex tricis apinisque Maresiorum fabulonum, qui tenebras amant, fugiunt lucem, facilius se expedirent, duplici singulis annis adscripta nota designare Blondellus suscepit. Quod si a Scaligero, Petavio, quosque consulto, ni fallor, omisit, ne domesticis testibus convinci posset, Emmio atque Mullero, aliisque chronologiæ peritis didicisset, non se Groninganosque suos curatores omnium ludibrio exposuisset, aut prodigiosæ inscitiæ labe, aut quod pejus est, coram Deo & hominibus, agnitæ veritatis, quæ oculos fulgore suo præstringit, manifesta, præsertim adversus fratrem collegamque suum in Calvinianis castris secum a puero militantem, impugnatione. An vero felicior in conceptibus suis exponendis Maresius? cum ait annum 878. cui Scaliger in Novembri assignat indictionem duodecimam, pertinuisse usque ad suum Septembrem ad undecimam indictionem auspicandam (dicere debuerat, inchoatam, cum de re præterita, non futura agatur) a Septembri præcedentis anni 877. Verum cum de re constet, infruniti vitilitigatoris est, de verbis litem intendere velle, & malo Maresii more digladiari: qui adeo hic quoque, ut in aliis, infelix fuit, ut ensem sibi e Scaligeri vagina educeret, quo jugularetur. *Tanti erat magni illius Æneæ dextra cadere.* Si enim anno 877. mense Septembri auspicata est indictio undecima, & mense Novembri anno 878. labebatur indictio duodecima, ergo mense Septembri anni 867. cœpit indictio prima (eodemque anno obiit Nicolaus, eique successit Hadrianus) mense quoque Septembri anni 868. ind. 2. anni 869. ind. 3. anni 870. ind. 4. anni 871. ind. 5. anni 872. ind. 6. anni 873. ind. 7. anni 874. ind. 8. anni 875. indictio 9. anni 876. indictio 10. Expedi digitos, bone vir, & oculos aperi, aut potius claude, ne videas insertiam tuam demonstratione chronologica, quam vel infantes pueri puellæve capiant, σφαλμοφανῶς profligatam, & cenotaphium Joannæ tuæ meretricis funditus a magno Scaligero in aureo suo opere de emendatione temporum dirutum atque everſum. Neque *oportuit doctissimum anacritam ista discere a Petavio Jesuita*, quæ cuivis, modo animal sit rationis particeps, illico patent. De Maresio ambigitur,

Hallanius, quem merito suum appellat, hoc est, ejusdem imperitiæ temporum reum, ridicule

Caroli Calvi auſpicia & Ludovici Pii obitum ponit ad annum 841. ergo peccat quiſquis in præcedentem 840. vel Ludovici mortem vel Caroli Calvi auſpicia rejicit. Mentitur vero cum ait Blondellum Lotharii ſolius imperium auſpicari anno 841. Quo enim ſenſu annum 841. Lotharii primum dixerit, jam ſupra docuimus. Nugatur cum ait in conciliorum originali & indictionem & annum regni Caroli & menſem, quibus habita ſunt, commemorari; ſed horum adaptationem ad annos Chriſti (quæ ſeſe obvia ac facilis eſt poſitis illis, indictionis, anni Caroli, & menſis characteribus) eſſe fere ubique Sirmondi Jeſuitæ inhærentis hac in parte Baronii hypotheſibus, adeoque non temere admittendam. Neque nos temere admittemus, ſed conſulto, & ſi quid amanuenſium aut typothetarum vitio erratum fuit, illud in chronico ac tabula emendavimus.

Pag. 137. Iterum cum ſuo Hallanio ineptire mavult Avimolenſis excetra, quam veritati manus dare. Hic inſulſiſſime aſſeruit Gregorium IV. papam diem ſuum obiiſſe eodem anno & menſe, quo Ludovicus Pius, idemque in faſciculo temporum ſtatuit VVernerus Rollevink, dignus certe, qui Groningæ publice prælegatur in ſcholis: Quid, ridicule morio, utrum vis? an Ludovicum Pium obiiſſe anno 843. quo ex tuis calculis Gregorio ſucceſſit Sergius II. an Gregorium obiiſſe anno 840. eodem tempore, quo & imperator Ludovicus. Effare tandem, & mentem tuam aperi. Utrum mavis? Utrumque te, & auctoribus tuis dignum, hoc eſt inficetiſſimum. De conciliis Pariſienſi, ſeu Turonenſi IV. ut vocant, anno 849. & Sueſſionenſi II. anno 853. diximus in tabula, nec ulla eſt contradictio niſi apud Grunnios nugatores, quod poſt menſem Julium, quo creditur concilium illud anno 849. celebratum, numeratus ſit annus Caroli 10. & in menſe Aprili anni 853. quo habitum fuit Sueſſionenſe II. fuerit adhuc in curſu annus ejuſdem Caroli Calvi 13. *Turpe eſt difficiles habere nugas: Et ſtultus labor eſt ineptiarum*, Mareſi. Sed pergendum, & alia ſuperant debellanda monſtra: quorum tamen non minimam partem ſequentibus editionibus reſervare cogor.

Pag. 138. initio, *Sirmondus concilium Valentinum III. celebratum menſe Januario anno* 855. *indictione tertia anno* 15. *Lotharii, refert quoque in annum* 15 *Caroli*: rectiſſime quidem, & in tuam perniciem eamque certiſſimam, Mareſi: ſed quid muſſitas? *Adeo non putavit annos Caroli numerari ab anno* 840. *Lotharii vero ab anno* 841. Atqui nec Blondellus aliter ſenſit, & ſi annos Caroli in tabula propoſuiſſet, æquo jure annum 841. primum Caroli ſtatuiſſet, ac ſtatuit Lotharii. Quid adhuc muginaris? an iterum tertio, centieſque tibi ſunt canenda, quæ ſupra obſervavi? Neque tu mihi impoſterum Hallanios tuos, Naucleros compilatores, faſciculorum textores, ſimileſque juniores errorum atque ineptiarum promoſcondos, in quibus totidem fere peccata in rebus chronologicis, quot verba, quique de rebus ante 700. aut 800. præteritis idonei teſtes eſſe nequeunt, niſi cum auctoribus coætaneis aut ſupparibus conſentiant, aut ſaltem ab eorum unanimi conſenſu non diſſentiant. Pudeat profeſſorem hiſtoriæ neglectis fontibus limpidiſſimis rivulos luto, fœcibus, quiſquiliiſque refertos ſectari, & averſos a ſole clariſſimos oculos ad tenebras noctemque Cimmeria tetriorem convertere. Verum hoc factum eſt nebulonum, qui non ſcribunt, ut veritatem quærant, ſed ut libidini ſuæ atque obſtinationi ſerviant, præſertim ſi fuerint ſollemni provocatione diffidati. Sic rabioſi in foro rabulæ, A cum cauſſam injuſtam defendere ſuſceperunt, nihil non agunt, ut judices circumveniant, & veritatem in injuſtitia captivam detineant. Sic hæretici, ne juſte ab eccleſia catholica damnati videantur, ſacras Scripturas in ſuam ipſorum perniciem depravant, SS. patres & concilia aut negant, aut irrident, aut in alienum a veritate ſenſum detorquent, diverticula quærunt, mentiuntur, calumniantur, teſtes inteſtabiles producunt, veterum hæreſeon pannos conſuunt, ut ſibi perizomata circumdent, &c. quæ ſolitus eſt facere, dum catholicam doctrinam impie inſectatur Mareſius, in eo mentiendi ludo a cunabulis probe edoctus.

Pag. 139. ſic argutatur: anno 845. *eclipſim ſolis Octobris* 18. *Dominica non annotavit Calviſius*, B ergo ea non fuit, erravitque Blondellus, qui Nithardum citat tunc temporis viventem ac ſcribentem, idoneum, ſiquis uſpiam alius, ſuæ aſſertionis auctorem. Sed quid? *bullatis nugis* pagina implenda erat. Quin potius conſuluit Nithardum? Verum nequidem titulum ejus Groningæ auditum ex ſilentio Mareſii conjicio. Verba Nithardi hæc ſunt ſub finem lib. 11. de diſſenſionibus filiorum Ludovici Pii. *Dum hæc ſuper Ligerim juxta ſanctum Fludualdum conſiſtens ſcriberem, eclipſis ſolis hora prima feria prima XV. Kal. Novemb. in Scorpione contigit.* De concilio Pariſienſi multa peccat. I. quod acta ejus citat, quæ nulla ſunt. Celebratum enim fuiſſe anno ab incarnatione Domini C Jesu Christi 846. more Gallico indict. X. 16. Kalend. Martias diſcimus ex præfatione addita concilio Meldenſi. II. quod non aſſecutus ſit homo Gallus, quid illa parentheſis ſibi velit, in tabula Blondelliana (ſeu Martii 25. ineunte). III. quod male cenſeat legendum indictione IX. non X. IV. quod errore Curcellæi traductus ſit ille articulus de concilio Pariſienſi ad annum 847. qui in Blondelli protographo pertinuerit ad 846.

Pag. 140. Tironis eſt, aut maleſeriati nebulonis, quod dicit ſe non capere, quid ſibi velit illa Anaſtaſii phraſis: terræ motum factum eſſe in urbe Roma per indictionem decimam Leonis tempore, *eamque Latine ſic ſonare* (niſi addat, ſemper, non procedet argumentum) *ac ſi toto illius* D *indictionis decimæ anno is terræ motus continuaſſet*, Conſule grammaticos, criticoſque, & diſces præſertim apud ſtribiliginoſos auctores, in quibus merito numeratur Anaſtaſius, interdum præpoſitionem *per*, ſumi pro, *in*, ſed hæc minutiora: ut quod paullo poſt affert de duodecima inſtante indictione, in quo & ipſe ter peccat & quod neſciat quid ſit *inſtans*, id eſt, imminens, appropinquans, proxima, parum diſtans, &c. audiat apoſtolum: *quaſi inſtet dies Domini*, ne ad inſtantem ſenectam Horatii, ad bellum inſtans Ciceronis, ad noctem inſtantem Salluſtii, ac ſimilia me convertam: & quod ſic interpretur, *Urbis muros renovatos eſſe duodecima inſtante indictione, perinde ac ſi rem confectam anno* 1657. *dicerem eve-* E *niſſe inſtante anno* 1658. Flagitioſa aut ridicula comparatio: ſi enim agatur de re, quæ facta eſt extremo Decembri anni 1657. dicas eam eveniſſe anno inſtante 1658. recte dixeris & ingenioſe: ſin autem de re, quæ contigerit initio Februarii aut Martii, ſtulte dixeris, & pro more tuo, Mareſi, ridicule. Adde quod ἀλόγως putet illud *inſtante* apud Anaſtaſium a mala manu eſſe, ut hic quoque verum ſit illud S. Judæ: *quæcumque ignorant, blaſphemant*, ut & in eo quod ſequitur. Quis enim niſi prorſus ἄμουσος, non facile capiat, annum Leonis primum cœpiſſe labente indictione decima anno 847. inchoatam fuiſſe menſe Septembri ejuſdem anni 847. indictionem

unde-

undecimam, eademque evoluta menſe Septembri anni 848. iniiſſe indictionem XII. quo tempore nondum erat finitus, ſed adhuc currebat annus Leonis papæ ſecundus, ab Aprili dumtaxat anni 848. inchoatus. Sed vereor ne lavemus Æthiopem, aut rupi abſonæ canamus cantilenam. *Curavimus Babylonem; & non eſt ſanata: derelinquamus eam. Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.* Sed quid amabo ad rem facit, ſive Moguntinum concilium Rabani adverſum Gotheſcalcum prædeſtinatianum hæreticum fuerit habitum ex annalibus Fuldenſibus quos ſequitur Sirmondus anno 848. ſive initio an. 849. quod ex annalibus Bertinianis, quos monachale opus, qui non vidit, vocavit noſter onochronus, acceptum refert Gilberto Mauguino? An inde elicitur, characteriſmus aliquis alterutri parti palmam addicens? *Tenet inſanabile multos ſcribendi cacoethes & ægro in corde ſenescit.* Nec ceſſabit etiam Acheronticus capularis & ſandapilarius Mareſius, quin mundum ineptiis ſuis repleat.

Pag. 142. ut παρεργα præteream, aut alteri editioni ſervem, ſed in præcipuis & capitalibus immorer, impudentiſſime dicit coronationem Ludovici II. per Leonem IV. videri merum eſſe figmentum, & ante Lotharii patris obitum eum nonniſi in Langobardorum regem per Sergium conſecratum & unctum fuiſſe. Fateor Anaſtaſium expreſſe non meminiſſe. At imperatorem & Auguſtum vocat? at id memorant, quamquam uno anno tardius, annales Bertiniani? & nebulonis onochroni facinus eſt non condonandum, *Leonis* nomen pro nomine *Sergii* perperam fuiſſe repoſitum? At id ex conciliorum, chartarumque (in quibus & conſulatus Ludovici mentio cujus veſtigia nullibi reperit malus venator) plurimis ſubſcriptionibus luce meridiana evidentius eſt, nec ullus niſi Choræbo inſanior id umquam inficiabitur? Vide tabulam noſtram. Quod vero concilium Romanum prætenſum vocat, hoc deſperatæ cauſſæ indicium maximum. Sic rei & patibularii integerrimos etiam teſtes a quibus accuſantur, repudiant: nec tamen hoc impedit, quominus a judicibus cruci ſuffigantur, aut reſti e furca pendeant. Ego, nec tu judices ſumus? Tu reus, Mareſi, ego actor. Judicent eruditi, ineruditi, catholici, heterodoxi. De victoria plane certus ſum.

Pag. 143. Capere non poteſt vir alioquin oppido captioſus, qui an. 850. & 853. excommunicatus fuerit Anaſtaſius, cum demum in concilio Romano anno 853. depoſitus fuerit. Rationem audi futiliſſimam: *Excommunicari enim presbyterum nondum depoſitum nemo ſibi perſuadebit, qui vel primoribus labris quid ferant veteres canones deguſtavit.* O impudentiam! De Ticinenſibus ſynodis, in quarum characteres error irrepſit, a variis varie emendatis, diſputare nolo, ut jam monui, quia validiſſimis telis armatus infirma ac dubia negligo. Nomenoii quoque emortualem annum non moror, ὡς παρεργον. Intactam tamen non ſinam ἀσυλλογιστίαν tuam Mareſi: *Tam obſcura eſt*, inquis, *ſynodus Ticinenſis, ut nec Gualterius in tabula chronologica meminerit.* Ergo de ejus anno nihil certi. Poteras quidem ex erroribus in notas temporum illapſis ejus probare incertitudinem, at non ex ſilentio Gualterii. Quis enim dicat omnia vacillare, quorum non meminerit Gualterius?

Pag. 145. *Multum ſudat, neque proficit hilum*, ut in dubium vocet concilium Romanum, in quo Anaſtaſius depoſitus: ſtant enim ſtabuntque ſemper, quamdiu ſcilicet Veritas incorrupta, characteres illi in titulo depoſitionis adſcripti: Annus Lotharii 37. (ab anno ſcilicet 817.) Ludovici ejus filii novi imperatoris (notet ea verba Mareſius) annus 5. (ab anno 849.) menſe Decembrio die 8. indictione ſecunda. At ecce, quod vix fidem inveniat, portentum novum ex nova civitate exortum. Dicitur concilium illud celebratum *in civitate nova, cujus vocabulum Leoniana eſt, intra eccleſiam* (in Vaticano monte ſitam) *ubi corpus beatiſſimi Petri apoſtolorum principis conditum eſt*, ergo non fuit Romanum dicendum, *quia Romæ celebratum non fuit.* Itane, pepo, illudis orbi? an in priſtino tuo errore adhuc volutaris, quo Leopolim ante cum Leoniano confundebas? Scito novam illam Leonianam, Romæ partem fuiſſe, non ſecus ac univerſitas & civitas Pariſienſis partes ſunt Lutetiæ: eodemque jure concilium in celeberrima toto orbe S. Petri baſilica habitum Romanum dici, ac Pariſienſe diceretur, quod in S. Genovefæ, aut S. Pauli eccleſiis celebratum fuiſſet. Sed quid faciat miſer ſtagnantibus præfocatus aquis, quod primo occurrit, in illud irruit, ancipitem etiam gladium aut ferrum candens, ſi quis porrigat, accepturus? Sed jam tædere incipit tot ineptiarum: Hic enim inſtar furis ἐν αὐτοφώρῳ deprehenſi *mendaciis mendacia* cumulat, atque ut comicus loquitur, *contegit, ne perpluant.* Ex his quæ ſæpe jam docuimus de tribus Lotharii ac Ludovici epochis, neque enim ſemper una & eadem utebantur notarii, ut infinita oſtendunt exempla, & de Anaſtaſii hiſt. ſeu vitis pont. facillimum erit vel novitio in rebus chronologicis diffidare omnia, quæ opponit, tamquam inanes nebulas. Ceterum ſi erraverint Platina, Ciaconius Stella, Onuphrius, Baronius, Bellarminus, aliique, aut in diverſas abierint partes, quid hoc officit veritati poſt nebulas, quibus diu contecta fuerat, aliquando tandem emicanti. An apud Groninganos præſide Mareſio lege ſtatutum eſt, ut, cum aliqui in veritatis inveſtigatione erraverint, aut in varias ſententias, tamquam vias diſcrepantes, fuerint digreſſi, nemo amplius veritatem indaget, eamque, ſi ſe etiam volens atque ultronea offerat, ὡς κόφακας procul amandet?

Pag. 152. Ceteris inſuper habitis, ne longior ſim, advertat lector, mentiri ſplendide onochronum, dum affirmat ſe demonſtraſſe non proceſſiſſe Benedicti III. electionem niſi anno 857. id eſt biennio cum aliquot menſibus ante finem an. 859. aut initium 860. quo Nicolaum ſucceſſorem accepit. Contrarium enim evidentiſſime demonſtravimus irrefragabilibus argumentis, obiiſſe nimirum Benedictum anno 858. proindeque biennio ante cum aliquot menſibus electum fuiſſe, ac Nicolaum ejus ſucceſſorem ſaltem ante finem anni 858. pontificatum Romanum obtinuiſſe. Conſule tabulam noſtram & ſpumoſos feri maris fluctus fractos omnes diſperſoſque gaudebis ἀληθόφιλε? Mareſium dices ſenſiſſe perperam ſibi negotium fore cum fungis, non cum eruditis lectoribus, qui cryſtallinos fontes proferre poſſent, ex quibus haurire liceat, non ex paludibus cœnoſis ac ſtagnantibus; & malæ fidei, impudentiæ, mendacii, contumaciæ, inſcitiæ præſertim in rebus chronologicis, aliorumque vitiorum ipſum convincere; quibus addere impietatem nemo cunctabitur, qui eccleſiam catholicam imperatorum, regum Chriſtianiſſimorum, aliorumque regum ac principum matrem ſanctiſſimam, impio nebulonis ore meminerit vocatam fuiſſe Romanam meretricem p. 160. Quod vero hæreticum Socinianum vocet ſymmyſtam ſuum & in iiſdem Calvini caſtris a puero militantem Curcellæum non moror. Addit & alia plura paullo poſt, atque inter cetera elogia vocat *Epicuri de grege porcum*, &c. Quid vero, ſi ego catholicus orthodoxus Mareſium acatholi-

tholicum heterodoxum, novatorem simul ac veteratorem eximium, *Calvini de grege porcum* dixissem, quis non mihi ex amicis Maresii succenseret? Quod vero idem fratri suo ac comministro impingat, nemo expostulabit? Veritatem unam sequor, ut nullius addictus jurare in verba magistri, ita nec ullius etiam catholici, quanto minus heterodoxi? defensor aut hyperaspistes, homines colo, veneror, diligo, vitia abominor, errores profligo, & a me aliisque quantum fieri poterit, Deusque dederit, procul amovebo. Blondellum si libuerit defendant Curcellæi, Amiraldi, Daillæi, Bochartii, Mori, similesque, numquam repugnabo: ego veritatem omnibus Blondellis antiquiorem usque ad extremum halitum propugnabo.

Pag. 165. Quo porro mentem avocaverat Maresius, dum scribebat hæc: *Quarto non solum Bertiniani annales, sed etiam Regino, & multi alii Lotharii mortem assignat III. Kal. Octobris*, id est, *revera Septembris* 28. (in novo opinor Kalendario Groninganæ universitatis) *sed D. Blondellus dicit modo* 29. *modo* 30. *Septembris eum vitam cum morte commutasse*. Non vidit cæcutiens chronologus sese, dum Blondellum insequitur, in foveam præcipitem dedisse, III. Kal. Octobris, si quid in istis novi, est 29. Septemb. ideoque cum Blondello consentire dignoscitur potius, quam, quod contendere totis viribus videtur, ab ejus sententia divelli.

Pag. 167. *A corio citius canis absterrebitur uncto*, quam Maresius a suo Hallanio, licet mendacissimo scriptore, nulliusque apud Gallos eruditos ponderis. Falsum quippe est, ut ex annalibus Bertinianis claret, Ludovicum, Lotharium & Carolum fratres patris defuncti dominia divisisse absque ulla contentione *sans aucun debat*. Immo inde & argumentum ducitur factæ ante annum 857. Benedicti electionis, cujus interventu litigium inter eos ortum sopiri debuerit. Enimvero melius rebus suis consuluisset Maresius, si neglectis Hallanianis lacunis putentibus, purissimos Duchesnianorum voluminum fontes sibi comparasset, & ex iis genuinam ac sinceram hausisset Franciæ nostræ historiam: nec per summam indignitatem, repertis jam maxima Dei benignitate frugibus, auditores tuos glande siliquisque pavisset.

Monui jam, ni fallor, Maresium, cavæat imposterum ab uno alterove ad omnes argumentari, & ex paucorum inductione conclusionem deducere universalem: *Sunt aliquot in tabulario Dionysiano chartæ falsæ, suppositæ, suspectæ*: ergo omnes quotquot sunt in eo, aliisque monachorum archivis. sunt ejusdem generis: alioquin verendum est, nequis ex discipulis ejus sic etiam argumentari aggrediatur: Avimontii in Picardia, diœcesis Ambianensis oppido, fuerunt quidam patibularii, stigmatiæ. furciferi: ergo omnes: ergo & pater, avus, aliique majores affines & cognati clarissimi nostri professoris: Avimontenses quidam vivunt perjuri, fures, libidinosi: ergo omnes, & in iis reverendissimus noster præceptor in theologia & historia, atque in jure etiam & medicina ac mathematicis, si voluisset. En quo tendat vis hujus argumenti? Bullæ, chartæ, diplomata sigillatim expendenda sunt, iisque momentis, hoc est, intrinsecis vitiis ac defectibus, examinanda, non inanibus præjudiciis damnanda: si Lydio lapidi admota, apparuerint subærata aut mali commatis, abjiciantur: sin autem examen experta damni nihil senserint, admittantur, iisque fides habeatur. Scimus Gabrielem Naudæum hoc œstro percitum, cum Constantino Cajetano infensus esset, in omnes Benedictinos bilem effudisse suam.

A Quid factum? abiit ad plures, iis omnis cum rationibus peremptoriis evanuit: Benedictini Deum sancte colunt, & in maximo apud omnes honore atque existimatione versantur. Desine ergo hoc inani, fœneo, ridiculo, vere dicam Maresiano uti argumentandi modo, quo non tibi tantum levis armaturæ ministello, sed omnibus etiam fucatæ & ementitæ reformationis columnis ac telamonibus fidem omnem abroges: scis verba Hieronymi Zanchii, doctoris in scholis vestris subtilissimi ex ordine Dominicano apostatæ excucullati, sed veracioris, quam soleat esse natio hujusmodi desertorum, nec opus est ut eorum tibi memoriam refricem, ac deinde concludam, ergo omnes, ergo Maresius, &c. Unusquisque ex
B iis, quæ sive bene, sive male dixerit, fecerit, scripserit, judicandus est. Nec alienis peccatis onerandus aut laudibus commendandus. *Nam quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra puto.*

Pag. 169. ait se liberasse ab omni absurditate sententiam Mariani, ejusve interpolatoris, de Nicolai auspiciis anno 860. collocatis, se ostendisse omnia esse dubia apud veteres, quæ dicuntur de Nicolai initiis & duratione, ac demonstrasse Marianum assignare obitum Nicolai non anno 869. sed 868. quibus nihil mendacius dici potuit. Cum vero fassus est Nicolai obitum pertinere ad indictionem primam (memineris lector, hæc sunt ipsissima Maresii verba: *Equidem fateor omnino pertinere obitum Nicolai ad indictionem primam mense*
C *Novembri, cum ultimæ quæ extant ejus epistolæ scriptæ sint* 3. *Kal. & pridie Kal. Novembris ind. prima, & concilium Tricassimum fuerit celebratum die* 8. *Kal. Nov. eadem indictione. Illius vero concilii legatio & epistola ad Nicolaum destinata reperit Adrianum jam in sede illius locatum, ut iste Adrianus loquitur in sua ad synodum responsione data* 4. *Nonas Februarii indictione prima*) laqueum miser collo suo inseruit, quo stranguletur. Nam si, ut jam diximus, Idibus Novembris indictionis primæ obiit Nicolaus, ergo anno 867. obiit non anno 868. ergo demonstratio omnis Maresiana ipsiusque idolum phantasticum in ventos ac fumum abiit. Non præviderat hanc *Charybdin* bonus ille vir, cum *Scyllam* evitare conaretur. De-
D functus est Nicolaus anno 867. postquam annos novem & aliquot menses sedisset, ergo cœpit anno 858. ergo Benedictus anno 855. &c. Item ineluctabili demonstratione, contra quam prævalere numquam poterunt omnes inferorum portæ, hoc est ministrorum protestantium ora, *Stentorea* licet *voce* usque ad ravim *papissam*, *papissam* inclamantia, ostenditur Hadrianum II. mense Decembri indictionis ejusdem primæ consecratum fuisse, proindeque cœpisse anno 867. Respondisse ad episcopos concilii Tricassini, ad Carolum Calvum, aliosque, mensibus Februario, Martio, Augusto, eadem labente indictione prima, ideoque totum illum solidumque annum 868. in pontificia cathedra sedisse. Iis inextricabilibus laqueis & plusquam
E adamantinis vinculis implicitus, constrictusque Maresius, quo fugiat? quo se vertat? ad quos se conferat? Ad Josephum Scaligerum? At eximii illius Herois & incomparabilis Veronæ principis gladio, ut vidimus, jam confossus periit. An ad Calvisium, Emmium, Mullerum, similesque eruditos chronologos? At illi carduis urticisque redimitum plagisque contusum onochronum cathedra deturbatum sua, ad pistrinum ablegarunt. An ad viventes docentesque Lugduni Batavorum, Hagæ Comitis, Amsterodami, Ultrajecti, Daventriæ, Franekeræ, Bredæ, & non solum in Belgio Fœderato, sed etiam, ubivis terrarum, in Anglia, Scotia, Dania, Svecia, Polonia, totaque

Ger-

Germania, Helvetiiſque, atque adeo Genevæ, & A in Gallia, chronologos ac mathematicos ejuſdem ſecum adverſus eccleſiam catholicam rebellionis fœdere colligatos? ab omnibus, ſcio, tamquam *temerarius* matæologus, *majoraque viribus auſus*, inſigniter vapulabit. Unica pagina 170. cum ſequenti quamvis valentiſſimos delaſſare poteſt criticos & pluribus ſolæ ſufficere mattigophoris. Tot in iis mendacia, paralogiſmi, parachroniſmi, effugia, malæ artes, & quid non? An ad cacodæmonem? Certe is ſolus novas artes, nova mendacia, novas ſtrophas ſycophantiaſque militi ſuo ſubminiſtrare poſſe videtur. Nihil tamen umquam efficiet, nec perſuadere valebit indictionem primam non anni 867. ſed anni 868. menſe Septembri incepiſſe. *Hic Rhodus, hic ſaltus*, Marc B ſi; ad pugnam te provoco: in hoc ſcammate, in hac arena & circo incluſi, non divagemur περὶ τὰ παράπηγα, diverticula non quæramus aut effugia, pedem pedi, manum manui conſeramus. *Non cauponantes bellum, ſed belligerantes*. Si oſtenderis Ludovicum Pium non obiiſſe an. 840. Lotharium 855. Nicolaum anno 867. ac ſimilia, victum me fatebor, manus dabo. Quod ſi contrarium effecero, ſi indictionis primæ initia anno 867 vindicavero, ſi Ludovici Pii mortem luce meridiana clarius anno 840. affixero, indeque, atque ex aliis irrefragabilibus chronologiæ ac doctrinæ temporum principiis diſcuſſero imaginationum tuarum ſomnia, ac meretricis tuæ Moguntinæ futilitatem καὶ ἀδυναμίαν univerſo orbi propalavero, ſi C paginarum 170. & 171. quæ præ ceteris eminere videntur, portenta omnia ſigillatim recenſuero, (eas vel ſolas expendat lector Chriſtianus) victum te proſtratumque, bona fide abſque ulla tergiverſatione, ac mendacio, elata contentaque voce, non tantum Groningæ in celeberrimis totius academiæ comitiis & coram dominis curatoribus, amicis compatribuſque tuis, profitebere, ſed etiam univerſo, quaqua patet, orbi, editis in publicam lucem contrariis ſcriptis, palinodiam teſtabere, atque in ſignum reportatæ de conjurato veritatis hoſte victoriæ, herbam, arma, coronamque, victori tuo ac triumphatori porriges, DEO utique OPT. MAX. patri luminum ac veritatis omnis inexhauſto fonti, a quo, ut ait Ja D cobus ipſo fere epiſtolæ canonicæ initio, *omne datum optimum & omne donum perfectum*, in quibus continetur & omne verum, e cælo deſcendit in hominum mentes: cui laus & gloria & virtus, claritas, honor & benedictio in ſæcula ſæculorum, Amen. Audior. Ecce jam videor mihi videre librum proximis nundinis Franco-furtenſibus proſtantem hoc titulo: SAMUEL MARESIUS, *Capite nudo, Pedibus nudis, Stola collo illigata, Accenſa in manu tæda, Utroque ſimul genu flexo;* A VERITATE, *Palam, ante ſacras ejus ædes, Catholicis, Acatholicis, Orthodoxis, Heterodoxis, ſpectantibus; lacrimis, ſingultu, gemitibus, Voce miſerabiliter interciſa*, VENIAM PETENS; E *Quod Fabulæ omnium Fabularum Fabuloſiſſimæ re nitente Conſcientia patrocinium ſuſceperit: Atque in paratum a Metanœa rogum, Ridiculam ſuam de Reſtituta* JOANNA PAPISSA *Rhapſodiam, Flammis ultricibus devorandam, ultro, ſponte ac libera voluntate* PROJICIENS. Groningæ apud Vincentium Philalethem, in vico Juſtitiæ, ad inſigne: MAGNA EST VERITAS ET PRÆVALET. Ergo:

MARESIANI *labores ſunt, qui fatigationibus immenſis, nec commoditates afferunt aliis, nec auctori ſuo aliquantulum famæ, ſed plurimum infamiæ conferunt.*

UBBO EMMIUS MARESII ONOCHRONIS MORUM SEVERUS CASTIGATOR.

Pag. 278. Canonis Chronici.

ANno 840. Lotharius imp. cum morte patris cœpit 12. Kal. Julii. *De eodem annis* 817. & 823. Eclipſis Solis terribilis 3. Nonas Maii. Carolus Calvus ſuccedit patri in Gallia: Ludovicus in Germania.

841. Prælium ad Fontanerum 7. Kalend. Julii.

844. Ludovicus Lotharii filius Romæ rex Italiæ coronatus eſt die S. Trinitatis.

847. Rabanus Maurus fit arch. Moguntinus.

855. Ludovicus II. imperare cœpit patre Lothario 3. Kalend. Oct. defuncto in cœnobio Prumienſi.

858 Ignatio patriarchæ CP. ſede dejecto ſurrogatur Photius.

869 Lotharius Loth. rex in reatu ſuo obiit Placentiæ poſtridie Nonas Auguſti. Ejus ditiones partiti ſunt patrui, &c.

EX CLAUDII SARAVII EPISTOLIS AD CLAUDIUM SALMASIUM.

Pag. 172. editionis Pariſienſis.

ACcipe, quod te non mediocri perfundat ſtatim lætitia, ſed neſcio an ſincera, aut diuturna. Penes me jam eſt e B. R. codex MS. Anaſtaſii bibliothecarii, in quo diſertis verbis legitur vita Joannæ papiſſæ, quam huic epiſtolæ cum Deo adtexam. In charta pergamena ſcriptus eſt manu valde recenti, utpote quæ paparum ſeriem ad Martini quinti tempora deduxerit. In principio ſatis belle illi convenit cum editione Moguntina an. MDCII. ex M. Velſeri codice procurata: in ſequentibus multæ reperiuntur varietates, & habet plurima editus, quæ in regio deſiderantur: In vita Benedicti III. hæc leguntur, quæ ex ipſo exemplari deſcribam cum ſuis mendis: *Leo quidem hac luce ſubtractus præſul occubuit. Mox enim omnis clerus*, &c. Hæc ſunt moleſta, (*arrigat aures onochronus*) ſi enim Leone mortuo, *mox* clerus, populus ac ſenatus congregati elegere Benedictum, quis locus intermedius Joannæ relinquatur? Quin inde patet quod de ea ibi dictum eſt, *aſſumentum eſſe hominis otio abuſi*. In epiſtola dedicatoria ad Velſerum typographus Jo. Albinus alios duos locos citat ex vita Nicolai I. & Hadriani II. qui in ejus editione extant pag. 306. & 329. quibus idem omnino evincatur: Leoni nempe IMMEDIATE ſucceſſiſſe Benedictum: at in MS. noſtro non comparent: contractior quippe eſt narratio geſtorum iſtorum pontificum in ſcripto, quam in edito. Hæc volui neſcius ne eſſes. Lutetiæ Pariſiorum XXIX. Septemb. CIↃIↃCXLV. *Biennio antequam Blondelli Gallicus liber excuderetur. Neque omittenda eſt ejuſdem ſenatoris, profeſſione Calviniani, ad eumdem Salmaſium altera epiſtola pag.* 175. *ut ſtultitia Mareſii & ſymmyſtarum feriente deſuper pilo amplius contundatur.*

Quidquid de papiſſa confidentius dicas, intricatiſſimum eſt omne iſtud negotium. Sederit illa necne, longior eſt diſquiſitio, nec unius epiſtolæ. Jam autem quæro tantum, utrum Anaſtaſii bibliothec. legitimus ſit fœtus vita illa, quam ad te nuper tranſmiſi. Ut eum cenſeam ὑποβολιμαῖον, præter jam allatas rationes, hæ ſuadent. *Prima* ſit: quod tum temporis unico nomine pontifices alioſve uno nomine vocati moris erat. Percurratur

tur totus Anaſtaſius cum pontificali Damaſi, vix unum aut alterum binominem reperias, ut hic ἀνώνυμος *Joannes Anglicus*. *Secunda*, ſi Anaſtaſius hanc hiſtoriam conſcripſit: rem ſua ætate, ſe vivo & Romæ agente, geſtam litteris mandavit. Atqui tamquam de re parum comperta & ſibi tantum ex fama cognita loquitur hic auctor, cum ait, *ut aſſeritur*, *ut dicitur*. Qui ita loquitur, non curat ſuo teſtimonio fidem haberi, quaſi diceret, *credat qui voluerit*, *fides ſit penes auctores*. An autem credibile eſt virum doctum & ſagacem de adeo ſingulari ſui temporis eventu non inquiſiviſſe diligenter, ut ad poſteros res notabilis, ut quæ maxime, indubia fide, cum ſuis omnibus circumſtantiis dimanaret? *Tertia*, Expendantur hæc verba *Romæ legens*, & *magnos magiſtros*. Non exiſtimo ætate Anaſtaſii verbum *legere* in uſu fuiſſe, pro *ſcientias ex cathedra profiteri & in ſcholis publice docere*. Hæc locutio ſequioris eſt & poſterioris ætatis. Uti & illa quæ *magiſtros* vocavit eos, qui gradum & titulum acquirebant in ſcientiis philoſophiæ, medicinæ, aut theologiæ. Nondum enim iſti honorum apices doctrinales baccalaureatus & magiſterii vigebant in academiis. *Quarta*, Anaſtaſii ætate non habitabant papæ in ſancto Petro, ſive in Vaticano palatio ad S. Petrum, cujus eccleſia tunc temporis erat (*ſaltem aliquot ante annis*) extra urbis pomœria, ſed in Lateranorum ædibus. Et tamen auctor noſter ſupponit Joannam enixam eſſe *cum iret de S. Petro in Lateranum*. Eum autem intellexiſſe papam ſolitum habitare in S. Petro conſtat ex eo quod alias dixiſſet *cum rediret*. *Quintam* addo & finio. *Coliſæum* non erat vox uſitata ea ætate pro *Coloſſæum*, ſed eſt verbum mere Italicum quo jam vocatur famoſiſſimum illud Veſpaſiani amphitheatrum. Suſcita, ſi lubet, (*naſo hic ſuſpendit Salmaſium ſuum a Joanna incucurbitatum*, *quem in aliis tantum non adorare conſueverat*) labantem iſtius feminæ hiſtoriam, ſed quæ ſuperius attuli omnia impedimenta amovenda ſunt. Blondellus noſter contendit etiam & ratione temporum exacte inita non poſſe iſtam papiſſam locum ſuum tueri. Vale. Lutetiæ Par. XXI. Octob. CIↃIↃCXLV. *conſulenda etiam p.* 183. *deinde*.

Pag. 224. 225. & ſeqq. in quibus hæc inter cetera; reciſis mutilibus: Blondellus exiſtimavit fabuloſum eſſe, ullam Romæ aliquando ſediſſe pontificem feminam, inter Leonem quartum & Benedictum tertium. In multorum propterea offenſionem incurrit: quaſi probroſum foret viro proteſtantium partibus addicto quoddam attuliſſe quod vulgatas ſuorum opiniones convelleret. Ubi præli beneficio communior factus eſt hic libellus, alii gaudere de comperta veritate, alii pene conviciari, &c. Interea factum eſt ut ad amicos ſcriberes, te novum aſſertorem fore vulgaris iſtius apud noſtros (acatholicos) opinionis, &c. Nec debet fraudi eſſe Blondello quod reformati pene omnes (hoc eſt heterodoxi Lutherani, Calviniani, Anabaptiſtæ, &c.) hactenus per manus traditam narrationem acceperint & defenderint. Verumtamen quid aggrediaris cogita: res eſt enim ardua & magnis difficultatibus impedita. Noli autem credere primum aut ſolum e noſtris (acatholicis) Blondellum ita ſenſiſſe. Fuere olim in eadem ſententia non incelebres, & adhuc vivunt in hac urbe inſignes viri, qui audierunt ex ore Chamerii (is fuit miniſter Montis Albani ſat notus rebellionis adverſus regem buccinator) ſe iſtam hiſtoriam vulgo creditam, fabuloſis deputare. Vidi nuper ſcriptas litteras Petri Molinæi, quibus idem ſemper ſibi eſſe viſum affirmabat. Multa certe cum ſcripſerit quibus Romanum ſugillaverit pudorem, ab iſta tamen femina ſemper manum abſtinuit: & poterat tamen vir non infacetus (alter nimirum a Calvino Lucianus ac Rabelæſius reformatus meritiſſimo jure appellatus) alicujus joci inde capere occaſionem. Penes me ſunt litteræ Samuelis Bocharti, quibus teſtatur ſibi eſſe pro comperto vanum eſſe & fictitium, quidquid hactenus de ea ſit proditum. Quanti autem ſit (apud heterodoxos) trium iſtorum auctoritas facile intelligis. Poteris viciſſim ſatis ſcio innumeros nobis (ex eorumdem heterodoxorum concilio) opponere: Sed vide num illi præcedentium gregem ſecuti, rem minus exacte conſideraverint: OMNINO TUTIUS EST recentioribus omiſſis, IN ANTIQUIS ET COÆTANEIS præſertim, quid tenendum ſit QUÆRERE. Unus ANASTASIUS ſibi conſtans poſſit rem conficere, &c. 18. Jan. MDCXLVIII.

Hæc porro deſcribenda curavi, *ut Groningani academici ac cives intelligant onochroni ſui profeſſoris inſcitiam*, *atque eccleſiæ catholicæ oriri* ſalutem ex inimicis ſuis & de manu eorum qui oderunt eam.

Ranulfum aliquem Rudolfum aut Rodolfum ſub Radulfi Flaviacenſis monachi perſona delitescere ſagaciter fueram ſubodoratus ſupra pagina 188. C.

Nunc vero fontem, ſive allucinationis, ſive malæ fidei, certo certius deprehendiſſe mihi videor, facem allucente Timanno Geſſelio, medico Ultrajectino, communionis Calviniſticæ ſacris initiato, qui Blondelli antiquitatis eccleſiaſticæ peritiſſimi argumenta apud doctos non poſſe eſſe parvi ponderis contendit, & cum admiratione vidiſſe ſe ſubjungit, *Achatolicorum* multos (*in quibus primas tenet Samuel Mareſius quem tantumnon digito indicabat*, *Groningenſis mataeologus*) hunc viri candidi candorem ægre ferre & male interpretari. Facit, *ejus ſunt verba*, veritati injuriam qui falſi patrocinio illam opus habere putat, non requirit σοφὰ φάρμακα. Erimus ergo nos adeo ψλιγόψυχοι, immo erga Deum immortalem tam inſigniter injurii, ut veritatem ab ipſo manantem, & ipſum illius verbum, de quo dictum eſt: *Cælum & terra præteribunt*, *ſed verbum Dei manet in æternum*, niſi mendacio fulciatur, periclitari putemus? Abſit, abſit a piis animis tanta amentia, ſed ad rem: Auctor itaque primus illius apud Blondellum erroris atque in Mareſio malæ fidei fuit homo furioſus Conradus Deckerus in libr. cui titulum fecit de papa Romano & papiſſa Romana, quod Joannes octavus fuerit mulier & puerpera, Oppenheimii ad Rhenum in 8. anno 1612. ſic enim loquitur pagina 430. *Deſcripſit Radulfus hanc hiſtoriam in ſuo Polychronico libri* v. *cap.* 32. *Teſtis locupletiſſimus & omni exceptione major*, *utpote in quo veritatis hiſtoricæ nulla deſiderantur* χρυσία: *& vixit juxta Trithemium anno circiter* 930. *ita ut papale hoc puerperium ab iis accipere potuerit*, *qui illud viderunt*. Atque ex illo cœnoſo fonte promanavit in ceteros error: quem facillimum fuerat viris non ineruditis illico obturare, ne pluribus noceret, ſi par eſſet in Mareſio furioſo Calvinicola veritatis ac fidei amor, qui in Blondello fuiſſe a Geſſelio aliiſque mitioribus Calviniſtis prædicatur. Etenim Radulfus ille, ſeu potius Ranulfus, qui ſui Polychronici libro v. cap. 32. Joannæ papiſſæ puerperium commemorat, non fuit Radulfus Flaviacenſis in in diœceſi Bellovacenſi O. B. monachus, qui non anno 910. aut 930. ſed anno demum 1157. floruit. Sed Ranulfus ejuſdem O. B. in Anglia monachus, dictus ab Hygeden, vel Hygedem, vel Hikedem, duobus minimum ſæculis Flaviacenſi

ju-

junior, quem Joannes Balæus, Joannes Pitſeus, ſimileſque Angli ſcriptores, ac poſt eos Gerardus Joannes Voſſius celebrant, docentque ætate confectum obiiſſe anno Eduardi regis XXXVII. Chriſti MCCCLXIII. cum annos LXIV. monachus fuiſſet Benedictinus. De eodem & iſta Blondellus: *Radulphus ab Hygeden Ceſtrenſis in annum D. 1363. vivens.*

PRÆMETIA HOTTINGERIANÆ

VIRGIDEMIÆ.

IN eamdem cum Mareſio erroris ac malæ fidei foveam præceps actus eſt Joannes Henricus Hottingerus, eodem ductore Conrado Deckero, Enneadis pag. 612. Nec mirum cum illi familiare ſit ſordes ac mendacia corradere ex Magdeburgenſibus centuriis, & catalogo teſtium veritatis, ut vocant, ex Joanne VVolphio, Roberto Coco, Joanne Balæo, Andrea Riveto, ſimilibuſque divinæ veritatis ac religionis catholicæ hoſtibus in enſiſſimis τῆς ὑγιαινούσης διδασκαλίας, quod conqueritur apoſtolus I. ad Timotheum capite 1. ἀντιπαρέρχεσθαι. Quia vero non vacat in præſens Enneadem illam eique ſubnexas partes alias percurrere, obiter tantum attingam aliquot pagellas ſæculi noni, ne ſibi ſuiſque mirionibus Suffenus aliquis videatur, qui præter inſulſas rhapſodias & aberrationum hinc inde collectarum ingentes cumulos vix quidquam aliud lectoribus obtrudit.

Pag. 573. Sæculo nono nomen infelicis falſo tribuit ex Genebrardo, qui illud ſæculo duntaxat decimo, ut vel pueri verba ejus interpretari poſſint, noſcitur adaptaſſe. Ridiculum porro eſt quod non ex auctoribus ſynchronis ſua depromat confirmetve, ſed ex faſciculo temporum, ex Urſpergenſi, ex Nauclero, ex Adventino, ex Platina, ex Genebrardo, ſimilibuſque recentis memoriæ ſcriptoribus. Hæc enim agendi ratio triobolarem ſcriptorem, ac de fæce populi & triviis docet eſſe Hottingerum, qui relictis fontibus totam ætatem in turbidis rivulis conſectandis contriverit, & craſſioribus ſuis Tigurinis, ſubtiliores enim averſantur, gratificari voluerit, glande, ſiliquis, ac furfuribus ingenti labore, ſed prorſus infructuoſo, in plura volumina comportatis. Quis enim non inſanus, cum de Ludovico Pio ejuſque filiis dicendum eſt, in tanta eruditionis hodiernæ luce, confugiat ad Adventinum, neglectis Eginartho, Thegano, Anonymo, Agobardo, Nithardo, Adone, & ſimilibus hiſtoriarum annaliumque ſæculi noni ſcriptoribus coætaneis. Quis pag. 584. monſtrum illud ferat: Ludovicum II. in imperio excepit FRATER CAROLUS CALVUS Galliæ rex, &c. Quæ ſequuntur de Ludovici III. imperio, de Carlomanno, Carolo Craſſo, de Arnulfo, ac ſimilibus, ejuſdem ſunt commatis, hoc eſt peſſimi.

Pag. 585. Fontaneticam pugnam in pago Antiſſiodorenſi commiſſam tribuit anno 842 cumque tot a Pithœo, Frehero, Ducheſniis, editi ſint in lucem publicam ſcriptores eximii, ipſe ridiculus mus, ex Helvetiis gurguſtiis progrediens in eruditorum cœtum, faſciculi temporum auctorem pagina 66. in ſubſidium teſtemque advocat. O bardum hominem, immo potius bardos heterodoxos, qui tam ridiculum hiſtoricum magnis ſtipendiis auctoratum adverſus eccleſiam catholicam conduxerunt!

Pag. 587. Carolum Craſſum anno 887. Normannis Galliæ aliquam partem trans Sequanam conceſſiſſe tradit, quæ etiamnum Normanniæ nomen habet: cum anno 912. a Carolo Simplice id factum fuiſſe norint in Gallia omnes ante alpha & beta puelli.

Pag. 589. Inſulſe atque impie deblaterat Romanos pontifices ſæculo illo nono officium Chriſti impetiiſſe, quod ſe caput eccleſiæ vocarent, & omnium controverſiarum judices, & ſimilia de imaginibus, miraculis, reliquiis ægræ paſſim mentis deliria quæ omitto. Hæc enim ipſi cum pluribus aliis heterodoxis communia.

Pag. 600. De Joannis Scoti atque Anaſtaſii bibliothecarii eruditione nullum alium teſtem producit, quam Nauclerum: & ſeq. Rabanum ait in Pariſienſi academia aliquamdiu profeſſorem egiſſe, & magno ornamento fuiſſe doctoribus ſcholaſticis: quæ ſunt mera ſomnia. Quæ vero ſequuntur, quantam amabo ſpirant eruditionem? Eum Bulcholzerus vocat commentatorem bibliorum, Platina tamen, &c. quæ ſcriptorem peſſimæ frugis redolent, & in craſſo aere natum, dignumque qui mororum morionum more nolam in capite geſtitet. Taceo quod Claudium Taurinenſem vocitet ſtrenuum imaginum oppugnatorem, quem Jonas Aurelianenſis epiſcopus, Dungalus diaconus, aliique eodem ſæculi viri docti, atque omnes deinde catholici, ut hæreticum oppugnarunt: Quod de Hincmaro Rhemenſi archiepiſcopo citet catalogum teſtium veritatis omnium inſulſitatum execrandam ſentinam. Quod Hulderichum Auguſtanum epiſcopum anno 859. collocet; Quod Anſegiſum ex Lobienſi, ſic enim ſcribendum, abbate, deſignatum dicat Senonenſem archiepiſcopum. Quod VValafridum Strabum ex Sangallenſi monacho velit ſucceſſiſſe in abbatia Fuldenſi Rabano Mauro, cum Moguntinus deſignatus eſt epiſcopus, hoc eſt anno 847. cum tamen certum ſit VValafridum illum obiiſſe anno 849. Augiæ divitis abatem. Quod ex cloaca catalogi teſtium veritatis auctorem Gloſſæ ordinariæ aſſerat Strabum Anglo-Saxonem abbatem Rugienſem. Quod Remigium monachum Antiſſiodorenſem ejuſdem tandem eccleſiæ epiſcopum factum claruiſſe tradat anno D. 880. cum tamen vocatus fuerit a Fulcone Hincmari ſucceſſore Remos poſt illum annum ut doceret: nec umquam epiſcopales geſtarit infulas, aut Antiſſiodori, aut in alia Galliæ urbe. Quod Angelomum anno 830. affigat qui vivebat adhuc anno 855. Quod Amalarium Fortunatum, Luxovienſem, ut vocat, monachum, Græcæ & Latinæ linguæ callentiſſimum, archiepiſcopum Trevirenſem, Rabano, Haymoni, Strabo, Remigio, Angelomo ſubjiciat, qui omnibus fuerat ob ætatem ac ſedis dignitatem præponendus. Quod Paſchaſium Ratberrum Corbejenſem ad annum D. 880. revocet. Quod Chriſtianum Druthmarum, natione Aquitanicum, monachum & presbyterum Corbejenſem, vocet converſatione Germanum, ac ſi in Corbeja nova ad Viſurgim, non in veteri ad Somonam vixiſſet. Quod eumdem, qui meminit converſionis Bulgarorum circa annum 860. procuratæ, diſcipulum Bedæ immani parachroniſmo comminiſcatur, qui obiit anno Chriſti 735. ſimiliaque inſcitiæ atque impudentiæ reformatæ portenta, ut ad fabulam Joannæ papiſſæ tandem aliquando pertingam.

Pag. 613. Mentitur ſplendide I. cum ait, hodie Jeſuitas, ad quos ceu triarios ſumma vindicandi ab omni vitio & labe majeſtatem pontificiam rediit, ſola negandi pertinacia perſuadere aliis velle figmentum eſſe, nihil tale fieri potuiſſe. II. cum inter Jeſuitas numerat Baronium, Genebrardum, Onuphrium: licet ſolus ex his, quos citat, Guauterius Jeſuita fuerit. III. cum argumenta quibus ſedis Romanæ defenſores (quos impuriſſimus terræ filius putriſque fungus appellare non ve-

veretur gnathones & nuper natos parasitos) historiam suspectam reddere conantur, docte satis diluta fingit ab auctore catalogi testium veritatis, a Conrado Deckero, ab Andrea Riveto, similibusque catholicæ majorum suorum fidei apostatis. Hortor ego ut demonstrationem nostram chronologicam siculneis suis arietibus concutere satagat, & Maresio adlaboranti ac sub ejus pondere gementi fraternam opem ferat. Experiemur quoque, Deo bene juvante, an in mortario contusus, feriente desuper pilo, resipiscere discat, & stultitiam pristinam deponere: qua impulsus temere effutiit chronologiæ rationem in pontificum illorum, de quibus agimus, historia confusam esse atque perplexam, eamque anomaliam irrepsisse per papam Joannem VIII. aut juxta alios VII. Quis vero vel inter heterodoxos ipsos, addo & Helveticos acatholicos, tam stupidus atque hebes, aut in ecclesiam catholicam adeo efferatus, qui fatuitatem Hottingeri non detestetur? Nec obstat, inquit initio pag. 617. quod Leoni immediate successisse scribatur Benedictus III. idque decimo quinto statim die post illius obitum, cum vel de iis tantum sermo sit, qui ex pontificiorum mente legitime sunt ordinati; unde expresse plerique scribunt Joannem illum in catalogum pontificum non referri; vel hæc successio juxta eos tantum debet intelligi, qui mercede conductum calamum ita direxerunt, ut ne quid sedis Romanæ auctoritati incommodasse videantur. Si enim decimo quinto post Leonis IV. obitum die statim suffectus est Benedictus III. qui fieri potuit ut inter eos Joanna sederet per duos annos, menses quinque, & dies quatuor? Verum pluribus supersedemus modo. Hæc enim præmetia sunt dumtaxat virgidemiæ Hottingerianæ. Aderit fortassis tempus illud, cum majore usi otio ex infelicissima illa segete uberrimam colligemus messem, discetque suo damno φλυαρώτατος & si quis alius inficetissimus nebulo, ringentibus ne quidquam ecclesiæ catholicæ hostibus, *Lojolitas verum solere dicere*: mentiri vero solitos fuisse Stumpfium, Bullingerum, Vadianum, Scaligerum, similesque a majorum suorum fide abductos παραβάτας Lutheri, Zuinglii, Calvini, hæresiarcharum discipulos. Quia vero obiter Zuinglii, Bullingerique meminimus; placet ab Hottingero sciscitari, quam religionem professus sit patriarcha ille Zuinglius, quo duce atque incentore infortunatissimi quidam Helvetii catholicam eamque avitam fidem, in qua per plurima sæcula feliciter vixerant, turpissime deseruerunt, qui in expositione fidei ad Franciscum I. Christianissimum Francorum regem hæc ausus est scribere anno 1531. ab H. Bullingero anno 1536. in lucem publicam emissa, atque in corpore operum Zuinglianorum anno 1581. Tiguri edito, non prætermissa parte II. folio 559. ubi de vita æterna: Si ergo cum Deo sunt diva Virgo, Abraham & Paulus, quæ vitæ ratio est in cælis, &c. Credimus ergo animos fidelium protinus ut ex corporibus evaserint evolare cælo, numini conjungi, æternoque gaudere. Hic tibi sperandum est, o piissime rex, si modo instar Davidis, Ezechiæ & Josiæ rerum summam a Deo tibi creditam moderatus fueris, visurum esse primum numen ipsum in sua substantia, &c. Deinde sperandum est tibi visurum esse sanctorum, prudentium, fidelium, constantium, fortium, virtuosorum omnium, quicumque a condito mundo fuerunt, sodalitatem, cœtum & contubernium. Hic duos Adam, redemptum ac redemptorem: Hic Abelum, Enochum, Noam, &c. Isaiam ac deiparam Virginem de qua ille præcinuit, Davidem, Ezechiam, Josiam, Baptistam, Petrum, Paulum: Hic HERCULEM, THESEUM, SOCRATEM, ARISTIDEM, ANTIGONUM, NUMAM, CAMILLUM, CATONES (*etiam ipsum, qui se interemit, Uticensem*) SCIPIONES: Hic antecessores tuos, & quotquot in fide hinc migrarunt majores videbis tuos, &c. Certe qui nullam aliam felicitatem exspectat, quam quæ ipsi cum HERCULE, THESEO, CATONIBUSQUE communis futura est, nullam profecto sperat, nullam credit, & cum iis sempiternis tartarorum addicetur suppliciis. Tales sunt Zuinglius, Bullingerus, & si qui ejusdem farinæ eorum successores & discipuli inter Helvetios & alibi, ergo &c. Cum hanc fabam concoxerit Hottingerus, alia eidem devoranda pulmenta affatim subministrabimus.

ADMONITIO EJUSDEM ad lectorem.

QUod si quis forte conqueratur crudeli nimium pro Deo pietate, ut loquitur sanctus Hieronymus, hoc est durius nonnunquam a me atque inclementius habitos, cum hæresiarchas ipsos, tum Lutheri, Calvini, Socini, similiumque pestium mangones atque administros, retortis in eos plerumque missilibus, quæ in veritatis catholicæ vindices ipsi per summam impudentiam intorserant, interroget ille, amabo, quisquis erit, noster an adversariorum, quibus honorum titulis cohonestandi sint præcones hæreseon perversorumque dogmatum propagatores. Respondebit

I. CHRISTUS DOMINUS.

PSeudochristi sunt & pseudoprophetæ, seductores, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Cæci & duces cæcorum: progenies viperarum: similes sepulcris dealbatis, excolantes culicem, camelum autem glutientes: fures & latrones, qui non intrant per ostium in ovile ovium, sed ascendunt aliunde, ut furentur, mactent, & perdant, &c.

II. S. PETRUS APOSTOLORUM princeps.

MAgistri mendaces, qui introducunt sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem; per quos via veritatis blasphematur: irrationabilia pecora, voluptatem existimantes diei delicias, coinquinationes & maculæ, oculos habentes plenos adulterii, pellicientes animas instabiles, cor exercitatum avaritia habentes, maledictionis filii, fontes sine aqua, nebulæ turbinibus exagitatæ, servi corruptionis, canes reversi ad vomitum & sues lotæ in volutabro luti, &c.

III. SANCTUS PAULUS GENTIUM doctor.

HOmines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, scelesti, sine pace, criminatores, incontinentes, proditores, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes: resistentes veritati, corrupti mente, reprobi circa fidem, seductores, proficientes in pejus, errantes & in errorem mittentes, &c.

IV. S. JOANNES EVANGELISTA

ANtichristi multi facti sunt. Ex nobis prodierunt, *Lutherus, Calvinus, Beza, Arminius*, So-

Socinus, &c. ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſ- A ſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum. Omnis ſpiritus qui ſolvit JESUM, ex Deo non eſt: & hic eſt antichriſtus. Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Chriſti, Deum non habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis, &c.

V. SANCTUS JUDAS APOSTOLUS.

SUbintroierunt quidam homines impii, Dei gratiam transferentes in luxuriam: carnem maculant, dominationem ſpernunt, majeſtatem blaſphemant: quæcumque autem naturaliter tamquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur. In B via Cain abierunt, errore Balaam mercede effuſi ſunt, & in contradictione Core perierunt. Nubes ſine aqua quæ a ventis circumferuntur; arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ; fluctus feri maris deſpumantes ſuas confuſiones; ſidera errantia, quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum; murmuratores, queruloſi, ſecundum deſideria ſua ambulantes, &c. Hi ſunt qui SEGREGANT SEMETIPSOS, animales, ſpiritum non habentes, &c. *Simon*, *Arius*, *Neſtorius*, *Pelagius*, *Felix*, *Vviclefus*, *Lutherus*, *Calvinus*, &c.

SANCTUS IGNATIUS EPISCOPUS Antiochenus.

COnſueverunt quidam dolo malo nomen circumferre, ſed quædam operantes indigna Deo, quos oportet vos ut beſtias declinare. Sunt enim canes rabidi latenter mordentes, quos oportet vos obſervare exſiſtentes difficile curabiles. Alibi vocat eos συνηγόρους θανάτου concionatores mortis. Fugite malas propagines generantes fructum mortiferum κακὰς παραφυάδας γεννώσας καρπὸν θανατηφόρον. Idem ſeu quis alius in epiſtola ad Magneſios: Filii perditionis, hoſtes Salvatoris, quorum Deus venter eſt, qui terrena ſapiunt: voluptatum non Dei amatores, ſpeciem quidem pietatis habentes, virtutem vero ipſius abnegantes: ſub Chriſti nomine & prætextu mercatum exercentes, verbum Dei adulterantes, & Jeſum vendentes, mulierum corruptores, &c. Ad Trallianos: ματαιολόγοι φρεναπάται, οὐ Χριστιανοί, ἀλλὰ χριστέμποροι, fraude circumferentes Chriſti nomen, & adulterantes verbum evangelii, & erroris venenum allinentes dulcibus alloquiis, velut mulſo aconitum miſcentes, &c. *Plures alias poterunt exhiberi.*

HIC VERO ERIT IMPOSTERUM, FAVENTE CHRISTO, META ET TUMULUS PAPISSICÆ FABULÆ, NEMINE HÆRETICORUM CONTRA MUTIRE AUSO AUSURO VE IN ÆTERNUM.

[A]NNO [CH]RISTI 855.

VITA ET EPISTOLÆ BENEDICTI PAPÆ III.

ANNO CHRISTI 855.

BEnedictus [a] tertius natione Romanus, ex pa- C tre Petro, ſedit annos duos, menſes ſex, dies decem. Beatus vir iſte dilectiſſimus viſceribus editus, ſidereo pollens rore, creſcenſque celerius divinorum ſtudio apicum patris ad erudiendum arbitrio traditur. Qui veluti ſpongia citiſſime lympham capit, ſacrorum ita voluminum didicit lectiones, rudimentaque cognovit, accepit, mentiſque ſuæ fundatione poſuit, & inviſibilibus radicibus propagavit. Celeberrima quidem cum de eo fama pervulgaretur, in Lateranenſe patriarchium perducitur, cleroque locatur. Erat autem ſapiens verbo, doctrina præclarus, ſobrius converſatione, loquela pacificus, cunctis compatiens, omnibuſque obediens, denique benigniſſimus. Cum eum intueretur papa Gregorius almificus peritum doctri- D nis, atque proficuum, in ſancta illum conſtituit Romana eccleſia ſubdiaconum. In quo ordine plura ſacræ converſationis certamina habuit: nam carnem vicit, ac mundi principem, & omnia ejus argumenta nequiſſima. Obiit deinde Gregorius præſul, migravitque ad Dominum. Sergius autem gubernacula Romanæ ſuſcepit antiſtes eccleſiæ, eoque defuncto apoſtolicam Leo papa ſedem ſuſcepit: oppido, qui illum pro feliciſſimis actibus diligens ſuperno compunctus nutu cæleſti cum titulo ingenti presbyterum conſecravit honore. Cujus beatitudo in tantum longe lateque refulſit at- E que præfloruit, ut omnibus beatiſſimus dictis & opere diceretur. Evidenter autem in eo divina permanere ſapientia cognoſcebatur, quia largifluis puriſque ejus omnes fovebat affectibus, & luce clarius perornabat, caducique ac tranſituri mundi delectabilia reſpuebat, & quidquid utebatur, egenis atque pauperibus erogabat. Jejuniis vero validus, oratione aſſiduus perſiſtebat, pervigilque in Dei quotidie laudibus commorabatur.

[margin: ...dicti vir ... | ...ubdiaco- ...a Grego- ...V. | ...presbyter ...one.]

Leo quidem ubi hac luce ſubtractus præſul occubuit, mox omnis clerus, iſtius Romanæ protectæ ſedis, univerſique proceres, cunctuſque ſenatus ac populus congregati ſunt Domini clementiam exorantes, ut beatificum illis omnibus demonſtrare dignaretur paſtorem, qui culmen apoſtolatus regere valuiſſet tranquille. Divinitus igitur æthereo tunc lumine inflammati, uno conſenſu, unoque eum conamine Benedictum pro tantis quibus pollebat ſacris operibus pontificem promulgaverunt eligere.

Illico vero alacri univerſa ſtudio plebs & populi cœtus cæleſti titulo properantes, Deo illum omnipotenti, ut ſolitus fuerat, invenerunt fundentem orationem. Surgens autem, & populi denſiſſima cernens agmina, rem cognovit, & mente concepit. Interea multis cum lacrymis genua flectens flebili voce omnes deprecabatur taliter, dicens: Non me a mea deducatis eccleſia, rogo, quia tanti culminis non ſufficio ſuſtinere, nec bajulare gravamen. Benedictus animadvertit ſe poſtulari in papam.

Illi vero nullatenus acquieverunt, ſed virtutibus eum ex eodem titulo abſtrahentes cum hymnis & canticis ſpiritualibus ampla exſultatione & ineffabili gaudio in patriarchium Lateranenſe perducentes, pontificali ſolio, ut mos eſt pontificum, canaque conſuetudo demonſtrat, poſuerunt. Lætatur propterea urbs, exſultat eccleſia, congaudent ſenes, ovanteſque divinas modulantur virgines laudes, ditantur pauperes, locupletantur inopes, conſolantur captivi, conſurgunt debiles, infirmi ſanantur, celerique pede concurrunt, quia extenſa in eis triſtitia fuerat, contemplabantur confuſa, & tranquillitas florigera videbatur erecta. His itaque peractis clerus & cuncti proceres decretum componentes propriis manibus roboraverunt, & conſuetudo priſca, ut poſcit, inviſtiſſimis

Vi cogitur ſuſcipere papatum. Hinc clare liquet Leoni IV. non Joannem VIII. feminam, ſed Benedictum ſucceſſiſſe.

simis Lothario ac Ludovico destinaverunt Augustis. Ipsum autem qui deducebant legati decretum, fuerunt hi: Nicolaus videlicet Anagninæ antistes ecclesiæ, & Mercurius magister militum: Arsenio Eugubino episcopo obviantes adinvicem confabulari cœperunt: qui callidis eos sermonibus liniens corda eorum mollire cœpit, beatique fidelitatem jam fati declinaverunt electi, cum quibus etiam consilium studuit confirmare, ut depositum anathematizatumque Anastasium, quod divina nullatenus permittebat clementia, pontificatus insula perornarent. Euntes itaque Hlodouvico decretum benignissimo Cæsari dantes, duplici, quam mentibus gerebant, intentione Romam reversi sunt, adventumque missorum nuntiantes imperialium epistolas eidem insigni obtulerunt electo, quibus Augusti continebantur responsa. Qui omni clero, ac reipublicæ cœtibus diris machinationibus consilium, quod Eugubii, ut prætulimus, cum Arsenio statuerunt, adimplere cupientes dicebant: Omnes in obviam imperialibus simul nobiscum exire studete legatis, quatenus Augusti jussionibus obedientes exsistere valeatis.

Per fraudem Anastasium depositum quidam conantur facere papam.

Post aliquot quoque dies ipsi, quos prænuntiaverunt, missi Hortam, quæ quadragesimo miliario a Roma distat, properaverunt. Ex quibus in eam Adelbertus Bernarduſque ingressi comites cuidam olim damnato, Arsenio cogente episcopo, se conjunxerunt * presbytero nomine Anastasio, qui in sancta synodo beatæ præsidente Leone memoriæ præsule rite secundum sacrorum promulgationes canonum excommunicatus, depositus, & anathemate vinctus fuerat: non habentes Deum præ oculis, ipsiusque præcepta confundere, ut tyranni, cupientes evidenter meditabantur, qualiter eumdem ejectum, anathematizatumque Anastasium apostolico culmine sublevarent contra traditionem, omniumque sanctiones pontificum virorumque almorum. Missi quoque, quos jam supra meminimus, qui imperatori nostrum decretum benignissimi de electione Benedicti porrexerant, id est, Nicolaus episcopus & Mercurius magister militum mentibus cognitum conceptum habentes consilium cum aliis quibusdam Romam egressi nobilium, id est, Gregorio, Christophoroque magistris militum, obviam quasi imperatoris legatis profecti sunt, Hortamque properantibus urbem fidelitatis sacramentum, quod fecerant almifico Benedicto, parvipendentes, obliviscentesque electo, damnato se conjunxerunt, depositoque presbytero: hac sub occasione multi concedentes ab urbe similiter peregerunt, *cogitantes consilium*, juxta illud prophetæ elogium, *quod non potuerunt stabilire*. Urbe deinde exeuntes ab Horta juxta basilicam beati Leucii martyris pervenerunt, insultantes & gloriantes in sua virtute, cum quibus Radualdus Portuensis episcopus, Tudertinæque urbis Agatho antistes aderant, qui clam Roma discesserant urbe. Et eidem anathematizato tetra irretiti caligine se junxerant, obscurati sensu, mente, & anima.

* Presbytero cardinali.

Legati Romæ missi deficiunt ad pseudopapam.

Psal. 20.

Conspirant plures contra Benedictum.

Hoc ipse Dei famulus audiens Benedictus electus G. G. Majonemque venerabiles prudentesque, & omni scientia plenos episcopos ipsis imperialibus missis cum aliquibus literis studuit destinare, quos apprehendentes Artio anathematizato monente presbytero vinxerunt, & custodibus tradiderunt, quod nec barbari gentiles in legatis perfeciſſe audiuntur.

Postmodum autem sæpius dictus Christi minister Benedictus electus Hadrianum insignem secundicerium sanctæ sedis apostolicæ illis atque Gregorium ducem obviam direxit.

Altera autem die, missione fungentes omni clero cunctoque senatui, & universo populo mandaverunt, ut obviam illis trans Milvium pontem imperatoris jussionibus irent. Tunc omnes dolum nescientes Romani neque fallaciam, acquieverunt, Milviumque trans pontem urbem egressi unanimiter perrexerunt. Properantibus quidem ad martyris jam fati basilicam, ipsi, de quibus jam supra legati meminimus, eidem deposito anathematizatoque presbytero episcopo clerus Romanæ plebis, ac proceres obviaverunt, cum quibus pariter equitantes per Neronis campum urbium jam mœniis properabant. Hadrianum quoque insignem secundicerium, de quo supra retulimus, vallatum custodibus deducebant. Gratianum vero sacri super istam patriarchii, atque Theodorum scriniarium apprehendentes recluſos lanceis retinebant, & astrictos, quod nullatenus Augustorum jussione præceperant, nec eorum voluntate dictaverant, sed hoc infelix depositi præsumptio agebat presbyteri, qui virtutibus Leonianam cum ipsis Cæsaris legatis ingrediens urbem apostolorum repente, quam non debuerat, principis introire basilicam, Dei parvipendens judicium, audacter invasit, tantaque ac talia infaustæ operationis mala peregit, qualia nec Sarracena in ea perficere manus præsumpsit vel arbitrata est. Imagines enim confregit, ignique concremavit, & synodum, quam supra sanctuarii januas beatæ memoriæ Leo pingi papa jusserat, destruxit, Dominique Jesu Christi ejusque semper Virginis genitricis iconam bipenni, quod non debuerat, ad ima dejecit, pro quo detestabili opere orthodoxæ cuncti cultores fidei lacrymas fundentes ingemiscebant, & tristitia replebantur ac mœrore.

Pseudop vi irruit i deni S.P

Pseudop confring magines æde S. P

His itaque peractis hostili virtute ipse Romam depositus ingreditur presbyter, celeriterque ad Lateranense properavit cum iniquissimis ejus sequacibus, & sæculari potentia patriarchium, multisque telorum generibus januas ejus aperiens tyrannus veluti cruentus eas introivit, solioque, quod nec manibus debuerat contrectare, resedit, & cuidam Balneoregiensi episcopo, qui vocitabatur nomine Romanus, tantum cum non opere ferinis obumbratus mentibus cerneretur, præcepit ut beatissimum Benedictum, quem omnis Romana, ut prætulimus, plebs elegerat, pontificali, quo resideret, ejiceret solio. Qui etiam vestimenta pontificalia, quibus indutus erat, ut barbarus tulit atque exspoliavit, multisque eum injuriis verberibusque replevit.

Idem oc pat thro pontifici

Benedict detinebat

Tunc ipse depositus Anastasius eumdem benignissimum Benedictum electum, humana, non Dei virtute, custodibus, qui arctius eum constringerent, tradere studuit, Joanni scilicet Hadrianoque dudum presbyteris, qui a Leone præsule pro illorum criminibus damnati fuerant atque depositi ex omni sacerdotali officio. Mox universa urbs ululatu ampliſque repleta est fletibus, & gravi murmure quaſſata jacebat. Illico quidem omnes episcopi, cleruſque, ac Dei populus, sancta sanctorum ingressi, tundentes pectora sua profusis lacrymis intra vestibulum & altare solo prostrati jacebant, Dei orantes majestatem, ut tanti erroris caligine sua eos victrice dextra liberaret. Septimæ tum feriæ cursus peragebatur.

Totus po lus & cl in luctu

Altera vero die prædicti episcopi cum universo clero ac populo in Æmilianæ titulo convenerunt, in quo etiam Augusti sæpius dicti legati frementes, magnaque tumentes superbia pervenerunt, & impetu facto absidam, in qua episcopi psallentes residebant cum clero leones veluti ferociſſimi conscenderunt, erectisque jaculis eos conabantur elidere, ensibusque punire, dicentes: Acquiescite, & vestro consensu pontificali Anastasius culmine subrogetur. Illi vero sancto repleti Spiritu affirmabant,

bant, dicentes: Numquam in depositum, & anathemate a sancto præsule, beataque synodo vinctum consentimus, sed modis omnibus abjicimus, & a Dei cœtibus segregamus. Ipsi denique furibundi verberibus eos tormentisque dicebant se velle eos punire, sed beatissimus Deique omnipotentis antistes, & qui cum ipsis aderant, terrores vel minas eorum parvipendentes, immobiles perstiterunt. Quorum constantiam jam dicti Franci cernentes ab eis ira discesserunt repleti, & in quoddam cubiculum ipsius basilicæ sunt ingressi, diversaque consilia meditabantur, in quod etiam Ostiæ, & Albani antistites coactos introduxerunt, quos molliori sermone blandisque reducere adulationibus decertabant, & postmodum asperis promissionibus circumdabant, quibus stridula etiam voce dicebant: Nullatenus vitam possidere potestis, sed capitali subjacebitis sanctioni, nisi consecrationis Anastasio gratiam dederitis. Illi autem ante se morti tradere proferebant, membratimque se laniari, quam depositio anathemate damnato consecrationis tribuerent benedictionem. Arguebant autem eosdem missos, & universas demonstrabant sacræ responsionis scripturas, qualiter nullatenus eumdem depositum in ordine quem poscebat constituere valuissent. Protinus vero secretius linguam eorum confabulantes furor, qui in eis exuberabat, minuit, mentibusque eorum videbatur expulsus.

Tertia vero feria lucescente omnes episcopi cum clero ac populo in basilica Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, congregati sunt. In qua omnis plebs, ac populi multitudo extensa voce clamavit, Benedictum beatissimum papam volumus, ipsumque desideramus, quod jam fati audientes legati mirabantur. Videntes itaque quia in Anastasium Christi unitas almaque concordia nullo flectebatur ingenio, in quodam patriarchii cubiculo episcopos convocaverunt, atque alios sacerdotes cum clero. Cum quibus amplum agitare studuerunt conflictum, sed tam probabilibus missorum audaciam superaverunt sermonibus atque doctrinis, ita ut infausta illorum mentis cogitatio contemplaretur contrita atque confusa. Hoc cernentes missi venerabilibus dixerunt episcopis; Accipite vestrum electum, & in quam vultis basilicam eum deducite. Et modo Anastasium, quem depositum dicitis, ab hoc patriarchio ejicimus. Trescque per dies jejunium cum orationibus celebremus, & postmodum quidquid superna clementia demonstraverit, impleatur. Almifici vero episcopi clamaverunt: Ejiciatur a nostra præsentia invasor atque depositus Anastasius & ab hoc expellatur patriarchio, & tunc facimus quod hortamini.

Illico prædictus Anastasius magna cum turpitudine de patriarchio ejectus atque expulsus est, ut omnes multimodas orthodoxæ cultores fidei Domino nostro Jesu Christo persolverent grates.

Episcopi quidem cum universo clero ac populo beatissimum accipientes Benedictum ejectum de basilica, in qua clerici commorantur, deduxerunt, quia ibidem custodibus a sævissimo fuerat Anastasio collocatus. Qui cum omni alacritate atque exsultatione cum ipso in basilicam Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, descenderunt. De qua exeuntes eum super equum ovantes, in quo Leo præsul sedere consueverat, posuerunt. Quem etiam magna populi præcedente caterva in basilicam Dei genitricis, quæ ad præsepe dicitur, deduxerunt, in qua jejuniis & orationibus tribus diebus noctibusque vacantes summam majestatem Domini multis lacrymis exorabant.

Expletoque jejunio omnes, qui se anathematizato depositoque conjunxerant, divino compuncti nutu, Deique inflammati favore in jam fatam basilicam, in qua beatissimus, ut prætulimus, Benedictus erat, unanimes convenerunt, & procedentes vestigia ipsius osculari cœperunt, qui & dicebant: Erravimus, & lubrico a te pede discessimus, sed pastor veluti sanctissimus ovium suscipe agmina per nemus errantia, sessoque sinu agniculos collige, tuisque nos obumbra sub alis. Protinus ipse a Deo protectus Benedictus extensis brachiis, puris mentibus, cordeque benigno omnes amplecti sitiebat, & osculis perornabat, quibus etiam dicebat:

Adversarii osculantur pedes Benedicti.

Gaudete, inquit, dilectissimi, & magis exultate, quia ecclesiam quæ scissa fuerat, Christus Dei Filius sua unire virtute dignatus est. Hæc dicens, & his similia prædicans, etiam ipsi imperiales ibidem convenerunt legati, qui salubribus verbis ac mollioribus cum eodem secretius electo confabulabantur.

Subito vero omnes episcopi, universusque clerus, atque innumera Romani populi multitudo ex eadem eum deducentem basilica cum hymnis & canticis spiritalibus in patriarchium Lateranense introduxerunt, & in pontificali solio, de quo ejectus fuerat, posuerunt. Denique universa congratulabatur ecclesia, & omnis populus amplis vocibus resultabat. Præterea dominico die diluculo in basilicam beati Petri apostoli ab episcopis, clero, proceribus deductus est, & in conspectu omnium, imperialibus missis cernentibus in apostolica sede, ut mos est, & antiqua traditio dictat, consecratus ordinatusque est pontifex. Portuensis vero episcopus prohibitur ab ecclesia, ordinationem, quam debuerat, super eum nullatenus fecit, quod anathemate sese junxerat, ac in perjurii voraginem ceciderat atque manebat.

In throno pontificio collocatur.

Consecratur pontifex.

Post sacra autem tunc missarum sollemnia celebrata, in patriarchii Lateranensis pontifex ordinatus reversus est ecclesiam. Erat enim mitissimus, & omnibus sacris decoratus operibus, vultu pulcher & mente clarus, dulcis verbo, doctrina benevolus.

Dona oblata ecclesiæ Lateranensi.

Sed quia cuncta non sufficimus per ordinem enarrare, ad ea quæ diversis sanctorum locis obtulit extendere calamum studeamus. In primo quidem pontificatus sui exordio superno exardescens amore in basilica Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, ipsius redemptoris Domini nostri Jesu Christi miræ pulcritudinis ex argento purissimo auroque persusam fecit iconam, leonem draconemque pedibus conculcantem, pensantem libras sexdecim & semis. Et in basilica sanctæ Dei genitricis semperque virginis dominæ nostræ, quæ Ad præsepe nuncupatur, auream obtulit pretiosissimamque coronam unam pensantem libras quatuor. In qua vero basilica baptisterium destructum multa per tempora manserat, celeri studio, futuram sperans a Domino retributionem, restauravit, & ad pristinum statum perduci procuravit.

Ipse quoque insignis & beatissimus papa in basilica beati Petri apostoli ex argento mundissimo auroque susam cantharam interrasilem, in quam thus mittitur, obtulit: ubi etiam candelabra septem cum cornibus ex argento purissimo obtulit aureo nitentia colore.

Jam in basilica doctoris mundi beati Pauli apostoli sepulcrum, quod a Saracenis destructum fuerat perornavit, pensans libras numero centum tres. Etiam in basilica beatæ Dei genitricis trans Tiberim obtulit vestem unam in circuitu ornatam de olovero, habentem in medio crucem de chrysoclavo. Fecit autem in basilica beatæ Dei genitricis, quæ vocatur Antiqua, quam a funda-

S. Pauli.

men-

mentis Leo papa viam juxta ſacram conſtruxerat, vela de fundato cum periclyſi de biatthin numero tredecim: Qui etiam in baſilica beati Laurentii martyris ſita foris muros civitatis obtulit aureas claves, atque conceſſit. In menſe vero quinto conſecrationis hujus præclari pontificis, id eſt, menſe Januario die .... fluvius qui appellatur Tiberis alveum egreſſus eſt ſuum, & per campeſtria ſe dedit, intumuitque inundatione aquarum multarum, & ingreſſus eſt per poſterulam, quæ appellatur ſanctæ Agathæ, in urbem Romanam hora diei ..... Tranſcendit interea aliquibus locis, & ingreſſus eſt in eccleſiam beati Silveſtri, ita ut & gradus omnes aſcenderet in baſilica Dionyſii præ multitudine aquarum, excepto uno, qui ſuperius erat, & exinde expandit ſe ſu per plateam, quæ vocatur, Via lata, & ingreſſus eſt in baſilicam ſanctæ Dei genitricis Mariæ, & ibidem tantum intumuit aqua, ut etiam portæ ipſius eccleſiæ non viderentur præ multitudine aquarum. At inde aſcendit per plateas & vicos uſque ad clivum Argentarii, exinde vero reflexus ingreſſus eſt per porticum, quæ eſt poſita ante eccleſiam ſancti Marci menſe ſupradicto die ſexto apparitionis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundum carnem, id eſt theophaniæ. Inde autem impetum faciens cœpit decurrere in cloacam, quæ eſt juxta monaſterium ſancti Silveſtri, & ſancti Laurentii martyris, quod vocatur Pallacini. Et ab ipſo die & deinceps cœpit paullatim aqua minui, & fluvius poſt multo damno facto in ſuum alveum reverſus eſt. Nam domos evertit, agros deſertavit, evellens ſegetes, & eradicans arbuſta. His itaque peractis præfatus beatiſſimus papa nimio amore conſtrictus in eccleſia beatæ Dei genitricis ſemperque virginis Mariæ dominæ noſtræ, quæ ponitur trans Tiberim, fecit veſtem in altari majori de chryſoclavo habentem hiſtoriam aſſumptionis ejuſdem Dei genitricis.

Tiberis exundat.

Dona in beatæ Mariæ ædc.

Obtulit etiam in monaſterio ſancti Chriſti martyris Anaſtaſii, quod vocatur Ad aquas Salvias, gabatham ſaxiſcam ex argento puriſſimo unam penſantem libras numero tres. Nec non & in baſilica beatæ Dei genitricis, quæ olim Antiqua vocabatur, nunc autem ſita eſt juxta Viam ſacram, fecit veſtem cum chryſoclavo habentem hiſtoriam nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundum carnem. Simili modo & in monaſterio beati Martini fecit caniſtra ex aſoci duo ex argento puriſſimo penſantia libras numero quatuor & ſemis. Item venerabilis & præclarus pontifex fecit in eccleſia beati Cyriaci martyris, quæ ponitur via Oſtienſi, veſtem de fundato unam. Pari modo & in eccleſia beati martyris Felicis, quæ ponitur in Pincis, fecit veſtem de fundato unam cum gryphis. Fecit vero egregius præſul in titulo beati Chryſogoni martyris calices ex argento puriſſimo numero quinque, qui penſant ſimul libras undecim, & uncias ſemis. Nam & in titulo Caliſti fecit amam unam ex argento puriſſimo penſantem libras decem. Ibi & ipſe fecit gabathas quatuor penſantes libras novem & ſemis. Similiter & caniſtra novem penſantia inſimul libras XI. Ad laudem & gloriam ipſius eccleſiæ fecit evangelium argento auroque perfuſum unum penſans libras quindecim. Item ibi ipſe fecit cortinam unam, caniſtrum unum, arcum cum duabus gammadiis ex argento puriſſimo penſantia inſimul libras quadraginta. Et in eccleſia beatæ Balbinæ martyris obtulit evangelium ex argento puriſſimo.

S. Anaſtaſii.

S. Cyriaci.

S. Chryſogoni.

S. Balbinæ.

Verum etiam & in baſilica doctoris mundi beati Pauli apoſtoli fecit veſtem de cryſoclavo miræ magnitudinis & pulcritudinis decoratam unam.

S. Pauli.

Et in eccleſia beati Petri principis apoſtolorum nutritori ſuo præ nimio amore exardeſcens ad cooperiendum * billicum confeſſionis fecit cooperculum ex auro puriſſimo penſans libras tres.

S. Petri.

* F. umbilicum.

Et in monaſterio ſanctorum Chriſti martyrum Sergii & Bacchi, quod appellatur Callinici, fecit calices de argento puriſſimo duos, & patenam unam, colatorium unum, cantharam unam. Thymiamaterium unum, penſans ſimul libras 4. Ipſe quidem inſignis & beatiſſimus pontifex in ſuperno fundamine mentis obſervantiam ponens, nil terrenis finemque habentibus, ſed ſpiritualibus ſalubribuſque tantummodo operibus delectabatur; & in cunctis, quæ ſalutis ſunt, quotidie præclaro intuitu permanebat.

S. Sergii Bacchi.

His vero ſacris beneficiis ornatus, apoſtolorum principi, polique janitori, obtulit miræ pulcritudinis veſtem unam aureo textam opere, decoreque fulgentem almificam, annuntiationis habentem hiſtoriam, & hypopanti, & qualiter ipſe unigenitus Dei Filius templum ingreſſus doctorum in medio reſidebat. Verumtamen iſdem prædictus & beatiſſimus præſul nimio amore accenſus, Deique adminiculo ſuffultus, fecit in baſilica beati ac egregii prædicatoris Pauli apoſtoli regnum de auro puriſſimo ſpanocliſtum cum catenulis ſuis habens in medio crucem auream item ſpaniſcam, quæ pendent aſſidue ſuper ejuſdem altare penſantia libras 2. & unciam unam.

S. Petri.

S. Pauli.

Obtulit quoque in eadem baſilica cantharam de argento mundiſſimo unam penſantem uncias novem.

Ipſe vero inſignis & beatiſſimus papa fecit cruces argenteas ſeptem, quæ per olitana tempora per omnes catholicas eccleſias more ſolito præcedebant, & quia præ nimia vetuſtate confractæ fuerant, iſdem præclarus & ſanctiſſimus præſul * a noviter reſtauravit, & in priſtinum ſtatum iterum reduxit, quæ penſant ſimul libras quinquaginta unam & ſemis.

* eas.

Nec non & in baſilica S. Chriſti martyris beati Sebaſtiani, quæ ponitur in loco qui vocatur Fraſcata, obtulit idem pater egregius veſtem de fundato unam, habentem in medio crucem cum gammadiis de quadruplo. Simili modo fecit in baſilica beati & egregii prædicatoris Pauli apoſtoli veſtem rubeam de arodina 1. cum chryſoclavo.

S. Sebaſtian.

Verum etiam & in titulo S. Cyriaci martyris fecit veſtem de fundato unam. Ipſe vero beatiſſimus pontifex exardeſcens amore fecit in baſilica beati Petri apoſtoli nutritori ſuo pharum ex argento unum miræ magnitudinis, qui penſat libras & unc. .....

Hic vero beatiſſimus pontifex divina inſpiratione repletus fecit in eccleſia beati Levitæ Laurentii foris muros hujus civitatis Romanæ veſtem de fundato unam cum chryſoclavo miræ pulcritudinis decoratam.

S. Laurentii

Sed & ipſius præcipuæ ſarta tecta eccleſiæ beati Petri apoſtoli nutritoris ſui, id eſt navem majorem & aliam navem quæ ſuper corpus ejus eſt, magnis trabibus impoſitis numero ſeptem, procacique artificio elevatis luciflue renovavit.

Et in titulo beati Cyriaci martyris obtulit evangelium unum ex argento puriſſimo ad laudem & gloriam ipſius eccleſiæ. His itaque peractis præfatus beatiſſimus papa nimio amore conſtrictus in eccleſia beatæ Dei genitricis ſemperque virginis Mariæ dominæ noſtræ, quæ ponitur trans Tiberim, abſidam majorem ipſius eccleſiæ, in ruinis poſitam, noviter atque a fundamentis faciens, ad meliorem erexit ſtatum. Feneſtras vero vitreis coloribus ornavit, & pictura muſivi decoravit. Nec non & porticum atque baptiſterium cum ſecretario omnia & in omnibus ſarta tecta noviter renovavit.

S. Cyriaci

Cæ-

Marci. Cœmeterium vero beati Marci confeſſoris atque pontificis, quod ponitur foris portam Appiam qui in ruinis jam poſitis omnia reſtauravit. Nec non & in eccleſia beatorum Petri & Marcellini martyrum, cujus tectum jam vetuſtate poſitum vicinum ruinæ exiſtebat, depoſitis vetuſtiſſimis trabibus & aliis impoſitis noviter ipſum tectum atque porticus in circuitu omnes naviter reſtauravit.

Petri & rcellini.

In baſilica quoque jam ſæpius dicti egregii doti Pauli. ctoris mundi beati Pauli apoſtoli iſdem antiſtes ſanctiſſimus Benedictus præſul pulcherrimi decoris rete factum miro opere totum ex gemmis alvaberis, & bullis aureis, concluſas etiam auri petias in ſe habens ſmaltitas videlicet majore numero 21. cum aliis pariter minoribus. Nec non & amendulas aureas numero 11. & gemmas chryſoclavas pendentes numero 10. magno amore præcepit fieri, & ſuper factum ſanctum altare ad honorem apoſtoli offerens pendere juſſit aſſidue. Verum etiam ætherio compunctus nutu magnam ctionarium iſſum re- uit. ſanctæ eccleſiæ, ut idoneus Chriſti miniſter, curam corde puriſſimo indeſinenter gerens, textum ſcilicet voluminis, in quo conſtant veræ prædicationis Pauli videlicet apoſtoli, & aliorum apoſtolorum epiſtolæ, atque prophetarum ordinabiliter conſtitutæ lectiones, quæ a ſubdiaconibus leguntur per cunctas eccleſiarum ſtationes more ſolito, rurſum in ambone raptum, vel perditum a ſancta eccleſia fuiſſe percipiens, captus magna vehementique ſollicitudine tale dignum ſimiliter volumen præparare ſtuduit, in quo Græcas & Latinas lectiones, quas die ſabbato ſancto paſchæ, ſimulque & ſancto pentecoſtes ſubdiaconi legere ſoliti ſunt ſcripturas adjungi præcepit, miræque operationis tabulis argenteis decenter adornans ſanctæ eccleſiæ Romanæ libenter obtulit.

ichael F. eophili, perator o- ntalis do- mittit Ro- m. Hujus temporibus Michael filius Theophili imperatoris Conſtantinopolitanæ urbis imperator ob amorem apoſtolorum miſit ad beatum Petrum apoſtolum donum per manum Lazari monachi, & pictoriæ artis nimie eruditi, genere vero Chazai, id eſt, evangelium de auro puriſſimo, cum diverſis lapidibus pretioſis. Calicem vero ſimiliter de auro, & lapidibus circumdatum, reticulo pendente de gemmis albis pretioſis miræ pulcritudinis decoratum & vola duo de olovero, cum cruce de olovero, & liſta ſimiliter de chryſoclavo, & parva cooperioria ipſius calicis, ſicut mos Græcorum eſt. Similiter & veſtem de purpura imperiali munda ſuper altare majus ex omni parte cum hiſtoria & cancellis, & roſis de chryſoclavo magnæ pulcritudinis deornatam, etiam & velum de ſtauraci unum, cum cruce de chryſoclavo, & litteris de auro Græcis.

konum rex igionis uſſa Ro- am petit. Hujus temporibus rex Saxonum nomine, cauſſa orationis veniens, reliſtis omnibus ſuis rebus, regnum proprium ſuum dimiſit, Romam properans ad limina apoſtolorum Petri & Pauli, cum multitudine populi, & obtulit dona beato Petro apoſtolo, coronam ex auro puriſſimo penſantem libras 4 Bancas ex auro puriſſimo duas penſantes libras ..... Spatham cum auro puriſſimo ligatam. Item imagines duas minores ex auro puriſſimo: gabathas ſaxiſcas de argento exaurato quatuor. Saraca de olovero cum chryſoclavo 1. Camiſias albas ſigillatas holoſericas cum chryſoclavo, & vela majora de fundato duo.

Et ipſe rex Saxonum poſtulante ſanctiſſimo domno Benedicto papa, ut faceret rogam in eccleſia beati Petri apoſtoli publicam de pondere auri vel argenti librarum, epiſcopis, presbyteris, diaconis, & univerſo clero & optimatibus Romanis tribuit aurum, populo vero minutum argentum.

Et poſtmodum finita cauſſa orationis reverſus eſt ad proprium regnum ſuum, & poſt paucos dies vitam finivit, & perrexit ad Dominum.

Multum denique idem præſul ſanctarum Dei eccleſiarum curam gerens, ſemperque pio mentis affectu, ac ſtudio in illarum reparatione gaudens, in baſilica regni cælorum clavigeri nutritoris ſui fatum cantharum argenteum ſedentem in pedibus 4. a Sarracenis olim ablatum, in quo ad decus ipſius baſilicæ in diebus feſtis, atque dominicis lucerna ſimul & cerei ponebantur juxta lectorium mirifico opere fecit, ac renovavit penſans libras. .... Erat enim ad divini cultus amorem ſemper intentus paciſque amator, & omnium ſupernorum pudicis moribus operum cultor. S. Petri.

Hic conſtituit ut cum epiſcopus, vel presbyter, aut diaconus moreretur, pontifex una cum omnibus epiſcopis & presbyteris, atque diaconibus, necnon & reliquis clericis ad ejus ſepeliendum corpus & commendandam animam, conveniret. Papa ſepulturæ clericorum ſolet intereſſe.

Similiter etiam ipſi facerent, cum pontifex ab hac luce migraſſet, quod non ſolum docuit, ſed & fecit. Cujus veſtigia ſequens ſucceſſor ejus in cauſſa pietatis hujus, ſicut & in ceteris eum tamquam hæres devotiſſimus imitatus eſt. Hic fecit ordinationem unam per menſem Decembrem, presbyteros 5. diaconum 1. epiſcopos per diverſa loca numero 66. Sepultus vero eſt ante fores baſilicæ beati Petri apoſtoli.

Nota Severini Binii.

a *Benedictus*.) Leone defuncto abſque mora in locum ejus conſenſu omnium ſubrogatus eſt Benedictus III. Faction vero pravorum quorumdam, qui ad flagitium uſi ſunt legatorum imperatoris opera, Anaſtaſius cardinalis presbyter tituli ſancti Marcelli, quem ſupra in concilio Romano tempore Leonis IV. celebrato excommunicatum fuiſſe diximus, intruſus eſt per ſchiſma in ſedem apoſtolicam; idque imperatoris Ludovici conatu, qui oderat in electione Romani pontificis nullam ſui rationem haberi. Verum reſiſtente clero populoque Romano ſchiſmaticus ejicitur, atque in ſuam ſedem Benedictus reſtituitur. Hæc ſummatim ex Anaſtaſio. Hujus tempore Lotharius imperator relicto ſæculo, anno imperii ſui decimo quinto, qui eſt Chriſti octingenteſimus quinquageſimus quintus, habitum monaſticum ſuſcepit. Benedictus fit pontifex.

EPISPOLA I. BENEDICTI PAPÆ III. AD HINCMARUM ARCHIEP. RHEMENSEM.

Confirmatio Synodi Sueſſionenſis II. cum privilegiis eccleſiæ & archiepiſcopi Rhemenſis.

Benedictus epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Hincmaro archiepiſcopo ſanctæ Rhemenſis eccleſiæ.

PRobabilium ſacrorumque definitiones geſtorum audientium mentes exhilarant, faciuntque alacres, & in tantum mortalium lætitia corda replent, ut in conditoris omnium exuberent laudes, facilique intuitu illarum confirment proficuas intentiones & actus, validoque & inconvulſo propagare fundamine certamine ingenti procurent. Noſtri quemadmodum pontificii cor dulciſonis tuæ benignitatis apicibus lætius effectum eſt & hilarius: ſtrenua quos perlegentes inquiſitione, noſtræ te eſſe conjunctum dilectioni internis novimus oculis, diviniſque proſperitatibus efficacem. Synodique textum imminenti ventilantes intuitu, ejuſque actus, quam apud Sueſſionis civitatem tua beatitudo ſtuduit celebrare, cum epiſcopis tuæ diœceſeos, venerabilibuſque archiepiſcopis, Vvenilone ſcilicet Senonenſi, Amalrico Turonenſi, aliiſque epiſcopis, ut ſcriptis in ea contuliſti, ſubtilique demonſtratione pandere procuraſti: quæ Ivo parte 4. cap. 256.

ad

ad profectum ſanctæ noſcuntur eccleſiæ piis auctoritatibus ſtatuta ſancitaque reperimus, præcipue in quibus æquiparare te viros illos proſpeximus, qui non terrenis actibus, caduciſque delectati ſunt obſervationibus, infinitoque Dei zelo accenſi, eccleſiaſtica promulgarunt ſtatuta & ordines. Hæc cernentes, ad ea quæ cupis nullatenus nos inclinare ambigimus, tuæ venerationis adimplere cupientes affectum. Et quia ut devotus fideliſque in omnibus filius, pro inſtructione ſeu confirmatione geſtorum ac regularum eccleſiaſticarum, ſemper ad hanc te ſedem recurrere contemplamur; definitiones fraternitatis tuæ, & ceterorum epiſcoporum, quas in præfata ſynodo apoſtolicis canonicisque auctoritatibus propriis digitis roboraſti, ſi ita eſt, noſtro ut ſcriptis præſulatui intimaſti, & geſtorum ſerie demonſtraſti, ratas eas quidem definitiones apoſtolica fore promulgamus auctoritate, ſemperque manere ſtatuimus, ut inde quæſtio nullis aliquando temporibus oriatur, & aſpirantes indebite anhelitus compreſſi funditus perpetuo maneant: ne amplius ullorum contradicentium adverſitatibus Dei conturbetur eccleſia; ſed omnibus eruta ſcævæ pertractationis erroribus unita ſemper in Chriſto permaneat. Inter hæc quidem & hoc ſancimus, ne quilibet tuæ diœceſeos regulis ſubjectus eccleſiæ, te contempto, impune audeat ſeu valeat aliena expetere aut exſpectare judicia, ut almorum traditionibus patrum, canonumque promulgationibus eſt conſtitutum: ſalvo in omnibus jure apoſtolicæ noſtræ ſedis, ut ab ipſo veluti Chriſto & ſacris eſt cautum canonibus. Sed cuncti, ſive in præfatione ſive in ſubjectione debita, ordinem ab eccleſiaſticis regulis traditum obſervantes obediant, & ſtudioſius obtemperare procurent. Et hoc promulgamus, atque ſtatuimus, ut te, qui ejus provinciæ primas dignoſceris, nullius umquam infeſtatione, contra canonica apoſtolicaque decreta, ſive judicia eccleſiaſtica tibi commiſſa, aut virtute aut facultate nudari, aut ante audientiam Romani pontificis a quocumque damnari ſtatuimus: ſed ſi compellatus appellare ad hanc ſanctam ſedem volueris, apoſtolici papæ judicio reſervari, noſtra, immo beati Petri auctoritate præcipimus: nec alicui cujuſcumque juri vel judicio te ſubjici, excepta poteſtate ſedis Romanæ pontificum. Et hoc volumus, ne quilibet ex provincia & diœceſi metropoli tuæ tibique ſubjecta, jus ſecundum eccleſiaſticas conſtitutiones primatui eccleſiæ tuæ & tibi debitum quoquo modo per contemptum convellere, aut tibi vel eccleſiæ tuæ quamcumque violentiam contra eadem canonica conſtituta, & decreta Romanorum pontificum, pertinaciter inferre præſumat, cum anathematis interpoſitione noſtra apoſtolica, & beati Petri apoſtolorum principis auctoritate, prohibemus. Optamus fraternitatem tuam in Chriſto nunc & ſemper bene valere.

Ivo ibid.

Hincmarus epiſt. 6. c. 21.

Ibid. c. 24.

Ibid. c. 26.

II. AD EPISCOPOS IN REGNO CAROLI CONSTITUTOS.

Adverſus Hubertum clericum ut infra dies xxx. Romam veniat de criminibus, quorum inſimulabatur, reſponſurus.

Benedictus epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverentiſſimis & ſanctiſſimis archiepiſcopis cunctiſque epiſcopis in Caroli glorioſi regis regno morantibus.

BOnorum ſemper innovamur auditu, & actibus hilareſcimus Deum diligentium, animo ſuperna pollentium, quos beatitudo ſublimat divinoque connectit conſortio, & poli perducit ad climata: atrocitatibus autem, actibuſque malorum lamentamur, quorum ſceleribus circumdatur, & plena malis eorum operatio manet: quorum in cunctis curſus eſt deteſtabilis, perſeverantia ſæva, infelixque opinio. Quibus Hubertum clericum, quondam Buſonis filium, relatione ſimilem eſſe cognovimus; qui tantis ſqualoribus irretitus, mentem ad ſuperna non ſublevans, ævi perennis particeps eſſe nolit. Multorum vero ingemiſcentium clamoribus hominum, horrificiſque aſſertionibus, plura infelicis ſuæ audaciæ mala, diraſque perpetrationes noſtri præſulatus didicerunt legati. Qualiter olim ſacrorum fuit conjunctus numero clericorum, adeo ut in divinis celebrandis myſteriis more ſubdiaconorum ſacras lectiones conſcendens ambonem populo nuntiaret. Nunc autem, quod lacrymantes referimus, iniquorum ſceleratiſſimorumque hominum converſationibus ſociatus, infauſtæque vitæ unitus, & multis piaculis criminibuſque plenus, ad periclitationem ſuæ, quod non debuerat, animæ iniquo certamine tendit, & cruenta tyrannide perſeverat. Et hoc multis narrantibus audierunt, quod cum ſcenicis mulieribus quotidie degere non dubitet, quæ animas perdunt, & corpora fauciant, ad imaque deducunt. Et quia aggregatione multorum hominum ſibi noxiorum conjuncta, multa in plebem Domini, pretioſa quam paſſione e faucibus nequiſſimi eripuit leonis atque redemit, homicidia & innumera adulteria, turpeſque fornicationes ac deprædationes illicitas & inſuſtentabiles perpetrare non ceſſet. Non ſolum hæc, ſed & plurimis etiam affirmantibus didicerunt, quod monaſterium ſancti glorioſique Mauritii martyris, apoſtolicis privilegiis munitum, tanta ferocitate pervaſit, ut nullus jam priſcæ religionis in eo ordo ſervetur. Nam illa quæ Deo ibidem famulantibus ex ope ipſius miniſtrabantur, nunc meretricibus, canibus, atque avibus, nequiſſimis nec non hominibus ſua largiuntur præceptione. Idque monaſterium ab eccleſia findens, Aimoinus, cui præſidere videbatur antiſtes, ſacrorum canonum patrumque violans ſanctiones, indecenter poſſidere non dubitet. Et quia monaſterium in commemoratione beati Petri apoſtoli Luxovii conſtitutum, cujus clauſtri aditus mulieribus numquam patuit, hoſtili modo ingreſſus, cum illicitis mulieribus per aliquot dies commorari non trepidarit. Quamdam etiam mulierem, quæ cauſſa pudicitiæ a proprio ſe viro diſſociavit, Deoque ſe vovit, atque dicare promiſit, & poſtmodum diaboli jaculo terebrata atque percuſſa, a monaſterio fugiens, cuidam adultero juncta ſuæ ſe defenſioni ſubmiſit, poſtremo vero archiepiſcoporum epiſcoporumque quæſita cœtui minime eſt præſentata, qui una cum defenſoribus ſuis eam ab eccleſiaſtica communione expulerunt; hactenus uſque, divinum non timens judicium, ſua defenſione retinere non ceſſet. Pacemque, quam inter Hludouvicum munivimus Cæſarem ſemper Auguſtum, ſuoſque glorioſos germanos, ſua miſerrima cupiditate, ad multorum Chriſtianorum necem atque periculum ſcindere, ut audivimus, non dubitavit. Hæc & multa horum ſimilia de eo audientes, profuſis lacrymis condolemus, ne ſuæ fragilitatis in his eum finis contingat, Erebique voragini addicatur. Propterea volumus, & apoſtolica ſuæ præcipimus auctoritate induſtriæ, ut omni poſtpoſita excuſatione, ablatoque ingenio poſt xxx. dierum curricula, quam hæc illi fuerit præſentata epiſtola, iter inchoare non pigeat, Romamque celeri ſtudio properare feſtinet: ut præſentialiter videre valeamus, atque

atque cognoscere, si taliter circa eum hæc quæ dicuntur exsistant, ut spiritali abluere censura curemus, sauciataque membra cælestis reformare medicinæ collyrio valeamus. Cupimus enim illum tantis erutum esse delictis, & supernæ patriæ sacris monitis perficere civem. Si autem venire neglexerit, ad nostramque apostolicam sedem secundum præceptionem pergere noluerit, scire vos volumus, quia mox illum ab ecclesiastica communione expellimus, ita ut nec vobiscum, nec cum ullis Christianæ cultoribus fidei consortium habeat, & a dominico corpore sanguineque eum facimus alienum. Optamus beatitudinem vestram in Christo bene valere.

III. IN CONFIRMATIONEM PRIVILEGIORUM CORBEJÆ.

Benedictus episcopus servus servorum Dei universis episcopis Galliarum,

Vide supra pag. 183. B Spicil. VI. Pacherii pag. 397.

CUm Romanæ * sedis pontificem constet omnium ecclesiarum Christi caput atque principem fore, tamquam beati Petri principis apostolorum vices agentem, cui Christus totius ecclesiæ committens principatum fatur: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cælorum*: Cunctatio nulli fidelium relinquitur, quod universis ecclesiis sollicitudinem prætendere, & omnium in Christo credentium saluti, paci, atque quieti prospicere nos oporteat, ut & quæ prava sunt, corrigantur, & quæ rata, roborentur, quæ corrupta sunt, restaurentur, quæ autem integra, conserventur. Cumque hanc curam circa universalis ecclesiæ corpus per totius orbis latitudinem diffusæ custodire debeamus, speciali tamen prærogativa post Romanam atque Italicam erga ecclesias Gallicanas nobis convenit observare, quemadmodum prædecessores nostros feciſſe manifestum est. Quod competentius nunc quoque fieri oportere ipse reipublicæ status testificatur, quandoquidem utramque provinciam unius imperii sceptrum non dividit, & Romanæ dignitas ecclesiæ una cum terreno principatu utriusque provinciæ regnum communi jure disponit, ut & rerum principes sua decreta Romanæ ecclesiæ sancitis præmuniant, & ecclesiastica jura principum statutis adjuventur, æstimantes terrenæ reipublicæ rectores tunc se feliciter imperare, si suis sanctionibus apostolica confœderetur auctoritas, quam dum in nobis suscipiunt ac venerantur, illum se suscipere gratulantur qui discipulis suis loquitur, dicens: *Qui vos recipit, me recipit*. Hinc e contrario de contemptoribus ait: *Qui vos spernit, me spernit*.

Matth. 16. 18.

Matth. 10. vers. 40.

Igitur cum, sicut dictum est, apostolicæ sollicitudini universalis ecclesiæ credita sit dispensatio, & pro cunctorum fidelium statu perpetuas nostræ sollicitudini vigilias prætendere conveniat, maxima tamen diligentia curam earum debemus ecclesiarum gerere, quarum specialius providentiam ratio suscepti officii a nobis docet agendam; ut non solum ea quæ hactenus in suo statu permanent intemerata serventur, verum ea quæ lapsa sunt ad prioris formæ dignitatem reducantur. Unde cognoscat omnium præsulum sanctorum per Gallias commorantium reverenda fraternitas, quod vir venerabilis Odo Abbas ex monasterio Corbejæ provinciæ Galliarum, quod est constructum in pago Ambianensi super fluvium Summæ, adiit nos per venerabilem Anselmum abbatem; petens ut nostræ auctoritatis privilegium super electionis propriæ statu, & rerum suarum libera possessione seu dispensatione prædicto monasterio Corbejæ concederemus. Ostendit quoque nobis privilegia ab episcopis edita, unum a prælule * Ambianensi, ad cujus diœcesim locus ille pertinet, & coepiscopis suis factum atque roboratum, jam antiquis temporibus; & aliud ab archiepiscopo Rhemensis ecclesiæ * Hincmaro & universali concilio episcoporum Galliarum paucis intercedentibus annis conscriptum, & subscriptionibus propriis roboratum, petentibus ut ad quoscumque, sive episcopos sive abbates pervenerit, subscribere non graventur. In quibus privilegiis decretum est, ut præfatum monasterium Corbejæ & rerum suarum liberam obtineant dominationem & eligendi sibi abbatem de suis semper habeant potestatem. Contradictores vero & repugnantes huic sanctioni anathemate perpetuo damnandos. Super hæc autem magnifici imperatoris Lotharii & Ludovici ac Caroli * mandatum atque supplicatio accessit idipsum postulantis, videlicet ut episcoporum privilegia nostra quoque auctoritate firmarentur.

* Scilicet Bellefrido vide supra pag. 527. A tom. VI.

* Vide sub finem tomi superioris ad an. 846.

* Spic. vr. p. 887.

Nos itaque cernentes, religiosam fore postulationem, neque ab apostolica sollicitudine prætereundum quod pro servorum Dei quiete, & sancti pontifices pie statuerunt, & magnifici principes religiose rogabant, & abbas congregationis ejusdem necessario postulabat, censuimus rogati concedere quod ultro decebat nostram pastoralem sollicitudinem exhibere.

Cognovimus etiam, referente venerabili * Amelmo abbate, cœnobium, de quo agimus, a præcellentissima Francorum regina Balthilde nobiliter ædificatum, & a primæ fundationis suæ statu cum nobilitate sanctorum virorum & religionis monachicæ observantia; tum quoque principum Francorum favoris prærogativa, & munimini protectione semper floruisse. Qua de re factum est, ut & immunitates rerum suarum, & privilegia eligendi abbatem omnes ei concederent, concessumque fore perpetuis diebus decernerent, suarumque munimenta concessionum in archivis monasterii ad memoriam futurorum servanda reponerent. Quibus cognitis omnibus nefas esse duximus si non religiosorum principum devotionem sequentes, & sanctorum præsulum exempla comitantes, nostræ cessionis auctoritatem monasterio Corbejæ tribueremus, ne qui primi propter apostolicæ sedis primatum in ecclesiasticis negotiis disponendis inveniri debeamus, ipsi posteriores reperiamur; & qui ad servorum Dei quietem comparandam ceteris auctoritatis lumen præstare exemplo nostro jubemur, loquente Domino, *Vos estis lux mundi*, ipsi per negligentiæ teporem minime boni operis fulgorem aliis præbeamus.

* Amelmo.

Matth. 5.

Qua de re noverit omnis ecclesia Galliarum & universus episcoporum cœtus eidem ecclesiæ præsidentium, quod privilegia sanctorum præsulum, sive quæ diebus antiquis, sive quæ moderno tempore gesta sunt, monasterio Corbejæ, quod est constructum in pago Ambianensi super fluvium Summam in honore sanctorum apostolorum Petri & Pauli, & S. Stephani protomartyris, præsenti auctoritatis nostræ edicto roboramus; id est, ut res monasterii, sive quæcumque a fidelibus oblata fuerint Deo & congregationi fratrum ibidem Christo famulantium, in dispositione abbatis & fratrum maneant; neque episcopus Ambianensis, ad cujus diœcesim cœnobium illud respicit, aliquid exinde præsumat, aut aliquis episcoporum, quorum in parochiis res aut basilicas habere cognoscuntur, neque in agris, villis, prædiis, aut cellis, aut in his omnibus quæ ad jus & dominationem eorum respiciunt, aut episcopus, aut œconomus, seu archipresbyter, aut archidiaconus,

nus, aut quilibet ministrorum seu propositorum ejus aut conventus faciant, aut convivia præparent, aut aliquid potestatis jure sibi vindicent, aut exigant vindicanda. Hac quoque conditionis lege omnes episcopi se conveniri noverint, quorum parochias res Corbejensis monasterii respicere cognoscuntur: nec novum, nec inusitatum caussetur quisquam fore quod decernimus, quandoquidem & huic cœnobio constat olim jam hoc concessum, & multis aliis non solum in Gallia vel in Italia, verum toto terrarum orbe, non solum monachorum, verum canonicorum monasteriis, hodieque conspicimus manere indultum: & unaquæque ecclesia debet manere suis privilegiis contenta, nec ab alia * pervadi vel usurpari, quod alterius juris esse conspicitur.

* alio.

Cumque Galliarum permaxime ecclesias fidelium collationibus a Deo constet esse ditatas, ut nemo sit fere episcoporum, cui suæ sumptus ecclesiæ satis superque non sufficiant, cujus gratia necessitudinis, quæ servorum Christi sunt usibus collata, in suos convertere sumptus præsumant? Si enim clericorum, qui de propriis abundant reditibus, communicatio prohibetur cum eis quæ conferuntur ecclesiæ, ne dum illi acceperint, qui de propriis abundant, eorum qui nihil habent inopia non levetur; qua conscientia episcopus suæ sumptibus ecclesiæ sufficiens, quæ servorum Dei fuerint usibus collata præsumat contingere? Nec veretur quod per prophetam Dominus exprobrat sacerdotibus dicens: *Rapina pauperis in domibus vestris*. Pauperes enim Christi esse quis nesciat, qui contemnentes substantiam mundi, Salvatoris nostri vestigia sectantes, qui *cum esset dives pro nobis pauper effectus est*, sanctæ professionis titulum sibi divitias arbitrantur?

Isa. 3.

2. Cor. 8.

Quisquis igitur aliquid horum quæ fuerint ad necessitates eorum collata præsumpserit, & suis commodis applicuerit, rapinam in domum suam de substantia pauperis congregat. Omnia quoque quæ sunt ecclesiis oblata vel delegata in pauperum, pupillorum, viduarum, certum est necessitates destinata. Quare quisquis ex his aliquid in suas utilitates exigit, rapinam pauperis in domum suam congestam detinet. Et apostolus ait: *Quia rapaces regnum Dei non possidebunt*. Unde ab omnibus quæ monasterio Corbejæ fuerint, vel oblata, vel quocumque legitimo jure possessa, in pecuniis, in agris, in prædiis, in domibus, in cellis, aut ecclesiis, nihil ex eis sibi præsumat aut episcopus, aut quicumque ministrorum ejus, ne contra nostram & majorum auctoritatem faciens, regum quoque decreta pro servorum Christi quiete constituta contemnens, reum se sancti concilii & perpetuæ damnationis efficiat.

1. Cor. 6.

Et quomam monachi tranquillitatis pacem, & securitatis otium habere debent, ut Deo vacantes professionis suæ regulam valeant observare, nec episcopus, nec archidiaconus ejus accedant ad præfatum monasterium, nec servorum Dei quietem perturbare præsumant; nisi forte aut abbas, aut fratres alicujus utilitatis gratia eum vocare voluerint; alias nec in abbatem, nec in aliquem de fratribus quidquam potestatis obtineat, neque per episcopalem fastum aliquid in eos ei liceat; verum abbas secundum regulam * S. Benedicti liberam monasterii sui habeat potestatem, & monachi ad ejus tamquam ad pastoris sui solummodo respiciant gubernationem, nec episcopale ministerium aliquid ditionis super eos obtineat. Quoniam cum abbas vices Christi in monasterio creditur agere, pastoris officium super creditas sibi oves habere cognoscitur: utque dispensationis suæ ministerium exercere prævaleat

* *S. Benedicti Reg. c. 65.*

Ibid. c. 2.

A digne, nullius debet perturbari potestate subjectus, sed ab omni episcopali liber dominatione, Christum tantummodo judicem sustineat, cui rediturus est de creditis sibi ovibus rationem. Quapropter modis omnibus statuimus; ut episcopus adventus sui præsentia monasterii tranquillitatem non inquietet, nec aliquid in eo episcopali potestate facere præsumat, nec fratribus aut abbati ullam molestiam, aut inquietudinis perturbationem ingerat. Quod si violare præsumpserit, non pastoris officium, sed eversoris atque conturbatoris dominici gregis noverit se agitare tyrannidem: ac per hoc non ut pastor suscipiendus, verum tamquam lupus ab ovili Christi removendus, damnationis suæ pœnas anathematis mucrone per-
B cussus excipiat. Altaria vero seu basilicas in monasterio rogatus ab abbate pro Christi nomine consecret atque benedicat. Chrisma quoque sive sanctificationis oleum singulis annis præbeat. Sed etsi quem petierit abbas aut de monachis aut de canonicis suis ad aliquem gradum ecclesiasticum consecrandum, nullatenus contradicat, nisi forte is pro quo petitur, indignus tali honore veritatis testimonio deprehendatur: quoniam sicut divinæ benedictionis sacramentum aut pro gratia largiri cuiquam non decet indigno, ita gratis debet exhiberi dignis, sicut Salvator ait: *gratis accepistis, gratis date*.

Matth. 10.

Electionis autem privilegium ut habeant fratres ejusdem monasterii decernimus, id est, ut
C quemcumque de se ipsis, qui sit monachicæ professionis, dignus tamen pastorali prælatione, voluerint eligere, secundum regularem auctoritatem, potestatem habeant eligendi. Et super hoc monentes obsecramus filios nostros glorioſos Lotharium, Ludovicum, Carolum * Augustum, ut sicut memorabiles augusti genitor & avus eorum, & priores ante se reges Francorum eidem cœnobio concesserunt eligendi de semetipsis abbatem, atque ipsi suis præceptis hoc idem sanxerunt, ita quoque conservare suis temporibus pro Christi amore dignentur, & conservanda perpetuis diebus æternitatis suæ legibus constituant; ut dum famulis Christi libertatem electionis concesserint, & concessam servare studuerint, & præsentis vi-
D tæ regnum, & sempiternæ beatitudinis gloriam a Domino ipsi percipere mereantur. Atque quod est aut regio munere, aut fidelium devotione ad idem cœnobium Deo famulisque ejus oblatum, nec ipsi auferant, nec alios auferre permittant. Quoniam valde justum constat atque religiosum, ut qui a Domino meruerunt percipere regni honorem, ipsi Deo conservent quod ei collatum est pia credentium devotione; & qui a Christo regali magnificentia prælati sunt ceteris, ipsi famulis Christi eligendi sibi pastorem non auferant libertatem. Nam quis ignorat illa quæ collata sunt Deo per fidelium manus, divinitati possidenda consignari, & ab humano jure in jus divinum concedi, nec etiam hominum dominationi posse
E transcribi quod constat divinitatis possessione semel fore contradictum? unde quisquis ea sui juris dominationi conatur adjungi, alterius, id est, Dei juris pervasorem certum est fore eum. Etenim si quis alicujus hominis possessionem per violentiam sibi conatus fuerit usurpare, reus publici juris efficitur, & tamquam raptor & pervasor hæreditatis alienæ legali judicio puniendus subjicitur. Multo magis igitur quicumque res Deo consecratas in jus suæ possessionis transfuderit, non humani tantum, verum etiam divini juris noxius tenetur, & non solum raptoris aut pervasoris crimine, verum etiam sacrilegii nota damnandus, cælesti judicio mulctabitur.

* *Augustum ex schedis MSS. Labbeanis.*

Unde

Unde magnifici principes cogitent quanto se crimine ante conspectum divinæ majestatis obligent, qui res Deo traditas invadere, & ab ecclesiasticis usibus in suas utilitates convertere non metuunt. Si vero privatorum quamvis ingenuorum hominum tamen possessiones injuste pervaserint, atque violenter abstulerint, non reges, id est, justi & modesti, sed tyranni, id est, crudeles & iniqui vocantur & habentur: quo nomine, quove honore censendi sunt, qui divinam hæreditatem, id est ecclesiæ Christi possessionem injuste invadunt, & violenter auferunt? unde hæc cogitantes filii nostri religiosissimi principes, res monasterii Corbejensis inviolatas illibatasque, tamquam sacra * divinitatis custodiant, nec ipsi eas tollentes, nec ab aliis auferri sinentes, ut ante conspectum superni regis quod dicuntur nomine reges merito censeantur; ut dum Deo quæ sua sunt custodiunt, eis a Deo & terreni regni principatus custodiatur, & sempiternæ beatitudinis corona tribuatur.

Quapropter monentes eos hortamur, ut tam sua quam priorum principum concessa inconvulsa custodientes, pontificum quoque nostraque decreta nullatenus prævaricantes, monasterio sæpedicto electionis privilegium tam suis quam futuris temporibus & servent, & servanda sanctionis perpetuæ stabilitate decernant. Veritatis etenim voce docemur, quoniam *si quis in ovile Christi non per ostium ingreditur, sed aliunde ascendit, hic fur est & latro*, & talis non dominici gregis salutem, sed sua lucra, non ut salvet, sed ut perdat, requirit. Ovile autem Christi fore collegium sanctum monachorum, nullus prudentium dubitat. In hoc ovile per ostium ingreditur, quando per electionis ordinem secundum regularem constitutionem aliquis pastorale ministerium sortitur: qui vero regia dominationis potestate suffultus, & non per electionis gratiam super dominicum gregem primatum arripit, hic non pastor, id est vicarius Christi, sed fur & latro esse cognoscitur; nec ut dominicum gregem custodiat, sed ut perdat & dissipet intrare deprehenditur. Unde quisquis ei potestatis hujus tribuit dominationem, de morte tantarum animarum in die judicii reus judicabitur, quantis hic per pravitatis exempla caussa fuit perditionis.

Qua de re, glorioſi princeps monasterio huic electionis prærogativam concedite, neque aliquam personam aut laicam aut canonicam, quod contra omnem ecclesiasticum ordinem est, aut etiam monachum ex alio monasterio, vel non secundum regulam electum, super illud regali potentia constituatis, ne domus Dei, *quæ domus orationis esse debet*, per vos *fiat spelunca latronum*. Neque enim ignoratis hujusmodi prælatos & auctores hujusmodi prælationis a domo æternitatis divina censura exturbandos, & ad supplicia ultionis perpetuæ deportandos. Unde quæ sententia damnationis a nobis est in tales exercenda, nisi quam Spiritus sanctus ore prophetico protulit, dicens: *Omnes principes eorum qui dixerunt, hæreditate * possideamus sanctuarium Dei; Deus meus pone illos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti: sicut ignis qui comburit silvam, & sicut flamma comburens montes, ita persequeris eos in tempestate tua, & in ira tua turbabis eos.* Qui sunt enim qui sanctuarium Dei hæreditate possidere dicuntur, nisi illi qui res Deo dedicatas, & ad usus pauperum servorumque ejus collatas, sæcularis potentiæ dominatu, non electionis gratia quærunt obtinere? principes autem illorum sunt hi, qui votis eorum suffragia præstando, aut ecclesiæ res illis tradendo consentiunt. Quali autem utrique feriantur divinitus ultione, superius dicta sententia comprehendit, quæ ostendit eos a cælestis patriæ stabilitate projiciendos, & temporalis * volubilitate lapsus quasi rotæ vertigine circumferendos, postque præsentis terminum vitæ, turbine divinæ animadversionis velut stipulam aridi tatis vanitate levissimam rapiendos, & infructuositatem eorum atque superbiam tamquam silvestrem sterilitatem, & contra Deum elatum tumorem terræ, igni, flammaque vorante comburendos.

Ut hanc igitur ultionis divinæ severitatem non subeant, studeant Christ.anissimi principes Christi ecclesiis electionis sua jura conservare, & quod universæ debetur ecclesiæ, Corbejensi non auferant monasterio; ut dum ei propter honorem Dei jus electionis indulserint, & res monasterii violentorum ambitionibus ne deserviant incontaminatas servaverint, ipsi cælestis regni cum Christo participium consequantur. Nec illud aliquando in sæcularium manus, aut canonicam dominationem permittant, quod habitatorum summa destructio est, & dantis, sive accipientis summa damnatio. Nam quid est aliud sæcularem personam pastoris vice ecclesiæ Dei præferri, quam abominationem desolationis in templo Dei constituere? Quicumque igitur hoc faciunt Pilato similes inveniuntur, qui Cæsaris imagines in templo Domini statuit venerandas. Et cum apostolus fidelibus loquitur, dicens: *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri*: qui sæcularem personam monachis præficit, quantum in sæculo de forma spiritus ad formam sæculi, & de imagine Christi ad imaginem terreni regis eos impellit: quoniam omnis subditus prælati sui debet imaginem sequendo imitari. Unde non parvo se delicti scelere putet involvi, qui tales ecclesiæ præponit, in quorum forma servi Christi, non Christi humilitatem, sed superbiam mundi, non cælestis patriæ desiderium, sed concupiscentiam sæculi contemplentur semper & addiscant. Rom. 12.

Quod quia videtis, excellentissimi principes, scelestissimum fore, hoc impietatis sacrilegium a monasterio Corbejensi propellite semper: ideo nec canonici ordinis personam super illum aliquando vel præponatis, vel præponi sinatis. Memores estote quod Nadab & Abiu, quia ignem alienum Domino in incensum obtulerunt, divino igni consumpti sunt. Ignem siquidem alienum in incensum offert Domino, qui monasticæ religioni aliquem sub canonica professione militantem, ut pastoris vicem obtineat, prærogat. Verum quia tales ultione feriuntur, illorum signat interitus, qui mox præsentis pœnæ supplicio consumpti, quid eorum imitatores mereantur suæ damnationis exemplo posteris signaverunt. Omnes quoque licet monasticæ sint professionis, si non per electionem regularem constituti fuerint rectores eidem monasterio, de quo loquimur, quia tales per munera cognoscuntur admissi, id est, aut per pecuniam, aut per gratiam, aut per obsequium, universa a nobis Petri principis apostolorum auctoritate cum Simone, cujus imitatores exsistunt, anathemate condemnantur. Et ut religiosi principes ab hac damnationis sententia maneant immunes, studeant omnibus modis circa monasterium præfatum electionis privilegium servare semper inviolatum: quoniam secundum jam olim a sanctis patribus definitam promulgationem ecclesiæ Corbejensis prælationem, non per legitimam monachorum in eodem cœnobio Christo militantium electionem, sed contra regularem atque canonicam auctoritatem, & dantem & accipientem Levit. 10.

a Christi regno, sanctorumque consortio anathematizamus; neque societatem poterunt habere Jerusalem cælestis, qui eam in terris peregrinantem dissociare conantur. Quod agere certum est omnes qui non pastores, sed latrones, nec Christi vicarios, sed anti-christi sequaces, super eam constituere non verentur, ut domus Dei, non domus orationis, sed spelunca latronum exsistat; nec in ea forma Christi, sed abominatio desolationis emineat.

Sed si reipublicæ rectores, divinorum contemptores præceptorum & episcoporum, atque nostram super hac re decernentem contemnentes auctoritatem, non quem regularis electio decreverit, sed quem eorum dominatio voluerit, illi præposuerit congregationi, monachi loci ejusdem episcopum, ad cujus diœcesim monasterium pertinent, obsecrent, ut aut per se ipsum, aut una cum eis ad archiepiscopum Rhemensem referat, atque simul principem conveniant, & eum super transgressionis suæ periculo commoneant. Quod si episcopus diœcesis illius aut propter timorem, aut favorem principis, aut propter imprudentiam, vel pastoralis curæ negligentiam, ferre auxilium vel noluerit, vel contempserit, fratres per se ipsos præfatum archiepiscopum & vicinos episcopos adeant, & necessitudinis suæ causam eis manifestent, utque sibi ferant auxilium supplicent. Archiepiscopus autem vel ipse solus, vel cum ceteris episcopis suæ diœceseos regem adeant, & super electione violata eum commoneant, utque corrigere dignetur, & verbis suadere, & precibus obsecrare non desistant. Quod si eos audire contempserit, nec peccati sui corrigere culpam maluerit, excommunicationis apostolicæ sententiam damnatus excipiat. Si vero vel episcopus cujus parochia est, aut archiepiscopus, aut ceteri suf. fraganei negligentes super hoc fuerint, aut contempserint, aut irritum duxerint, damnationis cujus sententiæ teneantur obnoxii non ignorant. Dicit enim propheta: *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram.* Unde noverint se eodem vinciendos anathemate, si neglexerint pro grege dominico pastoralis curæ sollicitudinem adhibere. † BENEDICTUS †

Ezech. 3. 18.

Scriptum per manum Theodorici notarii & scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ, in mense Octobrio, indictione quarta. Bene valete. * Actum nonis Octobris per manum Theophylacti secundicerii S. sedis apostolicæ imperante D. piissimo Augusto Hlotario a Domino coronato magno imperatore anno XXXIX. & post ejusdem annum XXXIX. sed & Hludovico novo imper. ejus filio anno VII.

* Hæc in spicilegio omissa.

IV. IN CONFIRMATIONEM PRIVILEGIORUM MONASTERII S. Dionysii in Francia.

Benedictus episcopus servus servorum Dei, Hludovico abbati venerabilis monasterii sanctorum martyrum Dionysii, Rustici & Eleutherii, ubi eorum sacra corpora requiescunt, & omni congregationi fidelium monachorum, quæ cum eo est, pax a Deo patre & Domino Jesu Christo.

QUæsti estis filii mei carissimi quod in terris quas apud Anglos Saxones habere videmini, multi per insolentiam illius terræ homines vobis injurias important, & præcipue, cum suprema forte funguntur reges, & alii succedunt in regno. Quapropter petistis, ut vobis donationes illas regum seu principum, vel cujuscumque, qui ad vestrum monasterium pro amore Dei summi ac veneratione prædictorum martyrum, seu pro salute sua, aliquid in illa terra largiti sunt, auctoritatis nostræ pagina firmaremus. Justum ergo considerantes, quod a nobis utiliter postulatur, auctoritate Dei Patris omnipotentis cum Filio & Spiritu sancto & beati Petri sanctorum apostolorum principis, cujus nos immeriti vicarii exsistimus, cum invocatione cælestium virtutum sancimus, & firmantes roboramus; ut quidquid in omni terra Britanniæ, vel ubicumque, sive a regibus, principibus, seu a quolibet homine, sive in terris, sive in aquis, qualiscumque sit illa possessio, quæ ad monasterium SS. martyrum Dionysii, Rustici & Eleutherii tradita est, absque invasione & violentia quorumcumque hominum, sub potestate abbatis & provisione monachorum ejusdem monasterii in perpetuum perseveret. Quod si aliquis hoc infringere, vel per alium aliquem voluerit, auctoritatis nostræ privilegium, sciat se anathemate insolubili damnatum, & a regno Christi alienum, & cum impiis æternis incendiis deputandum, nisi ielipuerit & ad satisfactionem congruam venerit. Qui autem ista conservaverit, auxerit, adjuverit, benedictionem percipiat a D. N. J. C. in sæcula sæculorum. Amen. Bene valete. Scriptum per manum Theodori notarii regionarii sanctæ Romanæ ecclesiæ in mense Majo, indictione septima. Datum per manum Megisti episcopi & bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis quinto idus Maji imperante domino piissimo perpetuo Augusto a Deo coronato magno imperatore, consulatus ejus anno octavo, indictione (*quinta*: [1] *non*) septima.

CON-

1 Labbeus recte observat loco *indictione septima* legendum esse *indictione quinta*; sed nec ipse, nec ullus alius animadvertit annum Consulatus Ludovici II. Aug. mendose etiam a Librario descriptum fuisse; quia scilicet Consulatus perpetui parum hactenus fuere cogniti. Quare cum Ludovicus an. 850. mense Decembri Imperium & Consulatum uno eodemque die, ut moris erat, susceperit, & Benedictus III. anno sequenti ante mensem Maium obierit, hæc Epistola serius quam currenti anno Indiction. V. & Consulatu VII. Ludovici II. Aug. notato dari non potuit. *Pagius ad An. Ch.* 857. *n.* 8.

ANNO CHRISTI 855.

CONCILIUM WINTONIENSE GENERALE ANGLICUM.

ANNO CHRISTI 855.

Tom. I. Cil. Bri.

Quinto nonas Novembris, anno Chriſti DCCCLV. indictione IV. celebratum, præſentibus Ethelvulfo rege Vveſtſaxoniæ; Beorredo rege Merciæ, & Edmundo rege Eaſtanglorum, una cum archiepiſcopis Cantuarienſium & Eboracenſium, ceteriſque totius Angliæ epiſcopis & magnatibus: in quo celebris illa donatio Ethelvulfi regis decimæ manſionis & omnium bonorum per terram ſuam Deo & eccleſiæ facta confirmatur.

Exemplar hujus donationis juxta Ingulphum Saxonem.

ngulpho is. Tem-

INclytus rex VVeſtſaxonum Ethelvulphus, cum de Roma, ut limina apoſtolorum Petri & Pauli, ac ſanctiſſimum ipſum Leonem multa devotione una cum juniore filio ſuo Alfredo peregre viſitaverat, noviter revertiſſet, omnium prælatorum ac principum ſuorum, qui ſub ipſo variis provinciis totius Angliæ præerant, gratuito conſenſu tunc primo cum decimis omnium terrarum ac bonorum aliorum ſive catallorum, univerſam dotaverat eccleſiam Anglicanam per ſuum regium chirographum confectum inde in hunc modum.

REgnante Domino noſtro in perpetuum, dum in noſtris temporibus bellorum incendia & direptiones opum noſtrarum, nec non & vaſtantium crudeliſſimas hoſtium deprædationes barbararum paganarumque nationum, multiplices tribulationes ad affligendum nos pro peccatis noſtris uſque ad internecionem, tempora cernimus incumbere periculoſa.

Quamobrem ego Ethelvulphus rex VVeſtſaxonum cum concilio epiſcoporum ac principum meorum conſilium ſalubre ac uniforme remedium affirmantes, conſenſimus, ut aliquam portionem terrarum hæreditariam antea poſſidentibus omnibus gradibus, ſive famulis & famulabus Dei Deo ſervientibus, ſive laicis miſeris ſemper decimam manſionem, ubi minimum ſit, tum decimam partem omnium bonorum in libertatem perpetuam donari ſanctæ eccleſiæ dijudicavi, ut ſit tuta & munita ab omnibus ſæcularibus ſervitutibus, immo regalibus tributis majoribus, & minoribus, ſive taxationibus, quæ nos dicimus *Vvinterden*, ſitque libera omnium rerum remiſſione animarum, & peccatorum noſtrorum ad ſerviendum Deo ſoli, ſine expeditione, & pontis exſtructione, & arcis munitione, ut eo diligentius pro nobis ad Deum ſine ceſſatione preces fundant, quo eorum ſervitutem in aliqua parte levigamus.

Deſideratur nonnihil in Ingulpho.

Acta ſunt hæc apud Vvintoniam in eccleſia ſancti Petri, anno dominicæ incarnationis 855. indictione 3..... nonas Novembris ante majus altare, pro honore glorioſæ virginis & Dei genitricis Mariæ, ſanctique Michaelis archangeli, & beati Petri apoſtolorum principis, nec non & beati patris noſtri Gregorii papæ.

Præſentibus & ſubſcribentibus archiepiſcopis & epiſcopis Angliæ univerſis, nec non Beorredo rege Merciæ, & Edmundo Eaſtanglorum rege, abbatum, & abbatiſſarum, ducum, comitum, procerumque totius terræ, aliorumque fidelium infinita multitudine, qui omnes regium chirographum laudaverunt, dignitates vero ſua nomina ſubſcripſerunt.

Rex vero Ethelvulfus pro firmitate ampliore obtulit hanc chartulam ſcriptam ſuper altare ſancti Petri apoſtoli, & epiſcopi pro fide Dei illam acceperunt, & per omnes eccleſias poſtea tranſmiſerunt in ſuis parochiis publicandam.

Exemplar hujus donationis juxta Guil. Malmesburium.

POſt triumphatos ſcilicet hoſtes, ad Dei cultum converſus (*rex Ethelvulfus*) decimam omnium hydarum intra regnum ſuum Chriſti famulis conceſſit, liberam ab omnibus functionibus, abſolutam ab omnibus inquietudinibus. Sed quantula eſt hæc ejus gloria? Romam compoſito regno abiit, & reliqua, *memoratiſque inſignibus ſuis aliis munificentiis, & rebus geſtis, huc ſe tandem recipiens Malmesburius*, apponam (*inquit*) ſcriptum libertatis eccleſiarum, quod toti conceſſit Angliæ.

REgnante Domino noſtro Jeſu Chriſto in perpetuum; dum in noſtris temporibus bellorum incendia, & direptiones opum noſtrarum, nec non & vaſtantium crudeliſſimas deprædationes hoſtium barbarorum, paganarumque gentium, multiplices tribulationes ad affligendum uſque ad internecionem cernimus tempora incumbere periculoſa. Occaſio.

Quamobrem ego Ethelvulphus rex occidentalium Saxonum, cum concilio epiſcoporum ac principum meorum concilium ſalubre, atque uniforme remedium affirmavi: ut aliquam portionem terrarum hæreditariam antea poſſidentibus omnibus gradibus, ſive famulis & famulabus Dei, Deo ſervientibus, ſive laicis, ſemper decimam manſionem ubi minimum ſit, tamen partem decimam in libertatem perpetuam perdonari dijudicavi, ut ſit tuta ac munita ab omnibus ſæcularibus ſervitutibus, nec non regalibus tributis majoribus & minoribus, ſive taxationibus, quod nos dicimus *Vvitereden*. Sitque libera omnium rerum pro remiſſione animarum noſtrarum ad ſerviendum Deo ſoli ſine expeditione, & pontis inſtructione, & arcis munitione, ut eo diligentius pro nobis ad Deum preces ſine ceſſatione fundat, quo eorum ſervitutem in aliqua parte levigamus. Donatio. Libertas.

Placuit etiam epiſcopis Alhſtano Schireburnenſis eccleſiæ & Svvithuno VVintonienſis eccleſiæ cum ſuis abbatibus, & ſervis Dei conſilium inire, ut omnes fratres & ſorores noſtræ ad unamquamque eccleſiam omni hebdomada die Mercurii, hoc eſt *VVeddenſday*, cantent L. pſalmos, & unuſquiſque presbyter duas miſſas, unam pro rege Ethelvulpho, & aliam pro ducibus ejus huic dono conſentientibus, pro mercede & refrigerio delictorum ſuorum: & pro rege vivente dicant: *Oremus. Deus qui juſtificas*: pro ducibus etiam viventibus: *Prætende, Domine*. Poſtquam autem defuncti fuerint, pro rege defuncto ſingulariter, & pro principibus defunctis communiter: & hoc ſit tam firmiter conſtitutum omnibus Chriſtianitatis diebus, ſicut libertas illa conſtituta eſt, quamdiu fides creſcit in gente Anglorum. Miſſæ pro rege & conſentientibus.

Scri-

ANNO CHRISTI 855. Locus & tempus. Dedicatio. Subscriptio.

Scripta est autem hæc donationis chartula, anno dominicæ incarnationis 844. indictione quarta, die quinto nonas Novembris in civitate VVentana in ecclesia sancti Petri ante altare capitale, & hoc fecerunt pro honore sancti Michaelis archangeli, & sanctæ Mariæ reginæ, glorioſæ Dei genitricis; simulque & beati Petri apostolorum principis, nec non & sanctissimi patris nostri Gregorii papæ, atque omnium sanctorum.

Desideratur aliquid in Malmesburio.

Oblatio. Publicatio.

Et tunc pro ampliore firmitate rex Ethelvulfus posuit chartulam super altare sancti Petri, & episcopi pro fide Dei acceperunt, & postea per omnes ecclesias transmiserunt in suis parochiis, secundum quod prædictum est.

Exemplar hujus donationis juxta Matthæum VVestmonasterienſem.

Tempus.

ANno (*inquit*) gratiæ DCCCLIV. &c. magnificus rex Ethelvulfus decimam regni sui partem Deo & beatæ Mariæ & omnibus sanctis contulit, liberam ab omnibus servitiis sæcularibus, exactionibus, & tributis. Quam donationem & chartæ suæ confirmationem hic ponere libet, ut ipsius devotio omnibus innotescat.

Occasio.

REgnante in perpetuum Domino nostro Jesu Christo, in nostris temporibus bellorum incendia, & direptiones opum nostrarum & vastantium crudelissimas hostium barbarorum, paganarumque gentium multiplices tribulationes, affligentium usque ad internecionem cernimus tempora incumbere periculosa.

Donatio.

Quamobrem ego Ethelvulfus rex occidentalium Saxonum, cum concilio episcoporum ac principum meorum, concilium salubre, atque uniforme remedium affirmavi, ut aliquam portionem terræ meæ, Deo & beatæ Mariæ, & omnibus sanctis, jure perpetuo possidendam concedam, decimam scilicet partem terræ meæ, ut sit tuta muneribus, & libera ab omnibus servitiis sæcularibus, nec non regalibus tributis majoribus & minoribus, sive taxationibus, quæ nos *VViteredeu* appellamus. Sitque omnium rerum libera pro remissione animarum, & peccatorum meorum, ad serviendum soli Deo sine expeditione, & pontis constructione, arcis munitione, ut eo diligentius pro nobis preces ad Deum sine cessatione fundant, quo eorum servitutem in aliquo levigamus. Libertas.

Placuit autem episcopis ecclesiæ Scireburnensis Alstano, & VVinton. Svvituno cum suis abbatibus, & Dei servis, viris scilicet & feminis religiosis, quibus supradicta collata sunt beneficia, consilia inire, ut omnes fratres & sorores, omni hebdomada die Mercurii, hoc est, *VVodnesday*, in unaquaque ecclesia cantent psalmos L. & unusquisque presbyter duas missas, unam pro rege, & aliam pro ducibus ejus in hunc modum consentientibus, pro salute & refrigerio delictorum suorum. Postquam autem defuncti fuerimus, pro rege defuncto singulariter, & pro ducibus communiter. Et hoc sit firmiter constitutum omnibus diebus Christianitatis, sicut libertas constituta est, quamdiu fides crescit in gente Anglorum. Psalmodi. Missæ p rege & l ris.

Scripta est autem hæc donationis charta, anno gratiæ DCCCLV. indictione quarta, quinto nonas Novembris in urbe VVentana ante majus altare beati Petri apostoli.

Cetera quæ sequuntur apud Ingulphum sectione 6. hic desiderantur, & ea etiam quæ apud Malmesburium habentur tam sectione 5. quam & 6.

CONCILIUM ROMANUM,

ANNO CHRISTI C. 856.

In quo Anastasius Presbyter Cardinalis sacerdotalibus exspoliatus vestibus inter Laicos recipitur.

CConcilium Romanum adversus Anastasium presbyterum Cardinalem tit. S. Marcelli habitum a Benedicto P. III. colligitur ex Hadriani PP. sententia anno 868. in eum lata, quam refert Annalista Bertinianus, & legitur supra in actis Concilii Romani anni 853. cujus initium est. Omni Dei ecclesiæ notum est, quid Anastasius tempore prædecessorum nostrorum pontificum gesserit, sed & qualiter ab eis de illo sanctæ recordationis Leo, & Benedictus eximii præsules instituerint, palam est cunctis. Quorum unus (*nempe Leo* IV.) eum deposuit, excommunicavit, & anathematizavit: alter vero (*sc. Benedictus III.*) sacerdotalibus exspolians vestimentis inter laicos in communione recepit. *Hoc autem per synodum factum fuisse eruitur ex subsequentibus.* Institutionem quoque venerandæ synodi ab ipsis sanctis Pontificibus factam, atque sub interpositione anathematis retractam, violari nobis subripiendo fecerit. *Et paullo post:* Sancimus illum eumdem Anastasium esse tenendum, quemadmodum de eo iidem domni Pontifices Leo & Benedictus sollemniter & synodice statuerunt. *Benedictus autem III. ab an.* 855. *ad* 858. *sedit, inter quod temporis spatium hoc Concilium statuendum.* ANNO CHRISTI C. 856

☞ CONCILIUM CONSTANTINOPOLITANUM,

In quo Gregorii Syracusani fautores damnantur,

Anno 856. habitum.

Ex Suppl. Mausi p. 947.

IGnatius Constantinopolitanus patriarcha Gregorium quendam Syracusanum episcopum damnaverat, & ab episcopali sede dejecerat, habita ea de re synodo, quam Labbeus anno 854. consignat. Michael imperator patriarchæ sui sententiam ratam habens & firmam, intelligensque episcopos nonnullos turbas pro eodem abiecto episcopo ciere, novam aliam synodum cogi jussit, Ignatio patriarcha forte tunc absente; atque a cœtu illo episcoporum anathemate feriendos seditiosos illos curavit. Rem totam subobscuris quidem verbis narrat Nicolaus I. in epistola ad eundem Michaelem imperatorem, quæ octava est inter epistolas Nicolai apud Labbeum. En verba epistolæ:

ANNO CHRISTI 856.

stolæ: *ecce scripta vestra missa ad antecessorem nostrum, (Benedictum) quæ penes nos recondita servantur, quosdam partis Gregorii Syracusani, congregatis episcopis, etiam absente fratre nostro Ignatio, vos anathematizasse testantur*. Porro hanc Synodum plane distinguendam esse ab ea, in qua Gregorius Syracusanus damnatus est, ex eo demonstratur, A quod Gregorium Ignatius ipse in synodo damnaverit, ut innuit Nicolaus I. in epistola IX. ad Michaelem his verbis: *Si prætendit* (Gregorius) *injuste ab Ignatio se fuisse depositum &c.* Postrema vero hæc synodus, Ignatio absente, sententiam suam tulit.

ANNO CHRISTI 857.

* SYNODUS CARISIACA

PRO REFORMANDIS MORIBUS ECCLESIÆ

Congregata in Gallia anno Domini DCCCLVII. tempore Benedicti papæ III. & Caroli Calvi regis Francorum.

* Extat titulo XX capitulorum Caroli Calvi a Sirmondo edita & capp. distincta.

EPISTOLA * SINODALIS SUB NOMINE CAROLI REGIS AD EPISCOPOS & comites Galliæ scripta.

*In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Carolus Dei gratia rex illustris * episcopis & dilectis ac fidelibus missis illustribus, comitibus nostris salutem.*

NOtum sit fidelitati vestræ, quia decimo quinto Kalendas Martii, secundum sacram auctoritatem synodum venerabilium episcoporum, ac conventum fidelium nostrorum * apud Carisiacum fecimus convenire. Cum quibus, inter cetera ecclesiastica, utilitatis ac regni necessitatis negotia consideravimus, qualiter rapinæ, & depopulationes, quæ partim occasione superirruentium paganorum, partim mobilitate quorumdam fidelium nostrorum in regno nostro, per eos etiam qui ecclesiam Dei defendere & tueri, & regni soliditatem & quietem debuerant providere, grassantur, aliquo modo, annuente Domino, sedari valeant & amoveri.

Quorum consultu decrevimus, ut quia peccata, quæ in suo initio, ut sunt, magni ponderis æstimantur, pernicioso processu ipso etiam exitiabili * supra * jus mentibus loquantur, & quasi insensibiles: ac si quando resipiscere moliuntur, * casibus suis obligent, ut si resurgere velint, non possint. Antequam censura ecclesiastica, ac legales sententiæ hujusmodi prædatores terribiliter & damnabiliter feriant, episcopi quinque in suis paro- D chiis, & missi in illorum missaticis, comitesque in eorum comitatibus pariter placita teneant, quo omnes reipublicæ ministri & vassi dominici, omnesque quicumque vel quorumcumque homines in iisdem parochiis & comitatibus, sine ulla personarum acceptione & excusatione aut dilatione conveniant. Et episcopi illius parochiæ breviter annotatas sententias de ejusmodi caussa, evangelicæ videlicet & apostolicæ & propheticæ auctoritatis, nec non & decreta apostolica atque canonica omnibus relegant, & aperto sermone cunctis quale quantumque peccatum sit, & qualem quantamque pœnitentiam, & quam immanem severissimamque vindictam exposcat, cum aliis debitis & necessariis atque utilibus prædicationibus innotescere curent.

* Locus corruptus usu pravis mentibus levantur, & q. reddunt eas sæpius.

Missi quoque legales sententias, sicut eas cognitas habent, annotent, & prædecessorum nostrorum regum atque imperatorum, nostraque capitula de hac caussa in unum collecta omnibus nota fiant. Et episcopi Dei & apostoli auctoritate tales deprædationes omnibus interdicant, & missi & comites nostri cunctis ex regio nostro banno prohibere firmiter studeant, & cognoscant omnes quia si abhinc in ante in regno nostro talia facere aliquis præsumpserit, secundum divinas sententias specialiter excipiet sententiam, & secundum leges B ac capitula regia emendari cogetur, & secundum judicium fidelium nostrorum condignam vindictam suscipiet.

Et si talis persona fuerit, ut episcopi & missi nostri ac comites in illorum ministeriis quod pravum actum fuerit potuerint emendare, secundum præfixa monita illud emendare studeant, aut per fidejussores ad nostram præsentiam venire faciant. Si autem aliquis quiscumque inobediens exstiterit, cum summa festinatione nobis notum facere curent, ut quanto citius ad nostram præsentiam illum venire jubeamus, & dignam ultionem secundum judicium fidelium nostrorum sustineat. Et si (quod absit) talis emerserit, qui Dei timorem postponat, & ecclesiasticam auctoritatem C contemnat, ac regiam potestatem refugiat; sciat, quicumque ille fuerit, quia & secundum canonicam auctoritatem ab omnium Christianorum cœtu, & sanctæ ecclesiæ consortio, & in cælo & in terra alienus efficietur, & regali potestate atque omnium regni fidelium unanimitate, sicut Dei & ecclesiæ inimicus & regni devastator persequetur, usque dum a regno exterminetur.

Et si aliquis comes fuerit, qui in hoc suo comitatu fecerit, aut ibi talia increscere permiserit, * & ipse illa non emendet, aut nota nobis non fecerit, ut nostra auctoritas talia corrigat, sciat quia talem sententiam inde sustinebit, sicut tempore antecessorum nostrorum consuetudo fuit. Et si aliqui itinerantes deprædationes & rapinas per regnum nostrum fecerint, & episcopi seu missi & comites hoc emendare non potuerint; quam citius possint, nobis notum facere curent; ut jubeamus ipsos deprædatores per eamdem viam cum misso nostro redire, & illa omnia, quæ alii egerunt, legaliter emendare, & talem armiscaram, sicut a nobis jussum fuerit, aut judicium, sicut cum fidelibus nostris consideraverimus, sustinere. Si autem dilecti * fratris nostri, ac nepotum nostrorum homines fuerint, qui talia egerint, & hoc nobis innotescat, ut illis nota faciamus. Et illi suos homines, sicut illis melius visum fuerit de talibus castigare procurent, sicut & nos nostros homines castigare volumus. Si in illorum regnis indecentia, & aliqua noxia (quod absit) facere E præsumpserint, * admonendi sunt qui aliena rapere contendunt, ut sollicite audiant, quod veniens in judicio Dominus dicat: *Esurivi & non dedistis mihi manducare*, &c. quibus dicit: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus*. Hinc ergo colligendum est, quanta damnatione plectendi sint qui aliena rapiunt, si tanta animadversione feriuntur qui sua indiscrete tenuerunt. Perpendant quo eos obliget reatu res capta, si tali subjicit pœnæ non tradita. Perpendant quo demeretur injustitia illata, si tanta percussione digna est pietas non impensa.

* al. *et aut ipse*. H.

* In Sirm. edit. COLLECTIO DE RAPTORIBUS. Gregorius in libro pastorali dicit: Admonendi &c. *Matt.* 25.

Audiant raptores qui multiplicant non sua usque-

quequaque, & aggravant contra se densum lutum. Densum lutum contra se aggravare est terrena lucra cum pondere peccati cumulare.

ANNO CHRISTI 857.

Habac. 2. Matth. 16. Audiant quid Christus dicat: *Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur*: id est quid prodest homini, si totum quod est extra se congregat; & hoc solum quod ipse est damnat.

Audiant illi qui rapiunt in hoc sæculo: deficient autem, & in sæculo dimittent; sed secum ad judicium causas rapinæ, id est damnationem secum ferrent, ut alibi scriptum est.

Isa. 3. Audiant quia propheta Isaias dicit: *Rapina pauperis in domo vestra, & causa viduæ non ingreditur ad eos, & lacryma viduæ usque ad maxillam descendit; & Dominus non delectabitur in illis.*

Audiant quia in cujus domo rapina est, sive in domo corporis, sive in domo mansionis, non habitat in illa domo Spiritus sanctus, sed spiritus malignus. Et si accedit ad communionem corporis & sanguinis Christi ante dignam satisfactionem, non mundatur per illam communionem a peccato, sed plenius, sicut Judas quando in cœna plenus rapina & iniquitate communicare præsumpsit de manu Christi, possidetur a diabolo, unde & suspensus crepuit medius. Ad quem causa viduæ non ingreditur, nec ipse, si digne non satisfecerit, in cælestem ecclesiam intrare valebit.

Isa. 33. Audiant raptores quid iterum propheta dicat: *Qui prædaris, nonne & ipse prædaberis?* Videlicet quia ille qui prædatur res pauperum & ecclesiarum ac servorum Dei, deprædatur a diabolo, & præda illius fit.

Audiant quid sanctus apostolus dicat, per quem locutus est Christus, & qui raptus fuit usque ad tertium cælum, & qui raptus fuit in paradisum, & audivit talia secreta verba, quæ non licebat hominibus loqui: ait namque: *Quia neque rapaces, neque homicidæ, neque adulteri regnum Dei possidebunt.* Ille intendat quale quantumque peccatum est rapina, quam cum adulterio & homicidio sanctus comparavit apostolus. Item ipse dicat: *Si quis fornicator, aut adulter, aut rapax, aut homicida est, cum hujusmodi nec cibum sumere*, Christi discipulo, id est Christiano, licet ante satisfactionem, id est correptionem, aut emendationem, & dignam pœnitentiam.

2. Cor. 6.

1. Cor. 5.

Audiant quod sanctus Joannes apostolus electus & dilectus Christi, qui in cœna supra pectus ejus recubuit, talem hominem salutare vetat, dicens: *Nec ave dixerit, nec in domum receperit.*

2. Joan. 10.

24. q. 3. c. 21. 3. Tol. c. 21. Audiant quid in Toletano concilio sancti episcopi qui in cælo & cum Deo regnant, & in terris miraculis coruscant, de totius mundi partibus congregati decreverunt. Si quis de potentibus clericum aut quemlibet pauperem aut religiosum exspoliaverit, & mandaverit ad ipsum episcopus, ut eum audiat; & si contempserit, invicem mox scripta percurrant per omnes provinciæ episcopos, quoscumque adire potuerint, ut excommunicatus habeatur, donec audiat, & reddat aliena. Ecce de pauperum raptoribus.

12. q. 2. c. 6. Audiant raptores & prædones rerum ecclesiasticarum quod sanctus Anacletus papa ab ipso Petro apostolo presbyter ordinatus cum totius mundi sacerdotibus judicavit: dicit namque: Qui abstulerit aliquid patri vel matri, homicidæ particeps est. Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creavit; mater vero nostra ecclesia, quæ nos in baptismo regeneravit. Ergo qui Christi pecunias & ecclesiæ rapit, vel fraudat, homicida est, utque homicida ante conspectum justi Judicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur: qui autem pecuniam vel res ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit, & ut sacrilegus judicandus est. Item sanctus Urbanus papa & martyr: Res & facultates ecclesiæ oblationes appellantur, quia Domino offeruntur, & vota sunt fidelium, & pretia peccatorum, & patrimonia pauperum. Si quis illa rapuerit, reus est damnationis Ananiæ & Sapphiræ, & oportet hujusmodi tradi satanæ, ut spiritus salvus sit in die Domini. Item sanctus Lucius papa: Rerum ecclesiasticarum & facultatum raptores, a liminibus sanctæ ecclesiæ anathematizatos apostolica auctoritate pellimus & damnamus, atque sacrilegos esse judicamus; & non solum eos, sed etiam omnes consentientes: quia non solum qui faciunt rei judicantur, sed etiam qui facientibus consentiunt: par enim pœna agentes & consentientes comprehendit.

ANNO CHRISTI 857.

17. q. 4. c.

17. q. 4. c.

Rom. 1.

Et sanctus Augustinus in sermone evangelii sancti Joannis ita dicit: Fur sacrilegus loculorum sacrorum & dominicorum est Judas: & qui aliquid de ecclesia furatur & rapit, Judæ perdito comparatur. Item in sacris canonibus a sancto Spiritu dictatis, & Christi sanguine confirmatis scriptum est: Si quis obligationes ecclesiæ extra ecclesiam accipere & dare voluerit præter conscientiam episcopi, & ejus cui hujusmodi officia commissa sunt, nec cum ejus voluerit agere consilio, anathema sit. Episcopus autem omnibus dicere debet, quid anathema sit; & ne desperent ostendere debet, quamdiu duret anathema, id est quamdiu quisque errorem non corrigit, & digna satisfactione non emendat, ut reconciliationem & indulgentiam valeat promereri. Si quis vero ante satisfactionem & reconciliationis indulgentiam in peccatis suis perseverans mortuus fuerit, jam anathema perpetuum illi erit & peccatum ad mortem, pro quo non dicit apostolus ut oretur. Sed & plura si necesse fuerit episcopus quisque colligere & dicere procurabit.

Trac. 50

Gangr. 7

1. Joan.

Notæ Jacobi Sirmondi S. J.

1. *Illi * episcopo, missis illis.*) Sic concipi solebant epistolæ generales, aut chartæ quævis aliæ, quæ ad diversos eodem exemplo in diversa loca dirigebantur. Singulis postea exemplis quæ fiebant, adscribebatur proprium nomen episcopi & missorum, ad quos mittebantur. Itaque in codice nostro Metensi, atque in altero, quem nobiscum Heribertus Rosvveydus noster communicavit, pro generali hac inscriptione, altera his verbis expressa est: KAROLUS *gratia Dei rex* HUNFRIDO *venerabili episcopo*, INGISCALCO & BERENGARIO *comitibus*, & *ministerialibus ac fidelibus missis nostris, in Domino salutem.* Hunfridus hic episcopus erat Morinensis, sive Tarvanensis, Folcoini nuper defuncti successor. Ingiscalcus vero & Berengarius comites iidem ipsi, qui Folcoini collegæ inter missos dominicos adlecti Tit. XII. capitulorum. Quare in missaticum illud directum fuerat exemplar, unde codices ipsi descripti sunt.

* Male legitur, *Illo, episcopo, missis illustribus.*

2. *Apud Carisiacum.*) Tit. XX. cap. Caroli Calvi, *Apud Carisiacum palatium*, & Tit. XLIII. sub finem, inter cetera excipitur Carisiacus cum forestibus. Hinc illa in diplomatibus, *Actum Carisiaco palatio.* Est ad Sarram fluvium, qui in Isaram influit, *Cressy sur Serre.* Synodi apud Carisiacum plurimæ fuerunt. Ad hanc nostram anni, ut reor, DCCCLVII. referendum, quod narrat Flodoardus lib. III. c. XXIV. Hincmarum cum synodo episcoporum apud Carisiacum habita, scripsisse Hilduino Caroli regis archicapellano de Isaac episcopi electione in ecclesia Lingonica, post mortem scilicet Teutboldi.

3. *Fratris nostri ac nepotum.*) Ludovici, & filiorum Lotharii. Decesserat enim anno DCCCLV. Lotharius Imp. regno prius inter filios tres ita distributo, ut Ludovico Italiam cum imperio reliquerit, Lothario juniori eam Galliæ partem, quæ ab illo (non quod aliis placet a patre) Lotharii exinde regnum, & Lotharingia est appellata, Carolo natu minimo Provinciam. Nepotes igitur hoc loco, Ludovicus II. imperator, Lotharius & Carolus reges.

Nota Severini Binii.

a *Synodus.*) Cum his temporibus in Gallia undique factiones & subditorum rebelliones ebullirent, ubique furta, deprædationes, grassationes, & cædes, omniaque violentiæ

Causæ coniurationis.

lentæ turpitudinis genera increbeſcerent, Carolus rex ad evellenda illa incommoda anno Chriſto 856. in villa Cariſiacum nominata hanc ſynodum congregavit, ex qua ad epiſcopos, miſſos, & comites Galliæ epiſtola illa ſynodalis (quam ex codice Antonii Auguſtini primus in lucem emiſit Baronius) ſub nomine Caroli regis ſcripta & tranſmiſſa fuit. Ex eadem ſynodo nonnulla capitula miſerunt ad reconciliandum ſibi ſubditum populum, ne immemores præſtiti juramenti fidelitatis defectionem pararent. Quæ libenter hoc loco cum prædicta epiſtola in publicum emiſiſſem, ſi prædicti codicis habendi facultas fuiſſet. Quæ ad vitandam prolixitatem ſuorum annalium eccleſiaſticorum reverendiſſimus cardinalis Baronius omiſit. De rebus quibuſdam hac ſynodo geſtis Flodoardus lib. 3. cap. 24. iſta: *Cum ſynodo epiſcoporum apud Cariſiacum habita ſcribit Hilduino Caroli regis archicapellano, & pro eccleſia Lingonica quam Vvulfadus eccleſiæ Rhemenſis alumnus contra canonica occupaverat decreta. Unde ſuggeſſerat eadem ſynodus regi, ut alterum ad regendam præfatam conſtitueret eccleſiam, & rex juſſerat ut epiſcopi quærerent talem, qui poſſet in epiſcopali miniſterio eidem eccleſiæ præfici: eorumque vota in Iſaac ipſius Hilduini diſcipulum convenerant, obſervantes hujus in hoc Hilduini conſenſum, & deprecationem ipſius pro eo apud regem.*

ANNO CHRISTI 857.

CONCILIUM WORMATIENSE,

IN QUO CONFIRMATUR

Bremenſis Eccleſiæ cum Hamburgenſi unio.

Capitula quædam ad hoc Concilium pertinentia quæras in Baluzio Capitul. To. II. Lib. II. Cap. VI.

DE *Concilio VVormatienſi anno Chriſti* 857. *celebrato hæc habet Annaliſta Fuldenſis ad hunc annum*. Rex Ludovicus menſe Februario colloquium habuit in Confluente caſtello cum Lothario nepote ſuo: tempore vero quadrageſimæ Placitum habuit apud Vangionum civitatem. *Ibi actum eſſe de unione eccleſiæ Bremenſis cum Hamburgenſi teſtatur Rembertus in vita S. Anſcharii cap.* 10. *nu.* 38. *apud Bollandum ad diem* 3. *Febr. dum ait*: Porro cum hæc agerentur (*ſcil. in Concilio Germanico anni* 850. *de quo ſupra*) Colonia civitas, ad quam Bremenſis Parochia ſuffraganea erat, eo tempore abſque benedictione epiſcopali degebat; quod quia diuturnum extitit, illud etiam ſine illius loci Pontificis præſentia neceſſario decernendum fuit. Poſtea tamen conſecrato ad eum locum venerabili Præſule Gunthario, (*nempe Colonieſi Archiepiſcopo*) hoc ipſum domnus & pater noſter (*ſc. Anſcharius*) ei ſuggerere ſtatuit, ut ſua quoque auctoritate firmaretur; cui tamen rei ipſe admodum contrarius extitit. Qua de cauſſa poſtmodum in VVormatia civitate poſitis duobus Regibus, Ludovico ſcilicet & Lothario, coram multa epiſcoporum utriuſque regni frequentia, præſente venerabili Patre noſtro hæc eadem res expoſita eſt. Quod cum ab omnibus bene ita ordinatum probaretur, ut prædictus quoque Pontifex Gunthar. rius hoc ipſum ſua auctoritate firmaret, cuncti rogaverunt. Qui primo quidem fortiter his reniti cœpit, juſtum non eſſe multipliciter oſtendens, ut ſedes ſuffraganea in Archiepiſcopalem ſedem verteretur; nec ſe debere honorem ſedis ſuæ in aliquo minuere: poſtremo tamen & ipſis Regibus, & cunctis ſimul epiſcopis, & omnino cauſſa neceſſitatis id licitum fore dicentibus, reſpondit, ſi apoſtolica auctoritate firmaretur, ex ſe quoque ratum eſſe. Quo reſponſo accepto, cum etiam omnes ſuffraganei ejus hæc eadem conſenſiſſent, piiſſimus Rex jam dictus Ludovicus, cupiens & patris ſui eleemoſynam in omnibus augmentare, & quod ipſe diſpoſuerat, per omnia ratum fieri, reverendiſſimum Salomonem Conſtantiæ civitatis epiſcopum pro hoc ipſo ad ſedem direxit Apoſtolicam, cum quo etiam domnus & pater noſter Anſcharius, quia ipſe per ſe non poterat, filium ſuum fratrem noſtrum Nordhidum miſit presbyterum, qui officioſiſſime a ſancto ſuſcepti Papa Nicolao, legationis ſuæ mandatum ei plane & dilucide retulerunt.

☞ AD SYNODUM WORMATIENSEM

Ex anno 857. translatam ad 864.

ADNOTATIO CHRONOLOGICA, ET ADDITIO.

De epocha hujus VVormatienſis concilii diſſerui in meis ad Pagium ad A. 858. 6. adnotationibus, quam totam huc transferre juvat, cum ex ea pariter nonnulla ad concilium Moguntinum pertinentia elucidentur.

Suppl. f. 1268. NIcolai papæ bullam pro utriuſque epiſcopatus Hamburgenſis & Bremenſis conjunctione recitat Hermannus Cornerus in ſuo chronico ad annum uſque 1435. perducto, vulgatoque ab Eccardo in corpore Hiſtoric. tom. II. col. 465. In eo autem omnia leguntur, quæ chroniſta Saxo hic n. VI. a Pagio relatus expreſſit. Conſignatur autem manu *Zachariæ Notarii S. Romanæ eccleſiæ, in menſe Majo, Indictione XII. imperante Ludovico imperatore anno ſuo* (ſic) *quinto*. Hæc utique temporis adſcriptio mendoſa eſt, cum indictio duodecima cum anno quinto Ludovici cum nulla ejus epocha concurrat. Cum vero illud, *anno ſuo*, inſolens & novum ſit, ſuſpicio oritur, ibi errorem cubare, & illud *ſuo*, forte in autographo exprimere numerum aliquem annorum, *quinto*, qui dein notatur, anno addendum, puta *decimo quinto*. Sane annus Ludovici decimus quintus ab anno 849. quo ad imperii conſortium a Patre adſcitus fuit, ſaltem poſt Majum inceptum, congruit cum menſe Majo indictionis duodecimæ, ſignatque annum 864. quo & S. Anſcharius, & Ludovicus adhuc in vivis agebant. Noſtram hanc conjecturam non evertit Adami Bremenſis apud Pagium hic auctoritas, quanquam enim aſſerit in bulla Nicolai notatum fuiſſe annum DCCCLVIII. cum tamen id novum eſſet, & inſolens in bullis pontificiis hujus ſæculi, ab aliquo ſciolo id additum fuiſſe oportet. Igitur non ſine fundamento aſſereremus hanc unionem pontificia auctoritate nonniſi anno 864. roboratam fuiſſe, atque errare hiſtoricos, qui privilegium illud anno 858. conſignant; cum præſertim chroniſta Saxo apud Pagium hic aſſerat hæc omnia peracta fuiſſe *ultimo tempore* S. Anſcharii, qui anno 865. deceſſit. Hanc conjecturam indubitatam reddit reſponſio Nicolai papæ

ANNO CHRISTI 857.

ad legationem Salomonis episcopi Constantiensis, a Ludovico rege missi, quam in tom. V. miscellaneorum Baluzius vulgavit. Salomonem istum Romam directum fuisse a Ludovico, ut de confirmanda unione episcopatus Hamburgensis & Bremensis, ac de utriusque erectione in archiepiscopatum tractaret, tam notum est eruditis, testante Remberto vitæ S. Anscharii cap. X. quam inexploratum, eidem pariter Salomoni ea ipsa occasione injunctum fuisse, ut de reconciliatione Lotharii cum Pontifice, & de restitutione Theodgaudii, & Gunthari tractaret. Utrumque vero munus illi demandatum ex eodem Nicolai responso discimus. Utrique huic postulationi respondet pontifex, Ludovicum rogans, ut una secum Lotharium ad pellicem deserendam inducere laboret. Quoad episcopos vero, ait, se illos cum S. Synodo ita deposuisse; *ut si aliquid de ministerio sacro auderent contingere, nullo modo liceret eis in alia synodo restitutionis spem habere.* Quibus verbis indicari censeo synodum Romanam anni 863. in qua primum utrumque episcopum damnatum fuisse ex annalista Bertiniano Pagius ibidem n. III. docet. Sed *nunc*, pergit Nicolaus, *audivimus Guntharium interdictum sibi ministerium usurpasse.* Quod ab eo præstitum die Cenæ Domini anno 864. mense Martii, cum dies Cenæ Domini anno illo in diem 30. Martii inciderit. Postquam vero Pontifex potissimis legationis hujus postulationibus ita satisfecit, dein in cap. IV. ita negotium Bremensis archiepiscopatus expedit. *Ut episcopus Bremensis, licet a Gunthario hæc non potuerit dari licentia, nec ab eo tale quid peti debuerit, tamen pro amore Domini regis, quia pia est ejus petitio, cum nostra auctoritate in prædicto loco Bremon potestatem & honorem archiepiscopatus super Danos & Svvevos habeat, & simili modo sui successores per tempora futura perpetualiter teneant atque possideant.* Hæc Nicolaus postulationibus Ludovici per Salomonem respondit, eademque occasione bullam ea de re supra a nobis indicatam expedit. Ex his autem patere arbitror, confirmationem hanc pontificis non prius quam anno 864. datam fuisse, nec de illa agi in concilio Moguntino anni 857. potuisse. Nec sane quisquam ex antiquis in eo concilio de controversia hac tractatum prodidit; non Fuldensis annalista, qui a Patribus Moguntinis discussa quædam ecclesiastici juris argumenta prodidit: sicut & lectam in eo fuisse asserit epistolam quandam Guntharii narrantis mala, quæ procella subito oborta Colonienſibus intulit. Ex quo discimus Guntharium Synodo huic non adfuisse. Non Rembertus, qui causam unionis utriusque episcopatus ventilatam asserit coram utroque rege VVormatiæ existentibus, Lothario, & Ludovico, & in *frequentia episcoporum* ex utroque regno, rogatumque ab episcopis *ibi aggregatis* Guntharium (qui proinde hic præsens aderat) ut junctioni illi consentiret, eoque respondente se præsto esse, dummodo Apostolica confirmatio intercederet, a rege Ludovico Salomonem ad Nicolaum deputatum. Ex hac Remberti narratione intelligimus male a Pagio scribi, hanc delegationem Ludovicum destinasse ex decreto concilii Moguntini, ac tandem anno 864. quo illa suscepta fuit, Concilium quoddam VVormatiense assignandum esse.

Hæc olim commentatus sum; nunc vero re diligentius discussa atque Remberto auctore coævo vitæ S. Anscharii sedulo expenso, aliter de re tota agendum, intellexi. Primo igitur ex eodem Remberto cap. IX. constare arbitror rem hanc de conjunctione episcopatus Bremensis & Hamburgensis, tribus in conciliis absolutam fuisse. In priori quidem, quod auctoritate annalistæ Fulden-

A sis ad annum 857. eo ipso anno habitum Moguntiæ censeo, *jubente Rege Ludovico hæc eadem res*, scilicet episcopatus Bremensis Anschario assignandi, *in concilio episcoporum ventilata est. Qui multis exemplis præcedentibus probaverunt bene posse fieri, ut quia diœcesis illa, ad quam ipse ordinatus fuerat, admodum parva erat (nam nonnisi quatuor baptismales habebat) & hæc ipsa multoties jam barbarorum incursibus devastata, ista ei caussa solatii adjungeretur*; nempe Bremensis. ANNO CHRISTI 857.

Hæc de actis in priori synodo Rembertus. Secundæ vero causas & acta ita describit. *Verum ne in aliquo scrupulum Ferdensis pateretur episcopus, quod etiam partem de suo episcopatu ultra Albiam sitam, ipse cum Bremensi tota simul parochia retineret, statuerunt* (in priori illo concilio) *ut, sicut tempore domni Ludovici primo fuerant, episcopatus ipse & Bremensis & Ferdensis restituerentur, & ipse* (Anscarius) *teneret Bremensem, ex qua major pars diœcesis suæ sumpta erat, quæ etiam tunc erat præsentia pastoris desolata. Quo decreto ita ab episcopis constituto ipse, jubente Rege, Bremensem suscepit diœcesim gubernandam. Porro partem parochiæ, quæ ultra Albiam ad se pertinere debebat, VValdagarius cepit tunc Ferdensis episcopus. Quod cum ita aliquandiu esset iterum diligentius ipsa re in alio concilio episcoporum ventilata* (en secundum concilium) *visum est eis non bonum esse, ut sedes ad quam ille ordinatus fuerat, ab alio episcopo teneretur; (nam & Hamburg tunc in partem cesserat VValdagarii) potestatem quidem regis esse dicentes ut diœcesim parvam & admodum captivatam augeret, locum tamen ad episcopalem dignitatem auctoritate Apostolica firmatum, nullatenus immutandum. Unanimi ergo consensu, cum voluntate regis prædicti piissimi Ludovici, episcopi ibi constituti censuerunt, ut sedem ad quam consecratus fuerat, pater noster Anscharius reciperet: & si quid ultra Albim ex Ferdensi ipse retineret diœcesi, ex Bremensis ecclesiæ parochia illius sedis restitueret episcopo. Quod ita regio jussu, & synodali episcoporum decreto, ipsius quoque VValdagarii, memorati Ferdensis episcopi, voluntate & assensu perfectum est.* Hæc Rembertus de rebus in altera synodo gestis, quantum ad ea quæ ad conjunctionem episcopatus utriusque spectant. Synodi hujus locus ignoratur; nec de tempore constat; sed forte altero a Moguntina synodo anno scilicet 858. rex acta est.

Tertiæ tandem synodi historiam persequens scriptor ille, narrat Bremensem sedem ad id usque Colonienſis suffraganeam in archiepiscopalem erigere optasse Ludovicum Germaniæ regem, atque id tandem eviciſſe cum forte Colonienſis ecclesia antistite careret. Sed assumpto demum in eam sedem Guthario, tunc *in VVormacia civitate positis duobus regibus*, (ait Rembertus cap. X.) *Ludovico scilicet & Lothario coram multa utriusque regni episcoporum frequentia hæc eadem res exposita est. Quod cum ab omnibus bene id ordinatum probaretur, ut prædictus quoque pontifex Guntharius hoc ipsum sua auctoritate firmaret, cuncti rogaverunt. Qui primo quidem his fortiter reniti cœpit, justum non esse multipliciter ostendens, ut sedes suffraganea in archiepiscopalem sedem verteretur: nec se debere honorem sedis suæ in aliquo diminuere. Postremo tamen & ipsis Regibus, & cunctis simul episcopis ibi aggregatis pro hoc ipso eum rogantibus, & omnino caussa necessitatis id licitum fore dicentibus, respondit, si apostolica auctoritate firmaretur, ex se quoque ratum esse.* Tum subdit idem scriptor, Ludovicum, ut hæc omnia rata haberentur & firma, Salomonem Constantiæ episcopum Romam ad Nicolaum papam ablegasse, quo id peteret a pontifice. Tertia hæc synodus, cum statim ante legationem Roma-

manam Salomonis episcopi præcessisset, non ante annum 863. convenisse oportuit; idque Remberti ejusdem testimonio satis congruit, asserit enim *multum temporis fuisse ex quo sedem illam* (Bremensem) *gubernandam suscepit, priusquam auctoritate apostolica firmaretur*. (Rember. cap. XI.) Plane multum temporis; nam in Moguntina synodo anni 857. conjunctio hæc discussa, in synodo tandem anni sequentis absoluta est. Demum post quinque circiter annos, postulante synodo VVormatiensi, anno 863. vel 864. habita, summi Pontificis auctoritate stabilitur.

ANNO CHRISTI 857.

His omnibus in apertam lucem productis, monumenta quædam promenda supersunt, quæ ad trium harum synodorum acta utcumque referuntur. Ac primo quidem ex Lunigii Spicilegio Eccles. pag. 70. profertur diploma Ludovici Germaniæ regis, quo cella quædam in ditione Fardensis episcopi ex decreto synodi VVormatiensis anni 864. Anscharii Hamburgensi asserta, eidem confirmatur. Signatur diploma hoc anno Domini 857. Ludovici regis VI. quæ sane annorum epocha mendosa est, cum apostolica auctoritas id jam confirmasse in diplomate illo legatur. Hæc vero confirmatio a Salomone Constantiensi episcopo Romam misso anno 864. (ut superius demonstravi) impetrata est, ut ex bulla Nicolai I. quam profero, intelligimus. Post Ludovici diploma subjungo Nicolai I. bullam, acta hæc synodi VVormatiensis approbantem, ex Lunigii Spicilegio ibidem petitam. Denique Nicolai ejusdem bullam recito, non quidem ex Henschenio in Actis SS. ad diem III. Februarii petitam, non enim ibi extat integra; sed ex Henrici Corneri historia vulgata ab Eccardo in Corp. Histor. Med. ævi tom. II. pag. 465.

LUDOVICI REGIS GERMANIÆ DIPLOMA.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Hludovicus, divina favente gratia rex. Notum esse volumus omnibus sanctis Dei fidelibus nostrisque præsentibus & futuris, qualiter, beatæ memoriæ præcellentissimus rex, avus noster Karolus, tempore prædecessorum nostrorum, divino afflatus spiritu, gentem Saxonum sacro cultui subdidit, jugumque Christi, quod suave ac leve est, usque ad terminos Danorum, sive Sclavorum, corda ferocia perdomans, docuit, ultimamque regni ipsius partem Transalbeam, inter mortifera Paganorum pericula constitutam, videlicet ne ad ritum relaberetur Gentilicium, vel quia lucrandis adhuc gentibus aptissima videbatur, proprio episcopali vigore fundare decreverat. Sed quia effectum mors prohibuerat, succedente ejus filio, Hludovico imperatore Augusto, pium studium sacri genitoris sui efficaciter implevit. Cujus etiam auctoritate in Nordalbingorum populo sedes constituta est archiepiscopalis, in castello Hammeburg nuncupato, in eadem sede archiepiscopus, accepto a sede apostolica pallio, primus, est nominatus Ansgarius, cui delegata cura seminandi verbi Dei & animas lucrandi Deo. Delegavit etiam genitor noster eidem archiepiscopo quandam cellam Turholt vocatam, quatenus eidem loco periculis undique circumdato fieret supplementum. Cumque ego, quem divina clementia in sedem regni ejus asciverat, in multis regni ejus disponendis negotiis insisterem, hoc quoque prædictum patris mei studium, velut regni in finibus peractum, minus caute attendi. Unde contigit, ut peccatis populi exigentibus, Deoque permittente, occulto judicio, ipsa metropolis Hammeburg penitus devastaretur. Cumque prædictus archiepiscopus in multis esset pressuris & calamitatibus, & fratres congregationis ejus una cum sanctis pignoribus per varia loca circum eundo huc illucque vagarentur, & nusquam sedem haberent quietam, matrona quædam Ikia, divino amore tacta, ex sua hæreditate possessiunculam tradidit in sylva Ramesloa nominata, in pago Bardengoa in episcopatu VValdagari Verdensis ecclesiæ episcopi, ubi & cellam construxit, & reliquias sanctorum una cum fratribus * supererant collocavit. Quamobrem adiit celsitudinem nostram miseriarum suarum ordinem lacrymabiliter exponens; unicum namque refugium monasterium videlicet Turholt nuncupatum, quod illi genitor noster ad supplementum & victum sibi suisque clericis dederat, ex parte fratris nostri Caroli regis ablatum, non sine magno dolore conquestus est; unde & nos paterna simul, & regali potestate commoti, quærere cepimus, quomodo ei solatium subsistendi faceremus, quo legationis suæ mandatum perficere posset. Et quia in eadem provincia cellam nullam huic legationi habebamus congruam, suggerere studuimus prædicto VValdagario * Verdensis ecclesiæ episcopo, ut ejus permissione ei liceret in supradicto loco Ramesloa monasterium ex suis impensis construere, ubi & fratres qui tantæ cladi superfuerant, nostro ceterorumque Dei fidelium auxilio sustentarentur, & ipse locum respirandi, & si unquam facultas suppeteret, propter vicinitatem ejusdem loci Hammeburgensem ecclesiam restaurandi haberet, sub suo successorumque ejus regimine mansuram. Cui quidem rei ipse admodum contrarius extitit. Postmodum vero VVormatiæ habito generali conventu in nostra nostrique fratris, Lotharii regis, præsentia, præsentibus archiepiscopis, Ebone Remensi, Hetti Trevirensi, & Otgario Moguntinensi cum pluribus aliis utriusque regni Præsulibus, hæc eadem res nostro jussu diligentissime ventilata est. Quæ cum ab omnibus licita & concedenda probaretur, ut prædictus pontifex VValdagarius hoc ipsum sua auctoritate concederet, & confirmaret, cuncti rogavimus. Qui primum quidem fortiter reniti cœpit, non esse justum multipliciter asserens, ut honorem suæ sedis in aliquo minueret. Postremus tamen, & nobis ipsis, & cunctis episcopis ibi aggregatis pro hoc ipso eum rogantibus, & omnino causa necessitatis id licitum fore dicentibus, evictus concessit, & conscripsit. Quapropter consilio fidelium nostrorum, tam nostra, quam sanctæ Romanæ sedis auctoritate per hoc nostræ regiæ dignitatis præceptum præcipimus firmiter, atque jubemus, ut prædicta cellula, Ramesloa nuncupata, sub potestate, ac regimine Ansgarii, Hammaburgensis ecclesiæ archiepiscopi, ejusque successorum absque omni contradictione perpetualiter maneat. Homines quoque, qui eidem cellulæ servire videntur, ob amorem Dei, & sancti Sixti confessoris ejus, ad nostram nostræque sobolis perpetuam mercedem ab omni expeditione, vel militia, seu qualibet occupatione absolvimus, ut idem venerabilis archiepiscopus ad hanc dignam Deo peragendam in provisis temporibus legationem, nullum in hoc patiatur impedimentum. Res quoque sedis & præscripti monasterii sub plenissima defensione, & immunitatis tuitione volumus ut consistant, ac tueantur, ita ut nullus judex publicus, aut alia quælibet potestate publica prædita persona de eorum rebus freda, tributa, mansionaticos, vel paratas, aut teloneum, vel fidejussores tollere, aut homines ipsorum tam litos, quam & ingenuos super terram eorum commorantes, distringere, nec ullas publicas functiones

ANNO CHRISTI 857.

* qui supererant

* i. e. Verdensis.

aut redibitiones, vel illicitas occasiones requirere vel exigere præsumat: Sed liceat venerabili archiepiscopo, suisque successoribus, ac omni clero sub eodem regimine constituto quiete in Dei servitio degere, ac pro nobis proleque nostra, atque statu totius regni nostri divinam misericordiam exorare. Et ut hæc auctoritas sui vigoris perpetuam habeat firmitatem, manu nostra propria subter eam firmavimus. Datæ VI. Idus Junii Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXII. * & VI. Hludovici Serenissimi regis. Actum in Francofurdt palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

ANNO CHRISTI 857

A. 864.

NICOLAI PAPÆ I. BULLA.

Pro translatione loci cujusdam in diœcesi Fardensis episcopi siti in ditione archiepiscopi Hamburgensis.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ præsentis scilicet temporis & futuri.

QUisquis Dominum & redemptorem nostrum Jesum Christum de sinu patris ad terram pro demonstranda cordibus hominum vera & certa fide descendisse non dubitat, profecto non ignorat, omnes qui ejusdem fidei per gratiam ipsius participes facti sunt, & præcipue nos, qui per primum tantæ virtutis ministrum locum præcipuum retinemus, hominibus debere lucrandis insistere, & per universas gentes verbi semina serere, & solatia ferentibus ministrare. Nunc autem quia Hludevvicus sublimissimus rex per Salomonem, venerabilem episcopum civitatis Constantiæ, nostro studuit apostolatui intimare, quod piæ memoriæ Hludevvicus imper. genitor suus quendam monachum nomine Anscharium, de monasterio Corbeja tulisset, & collocasset eum juxta Albiam fluvium, in confinibus Sclavorum, & Danorum, atque Saxonum, in castello Hammaburg, annuente ac sollemnia sedis apostolicæ privilegia præbente prædecessore nostro beatæ memoriæ Papa Gregorio, cujus etiam auctoritate in supradicto Nordalbingorum populo sedes constituta est archiepiscopalis, in castello superius nuncupato Hammaburg, & in eadem quoque sede accepto a Sede apostolica pallio, archiepiscopus primus est ordinatus Anscharius, cui a præfato pontifice delegata est cura seminandi verbum Dei, & animas lucrandi Deo. Cujus delegationis, & auctoritatis, & pallii acceptionis pagina nobis est a præfato filio nostro Hludevvico rege, per jam dictum Salomonem episcopum destinata, juxta morem sanctæ Romanæ ecclesiæ bullata. Per cujus tenorem paginæ hæc ita fuisse comperimus, sicut pietas nobis jam fati regis per fidelem virum, Salomonem scilicet episcopum, intimavit. Verum quia Karolus rex, frater sæpe dicti regis Hludovici, abstulit a prænominato loco, qui dicitur Hamburg, monasterium, quod appellatur Turholt, utpote quod post partitionem inter fratres suos in regno suo conjacere videbatur, situm in occidentali Francia, quod illic genitor suus ad supplementum, & victum episcopo, & clericis ejus dederat, cœpere, sicut fertur, omnes ministri altaris recedere. Deficientibus quippe necessariis sumptibus ab ipsis recesserunt gentibus, & eadem ad gentes legatio pet hujusmodi factum deficit. Ipsa quoque metropolis Hammaburg, Dei permittente occulto judicio, per barbarorum sævitatem prorsus devastata est. Contigit namque ex improviso piratas advenientes civitatem navigio circumdedisse; filius vero noster archiepiscopus Anscharius ibi positus, cum his qui aderant in urbe ipsa vel in suburbio manentibus, primo quidem, audito adventu eorum, locum ipsum continere voluit, donec majus eis veniret auxilium; sed impellentibus paganis, & civitate jam obsessa cum eis resisti non posse conspexit, quomodo pignora sanctarum reliquiarum asportarentur præparavit, sicque ipse clericis suis huc illucque fuga dispersis etiam sine cappa sua vix evasit. Denique hostes arrepta civitate ac succensis omnibus, & direptis, egressi. His itaque peractis, cum filius noster jam dictus Anscharius multis esset pressuris & calamitatibus oppressus, & fratres congregationis ejus una cum sanctis pignoribus per varia loca circumeundo huc illucque vagarentur, & nusquam sedem haberent quietam, matrona quædam nomine Ikia, divino amore tacta, ex sua hæreditate possessiunculam ei tradidit in sylva, Ramesloa nominata, in pago Berdango, in episcopatu VValdagarii Verdensis ecclesiæ episcopi, ubi & cellam construxit, & reliquias sanctorum una cum fratribus, qui supererant, collocavit. Quamobrem clementissimus rex jam sæpe dictus Hludovvicus quærere cœpit, quomodo ei solatium subsistendi faceret, quo legationis suæ mandatum perficere posset. Et quia in eadem provincia cellam nullam huic legationi habeat congruam suggerere, studuit prædicto Vvaldagario, Verdensis ecclesiæ episcopo, ut ejus permissione ei liceret in supradicto loco Ramesloa monasterium ex suis impensis construere, ubi fratres, qui tantæ cladi superfuerant, sustentarentur, & ipse locum suspirandi, & si unquam facultas suppeteret, propter vicinitatem ejusdem loci, Hammaburgensem ecclesiam restaurandi, haberet sub suo successorumque ejus regimine, & potestate mansurum. Cui quidem rei ipse admodum contrarius extitit. Qua de causa postmodum in VVormatia civitate positus, duobus regibus, Hludovvico, & Hlothario præsentibus, archiep. Ebone Rhemensi, Hetti Trevirensi, & Otgario Moguntiacensi cum pluribus aliis generali interventu utriusque regni præsulibus congregatis hæc eadem res posita est. Quod cum omnibus bene ita ordinatum probaretur, ut prædictus pontifex VValdagarius hoc ipsum sua auctoritate concederet, & firmaret, cuncti rogaverunt. Qui primo quidem fortiter his reniti cœpit, justum non esse multipliciter asserens, ut honorem suæ sedis in aliquo minueret; postremo tamen, & ipsis regibus, & cunctis episcopis ibi aggregatis pro hoc ipso eum rogantibus, & omnino causa necessitatis id licitum fore dicentibus, respondit, si apostolica auctoritate firmaretur ex se quoque ratum esse. Unde persæpe nominatum venerabilem missum Salomonem, videlicet Constantiæ civitatis episcopi hoc relatum est confirmandum ac postulatum est nostra auctoritate roborandum. Nos igitur id subtili perpendentes examine, animadvertimus propter instantem necessitatem, & animarum lucra in Gentibus demonstrata utile fore. Omnia enim, quæ proficua ecclesiæ probantur existere, & divinis non reluctare præceptionibus, licita & facienda esse non dubitamus: maxime in tam novella christianitatis plantatione, in qua varii solent eventus contingere. Quamobrem omnipotentis Dei & beatorum apostolorum Petri & Pauli, & hoc nostro decrevimus decreto, secundum reverendissimi regis Hludovici votum, & prænominati episcopi Vvaldagarii, aliorumque episcoporum consensum, ut prædictum monasterium Ramesloa nuncupatum sub potestate, & regimine Anscharii Hammaburgensis ecclesiæ

ANNO CHRISTI 857.

ANNO CHRISTI 837.

cleſiæ archiepiſcopi, ejuſque ſucceſſorum perpetueliter conſtitat. Nullus igitur Verdenſis, vel quilibet epiſcopus ullam ſibi deinceps in eodem monaſterio vindicet poteſtatem. Quinimmo & ipſi, & omnibus ſuademus, & veræ religionis cultoribus, ut ſacra hac legatione fungentibus adjutorio, & ſolatio ſint, quatenus pro gratia hujus beneficii plenam mercedem recipere mereantur, ab eo qui dixit: *Ite, docete omnes gentes*, & *quicumque receperit vos, me recipit*. Itaque omnia a dilecto filio noſtro rege Hludovico, ad hoc Deo dignum officium deputata, noſtra etiam pia ejus nota auctoritate firmavimus. Et quia caſus præteritorum nos cautos faciunt in futurum, omnem quoque adverſantem vel contradicentem, atque piis his noſtris ſtudiis quolibet modo inſidiantem, anathematis mucrone percutimus, atque perpetuæ ultionis reum diabolica ſorte damnamus, ut culmen apoſtolicum, more prædeceſſorum noſtrorum, cauſſamque Dei pro affectu zelantes ab adverſis hinc inde partibus tutius muniamus. Obſervator vero, & cuſtos hujus noſtræ præceptionis benedictionis gratiam a B. Petro apoſtolorum principe, & cæleſtis retributionis æternæ gaudia a juſto judice Domino Deo noſtro conſequi meretur. Scriptum per manum Leonis notarii regionarii & ſcrinarii ſanctæ Romanæ eccleſiæ, menſe Majo indict. XII. Datum Kal. Junii per manus Tiberii primicerii ſanctæ ſedis apoſtolicæ. Imperante Domino Nicolao, piiſſimo papa, anno pontificatus ejus V. indictione XII.

EJUSDEM NICOLAI BULLA

Pro conjunctione epiſcopatus Hamburgenſis & Bremenſis.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus fidelibus eccleſiæ ſanctæ Dei, præſentibus, & futuris, ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

QUiſquis Dominum, & redemptorem noſtrum Jeſum Chriſtum de ſinu Patris ad terram pro demonſtranda cordibus hominum vera & certa fide deſcendiſſe non dubitat, profecto non ignorat, omnes, qui ejuſdem fidei per gratiam ipſius participes facti ſunt, & præcipue nos, qui per primum tantæ virtutis miniſtrum locum præcipuum tenemus, hominibus debere lucrandis inſiſtere, & per univerſas gentes verbi ſemina ſerere, ac ſolatia ferentibus miniſtrare. Nunc autem quia Ludovvicus ſublimiſſimus rex per Salomonem venerabilem epiſcopum civitatis Conſtantienſis, noſtro ſtuduit apoſtolatui intimare, quod piæ memoriæ Ludovvicus (*a*) pius imperator progenitor (*b*) ſuus, quemdam monachum nomine Anſcharium de monaſterio Corbejenſi tuliſſet, & collocaſſet eum juxta Albiam fluvium in confinibus Danorum Saxonumque (*c*) in caſtello Hammeburg, inter duos epiſcopatus, Bremenſem ſcilicet & Verdenſem. De quibus tollens eccleſias, & decimas ad ſuſtentationem provehendi præfati jam epiſcopi clericorumque ejus, condonaſſet in prædicto loco, annuente, ac ſollemnia Sedis apoſtolicæ privilegia præbente prædeceſſore noſtro bonæ memoriæ Gregorio papa. Cujus & auctoritate in ſupradicto Nordalbingorum populo ſedes conſtituta eſt archiepiſcopalis in caſtello ſuperius memorato Hammeburg, & in eadem quoque ſede accepto a Sede apoſtolica pallio, archiepiſcopus primus ordinatus eſt Anſcharius, cui a præfato (*d*) Summo pontifice delegata eſt cura ſeminandi verbum Dei, & animas Deo lucrandi. (*e*) Cujus delegationis, & auctoritatis, ac pallii acceptionis pagina nobis eſt a præfato filio noſtro Ludovvico rege per jam dictum Salomonem ſanctiſſimum epiſcopum deſtinata, juxta morem ſanctæ Romanæ eccleſiæ ebullata. Per cujus paginæ tenorem hæc ita facta fuiſſe comperimus, ſicut pietas nobis jam præfati regis per fidelem virum Salomonem epiſcopum intimavit. Unde nos veſtigia tanti pontificis & prædeceſſoris noſtri Gregorii ſequentes, omnemque Deo dignam ibi ſtatutam providentiam agnoſcentes, magnorum Principum votum, Lodovvici videlicet divæ recordationis Auguſti, & æquivoci ejus filii excellentiſſimi regis, tam hujus apoſtolicæ auctoritatis præcepto, quam etiam pallii datione, more prædeceſſorum noſtrorum roborare decrevimus, quatenus tanta fundatus auctoritate prænominatus Anſcharius primus Nordalbingorum Archiepiſcopus, & poſt ipſum ſucceſſores ejus, lucrandis plebibus inſiſtentes, adverſus tentamenta Diaboli validiores exiſtant. Ipſum filium noſtrum jam dictum Anſcharium legatum in omnibus circumquaque gentibus Sveorum, Danorum & Slavorum, ac in ceteris ubicumque illis in partibus conſtitutis divina pietas oſtium aperuerit, publicam evangelizandi tribuimus auctoritatem. Ipſamque ſedem Nordalbingorum, Hammeburg dictam, in honorem S. Salvatoris. Sanctæque ejus intemeratæ Genitricis ſemper Virginis Mariæ conſecratam, deinceps eſſe decernimus archiepiſcopalem. Atque ut ſtrenui prædicatoris epiſcopi, poſt deceſſum dicti Anſcharii archiepiſcopi, crebro perſona tanto officio apta eligatur ſemper ſucceſſio (ſucceſſura) ſub divini obteſtatione judicii ſtatuimus. Verum quia Karolus rex, frater ſupradicti regis Lodovvici, poſt deceſſum imperatoris patris ſui, piæ memoriæ Lodovvici, abſtulit a prænominato loco, qui dicitur Hammeburg, monaſterium, quod appellatur Turholt, ſitum in occidentali Francia, quod illic genitor ſuus ad ſupplementum & victum epiſcopo, & clericis ejus dederat, cœperunt, ut fertur, miniſtri altaris recedere. Deficientibus quippe neceſſariis ſumptibus ab ipſis receſſerunt gentibus, & eadem ad gentes legatio per hujuſmodi factum defecit. Ipſa quoque metropolis Hammeburg pene deſerta eſt facta. Igitur dum hæc agerentur, defunctus eſt diœceſanus Bremenſis, quæ huic contigua eſſe dicitur. Cumque ſæpe dictus rex & hanc diœceſim vacantem, & illam novellam inſtitutionem cerneret deficientem; inſuper, & utramque hanc eccleſiam, Dei permittente occulto judicio, per barbarorum ſævitiam admodum attenuatam; quærere cœpit, qualiter prædicta Bremenſis eccleſia prædictæ novellæ archiepiſcopali uniretur, & ſubderetur ſedi, noſtro hoc votum roborante decreto. Unde per ſæpe dictum venerabilem miſſum Salomonem Conſtantienſem epiſcopum, nobis hoc relatum eſt confirmandum, ac poſtulatum eſt noſtra auctoritate roborandum. Nos ergo id ſubtili perpendentes examine, animadvertimus propter inſtantem neceſſitatem & animarum lucra in gentibus oſtenſa, utile fore, omnia, quæ proficua eccleſiæ probantur exiſtere, & divinis non inſultant præceptis, licita, & facienda eſſe non dubitamus, maxime in tam novellæ Chriſtianitatis plantatione, in

(*a*) *Deeſt in editis Bolland.* pius. (*b*) *Boll.* genitor. (*c*) *Boll.* & Slavorum.
(*d*) *Boll. non legit.* ſummo. (*e*) *Hic deſinit Boll. Sed hic incipit excerptum a Remberto in vita S. Anſcharii datum.*

in qua variis solent eventus contingere. Quamobrem auctoritate omnipotentis Dei, & beatorum apostolorum Petri & Pauli hoc nostro decreto decernimus, secundum reverentissimi regii Lodovvici votum, ipsas prædictas diœceses, Hammeburgensem videlicet & Bremensem, non deinceps duas, sed unam esse, & vocari, subdique sedi, quæ prædecessoris nostri decreto archiepiscopali est munere sublimata, restituta dumtaxat de Bremensis ecclesiæ rebus Episcopatui Verdensi parti inde ablata. Nullus vero archiepiscopus Coloniensis ullam deinceps in eadem diœcesi vendicet sibi auctoritatem; quinimmo & ipsi, & omnibus omnino suademus veræ religionis cultoribus, ut sacra hac legatione fungentibus adjutorio sint & solatio, quatenus gratia hujus beneficii plenam mercedem recipere mereantur ab eo qui dixit: *Ite, docete omnes gentes: & quicumque recipit vos, me recipit.* Itaque omnia a dilecto filio nostro Lodovvico ad hoc Deo dignum officium deputata, nostra etiam pia ejus vota auctoritate firmamus. Et quia casus præteritorum nos cautos faciunt in futurum, omnem quoque adversantem, vel contradicentem, atque nostris his studiis quoquomodolibet insidiantem anathematis mucrone percutimus, atque perpetuæ ultionis reum diabolica sorte damnamus, ut culmen apostolicum more prædecessorum nostrorum caussamque Dei pio affectu zelantes ab adversis hinc inde partibus tutius muniamur. (*a*) Et quia te, carissime fili Anschari, divina clementia nova in sede primum disposuit esse archiepiscopum, nosque tibi pallium ad missarum sollemnia celebranda tribuimus. Quod tibi in diebus tuis uti, & ecclesiæ tuæ perpetuo statu manentibus privilegiis uti largimur. Idcirco hujus indumenti honor a te servandus est morum vivacitate. Si ergo pastores ovium sole geluque pro gregis sui custodia, ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis lanianda morsibus, oculis semper vigilantibus circumspectant: quanto sudore, quantaque cura debemus esse pervigiles nos, qui pastores animarum dicimur, attendamus, & ne susceptum officium in terrenis negotiis aliquatenus implicare debeas, admonemus. Vitaque tua sit filiis tuis via. In ipsa, si qua fortitudo illis inest, dirigant, in ea quod imitentur, aspiciant. In ipsa semper considerando proficiant, ut tuum post Deum videatur esse bonum quod vixerint. Cor ergo tuum neque prospera, quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adversa dejiciant. Districtum mali cognoscant, pium benevoli sentiant. Insontem apud te malitia aliena non maculet, reum gratia non excuset. Viduis & pupillis injuste oppressis defensio tua subveniat. Ecce, frater carissime, inter multa alia, ista sunt Sacerdotii, ista sunt pallii. Quæ si studiose servaveris, quod foras accepisse ostenderis, intus habebis. Verumtamen ista omnia superius annexa, ab apostolica sede beatitudini tuæ indulta cognosce, si a fide, & decretis sanctæ ecclesiæ catholicæ Romanæ in nullo deviaveris. Quod si a fide & institutis sedis Apostolicæ declinare præsumpseris, his nostris tibi collatis beneficiis carebis. Porro te pallio uti nonnisi more sedis concedimus apostolicæ, scilicet, ut successores tui per semetipsos vel legatos suos fidem nobiscum tenere, ac sanctas sex synodos recipere, nec non decreta omnium Romanæ sedis Præsulum, & epistolas, quæ sibi delatæ fuerint, venerabiliter observare, atque perficere omnibus vitæ suæ diebus scripto se, & juramento profiteantur. Scriptum per manum Zachariæ Notarii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Majo, Indict. XII. Imperante Lodovvico imperatore anno suo (*b*) quinto.

ANNO CHRISTI 857.

Matth. 28. 19. & c. 19. 14.

[a] CONCILIUM MOGUNTINUM

TEMPORE CAROLI ARCHIEPISCOPI

Anno Domini DCCCLVII. celebratum sub Ludovico imperatore & Benedicto pontifice.

Locus tempus & caussa concilii.

[a] *Concilium.*) De tempore, loco & caussa hujus concilii ista veteres Francorum annales: *Habita est autem & synodus apud Moguntiacum circa Kalendas Octobres, præsidente Carolo archiepiscopo, ubi inter alia quæ ventilata sunt de jure ecclesiastico, præsentata est epistola Guntharii Coloniensis episcopi ad Aldfridum episcopum directa, in qua legebatur contigisse Coloniæ* XVII. *Kalendas Octobres terribilem valde tempestatem, populo cuncto præ nimio horrore in basilicam S. Petri confugiente, & signis ecclesiæ concrepantibus unanimiter Dei misericordiam implorante, subito fulmen informe, ignei draconis instar, basilicam scidisse ac penetrasse, atque ex omni illa multitudine tres homines diversis quidem locis, sed uno ictu in mortem dejecisse, presbyterum scilicet juxta altare S. Petri, diaconum vero juxta altare S. Dionysii, laicum autem ad altare S. Mariæ: alios etiam numero sex eodem impetu ita prostravisse, ut elati semivivi vix convalescerent. Feruntur & alia prodigia his temporibus Treviris contigisse, quæ ideo scribere distuli, quia de eis certum nuntium non habui. Utinam tria hæc vetustiora concilia a corrosis aliunde chartis revivisserent.* Hæc annales Francorum. Eadem Lambertus Schafnaburgensis in chronic. Vide Serarium in hist. Mogunt. c. 33. lib. 1. Baronium anno 857. num. 1.

Adnotatio ex amplissima Collectione *Veter. Monum. PP. Martene & Durand. tom.* I.

Ex Epistola Nicolai papæ primi ad Episcopos Germaniæ, non Episcoporum modo, qui huic Concilio aderant, nomina agnovimus, sed & agitata in ea Synodo omnia. Et quidem Episcopi recensentur Carolus Moguntinus Metropolita, Alfridus Hildesheimensis, Salomon Constantiensis, Hiltigrimus Halberstadensis, Theodricus Mindensis, Gunto seu Gunzo Vormatiensis, Gebehardus Spirensis, Arnulfus Tuldensis, Witgarius, Egilbertus Asnabrugensis Episcopi, Grimaldus S. Galli, Egilbertus Thioton ....matus, Adalgarius Corbejæ novæ religiosi Abbates. Agitata autem fuere, caussa Salomonis Episcopi, Abbonis matrimonium, pœnitentia sacerdotum, diaconorum, sacrarum virginum adulterii crimine pollutarum, homicidarum, parricidarum, fratricidarum, de quibus omnibus

Epis-

(*a*) *Hic desinit Rembertus. Legitur:* decimo quinto.

(*b*) *Apud Lunig. Spicileg. pagin. 73. ubi pariter hac bulla habetur, recte*

Episcopi prædicti sedem apostolicam missis concilii actis consuluerunt. His respondit Nicolaus: nulla se unquam sententia impegisse Salomoni criminis notam: falsas esse quas Grimoaldus produxit literas, tamquam a sede apostolica profectas; nullum itidem esse matrimonium Abbonis, utpote qui feminam duxerat quarto consanguinitatis gradu sibi junctam: immo pro nullo habendum declarat matrimonium omne inter eos contractum, qui se aliquo consanguinitatis gradu junctos meminerunt. Deinde singulis de quibus consultus fuerat facinoribus suas assignat pœnitentias, quas fusius ibidem & minutatim expositas non sine aliquo suo fructu legent eruditi. En autem Nicolai Epistola e veteri Codice Corbejæ novæ edita in amplissima Collectione veterum Scriptorum & Monumentorum a PP. Martene & Durand adornata tom. 1.

EPISTOLA NICOLAI I. PAPÆ AD EPISCOPOS GERMANIÆ.

NIcolaus Episcopus servus servorum Dei reverentissimo & sanctissimo confratri nostro Carolo Archiepiscopo, ejusque suffraganeis Altfrido, Salomoni, Hiltigrimo, Theodrico, Guntoni, Gebehardo, Arn. VVingario, Egiberto reverentissimis Episcopis, atque Grimalto, Egilberhtto Thiotoniamali, Adalgario religiosis & venerabilibus Abbatibus.

Divinorum fulgentes dogmatum diffinitiones scientiæ sacro sedis nostræ alvo procedunt, semperque descendunt, quia rectitudinis & æquitatis speciem gignere novit, & instituta dilectionis dispositione administrare. Pacis enim ac justitiæ amatrix cognoscitur & benignitatis amica. Cujus consuetudine fulti atque industria, vestræ beatitudini apices destinavimus, rectitudinis fundentes dulcedinem, & probabili sanctione ornatos, cum Abbonis causam de quo fertis, vestra præsentia episcoporum subtili inquisitione examinare decrevimus, ut de ea certitudine per vos maluissemus scire cognitionem. In Salomonem quippe episcopum nec criminis, neque facinoris sententiam certe protulimus, nisi ut commissam sibi a Domino plebem, sicut audieramus, non constringeret juramentis. Epistola vero, quam vobis quasi a nobis missam, Grimoldus obtulit abbas, nunquam nostro est scrinio scripta, neque a nobis edita, neque a nostra sede directa, sed omnimodis falsitatis argumento plena, & mendacii constructa demonstratur tenore. En quia Abbonis jam dicti causam atque intentionem secundum nostræ institutionis deliberationem, synodali examinatione inquirere studuistis, nobisque gestis rei veritatem significastis, ingentes vestræ agimus beatitudini gratias, & quia tantæ claritatis erga sedem polorum clavigeri habetis devotionem, ovantes vestram spiritalibus ulnis amplectimur almitatem. Et quia ipsi Abboni veridicis, ut fertis, testibus in vestro concilio comprobatum est, quod contra sanctorum canonum sanctiones uxorem accipere præsumpsisset, in quarta etiam generatione sibi copulasset, sancimus & apostolica promulgatione decernimus, hujus infausti conjugii omnimodis copula dissolvatur, quia propriæ consanguinitatis & cognationis demonstratur atque cognoscitur esse. Et hoc vobis interrogantibus statuimus, ut nulli liceat Christiano de propria consanguinitate sive cognatione uxorem accipere usque dum generatio recondatur, cognoscitur, aut memoria retinetur. Lætamur autem, vestramque laudamus industriæ observantiam, quia in hac re beatissimorum antecessorum nostrorum Gregorii & Zachariæ Pontificum hactenus in vestris parochiis, ut vestris protulistis in literis, observando A tenetis (decreta). Dixistis enim in quota generatione sibi fideles jungantur. Nos autem generationum in hac re numerum non definimus, sed ut supra retulimus, incunctanter observare monemus. Sacerdotes vero si in fornicationis inciderint laqueum & criminis, & manifestus sive ostensus fuerit actus, sacerdotii non possunt habere honorem, secundum canonicæ institutionis auctoritatem. Sacerdotes illi, qui in crimine fornicationis fuerint accusati, & crimen illis non fuerit comprobatum, aut ipsi non manifestaverint, quid aliud agendum est, nisi quod in Neocæsariensis sancti Concilii capitulo legitur, ac demonstratur? Tamen si ipsi juramento se voluerint purificare, licentiam habeant. Similiter autem & diaconi si B fuerint accusati, peragant. Feminæ scilicet quæ sacro sunt velamine consecratæ, si fuerint, quod nolumus, fornicatæ, velamen deponere non præsumant, sed pœnitentiæ jugo submissæ summopere decertare festinent, ut ad indulgentiæ & remissionis valeant gratiam pervenire. De patricidis & fratricidis præcipimus, ut per unius anni circulum ante fores basilicæ orantes Domini clementiam perseverent. Completo vero anni circulo introducantur ecclesiam, tamen inter audientes, usque dum unius anni spatium finiatur. Stent cum ad Missarum solemnia vel ad alia sacra audire officia venerint. His ita peractis, si pœnitentiæ fructus in eis conspiciuntur, corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi particiC pes fiant, ut desperantiæ non indurentur caligine. Carnem non manducent omnibus diebus vitæ illorum, vinum atque pulmentum sumere non præsumant, nisi tres dies per hebdomadam. Jejunent autem usque ad nonam diei horam quotidie, exceptis festis diebus atque dominicis. Arma gerere non audeant vel sumere, nisi contra paganos, & ubicumque ire maluerint, nullo vehiculo deducantur, sed pedestri more proficisci studeant. Tempus autem hujus pœnitentiæ, in vestræ beatitudinis arbitrio ponimus, ut secundum conversionem illorum aut extendere, vel minuere valeatis. Ne uxoribus, si habuerint, non se-D pararetur; si autem non habuerint, & se continere non valuerint, legitimas accipiant in conjugio feminas, ne fornicationis voraginem incidere videantur. Si autem antequam duorum prædictorum annorum finiantur curricula, finis vitæ illorum pervenerit, viaticum illis non negetur. Si quis cum duabus fuerit fornicatus, aut cum his personis de quibus sacra scriptura prohibet, si dignam egerit pœnitentiam, & tamen non maluerit continentiam sustinere, liceat legitimam conjugio uxorem accipere. Similiter & mulier quæ tali fuerit scelere lapsa, ut fornicationis ad chaos non perducatur perficiat. Sed hoc de laicis viris ac mulieribus solummodo statuimus. Si quisquam cum matre spirituali fuerit fornicatus, anathemaE tis, ut scitis, percutitur ictibus. Similiter autem & illum percutere promulgamus, qui cum ea quam de sacro fonte baptismatis susceperit, aut cum illa quam ante episcopum tenuerit cum sacro chrismate fuerit uncta, fornicationis crimen perpetraverit; legitimam autem si habuerit non dimittat uxorem. Inter hæc vestra sanctitas addere studuit, si cujus uxor adulterium perpetraverit, utrum marito ipsius liceat secundum mundanam legem eam interficere. Sancta Dei ecclesia mundanis numquam constringitur legibus, gladium non habet nisi spiritualem ac divinum;

non

ANNO CHRISTI 857.

a Hæc epistola ante ann. 858. quo Nicolaus I. Papa creatus est, non est scripta; sed neque post ann. 863. quo Carolus Moguntinus Archiep. obiit.

non occidit, sed vivificat. De his qui non sponte homicidium commiserunt, in vigesimo secundo capitulo Ancyrani concilii, qualiter agere debeant, definitum habetis. Homicidæ post unius anni spatium liceat ecclesiam intrare. Vidua quidem quæ sacrum capiti velamen imposuerit, & inter ceteras relatas feminas in ecclesia oraverit, & oblationem cum illis obtulerit, si professa est in eodem habitu permanere, spondens nunquam religionis deponere velamen, religionis observantia discedere non præsumat. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere.

ANNO CHRISTI 857.

ANNO CHRISTI 858.

VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA NICOLAI PAPÆ I.

NIcolaus natione Romanus, ex patre Theodoro regionario, sedit annos novem, menses duos, dies viginti. Hujus insignes beatissimi actus omnibus a primordio pueritiæ suæ fulserunt, intactisque moribus claruerunt. Tanta enim sacrorum comptus erat pulcritudine operum, ut nihil ludi, nihilque, ut pueri solent, inhonesti delectaret illum. Vacabat autem patientiæ & sobrietati, flagrans humilitate, puritateque præcipua. Pater vero ejus liberalium cum fuisset amator artium, & nobilissimo polleret stemmate, * castis eum elementis, almificisque ritibus imbuens, literarum studiis, & optimis artibus perornabat, ita ut nulla sacrarum species remaneret disciplinarum, quam internis conceptam visceribus, suæque cognitioni traductam non haberet. * Crescit autem membris, crescit & sapientia, clarus modestia, spiritu & scientia decoratus: probabilium nempe morum si quoscumque viros conspiceret, illico concitus adhærere studebat, illisque congratulabatur optime.

Virtutes Nicolai papæ describuntur.

* forte cunctis.

* Ut profecit ætate, sic & sapientia.

Cumque cum prudentissimo patre ad quemdam beatissimum crebro virum accederet, qui sancti per illustrationem Spiritus plura fidelibus prædicabat, amplo eum asserebat in culmine ascensurum. Decoris enim intimi magnitudinem intuens, mentisque dulcedinem coruscare, hujus ordinatione ad clericatus perductus est ordinem, ut quod divino senserat nutu, futuris temporibus impleretur. Sergius porro præsul in summæ actionis cum fastigia conscendisse eum audiret, parentum illum deducens ab ædibus in patriarchio locavit, & in subdiaconatus per benedictionis gratiam constituit gradum. In quo mirificis observationibus degens, cælesti fruebatur ardore. Sergio vero papa ab hac corruptibili vita subtracto, Romanæ ecclesiæ Leo gubernacula præsul suscepit.

Sergius papa eum fecit subdiaconum.

Leo IV. diaconum.

Qui in eo sæpissime videns perseverantiæ fructus, iugenti illum diaconum consecravit dilectione. Hoc quippe eo in ordine ministrante, tanta illi desuper concessa fuerat gratia, ut summæ actionis a cunctis cerneretur perfectionibus rutilare. Amabatur autem a clero, a nobilibus laudabatur, & a plebe magnificus amabatur.

Ecce Leoni IV. non Joannes papa femina, sed Benedictus succedit.

Leone scilicet papa defuncto Benedictus miræ beatitudinis vir, & sacratissimus pontifex, superno protectus auxilio Romanæ præponitur sedi, suæque illum administrationi conjunxit, eo quod magis illum, quam suæ consanguinitatis propinquos dilexit, ita ut per nullius horæ momentum sine illo esse delectaretur. Quidquid ecclesiasticarum rerum utilitatibus intuebatur congruere, cum eo promulgans diffinitioni tradebat, prudentissimas sui contemplans arbitrii opes, sensusque clarescere virtutem: utriusque enim semper observantia utiliora suo conamine faciebat. Ad extrema tandem vitæ Benedictus perductus, pretiosæ mortis calicem sumpsit, suisque eum humeris, cum adhuc diaconus esset, usque ad apostoli beatissimi Petri basilicam cum aliis diaconibus gestans, propriis manibus tumulo collocavit, dilectionis præmium pandens, quod circa eum habebat, & amoris integritatem.

Benedictus III. eum habet carissimum.

Benedictus papa ab eo sepelitur.

Eo autem tempore invictissimus Roma Ludovicus Cæsar discesserat. Qui ejus cum transitum cognovisset condolens, concitus ad eam reversus est. Romani quippe tanto pastore amisso mœstissimo gemitu lacrymas effundebant.

Ludovic II.

Cumque clerus, proceres & optimatum genus congregarentur, jejuniis, & orationibus, atque vigiliis insistebant, incessabili Dominum conamine obsecrantes, ut qualem amiserant talem illis dignaretur ostendere virum, quem pontificatus culmine sublevarent. Hæc vero dum gererentur, in basilicam beati Dionysii confessoris atque pontificis cum universo populo convenerunt.

Nicolau papa un ml con eligitur.

In qua per aliquod spatium confabulantes horarum, sidereo accensi fulgore unanimes illum apostolicæ sedis præsulem esse sanxerunt, & celeri gressu ad principis apostolorum Petri continuo aulam properaverunt, in qua ipse confugiens, latitabat. Dicebat enim indignum se tanti regiminis gubernacula esse susceperturum. Impetum vero qui aderant facientes, viribus illum de eadem basilica abstrahentes, sacris acclamationibus in patriarchium Lateranense introduxerunt, apostolicoque solio imposuerunt. Postmodum vero a nobilissimorum cœtibus, cunctoque etiam populo in basilicam beati Petri apostoli deductus, præsente Cæsare consecratus est, apostolicaque sublimatus in sede factus est pontifex, & missarum sollemnia supra beatissimum corpus apostoli beatifice celebravit. Qui densis optimatum populique agminibus cum hymnis & canticis spiritalibus in patriarchium iterum Lateranense perductus est. Coronatur denique, urbs exultat, clerus lætatur, senatus & populi plenitudo magnifice gratulatur VIII. Kalendas Maii.

Cæsare sente co cratur.

Et coro tur.

Tertio igitur consecrationis ejus die cum Augusto convescens ophistico famine resplendebat, caritateque plenus epulabatur in Christo. Finitoque convivii apparatu consurgit, Cæsaremque specialem, & veluti carissimum deosculans filium, immenso circumdedit amore.

Ophistic id est, denti. f Soph co.

His itaque gestis serenissimus imperator inde discessit, sedemque in loco qui Quintus dicitur collocavit. Beatissimus autem præsul hoc audiens, dilectionis ejus compulsus plenitudine atque amoris, ad eumdem cum proceribus & optimatibus Romani nominis locum properavit. Excellentissimus quem cum vidisset Augustus, obvius in adventum ejus occurrit, frænumque Cæsar æqui pontificis suis manibus apprehendens, pedestri more, quantum sagittæ actus extenditur, traxit.

Cæsaris missio papam.

Imperiale cum quo ingressus tentorium salubribus adinvicem fruebantur colloquiis, mensisque epulis perornatis pariter cibum speciali sumpserunt alacritate. Satiati scilicet mensisque remotis plura serenissimus Cæsar beato præsuli contulit dona.

Papa c Cæsare prandet.

dona. Quibus ſuſceptis, equum conſcendens, unde diſceſſerat conabatur reverti.

Auguſtus ejus amore fretus imperialis equi ſuperſcandens cathedram, ovanti cum eo incedebat animi voluptate. Ad quemdam quidem cum perveniſſent ſpatioſiſſimum itineris locum, imperator equo deſcendit, equumque pontificis iterum, ut meminimus ſupra, traxit, dulciſſimiſque oſculis adinvicem propinquantes * latiſque gratulati ſunt.

Cæſar vero ad tentorium remeans cœptum arripuit iter. Præſul autem nobiliſſimorum cœtibus, quibus proſecutus fuerat, ſeptus Romam ingreſſus, almificaque eſt comitatione magnificatus. Erat enim aſpectu pulcher, forma decorus, doctus in verbo, loquela humilis, actu præclarus, jejuniiſque & divino cultui intentus, pauperibus largus, orphanorum protector, & viduis fautor, populique cuncti defenſor. Sed quia cuncta quæ ſacri operis geſſit, huic tradere ſcripturæ non poſſumus, ad ea quæ ſanctis locis obtulit redeamus.

Hic beatiſſimus præſul divina inſpiratione repletus, in diaconia ſanctæ Dei genitricis Mariæ dominæ noſtræ, quæ vocatur Coſmedin, fecit holoſericam unam de ſtauraci habentem hiſtoriam, leones majores duos.

Ibi ipſe fecit velum album roſatum unum, ornatum in circuitu de Tyrio miræ magnitudinis. Obtulit vero in jam dicta diaconia gabatham ſaxiſcam de argento puriſſimo unam deauratam, quæ penſat libras duas & uncias 4. Fecit autem in baſilica Salvatoris, quæ Conſtantinianæ nomen ſumpſit a nomine Conſtantini, cruces de argento puriſſimo, quæ pendent ante figuram ſubſtantiæ carnis ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti. In quibus ad laudem ipſius eccleſiam feſtis diebus cerea figura ſolitis, quæ penſant libras numero 4. & ſemis.

Item in baſilica quoque ſemper virginis Mariæ dominæ noſtræ, quæ vocatur ad præſepe, fecit cantharum de argento ſeſſilem parium unum, penſans lib. 8. & uncias 4.

Ipſe quidem a Deo protectus & beatiſſimus pontifex ſuperno favore plenus obtulit in baſilica beati Petri apoſtoli nutritoris ſui gabatham de auro puriſſimo unam pretioſiſſimis gemmis penſantem libras numero 3. uncias 8.

Fecit etenim in confeſſione ipſius ſacratiſſimæ baſilicæ jugulum de auro mundiſſimo unum, penſans libras numero 2. Similiter vero in jam dicta eccleſia fecit cruces de argento mundiſſimo numero 6. penſantes ſimul libras tredecim & uncias quinque. Eo autem modo in baſilica doctoris gentium beati apoſtoli cruces ex argento puriſſimo duas, penſantes ſimul libras numero 4. nam & in baſilica ſancti Laurentii martyris, quæ ſita eſt foris muros, fecit cruces duas de argento puriſſimo, penſantes ſimul libras numero 4.

Primo quidem pontificatus ſui anno aurea quædam ipſius beatitudini pretioſiſſimis compta gemmis corona perducta eſt librarum habens pondera numero 8. & unciarum 4. ad gloriam ſupra ſacratiſſimæ ejus altare baſilicæ aureis ingenti exaltavit amore catenulis. Verum etiam in jam dicta eccleſia beati Petri apoſtoli nutritori ſuo gabathas ex argento puriſſimo numero novem quæ penſant ſimul libras numero duodecim, & ſemis.

Ipſe vero a Deo protectus venerabilis & præclarus pontifex fecit in monaſterio ſancti Stephani & Silveſtri, quam noviter fundavit ſanctæ recordationis dominus Paulus quondam papa, in eccleſia majore, quæ vocatur ſancti Dionyſii ad honorem & gloriam ſacri altaris, vela quatuor de ſtauraci. Hujus præclari pontificis, id eſt menſe Octobri, die trigeſima, indictione octava, fluvius, qui appellatur Tiberis, alveum ſuum egreſſus eſt, & per campeſtria ſe dedit; intumuit etiam inundatione aquarum multarum, & ingreſſus eſt per poſterulam, quæ appellatur ſanctæ Agathæ in urbe Roma quam hora diei tranſcendit, interea aliquibus locis, & ingreſſus eſt in eccleſiam beati Laurentii, quæ appellatur Lucinæ. Inde ſe extendit, & ingreſſus eſt in monaſterium ſancti Silveſtri, ita ut ex gradibus qui aſcendunt in baſilicam beati Dionyſii præ multitudine aquarum ne unus videretur, excepto uno qui ſuperius erat. Et exinde expandit ſuper plateam, quæ vocatur Via lata, & egreſſus eſt in baſilicam ſanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ ibidem eſt: tantumque intumuit aqua, ut etiam portæ ipſius eccleſiæ non viderentur præ altitudine aquarum. Et inde aſcendit per plateas & vicos uſque ad clivum argentarii. Exinde redundans ingreſſus eſt per porticum, quæ eſt poſita ante eccleſiam ſancti Marci. Inde impetum faciens cœpit decurrere in cloacam, quæ eſt juxta monaſterium ſancti Laurentii martyris, quod vocatur Pallacini. Ab ipſo die cœpit & deinceps paullatim aqua ſe minuere, & fluvius poſt multo damno facto in ſuum alveum reverſus eſt. Tiberis inundatio.

Nam domos & muros evertit, agros deſertavit, evellens ſegetes & eradicans arbuſta. Simili modo in menſe Decembrio, die vigeſima ſeptima, natali ſancti Joannis evangeliſtæ, indictione ſupra ſcripta, ingreſſus eſt alia vice fluvius ipſe qui appellatur Tiberis, alveum ſuum egreſſus eſt ut ſupra in civitate Romana; omnia ut ſupra. Altera inundatio.

Simili modo præclarus & beatiſſimus pontifex fecit in monaſterio ſancti Valentini, quod eſt poſitum in territorio Narnienſi, juxta Interamnem, veſtem de fundato unam habentem hiſtoriam leonum, & in circuitu myzinum. Item venerabilis & præclarus pontifex formam aquæ, quæ vocatur Tocia, at vero jam per evoluta annorum ſpatia nimis confractam exiſtentem, per quam decurrebat aqua per centenarium in urbem Romanam, a fundamentis ad fabricandum atque reſtaurandum, eadem forma præparavit. Verum etiam & in eccleſia ejuſdem Dei genitricis, & Domini noſtri Jeſu Chriſti, quæ vocatur Coſmedin, fecit hoſpitium largum ac ſpatioſum ſatiſque præcipuum ad opem atque utilitatem pontificum, ubi obediens opportunum fuerit cum omnibus qui eis famulantur ampliſſime hoſpitetur.

Simili modo & in eccleſia beati Petri principis apoſtoli nutritori ſuo obtulit vela in arcus presbyterii cum chryſoclavo, habentem hiſtoriam leonum figuras numero quadraginta. In eadem vero ſtrenuo catenam opere factam contulit ex argento mundiſſimo, quæ penſat libras numero 4. Nam & in oratorio ſanctæ crucis, quod infra baſilicam beati Petri apoſtoli conſtitutum eſt, fecit gabatham de argento unam penſantem libras duas. Ipſe quidem ſacratiſſimus pontifex fecit in baſilica doctoris gentium beati Pauli apoſtoli candelabrum argenteum unum, penſans libras numero duas, & uncias 6. Verum etiam in titulo beati Euſebii confeſſoris Chriſti fecit ſuper ciborium crucem cum velo de argento puriſſimo penſantem libras 4.

Hujus temporibus Michael filius Theophili imperatoris Conſtantinopolitanæ urbis imperator ob amorem apoſtolorum miſit ad beatum Petrum apoſtolum dona per epiſcopos, quorum hæc ſunt nomina, Methodius metropolitanus, & Samuel epiſcopi, & alii duo depoſiti ab honore epiſcopatus, quorum nomina hæc ſunt, Zacharias & alius Theophilus, & alius imperialis laicus nomine Dona Michaelis orientis imperatoris.

mine * Arſavir protoſpatharius, id eſt patenam ex auro puriſſimo cum diverſis lapidibus pretioſis albis, praſinis, & hyacinthinis. Similiter calicem de auro ex lapidibus circumdatum, & in circuitu pendentes hyacinthos in filo aureo, & repidis duobus in typo pavonum cum ſcutis & diverſis lapidibus pretioſis hyacinthis albis, quæ penſant ſimul libras numero .....

* Lafavir.

Similiter vero & veſtem de chryſoclavo cum gemmis albis habentem hiſtoriam Salvatoris, & beatum apoſtolum Petrum, & Paulum, & alios apoſtolos, arbuſta, & roſas, utraque parte altaris legentes de nomine ipſius imperatoris miræ magnitudinis, & pulcritudinis decore. Et alia multa dona porrigentes pontifici, legationis verba ſibi injuncta protinus ediderunt. Porro fatus imperator Græcorum, inventa pro imaginum depoſitoribus occaſione ſacrarum, miſſos apoſtolicæ ſedis per ſupra fatos ſuos legatos Conſtantinopolim dirigi poſtulavit, intentans ſcilicet cauſſam Ignatii patriarchæ, & Photii Conſtantinopolitanæ eccleſiæ pervaſoris: cupiens hic eumdem ſanctum virum Ignatium judicio ſedis apoſtolicæ callide per invidiam, ut poſtmodum patuit, condemnare, Photiumque neophytum ipſi eccleſiæ ſubrogare.

Legatio imperatoris doloſa.

Papa legatos mittit Conſtantinopolim.

Tunc pontifex ſummus imperatoris adhuc peſſimæ cogitationis ignarus duos epiſcopos illuc, Radoaldum ſcilicet & Zachariam, direxit: præcipiens ut quidquid de ſacris imaginibus quæſtio afferret, ſynodice diffinirent, & ipſius Ignatii patriarchæ, Photiique neophyti cauſſam ſollemniter inquirerent tantum, & ſibi renuntiarent.

Ravennates legatos mittunt Romam. * Miſeni.

Qui ſancti pontificis parvipendentes ſtatuta, quæ vel quanta inſana pecunia illic corrupti more Vitalis, atque * Meſeni peregerint, inferius ſuccincte tranſcurram. Interea multi Ravennatum, qui a Joanne ejuſdem urbis archiepiſcopo in rebus, & juris ſui proprietatibus incommoda ſuſtinebant, ad hunc beatiſſimum papam, ut a tantis oppreſſionibus eruerentur, veniebant. Quorum pie clamores audiens ipſum legatis ſuis & literis ſæpius archiepiſcopum, quatenus talibus cederet actibus, commonuit. Sed ille mente confuſa monita pii patris * obtendens, pejora prioribus addere minime metuebat. Quanto autem benigna inſpectio ſummi præſulis illum, ut reſipiſceret admonebat, tanto magis ad deteriora ſæcli vertebat. Et ſuper iniquitatem addere non deſinebat.

*contemnens.

Archiepiſcopi Ravennatum nequitia.

Nam quoſdam temere excommunicabat, quoſdam autem a viſitatione ſedis apoſtolicæ avertebat. Et quorumdam res ſine legali judicio occupabat. Nec non & ſanctæ Romanæ eccleſiæ plurima prædia auferebat. Miſſos illius ſpernebat, & gloriam beati Petri apoſtoli, quantum in ſe erat, evacuabat. Præcepta etiam juris ſancti Petri, ſi apud quoſcumque inveniebat, frangebat, & ad jus ſancti Apollinaris transferebat. Nam presbyteros & diaconos non ſolum ſibi ſubjectos, ſed etiam per Æmiliam conſtitutos ad apoſtolicam ſedem pertinentes, ſine canonico judicio deponebat, & alios carceri, alios autem fœtidis ergaſtulis retrudi faciebat.

Alios crimen, quod non fecerant, ſcriptis confiteri cogebat. Conſtituta præterea eccleſiaſtica abſque ſedis apoſtolicæ conſenſu deprimebat. Et vocatus a ſummo pontifice Romam, ſe ad ſynodum non debere occurrere jactitabat.

Nec mirum cur poſtea iſta fecerit, qui cautiones, & indiculos qui ſoliti ſunt ab archiepiſcopis Ravennatibus in ſcrinio fieri, in initio conſecrationis ſuæ more Felicis deceſſoris ſui falſavit, & quædam barbara ſcripta, quædam vero falſa compoſuit.

Eodem tempore papa prædictus ter ad ſynodum ſuis literis eum vocavit, & ille venire contemnens a ſancta ſynodo communione privatus eſt. Deinde Papiam pergens, imperatoris auribus Ludovici Cæſaris moleſtiam intulit, ſolamenque mundanum quæſivit. Tunc largiente ei Auguſto legatos præcipuos, cum illis ſuperbiæ repletus tumore Romam pervenit.

Sed pontifex almus, quia contra ſacrorum canonum regulas excommunicato ipſi legati communicaverunt, benigne eos redarguit. Illis autem quæ egerunt deflentibus, eidem archiepiſcopo a Deo conſervandus papa mittebat, ut in Kalendis Novembris ad ſynodum a qua fuerat excommunicatus occurreret, plenamque ſatisfactionem oſtenderet, nec non & tantis prævaricationibus finem imponeret. Ille autem noluit, ſed retrorſum abiens receſſit. Et ecce Æmilienſes ac ſenatores urbis Ravennæ cum innumero populo ad veſtigia præſulis hujus beati Romani cum lacrymis properantes rogabant, ut ad imitationem Domini noſtri Jeſu Chriſti pro recuperatione eorum non dedignaretur proficiſci Ravennam, quatenus inſpectis omnibus ad ſummam eos perduceret libertatem.

Rogatu c vium Ra veanatum papa ad Ravennan

Itaque per ſemet beatiſſimus papa Ravennam proficiſcens, cum de ejus adventu Joannes archiepiſcopus cognoviſſet, uſque Papiam continuo ad imperatoris aures denuo moleſtandas iter arripuit.

Tum præſul optimus omnibus Ravennenſibus, Æmilienſibus, & Pentapolitanis, res quas Joanne archiepiſcopo & Gregorio fratre ejus rapientibus amiſerant, clementer reſtituit ex præceptionis ſuæ decreto, quod tradidit & confirmavit. Præfato autem archiepiſcopo, ut prædictum eſt, perveniente Papiam, concives ejuſdem urbis una cum Luithardo epiſcopo ſuo a Romano pontifice conſecrato cum audiviſſent quod a ſummo pontifice excommunicatus idem eſſet archiepiſcopus, in tanta ſe cuſtodiæ circumſpectione dediderunt, ut nec in ſuis domibus eum reciperent, nec hominibus ejus paterentur aliquid venumdari, ne per tale commercium ſaltem locutionis eorum viderentur eſſe participes, ac per hoc excommunicationis notam incurrerent.

Cives R vennates giunt co munionem archiepiſc pi excom municati

Potius autem cum de aſſiſtentibus ipſius archiepiſcopi aliquos per plateas incedentes vidiſſent, clamabant: Iſti de illis excommunicatis ſunt non licet nobis cum illis miſceri. Tunc videns ſe idem archiepiſcopus voluntatis ſuæ per hoc non poſſe machinamenta perficere, idemmet ſe ab imperatore adjuvari popoſcit. Cui hæc per internuntium mandat Auguſtus dicens:

Imperato humiliatur chiepiſco pum ut miliet ſe ram papa

Vadat, & faſtu elationis depoſito tanto ſe humiliet pontifici, cui & nos & omnis eccleſiæ generalitas inclinatur, & obedientiæ ac ſubjectioni colla ſubmittit, quia quod cupit aliter minime conſequi poterit.

Cumque archiepiſcopus hæc audiviſſet, anxiari cœpit, & iterum importunis precibus legatos imperiales expetens Romam pervenit. Quem contra beatiſſimus papa hæc cognoſcens, omnem illius arrogantiam tamquam aranearum telam deſpiciens, in qua prius ſententia fuerat perſeveravit, atque immobilis fuit. Tamen eiſdem Auguſtalibus miſſis papa ſanctiſſimus magna cum manſuetudine hujuſmodi agens locutus eſt:

Si dilectus filius noſter domnus imperator iſtius Joannis archiepiſcopi actus & mores bene cognoſceret, ipſe non ſolum pro illo nos minime flagitaret; ſed etiam, ut ſe corrigeret, ad nos eum etiam eo nolente dirigeret. Tunc, ſicut ipſe egregius papa decreverat, multis in unum epiſcopis provinciarum convenientibus eidem archiepiſcopo

de-

destinavit, ut coram veniens de se plenissimam satisfactionem ostenderet, & quæ prævaricatus fuerat satius emendaret. Quod archiepiscopus per ter audiens, & se a nemine adjuvari posse conspiciens, in angustiæ lamenta & nimiæ tribulationis se contulit intus, & quos poterat cum lacrymis implorabat dicens: Miseremini mei, peto, miseremini mei. Et clementiam summi præsulis ut mei misereatur exposcite: quia ecce paratus sum ad omnia quæ præceperit peragenda. Quod nonnulli videntes & audientes summo referebant antistiti, & responsionis illius, quas lamentabili voce dabat suggestiones ad liquidum exponebant. Tunc compatientissimus papa, Dominum qui mortem non vult peccatoris imitatus, misericordia motus præfatum archiepiscopum ad humilitatis viam tandem conversum suscipere decrevit. Tunc ille confestim apprehensa charta repromissionis & juramenti sui scripturas, quas tempore consecrationis suæ imperfectis confusisque, ut in eis videbatur, repleverat dictionibus, propria manu scribens juxta consuetudinem antecessorum suorum composuit.

Et domum, quæ dicitur Leoniana, in qua beatissimus præsul cum episcopis, presbyteris, proceribus, & optimatibus multis astantibus residebat, conscendit, prædictasque scripturas, quas fecerat, super vivificam crucem Domini nostri Jesu Christi, atque sandalia ejus, & super sacrum quatuor sanctorum evangeliorum codicem posuit, & has manu tenens, innumeris qui convenerant audientibus, clara voce sponte juravit, se omnibus diebus vitæ suæ observando integriter tenere atque perficere sicut in ipsis * suis responsionis continebatur atque legebatur scripturis.

Quas etiam in conspectu omnium ore proprio legit, summoque præsuli tradidit. His ita peractis ipse insignis & præcipuus pontifex in basilicam Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, cum omnibus episcopis, & cuncto clero altero die descendit. Ubi a summo pontifice jussus prænotatus archiepiscopus adfuit, & de crimine hæreseos, quo impetebatur, se expurgavit.

Quem communioni ipse papa restituit, & ut sacrarum missarum sollemnia celebraret licentiam ei benignus indulsit: sequenti vero die, præsidente eodem summo & universali papa in eadem domo Leoniana, & juxta morem residente sanctissimo sacerdotum & coepiscoporum collegio, adfuit archiepiscopus, & jussu summi præsulis resedit.

Tunc Æmilienses astiterunt episcopi, dantes querimoniam in libellis super eumdem Joannem archiepiscopum, dicentes se multa præjudicia & superimposita ab ipso archiepiscopo sustinere. Nam & nonnulli Ravennenses & Æmilienses eadem fatebantur, sicut in gestis, quæ in bibliotheca rejacent, quisquis investigaverit, poterit reperire.

Quæ audiens a Deo protectus pontifex una cum sancta synodo, contra ecclesiasticæ regulæ normam talia esse prædixit, ut & omnes istæ transgressiones corrigerentur, acclamante sancta synodo ita debere fieri, dulci affatu statuit, ne sibi principaliter grex commissus dominicus per desidiam lupinis lacerandus morsibus relinqueretur.

Verumtamen, o Joannes archiepiscope, egregius inquiens præsul, ut cuncta quæ dicuntur speciali possint correctione amodo facilius corrigi, præcipimus tibi, ut remota omni excusatione, præter gravem corporis molestiam, quæ te venire omnino prohibeat ad sedem apostolicam semel in singulis properare audeas annis, nisi forte remorandi licentiam ab apostolica sede percipias. Item sancimus, ut episcopos per Æmiliam non consecres, nisi post electionem ducis, cleri, & populi per epistolam apostolicæ sedis præsulis acceperis eos consecrandi licentiam. Ipsos autem episcopos quotiescumque ad apostolicam sedem accedere voluerint nequaquam prohibeas. Sed & nullam dationem, quam sacri canones non præcipiunt, ab eis aliquando exigas. Præcipimus etiam, ut ipsos episcopos illam malam consuetudinem, quæ a quibusdam tricesimalis dicitur, nullo modo Ravennati exhibere, aut exercere compellas ecclesiæ, nec ullum morem, qui contra episcoporum privilegium sit, ab eis exigere quoquo modo tentes. Nihilo minus præcipimus tibi ut nunquam res cujuscumque personæ, qualicumque ingenio vel chartula acquisitas & possessas olim, modo occupes, aut titulum superimponas, donec in præsentia apostolica, vel missi ejus, aut vestrorum Ravennæ legali ordine illos in judicio convincas. Cumque hoc a papa beatissimo observandum archiepiscopo Joanni fuisset injunctum ac imperatum, surrexit sancta synodus, & tribus vicibus acclamavit: Rectum judicium summi præsulis, justa definitio totius pastoris ecclesiæ, salubris institutio Christi discipuli omnibus placet: omnes eadem dicimus, omnes eadem sapimus, omnes eadem judicamus. Tunc tam eodem archiepiscopo, quam omni sancta synodo sacri verbi pabulo refectis, dulcissimique saporis a beatissimo præsule nectare satiatis, unusquisque ad propria, licentia accepta pontificis, exivit. Papæ acclamant episcopi.

Eodem tempore hic egregius & a Deo conservandus papa in ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ, quæ vocatur Cosmedin, fecit scalpi ..... de argento purissimo pensant. libras quinque & uncias duas. Nec non in titulo Vestinæ expressæ figuræ beati Vitalis martyris fecit iconam habentem quatuor libras & semis. Dona papæ.

Fecitque etiam in basilica beati Christi martyris Anastasii in circuitu sacri altaris cum periclysi de blattin vela quatuor. In basilica vero beati Petri apostoli in oratorio sancti Gregorii papæ vestes fundatas per circuitum ornatas de olovero obtulit tres. Qui beatissimus & præcipuus pontifex in ecclesia doctoris gentium beati Pauli apostoli miræ pulcritudinis vestem auro textam in circuitu gemmas habentem hyacinthinas, albas, ac prasinas, simulque & carbunculos lapides, mente obtulit pura. Ubi etiam & duo vela pari modo auro texta fecit cum gemmis & obtulit. Ecclesiam autem Dei genitricis semperque virginis Mariæ, quæ primitus Antiqua, nunc autem Nova, vocabatur, quam domnus Leo quartus papa a fundamentis construxerat, sed picturis eam minime decorarat, iste beatissimus præsul pulcris ac variis fecit depingi coloribus augens decorem, & plurimis corde puro ornavit speciebus.

Igitur, ut paullo superius protuli, quoddam in sancta Constantinopolitana schisma adoleverat ecclesia, scilicet quia ejecto ex ejusdem sede ecclesiæ Ignatio reverendissimo patriarcha, Photium ex laicis, & ex militia tonsuratum contra reverendorum canonum statuta, neophytum subito inibi subrogarunt antistitem. Verum quia Michael imperator Græcorum super his Ignatium patriarcham Constantinopolitanum, quem tempore domni Leonis IV. papæ laudum præconiis extulerunt, vituperando, & invasorem Photium collaudando Romanam sedem, ut illuc iste beatissimus, & insignis papa missos suos ad invenienda quæ dicebantur dirigeret, humiliter per Arsavir spartharium scilicet legatum, & apices suos, consuluit. Constantinopoli Ignatio pulso Photius impius subrogatur.

Porro eo quod vigorem ecclesiasticum desiderabat intemeratum consistere, id fieri summus præsul minime recusavit. Cupiens zizaniorum cumulos usque ad radicem evellere, ne in sancta Dei ecclesia per desidiam in aliquo macula pullularet.

Tunc e latere suo duos episcopos Radoaldum, sicut prædictum est, Portuensem, & Zachariam Anagninum, quos idoneos ad hoc opus esse putavit, direxit, præcipiens, & mandans eis, ut causam ejectionis ipsius Ignatii, & subrogationis Photii solummodo inquirerent, & sibi renuntiarent: & interim Photii neophyti communionem vitarent, quousque revertentes certum de omnibus responsum reddere studuissent. Illi autem abeuntes, quod in mandatis acceperant contemnentes, non solum Photio neophyto contra sibi interdictam sententiam communicaverunt, sed etiam corrupti muneribus ipsi, & consecrationi ejus favendo, convocata generali synodo, eumdem virum Ignatium patriarcham denuo deposuerunt; sicut in gestis Constantinopoli ab illis compilatis facile reperitur, & per legatos, scilicet Leonem a secretis, ac alios, necnon & epistolam prædicti imperatoris veraciter mansit compertum.

Revertentibus autem legatis, quod in Photio egerant nonnullis præconiis extollebant, & qui in Ignatio patriarcha nequiter operati fuerant, multis oppositionibus vituperabant. Rector ergo & totius ecclesiæ princeps, apostolicæ sedis eximius & discretus præsul, Romæ hæc sancto considerabat intuitu: sed audita quæ contra suam dispositionem fuerant perpetrata, donec secundum mysticum suæ intellectum sophiæ cuncta scrutaretur, minime credebat. Interim sacræ suæ auctoritatis tam ad Michaelem Græcorum imperatorem quam ad eumdem Photium literas, quæ in hujus sedis scrinio habentur, componens, dansque illas eidem Leoni a secretis, & mandans nec in depositione Ignatii patriarchæ, nec in subrogatione Photii se fore consensurum, quousque veritate agnita coram se legitimum causæ finem acciperet.

Nicolaus papa scribit ad Michaelem imperatorem.

Ubi aliis ajentibus ipsius præsulis in hoc fuisse decretum, & aliis acclamantibus Ignatium injuste exstitisse depositum, supernum arbitrium idem summus jugiter pontifex precabatur, ut per ejus clementiam, quem nulla latent absconsa, Dei patefieret ecclesiæ suæ voluntatis in talibus non fuisse consensum.

Papa convocat synodum.

Tunc vocavit zelo fretus divino episcoporum concilium, in quo luculentius patefactum est in depositione Ignatii illum minime consensisse, & legatos apostolicæ sedis in talibus deviasse. Denique decernente eodem piissimo cum sancta synodo præsule præfatum Zachariam episcopum, qui tunc aderat; sicut beatus papa Felix Vitalem & Misenum episcopos, qui Petro Alexandrino hæretica fæce coinquinato coacti consenserant, sacerdotali gradu, immo ecclesiastica communione privavit, eo quod in pluribus apostolica interdicta excessisse inventus est. Et Radoaldi episcopi causa, quem postea cum sancta synodo pariter papa pius, mandata ejus etiam in Galliis violantem, & excommunicationem frangentem, judiciumque canonicum subterfugientem damnavit, suspensa est.

Ea excommunicat Zachariam episcopum.

Igitur ipse præclarus vir, sanctique studii pontifex quemdam Pomponem diaconum a Pandulpho episcopo sedem apostolicam appellantem injuste depositum, officio suo restitui jussit. Et quia sine certo numero episcoporum, immo sine crimihis approbatione, & ipse diaconus sine oris professione fuerat judicatus, omnem illam judicii sententiam cassavit, & ad rectitudinis tramitem apostolica causam pietate reduxit.

Ipso etiam præstantissimo præsule culmen apostolicum gubernante Ludovicus Augustus hæc sancto Petro apostolo contulit dona, videlicet *. Erat autem clementissimus idem pontifex in exhibendis dominici gregis vigiliis adeo curiosus, ut cum aliquod scandalum in sancta ecclesia oriebatur, nec requiem corpori, nec membra dabat sopori, quousque per missos aut literas suas pax reformaretur, & tranquillitatis populus resumeret lucrum.

Ludovici imperatoris dona S. Petro oblata. * Hic aliquid deesse videtur

Nam Lotharius rex relicta Theutberga regina, & VValdrada concubina in matrimonium sumpta carnaliter, licet super his Romanam sedem eumdemque pium consuluisset pontificem, in putredine luxuriæ, carnisque petulantia volvebatur. Cumque hoc summus pontifex malum qualiter ab ecclesia Dei pelleret, ne alios hujus morbi peste rex ille pollueret, intra se cogitaret, diutissime cœpit affligi, & intimo corde dolens, valde super istis gemebat erroribus. Præsertim cum * Theutgaudum Treverensem & Guntherium Agrippinæ Coloniæ archiepiscopos cum Haganone Bergomensi & ceteris episcopis talem eidem regi auctoritatem dedisse audierit, ut Theutbergam liberius posset rejicere, & VValdradam concubinam in matrimonium legitime copulare. Et quos debuerat ante Dominum adjutores habere atque ductores, ipsos habere præsul beatissimus comperat, hanc dando pro auctoritate perpetuo igni, traditores. Unde sine mora continuo missos suos in Franciam destinavit, præcipiens & monens ut in Metensium urbe, aggregato synodali conventu, requirerent, cur idem rex * Theutbergam rejiceret, aut VValdradam sibi in conjugium copularet. Quo requisito & invento legitimum finem imponerent.

De Lotharii repudianda uxorem Theutbergam. *Alii vero Thierganum & Guntharium. Papa fyn dum Mi Indici jub *Alii Thi bergam.

Sed pervenientes illuc sedis apostolicæ legati scrutari cœperunt hujusmodi causam, & id ab Lothario inter cetera audierunt; Quidquid ego feci, istorum episcoporum consilio usus feci. Erant autem ibi præcipui prædicti Theutgaudus, & Guntherius archiepiscopi, quos auctores in tanto scelere sanctus jam papa compererat, astruentes & dicentes, legitimum illud fuisse connubium quod de VValdrada concubina rex construxit Lotharius, & quæ dicebant, coram domino eximio papa venientes se defendere posse spondebant. Cumque legati apostolicæ sedis, licet in multis seducti, Romam iter regrediendo reflecterent; quæ a rege ac a Theutgaudo & Guntherio archiepiscopis audierant ac cognoverant, summo retulerunt pontifici. Piissimus autem præsul adventum archiepiscoporum dum præstolaretur illorum, ecce superna dirigente clementia, idem Theutgaudus & Guntharius archiepiscopi Romanam urbem adeuntes, vestigiis hujus præsulis se sacris præsentari petierunt. Quibus benigne a præsule præstantissimo susceptis: libellum ei obtulerunt, dicentes, se nihil plus vel minus egisse, nisi sicut libellus ipse cantabat. Quo diligentissime scrutato, non pauca in eo reperta sunt profani & multis inauditi sermonis turpitudinem habentia, quæ episcopalem excedentia ordinem ipsos sicut phreneticos ligaverunt archiepiscopos. Denique convocata synodo in Lateranensi post hæc palatio sub apostolis, inventi sunt iidem, ut dictum est, archiepiscopi, unde damnationis notam incurrerent. Præcipue, quia auctores se tanti divortii fuisse clamabant, & sententiam quam in Ingiltrudem uxorem Bosonis papa tulerat, quæ eumdem virum suum Bosonem per septenne tempus reliquerat, (ut quæ excommunicata etiam, & a summæ sedis pio papa

Archiepi pi Colo nientis & Trevirer veniunt mam.

Synodus Laterane damnat chiepisc rum de nam.

liga-

ligata, & anathematizata extiterat, & ad eum reverti curaverat) communicantes ac conversantes cum ea, immo loquentes, dissolvisse se non negabant, sed altisone publicabant, & epistolam pii pontificis, sicut in illis male compositis gestis in scrinio hujus sedis repositis declaratur, ad libitum falsaverant.

Tunc judicante & eodem sancto præsule cum synodo decernente sacerdotali honore privati sunt. Et depositionis censuram merito incurrerunt.

nsis sy- cassa-

In hac quidem synodo benignus præsul Metensem synodum, ubi gesta illa contra voluntatem Dei & suam digesta fuerant, illico cassavit, & quædam necessaria in sancta ecclesia capitula promulgavit.

His ita peractis una cum jam dicto Haganone episcopo, qui, sicut quidam episcoporum eidem coangelico præsul scribebant, ob sermones imperitos, qui in prænominatis profanis gestis a Theutgaudo & Gunthario oblatis sonabant, Heliu nominatus est, eo quod ipse Hagano auctor illorum fuerit, & talia cum eisdem archiepiscopis inconvenientibus, mendacibusque loquelis composuerit, Joanne, de cujus superius memoria textus eloquitur, ascito archiepiscopo cum Gregorio germano fratre illius, qui multarum prævaricationum juramenti quod præstiterant obliti, obnoxii habebantur. Iidem depositi pœnitentiæ lamenta non requirentes, & tantum facinus, quod in uxorem Lotharii regis gesserant, adhuc non condolentes cum eisdem, Haganone scilicet & Joanne Ravennate archiepiscopo, & Gregorio fratre ejus contra sedem Romanam, immo specialiter contra summum pontificem, & populum illi subditum, a Domino Jesu Christo per beatum Petrum apostolum regni cælorum clavigerum commendatum, multa nefanda, multa contraria, multaque sacrilega, & Christianitatis modum excedentia palam & clam fraudulenter atque procaciter operari cœperunt, ita ut eorum nequitiæ montes transirent & maria, & in cælum os suum ponentes populum Domini crudeliter discerperent, & innocentes animas viperea factione deciperent. Et quibus non sufficiebant mala præterita, nova & inaudita alia deteriora prioribus diabolo suadente facere non recusabant. Quia & quod sigillatim utrisque prohibitum, & synodice secundum qualitatem sceleris interdictum fuerat, audacter contingere præsumpserunt, & quæ tentanda nemini, Deo contempto, heu proh dolor! peregerunt.

ficis li- tras in ere6.

Hic Christi amicus omnium nomina claudorum, cæcorum, atque ex toto debilium in urbe Roma consistentium scripta apud se retinens quotidianum illis victum ministrare studiose curabat. Nam reliquis pauperibus gressum, aut vires habentibus hujuscemodi, ut vicissim eos pasceret sapienter, reperit modum, scilicet bullas suo nomine titulatas fieri jussit, & has eis dari præcepit. Ut quanti prima feria, quanti secunda, quanti tertia, vel ceteris aliis feriis prandere debuissent, per signum bullarum facilius nosceretur, & in illis quidem bullis, quæ eis datæ sunt, qui prima feria refici debeant, fecit per singulas duos nodos, & sic per omnes usque in sabbatum, ut quot feriæ essent, tot essent nodi per singulas bullas, includens in eis nuces, ubi nodi fiebant, quatenus nullus pauper haberetur in urbe, qui vel uno die per hebdomadam de suis eleemosynis non esset refectus. Interea Carolus rex sancto apostolo Petro obtulit ex purissimo auro & gemmis constructam vestem, habentem gemmas prasinas, hyacinthinas, & albas. Sanctissimus autem & fulgidissimus pontifex dolens populum tot oppressum calamitatibus, Deum tantummodo innumeris invocabat precibus, & infinitis laudabat præconiis, non tamen ecclesiarum Dei curam relinquens, sed potius in tribulatione, & temporali tentatione decenter adaugens. Nam renovavit in basilica Dei genitricis Mariæ, quæ dicitur Cosmedin, secretarium, ibique pulcri decoris fecit triclinium cum caminatis ad honorem & decorem ejus. Nova opera papæ.

Pari modo juxta idem secretarium porticum renovans, illic construxit atque ædificavit oratorium in honorem sancti Nicolai, & plura dona ibi contulit almus pontifex. Renovavit etiam ipse pastor benignus cœmeterium beati Felicis martyris, ac conversionem in via Portuensi. Nec non & cœmeterium eadem via ad Ursum pileatum, ubi corpora sanctorum Christi martyrum Abdon & Sennen requieverunt, jam in ruinis positum pulcro ac miro restauravit honore. Via autem Appia in cœmeterio sancti Christi martyris Sebastiani in Catacumba, ubi apostolorum corpora jacuerunt quod multis annis ruerat, meliori illud fabrica renovans, monasterium fecit, & monachos sub abbatis regimine undecumque potuit aggregavit, victuique necessaria dari, ceteraque stipendia ministrari præcepit.

Hujus igitur tempore cum multi ad sanctitatis ejus nomen accurrerent, quidam de Anglorum gente Romam venerunt, qui in oratorio beati Gregorii papæ & confessoris Christi, intra principis apostolorum ædem sacram Frascatæ constructo, unam tabulam argenteam posuerunt habentem lib. .... Angli offerunt dona.

Prædictus clementissimus pontifex in ecclesia cælestis regni clavigeri beatissimi Petri apostoli vela numero quinque de fundato, quæ ad decorem ipsius basilicæ sursum in trabibus intra tantæ ædis vestibulum appenduntur ornata in circuitu olovero optimo fecit, & pro æternæ vitæ contulit palma. Hujus beatissimi temporibus præsulis tot tantæque diversarum provinciarum, cognita luce clarius doctrina præclari dogmatis ejus, ad sedem apostolicam consultationes directæ sunt, quantas nunquam penitus quis reminiscitur a priscis temporibus perveniisse: qui præsagus sacri verbi pabulo præsul ubertim singulos reficiebat, tradens eis præcepta juraque mystica, beatificis illos institutis satiabat, docebat, & ad propria benedictos & eruditos remittebat. Et quidquid quoquo modo perperam fieri cognoscebat, audiebatve per aliquos, Dei tantum respectu corrigere illud malens, gravibus lamentis orationibusque infinitis vacabat, ut Deus omnipotens per suam clementiam tale quid, tamquam non esset, bonis ac præcipuis immutaret exemplis. Sicuti veniente de insula Sardiniæ relatione, quod etiam & per domesticos suos genere Sardos agnoscens, hujuscemodi verbis ei relatum fuit, quod judices ipsius insulæ cum populo gubernationibus suis subjecto cum proximis ac sanguinis sui propinquis incestas & illicitas contraherent copulas, velut temporibus domni Gregorii quarti papæ facere consueverant. Tunc enim mellifluos, & prævaricantibus, a sancto Spiritu doctus, terribiles suæ prædicationis, quæ in universo orbe micabat, componens apices, missos etiam strenuos Paulum Populonienſem episcopum, & Saxum venerabilem monasterii sanctorum Joannis & Pauli abbatem accersiens misit eos illuc, ut eamdem gentem Sardorum a tanto revocarent errore. Quibus euntibus, valde quosdam ex eis invenerunt adversos, disciplinæ monita recipere contemnentes. Verumtamen secundum præceptionis summi præsulis auctoritatem Sardos excommunicaverunt ac anathematizaverunt auditores, quousque malum incestarum effugerent copularum, pe- Et papa in æde sancti Petri. Multæ quæstiones ad papam referuntur. Strenuus in cognoscendis & tollendis abusibus. In Sardiniam mittit ea de causa legatos

lus Cal- obtulit lancto

pœnitentiæ medicamina requirentes, sicut in epistolis quas iidem legati in Sardiniam deportaverant regesto ipsius præsulis continetur insertis. Et sic Romam post affluentes prædicationes datas reversi sunt.

Papa agit contra Hincmarum Rhemensem archiepiscopum.

Quidam præterea Hincmarus Rhemorum archiepiscopus Rothadum Suessonicæ urbis episcopum sedis apostolicæ judicium appellantem contra Sardicensis concilii regulas deposuit, custodiaque arcta servari præcepit: cujus videlicet depositi ter beatissimus papa libellos cum innocentiæ suscepisset, ipsum archiepiscopum monens litteris, & præcipiens ut depositum Rothadum Romam dirigeret cum suis missis audiendum. Sed veniente eo hanc Romanam secundum mandatum beati papæ ad urbem, & per novem circiter menses hic commorante numquam penitus ex accusantium parte quisquam adfuit, qui coram sanctissimo præsule cum eodem Rothado contenderet, aut illum accusaret. Tunc in die vigiliarum nativitatis Domini nostri Jesu Christi, quo secundum olitanam consuetudinem hujus apostolicæ sedis præsul cum clero & populo in basilica Dei genitricis ad præsepe missarum officia celebrare consueverat, conveniens cum omnibus papa benignus fecit in ambone publice de ipso Rothado sermonem significans qualiter sedem apostolicam appellans depositus fuerit, & in conspectu suo nullus per tot menses accusatorum occurrerit. Denique consentiente sibi episcoporum, presbyterorum, & diaconorum, omniumque conventu, decrevit ut dignus esset idem Rothadus indui sacerdotalibus indumentis, qui a nemine per tot menses accusabatur, & ad sedis apostolicæ judicium proclamabat, nec honore privaretur. Ubi vestitus episcopali

Rothadus ab Hincmaro depositus restituitur.

indumento, omni tempore se pollicitus est suis infestatoribus responsurum, rursus exspectatis aliquantis diebus, scilicet usque in diem natalitium sanctæ virginis Agnetis, qui est duodecimo Kalendas Februarii: sed nec sic quisquam adfuit adversum Rothadum jam restitutum episcopum aliquid altercans.

Conveniente ergo beatissimo præsule cum omnibus in basilicam ipsius Virginis foris muros urbis via Numentana, idem Rothadus episcopus excusationis & promissionis suæ, qua pollicitus fuit se omni tempore accusatoribus suis responsurum, libellum summo pontifici tradidit, qui coram cunctis audientibus jussu præsulis eximii est recitatus: ubi etiam restitutionis ejus forma relecta est. Et post omnium consensum in ecclesia sanctæ Constantiæ juxta eamdem sanctæ virginis basilicam decreto beatissimi hujus præsulis sæpedictus Rothadus jam restitutus episcopus missarum sollemnia sollemniter celebravit. Sequenti vero die congregata in domo quæ nuncupatur Leoniana denuo synodo, excusatoque ipso (sicut in libellis ab eo recognitis, duobusque quaternionibus insertis atque diverso tempore missis & oblatis, in archivo hujus sedis repositis continetur) Rothado, ne talia sacerdotes, & maxime sedem apostolicam appellantes, ultra discrimina paterentur, sicut prænotatum est, in gradum pristinum est restitutus, & ad propriam sedem cum apostolicis sanctionibus remissus, quatenus vestitus episcopalibus insulis, si provocatus fuisset, de cetero suis accusatoribus coram sedis apostolicæ præsule responderet. Cum quo & sanctissimus & a Deo conservandus præsul, tam pro restitutione illius, quam pro abolenda regis Lotharii copula, & pace etiam & concordia regum Galliarum conservanda, Arsenium episcopum hujus almæ sedis apostolicæ apocrisiarium & missum illico destinavit, quatenus reformata pace sanctæ eos ecclesiæ finibus sine refragatione conjungeret, & quædam necessaria in Galliarum ecclesia ex apostolica traditione statuta diligentius & affluentius perageret.

Papa mittit apocrisiarium suum in Franciam.

Nihilo minus Seufredum Placentiæ sedis antistitem, a sede propria cujusdam Pauli diaconi perfidia pulsum, per legatos suos idem papa sedi suæ restituit, & eumdem diaconum, qui sedem illam proprio rectore superstite præsumpsit invadere, competenti cum suis sequacibus increpatione corripuit.

Et Placentinum episcopum restituit.

Pro cujus etiam infausta nefariaque præsumptione penitus amputanda sanctitatis studio jussit, & pro pace Dei ecclesiæ ipsi jam fato præcepit diacono, ut nec tale quid umquam tentaret peragere, nec eamdem sedem Placentinam, sive viveret Seufredus, sive moreretur episcopus, repetere præsumeret vel recipere. Omnium namque insignis idem atque præclarus pontifex pietate magistra miserias & necessitates prævidens, cunctis clementer compatiendo celeri subveniebat egenis intuitu, & imitatione Domini nostri Jesu Christi, qui ad redimendum humanum genus e sublimi descendit ad infima, pro populo labores sustinebat ingentes.

Claudorum quapropter atque cæcorum, necnon & diversis pœnis affectorum, in porticu beati Petri apostoli jacentium, ad oram Tiberini fluminis ad sitim auferendam non posse gressus tendere conspiciens, ac diversarum gentium, quæ undique pro sceleribus apostolica limina propriis expetebant, utilitatem divinitus attendens, minime corpori suo parcens, jussit formam aquæductus qui multis ante temporibus ruerat, & ob hoc ad beatum Petrum apostolum aqua non ducebatur, in meliorem quam fuerat conamine quamplurimo revocari statum: ita ut non solum hominibus profuerit debilibus, sed etiam omnibus ecclesiam beati principis apostolorum adeuntibus præcipuum opus exstiterit, sicut & hactenus ad decorem Leonianæ urbis luculenter conspicitur ac habetur.

Aquæductus in sancto tro restitu

Præterea Ostiensem urbem, quam divæ memoriæ beatus papa Gregorius, ne gens iniqua Saracenorum populum Domini in circuitu caperet aut interimeret, ad salutem multorum construxerat, in ruinis jacentem inspiratione superna tactus fortiori firmiorique fabrica reædificari iste sanctissimus præsul jussit, & in melius restauravit, portisque etiam & turribus fortissimis muniens promptos ad bella in ea homines collocavit, ita ut nullatenus alienæ gentis incursio de cetero illi posset dominari, aut concivibus ejus damna in aliquo, nisi, quod absit, per desidiam operari.

Ostiam d novo mu

Interea meritis beatissimi hujus in orbe prorsus exuberantibus, operante potentia summi Dei, qui quotidie per famulos suos signa & mirabilia magna facit, rex Bulgarorum Michael christianitatis & fidei sanctæ doctrinam agnoscens, meruit baptizari, & qui prius creaturæ serviens sæviebat crudelitate, hujus temporibus creatori colla summittens ampla cepit religione jubere, magnaque usus est pietate. Tunc ad hunc catholicum & vere præsulem orthodoxum legatos suos mense Augusto, indictione XIV. destinavit, donaque non parva tam sanctis locis quam eidem summo pontifici contulit, suggerens ejus apostolatui quid se facere salubrius oporteret, vel quid erga reliquum Bulgaricum adhuc baptismo sacro carentem populum, ut fidei sacramenta perciperet, agi deberet.

Regem B garorum c vertit.

Rex mitt legatos c donis Ro mam.

Quod beatissimus audiens papa magna repletus lætitia laudes Christo reddidit amplas, & cum omni sibi divinitus commissa ecclesia gratulans, infinita præconia Deo nostro, qui novissimis his temporibus tantum fecit miraculum, devota mente, supplici quoque * voce persolvit. Porro legatis

* voto.

ejus-

ejusdem jam nomine Michaelis Bulgarici regis a sancto papa receptis, honorifice apud se eos retinuit. Et interim sedis apostolicæ missos, Paulum scilicet Populoniensem, & Formosum Portuensem magnæ sanctitatis episcopos statuens, hosque monitis mellifluis atque doctrinis instruens, ad prædicandum genti illi eos ire decrevit. Cum quibus quoniam per Bulgaricum regnum iter usque Constantinopolim terra tenus tenditur, ut quidquid de sancta Constantinopolitana ecclesia (licet jam per orientem hoc ipsum idem papa semel & bis apostolicis literis divulgatum habuerit) apud se decretum exsisteret, eidem per suos legatos ecclesiæ notum faceret, Donatum episcopum Ostiensem, Leonemque presbyterum sanctæ Romanæ ecclesiæ, necnon Marinum sanctæ sedis apostolicæ diaconum missos idoneos æque direxit, ut illi Bulgariæ populum ad fidem converterent, & iste quid vel qualiter apostolica sedes de eadem Constantinopolitana deliberatum habuisset ecclesia modis omnibus nuntiaret. Quod in nomine Domini cum adjutorio sancti Petri factum est. Sed præfatis Paulo & Formoso venerabilibus episcopis in Bulgaria morantibus Donatus reverendus episcopus, Leoque presbyter, & Marinus apostolicæ sedis minister, dum Constantinopolim ire vellent; ecce inter fines Bulgariæ Constantinopolitanorumque quemdam Theodorum marcam illam custodientem invenerunt qui eos ultra non dimisit abire, quin potius innumeris eos denotans injuriis, adeo tantæ sedis legatis abusus est, ut etiam equorum, in quibus sedebant, capita percuteret, dicereique; Imperator noster vos necessarios sane non habet.

Sed idem imperator legatis regis Bulgarorum ita fertur dixisse. Nisi per Bulgariam missi sedis apostolicæ venissent, nec faciem meam, nec Romam diebus vitæ suæ viderent. Illi vero per quadraginta dies illic residentes ut cognoverunt quia hoc imperator Græcorum fieri jusserat, terga verterunt, & Romam hæc eadem nuntiantes coacti reversi sunt. Porro a prænominato rege Bulgarorum apostolici missi mente alacri magnaque suscepti devotione cœperunt salutaribus edocere populum monitis, & a minimo usque ad maximum sacro fonte cum Dei gratia abluerunt, omnemque ritum Christianæ fidei, sicut a sanctissimo papa instructi fuerant, in consuetudinem Bulgarorum tradiderunt. Gloriosus autem Bulgarorum rex fidei tanta cepit flagrare monitis hujus pii patris illectus constantia, ut omnes a suo regno pellens alienigenas, præfatorum apostolicorum solummodo prædicatione usus missorum, pascuis vitæ æternæ jugiter refici nempe decreverit, unumque ex his Formosum vita & moribus episcopum sibi dari archiepiscopum expetierit. Tunc iterum legatos suos Romam direxit, & inter alia beatissimo papæ idipsum suggerens, ab ejus sanctitate pro instructione gentis illius presbyteros postulavit. Ipse vero talibus papa compertis valde gavisus est, & infinitas Deo laudes rependens, non paucos numero coram se probavit presbyteros, & quos dignos reperit prædicationis gratia in Bulgariam direxit, cum quibus Dominicum Trivensem, & Grimoaldum Polimartiensem episcopos destinavit. Ut quia ipsum Formosum plebem dimittere sibi creditam non oportebat episcopum, ex his presbyteris ad archiepiscopatum qui dignus inveniretur in nomine Domini tandem eligeretur, & sedi consecrandus apostolicæ mitteretur.

Inter hæc quidem statuit beatissimus papa, solertissimusque vitiorum corrector, & Dei cultor, ut penetrantibus ipsis Bulgariam episcopis, Paulus, cujus superius memoriam fecimus, Populonensis, ipseque Grimoaldus episcopi in Bulgaria quidquid ad divinum ministerium pro instructione gentis illius pertineret efficerent, & sæpius dictus Formosus, atque Dominicus venerabiles episcopi, iterum Constantinopolim pro schismate ibi exorto, de quo jam late diserui, proficiscerentur.

Legati a papa mittuntur Constantinopolim.

Sed dum hæc agerentur, Dei judicio, Michaelem Græcorum imperatorem ultio digna perculit, & nefanda nece peremit. Imperante autem Basilio in Constantinopoli, quoniam voluit Deus ipsius sancti Pontificis juges labores, quos pro sancta Constantinopolitana passus fuit ecclesia, cum fine boni operis consummare, sicut fama se habuit, Photius neophytus ac invasor ut mechus pellitur, & juxta decretum sedis apostolicæ patriarcha Ignatius Constantinopolitano redditur throno. Neque enim hic divinorum executor operum piissimus & catholicus papa quæ sua sunt, sed ea quæ Dei sunt, primo loco posuit & quæsivit. Et cum adjutorio sancti Petri bella Domini summo dispensationis libramine spiritaliter præliari curavit. Prælatos siquidem quosque, ne subditos læderent, magna provisione moderans, ut pater commonuit, & ut subjecti prælatis subessent, juxta uniuscujusque privilegia pastoraliter quoque decrevit. Cujus qui sanctum studium vult agnoscere, in epistolis suis, quas bene libratas per mundi partes direxit, luce clarius invenire valebit. Quippe qui animam suam in manibus posuit, qui nulla nisi cælestia cogitabat, qui jejuniis, vigiliis, & orationibus nocte ac die vacans, nec requiem corpori, nec membra dabat sopori. Nam si cuncta, quæ Christi gratia plenus, virtutibus atque fide sanctitatis opera gessit, & moribus vitaque docuit & implevit, chartis inserere volumus, prius fortasse membrana quam sermo deficiet. Tamen antequam ad finem vitæ illius stilum vertamus, primum ad ea quæ sanctis locis contulit redeamus.

Michael imperator fœde moritur.

Photius pseudopatriarcha pellitur.

Epistolæ Nicolai papæ laudatæ. Virtutes ejus.

Hic igitur egregius papa ob amorem principis apostolorum Petri apostoli nutritoris sui fecit in basilica ejus pannos tam scilicet de stauraci, quam & de fundato, vel aliis pulcris variisque coloribus numero quatuor. Qui trabes majores in presbyterium respicientes omnes in gyro complevit, quæ illud luculenter ornant, decusque augent, & amplius mira sua magnitudine dant honorem. Ubi etiam, quod nullus post devastationem Saracenorum agere nixus est, arcum fecit argenteum, & melius quam olim fuerat superexcelsiorem trabem, quæ est ante ciborium, in medio posuit pensantem libras ..... & tres imagines argenteas, una figuram Domini salvatoris, duabus vero angelorum scalpsit effigies, ac illis novem libras auri deaurans superposuit, quarum una pensat libras octoginta, alia libras septuaginta. Tertia vero pensat libras similiter septuaginta. Fecitque ibique crucem auream unam pretiosis gemmis ornatam pensantem libras ..... & in summitate ejusdem arcus locavit, ubi pro amplitudine decoris ejus, atque speciminis appendit coronam auream unam, cruces argenteas duas, calices argenteos duos, & * scyphos. staupos argenteos duos. Porro in purpureis marmoribus, quæ ante corpus beati Petri apostoli rugas argenteas retinent, dextra lævaque duas cruces argenteas offerens posuit pensantes libras ....

Dona oblata ab eo ecclesiæ S. Petri.

In patriarchio siquidem Lateranensi domum pulcherrimam nimisque decoram fieri jussit. Et oratorium sanctæ Dei genitricis illic construens, vestes & competentes ornatus pro æternæ vitæ amore lucifluis votis ipse beatissimus pontifex obtulit. Idem etiam a Deo protectus, & cælesti gratia circumvallatus multa casum minantia renovavit loca sanctorum, & diversis ecclesiis diversa munera contulit, & commoda luculenter adauxit. Et

in

in ciborio Constantinianæ basilicæ optimos de si- A
fori, & de fundato quatuor pannos appendit. De-
inde regni cælorum clavigero paris in ciborio nu-
meri pannos optimos obtulit.

Sancti Pauli. & Virginis. In ecclesia doctoris gentium similiter fecit. In ecclesia sanctæ Dei genitricis ad præsepe pari modo æternæ pro retributionis præmiis egit. Et in ecclesia sancti Laurentii Christi martyris foris muros urbis æque pannos optimos quatuor in ciborio dedit. Hujus quippe beati temporibus præsulis tanta ubertas, & victuum copia extitit, ut omnem memoriam famis decessoris sui factæ diebus hæc oblivioni traderet abundantia. Hic fecit ordina-

Ordinationes ab eo factæ. tionem unam per mensem Martium, presbyteros septem, diaconos quatuor, episcopos per diversa loca numero sexaginta quinque. Postquam autem B sedem apostolicam victoriosissime, & ut verus Dei athleta catholice ac principaliter rexit, ex hac luce idibus Novembris indictione prima migravit

Mors a toto orbe defletur. ad Dominum. Porro, quid dicam, cum non solum ejus exitum diversæ hominum nationes plena ratione utentes, verum etiam, quantum ad intemperantiam aeris, ipsa mundi elementa diu fleverunt, & de morte tanti viri in tristitia permanserunt. Quo defuncto corpus ejus sepultum est ante fores basilicæ beati Petri apostoli,

NOTA SEVERINI BINII.

a *Nicolaus*.) Anno redemptoris nostri 858. temporibus Ludovici secundi, & Michaelis imperatoris, evectus est in sedem apostolicam Nicolaus, quem Ludovicus imperator, postquam Benedictum papam ejusve sedem per schismaticum antipapam Anastasium plurimum exagitasset, magna omnium admiratione, Deique singulari providentia summopere est veneratus. Ad Bulgaros nuper ad Christi fidem conversos legatos misit, qui ut eorum rex petierat, eos catholicis erudirent præceptis. Cum autem Ignatius Constantinopolitanus patriarcha Bardæ Cæsari Michaelis imperatoris avunculo ob incestum cum nuru commissum excommunicationem esset minatus, ob id Bardæ opera, Michaelis imperatoris auctoritate, sede dejectus fuit, in ejusque locum Photius, qui patriarchatus honorem jam ante affectaverat, & episcopis schismaticis contra Ignatium se conjunxerat, eductus ex foro & sæculari militia, subrogatus, & a Gregorio Syracusano episcopo, qui prius ab Ignatio depositus fuerat, consecratus est. Qua de caussa Constantinopoli & finitimis in civitatibus ortum est schisma, aliis quidem Photii promotionem defendentibus, aliis autem eam impugnantibus. Quocirca imperator dedit operam, ut ipse pontifex legatos ad schisma sedandum, & Ignatii depositionem confirmandam mitteret. Pontifex legatos quidem misit, tum ut Ignatii caussam investigarent & ad se referrent, tum etiam ut Iconomachos, qui tunc Constantinopoli vigebant, impugnarent. Legati contra pontificis mandatum Photii electioni assensi fuerunt, & cum Romam reversi essent, pontifex cognita synodoque coacta eos deposuit; injustam Ignatii depositionem, & nullam Photii ordinationem esse decrevit. Imperatoris autem repressit audaciam, qui ægre ferens quod Photium damnasset, & Bulgarorum rex a Romana ecclesia legatos qui se in fide instruerent, mitti petiisset, litteras ad eum contumeliosas scripserat, & conciliabulum Photio auctore contra ipsum pontificem coegerat. De Photio aliisve rebus sub Nicolao præclare gestis, agemus infra in notis conciliorum sub Nicolao & Hadriano habitorum, ne scilicet cum nausea lectoris bis eadem dicamus.

☞ IN SEQUENTES EPISTOLAS NICOLAI I.

JOANNIS DOMINICI MANSI

PRÆMONITIO

Collectionem epistolarum Nicolai I. in caussa Græcorum nactus olim fui in codice Vatic. 3789. *eumdemque, credo, esse, quem pontifex ipse confici jussit in monumentum perpetuum; id enim indicat apicum vetustas, ab ætate Nicolai haud multum adludens. Ex eo vero (cum totum conferre minime potuerim) mihi descripsi indicationem periocharum per quas totum se codicem distribuisse idem Nicolaus indicat; sicut etiam adnotationes quasdam epistolis subjectas a Romano collectore primum, dein & a Labbeo omissas. Ex quo factum est, ut codex integer, qualis in MS. habetur, hic repræsentetur.*

Sexdecim sequentes epistolæ exstant in vetustissimis codicibus simul collectæ, licet aliis epistolis quæ in caussa Valdradæ & Rothadi fuerunt scriptæ, posteriores sint, quia tamen ipsemet pontifex illas omnes in unum collegit, earum ordo non est mutatus.

Exstat infra initio actionis septimæ octavæ synodi longe ab hac diversa. 2. *Cor.* 11. Vide Epistolam Acarii CP.

EPISTOLA I. NICOLAI PAPÆ I. AD UNIVERSOS CATHOLICOS.

Acta Ignatii & Photii demonstrat, & ordinem temporum epistolarum perscribit.

Nicolaus episcopus sanctæ catholicæ & apostolicæ Romanæ ecclesiæ, omnibus veræ religionis ministris, ac universis orthodoxis fidei cultoribus, sanctissimis videlicet, & reverendissimis patriarchis, metropolitis, & reliquis episcopis, atque cunctis fidelibus catholicam dumtaxat cum sede beati Petri pietatem sectantibus, sanamque doctrinam nobiscum defendentibus, per Asiam scilicet & Libyam constitutis.

QUæ apud Constantinopolitanam urbem paullo ante gesta sint, vel etiam nunc gerantur, sanctitatem, seu religionem vestram, non credimus ignorare; sed qualiter zelo zelati pro domo Dei sollicitudinem omnium ecclesiarum secundum apostolum circumferentes, nos de his disposueramus, breviter caritati vestræ his nostri apostolatus literis intimamus. Et ne aliter sinceræ vestræ menti suaderi tentetur, vel aliter quod egimus vobis suggeratur, veraci relatione & præsentibus vos literis edocemus. Igitur postquam quidam invidiæ facibus accensi, & superbiæ fastu arroganter elati, more Judæorum contra pastorem pro-

Periocha I.

C prium insurrexerunt, & patriarcham suum (comministrum videlicet nostrum Ignatium sanctissimæ præfatæ urbis antistitem) ab ecclesia ipsa, cui jure præsidebat tyrannice projecerunt: ac Photium quemdam ex foro, ac sæculari militia, & habitu, atque a palatinis ædibus eductum ac subito tonsuratum eidem contra sacros canones ecclesiæ præfecerunt. Tunc cepit scandalum & schisma in jam dicta urbe, & in adjacentibus sibi civitatibus, non modicum oboriri: aliis quidem Photii

D promotionem defendentibus, aliis autem hanc tamquam inconvicto & superstite Ignatio factam merito detestantibus. Tunc inito consilio imperator Michael, qui & ipse Bardæ patricii versutiis suasus Photii parti favebat, ad apostolatum nostrum legatis cum epistolis destinatis, accusationes quasdam adversus Ignatium deferentibus, petiit ut a sede apostolica missos daremus, qui scandala illa sedarent, & schismata dissiparent. Quo audito, Hæc i legas i 10.

quoniam (sicut a Deo inspirata vestra novit pru-

E dentia) cunctarum Christi ovium cura constringimur, cum vices ipsius gerimus, cui specialiter divinitus dicitur: *Pasce oves meas*. Et iterum: *Tu* (inquit) *aliquando conversus confirma fratres tuos*: non potuimus dissimulare, non potuimus negligere, quominus visitaremus oves dispersas & dissipatas, vel quominus confirmaremus in fide & bonis moribus fratres nostros & proximos. Et Joan. Luc. 22

quia

quia inter cetera, quæ de ſchiſmate jam facto Conſtantinopolitanæ eccleſiæ, hi qui miſſi fuerant teſtabantur, maxime eamdem eccleſiam ab Iconomachis redivivam contentionem excitantibus aſſerebant vexari, Chriſtumque per ſingula conventicula blaſphemari: duos epiſcoporum qui nobiſcum erant, quique ad hoc tantum faciendum opus idonei nobis eſſe videbantur (Rodoaldum ſcilicet & Zachariam) una cum eccleſia, quæ apud nos eſt, datis literis Conſtantinopolim, tantum nimirum piaculum execrantes, e latere noſtro direximus: nihil eis (*a*) injungentes, niſi ut tantummodo cauſſas Ignatii, qui ante de eccleſia pulſus, quam ab aliquo accuſatus exſtiterat, diligenter inveſtigarent: & ſedi apoſtolicæ plena & veraci relatione referrent. Photii vero conſecrationem non ſolum minime admittendam eſſe decrevimus, verum etiam ipſis legatis noſtris, ne cum illo, niſi quaſi cum laico, uſque ad notitiam noſtram communicarent frequenti ac omnimoda juſſione præcepimus: ſolum ſcilicet eiſdem venerabilibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, ejuſque genitricis ſemper virginis Mariæ, ac ſanctorum ipſius imaginibus quidquid quæſtio afferret, juſte ac pie definire licentiam dantes. At illi euntes, ſpretis monitis noſtris, contemptis epiſtolis ſibi a nobis coram tota eccleſia noſtra datis, immo poſtpoſito timore Dei, ſicuti poſtea claruit, in contrarium verterunt omnia, quæ ſibi fuerant imperata. Denique & cum Photio adultero, ac eccleſiæ invaſore, atque neophyto, quod ſibi multipliciter prohibitum fuerat, in ſacroſancta myſteria communicaverunt, & Ignatium virum ſenem, & ſanctum, ac per duodecim annos innocenter eccleſiam Dei regentem, & nobiſcum & vobiſcum, atque cum univerſali & orthodoxa eccleſia communicantem, Græcorum factioni perniciosiſſimæ[x] concinnantes damnaverunt, & ſacerdotalibus inſulis exſpoliatum ab eccleſiæ regimine modis omnibus expulerunt. Quæ ſanctæ veſtræ in Chriſto fraternitati, & piæ generalitati, quia contra noſtram fuerint geſta diſpoſitionem jamdudum ſignificavimus. Porro præfati miſſi noſtri tandem reverſi, nil aliud renuntiavere, niſi depoſitum Ignatium & Photium in ſede Conſtantinopolitana firmatum. Poſt duos vero dies legatus a nobis imperialis, nomine Leo, a ſecretis ſuſceptus, duo volumina obtulit: quorum unum depoſitionis Ignatii geſta continebat, alterum autem de ſanctis habebat imaginibus acta. Detulit præterea idem Leo imperiales literas deprecantes, quatenus & in depoſitione Ignatii, & in confirmatione Photii, conſenſum præberemus & ſubſcriberemus. At nos divina docente gratia, dum idem adeſſet legatus, convocata tota quæ apud nos eſt eccleſia, decrevimus & ſtatuimus, atque profeſſi ſumus coram ipſo, & coram eccleſia Dei, ſicut & profitemur nos pro dejectione Ignatii, vel conſecratione Photii, nunquam miſiſſe, nunquam miſſuros eſſe: & in depoſitione Ignatii, & promotione Photii nunquam conſenſiſſe, nunquam conſenſuros eſſe. Et his ſæpius dictis, & palam annuntiatis, atque in apoſtolatus noſtri epiſtolis taliter inſertis, & eidem Leoni a ſecretis imperatori Michaeli, vel Photio ad deferendum datis, hunc a nobis abſolvimus. His ita veſtræ ſinceræ religioni oſtenſis, quæ ſcripta per ſingula tempora pro hac re miſerimus, ſingillatim huic ſcripto inferius annexa demonſtrantur. Primo etenim loco noſtri apoſtolatus habentur epiſtolæ ad Michaelem piiſſimum imperatorem, & ad Photium eccleſiæ Conſtantinopoleos invaſorem per Rodoaldum & Zachariam tranſmiſſæ. Secundo loco continetur ſatisfactio noſtra, cujus textum veſtræ a Deo conſervandæ generalitati dudum tranſmiſimus. Sed ignorantes utrum ad vos uſque fuerit delata, idcirco hanc vobis denuo mittendam exiſtimavimus; qua noſſe valeatis quæ fuerit ſuper hoc negotio noſtra voluntas. Tertio loco poſita eſt epiſtola, quam per Leonem a ſecretis imperialem videlicet legatum, de quo ſuperius diximus, poſt reverſionem miſſorum noſtrorum ſæpefato Michaeli Auguſto direximus, & ad Photium alteram. Præterea quæ ſubſequuntur, eo ſunt ordine huic inſerta volumini, quo per ſingula tempora geſta vel miſſa fuiſſe noſcuntur.

☞ *Explicit proœmium.* ☜

Hæc ego ipſe primus inſerui ex rod. Vatic de quo dixi in admonitione ſuperiori.

II. AD MICHAELEM IMPERATOREM.

Conqueritur ſynodum Conſtantinopoli injuſſu ſedis apoſtolicæ auſam fuiſſe Ignatium honore privare, & in ejus locum Photium ſubſtituere. Oſtendit multis rationibus laicum ad pontificalis dignitatis gradum conſcendere non poſſe. Promotionem Photii non vult comprobare, niſi prius cauſſa a legatis examinetur, & ad ſe integra deferatur. His adjungit nonnulla de imaginum adoratione; eſtque epiſtola prima miſſa ab apoſtolica ſede ad imperatorem Michaelem per Rodoaldum & Zachariam epiſcopos.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Michaeli glorioſo imperatori Græcorum.

Fragmentum hujus epiſt. reperitur in ſra in VII. ſynodo œcumenica actione 4.

Periocha II.

PRincipatum itaque divinæ poteſtatis, quod omnium conditor electis ſuis apoſtolis largitus eſt, ſuper ſolidam fidem apoſtolorum principis (Petri videlicet) ſoliditatem conſtituens, ejus egregium, immo primam ſedem deliberavit. Nam voce dominica ipſi dictum fuerat: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* *Matth.* 16. Petrus denique a firmitate petræ, quæ Chriſtus eſt, ſtructuram univerſalis eccleſiæ inconcuſſam, & fidei robore ſolidatam, ita precibus ſuis munire non ceſſat, ut errantium veſaniam rectæ fidei norma reformare feſtinet, nec non intrepide eam conſolidantes remunerare procuret: quatenus portæ inferi, malignorum utique ſpirituum ſuggeſtiones, atque hæreticorum impetus, non prævaleant ejuſdem eccleſiæ unitatem refringere. Quapropter Deo omnipotenti multiplices referimus grates, qui veſtro pectori hoc infundere dignatus eſt, ut fautores eccleſiæ Dei effecti, concordiæ ipſius deſideretis favere, ne quavis rubigine erroris conſumatur pulcritudo fidei, & frangatur intellectus apoſtolicæ traditionis. Ad cujus etenim (ſicut ipſi ſcitis) integritatem obſervationis multoties conventus factus fuerit ſanctorum patrum, a quibus & deliberatum ac obſervatum exiſtit, qualiter abſque Romanæ ſedis, Romanique pontificis conſenſu, nullius inſurgentis deliberationis terminus daretur. Igitur a vobis Conſtantinopoli congregatum concilium (ut veſtris apicibus noſtris intimatum eſt auribus) hujus tenoris ſeriem parvipendens, ab inſtitutis ſupradictis manum conſiderationis ſuæ reflectere non trepidavit; adeo ut Ignatium ſupra jam nominatæ urbis patriar-

Sæpe in conciliis deliberatum ut omnium rerum ſummum judicium apud pontificem Romanum eſſet.

(a) Edit. Rom. *eis penitus*.

x Eſt hæc epiſtola integra Latine in VIII. Synodo Oecumenica actione IV. ex Anaſtaſii verſione.

triarcham, sine Romani consultu pontificis, ibidem cœtus conveniens, proprio privasset honore. Quod quam sit reprehensione dignum, testes illi, qui ei oppositi fuerant, manifestant: quia tales quos in epistola vestra legimus, canonica institutio prohibet: & invidiose datos manifeste claret, quoniam nec ipse proprio ore manifestavit (ut directionis vestræ asserunt litteræ) illa quæ ei objiciebantur, neque accusatores illius secundum sacrorum canonum instituta probaverunt. Ceterum his etiam sic injuste peractis, ad detestabiliora inconsiderationis suæ votum, supradictam populi catervam dirigendo, de laicorum habitu qui ei præesset elegit pastorem. O quam præsumptuosa temeritas! ille præponitur ovili divino qui nescit adhuc dominari spiritui suo. Nam qui ignorat disponere vitam suam per gradus ecclesiæ minime ductus, quomodo corrigere quibit vitam alienam subito electus? Latuisse vos non credimus, quid apostolorum egerit cœtus post acceptum donum sancti Spiritus. Ecce etenim ipsi visione Domini, & locutione illius assidua, ejusdemque resurrectione lætificati, atque gratia spiritalis descensus consolidati, non præsumpserunt de electis LXXII. eligere tam audacter duodecimum, qui Judæ prævaricatoris suppleret locum: sed per gradus quosdam (ut ita dicatur) de septuagenario binarioque numero elegerunt duos, Joseph qui vocabatur justus, & Matthiam. Et sic ex his, quem alteri præponerent interim ignorantes, divinum examen postulavere, electioneque data, qui humanis obtutibus justior videbatur, coram divinitatis conspectu inferior est inventus. Igitur illius congregationis conatus, nihil horum studentes exercere, visi sunt a recto itineris tramite declinasse, cum in custodiam dominici gregis non taliter, ut decuit, studuerunt pastorem præponere. In notitia siquidem sæcularium literarum nemo magistri nomine merito censetur, nisi per gradus disciplinarum procedens fuerit doctus. Verum iste Photius videlicet antea doctor prorupit, quam doctus extiterit; prius magister videri cupit, quam discipulus audiri: prius auditor esse debuit, ac deinde institutor: sed hic doctoris e contrario cathedram eligens, docere prius elegit, ac deinde cœpit doceri: prius sanctificare curavit, ac demum sanctificari: prius illuminare voluit, & postmodum illuminari.

Act. 1.

Hæc itaque catholicus ordo prohibet: & sancta nostra Romana ecclesia talem electionem semper prohibuit per antecessores nostros catholicæ fidei doctores. Quorum nos tenorem observantes, instituta ipsorum esse inviolabilia censemus, Sardicense denique concilium, ut de laicis non eligeretur antistes, in XIII. cap. per omnia prohibuit ita inquiens: Si forte aut dives, aut scholasticus de foro, aut ex administratore episcopus fuerit postulatus, ut non prius ordinetur, nisi ante lectoris munere, & officio diaconii, aut presbyterii fuerit perfunctus, ut per singulos gradus, si dignus fuerit, ascendat ad culmen episcopatus. Et reliqua.

Cælestin. I. in epist. 2. c. 21.

Cælestinus itidem sanctissimus doctor, & nostræ Romanæ sedis præsul egregius, in decreto suæ sanctionis cap. 21. asserens dicit: Audivimus quasdam propriis destitutas rectoribus civitates, episcopos sibi petere velle de laicis, tantumque fastigium tam vile credere, ut hoc illis, qui non Deo, sed sæculo militaverunt, æstiment nos posse conferre: non solum male de suis clericis, in quorum contemptum hoc faciunt, judicantes: sed de nobis pessime, quos credunt hoc posse facere sentientes: quod nunquam auderent, si non quorumdam illic his consentiens sententia cohiberet.

Ita nihil quæ frequentius sunt decreta proficiunt, ut hoc, quasi nunquam de hac parte scriptum fuerit, ignoretur. Quid proderit per singula clericos stipendia militasse, & omnem egisse in dominicis castris ætatem, si qui his prafuturi sunt, ex laicis requiruntur? Qui vacantes sæculo, & omnem ecclesiasticum ordinem nescientes, saltu præpropero alienum honorem ambiunt immoderata cupiditate transcendere: & in aliud vitæ genus calcata reverentia ecclesiasticæ disciplinæ transire.

Talibus itaque, fratres carissimi, qui juris nostri (id est canonum) gubernacula custodimus, necesse est obviemus: hisque fraternitatem vestram epistolis commonemus, ne quis laicum ad ordinationem clericatus admittat, & sinat fieri: unde & illum decipiat, & sibi causas generet, quibus reus constitutis decretalibus fiat. Leo denique sanctissimus doctor, & apostolicæ romanæque sedis pontifex egregius, cujus laus in quarta synodo magnificatur, hoc ipsum in decretalibus suis prohibuit, cap. 33. In civitatibus, quarum rectores objerint, de substituendis episcopis hæc forma servetur, ut is qui ordinandus est, etiam si bonæ vitæ testimonio fulciatur, non laicus, non neophytus, nec secundæ conjugis sit maritus, & reliqua.

S. Leo in pistola 87 Anastasio Thessal. episcopum.

Gelasius autem supradicti doctoris, Leonis videlicet, meritis non impar, sanctissimus Romanæ ecclesiæ præsul, non solum episcopos de laicis fieri prohibuit, sed etiam presbyteros, ne talia præsumerent, vetavit in decretalibus suis, cap. 3. ita inquiens: Si vero de laicis quispiam ecclesiasticis est aggregandus officiis, tanto sollicitius in singulis, quæ superius comprehensa sunt, hujusmodi decet examinare personam; quantum inter mundanam, religiosamque vitam, constat esse discriminis: quia utique convenientia ecclesiæ ministeria reparanda sunt, non inconvenientibus meritis ingerenda: tantoque magis, quod sacris aptum possit esse servitiis, in eorum quærendum est institutis; quanto de tempore, quo fuerant hæc assequenda, decerpitur, ut morum habere doceatur hoc probitas, quod prolixior consuetudo non contulit: ne per occasionem supplendæ penuriæ clericalis, vitia potius divinis cultibus intulisse, non legitimæ familiæ reputemur procurasse compendia, quorum promotionibus super anni metas sex menses nihilo minus subrogamus.

Epistola

Quoniam, sicut dictum est, distare convenit inter personam divino cultui deditam, & de laicorum conversatione venientem: quæ tamen eatenus indulgenda credidimus, ut illis ecclesiis, quibus infestatione bellorum, vel nulla penitus, vel exigua remanserunt ministeria, renoventur; quatenus his Deo propitio restitutis in ecclesiasticis gradibus subrogandis, canonum paternorum vetus forma servetur: ne contra eos ulla ratione prævaleat, quod pro occidentis defectus remedio providetur. Non adversus scita majorum nova lex proponitur, ceteris ecclesiis ab hac occasione cessantibus, quas non simili clade vastatas pristinam in faciendis ordinationibus convenit tenere sententiam.

Qui ad ... ecclesiasti... evehi ... possint.

Quo magis hac opportunitate commoniti, observantiam venerandorum canonum propensius delegamus: singulorum graduum conscientias admonentes, ne in illicitos prorumpere moliantur excessus, ne fas esse confidat quisquam pontificum, bigamos, aut conjugia sortientes, aut ab aliis derelicta, sive quoslibet post pœnitentiam, vel sine litteris, vel corpore vitiatos, vel conditionarios, aut curiæ, publicarumque rerum nexibus implicatos, aut passim nulla temporis congruentis

ex-

exſpectatione diſcuſſos, divinis ſervituros applicare miniſteriis; neque pro ſuo libitu jura ſtudeant aliena pervadere, abſque ſedis apoſtolicæ juſtæ diſpoſitionis mandato.

anus in circa

Prædeceſſor itaque noſter, hujus almæ ſedis Hadrianus videlicet ſanctiſſimus præſul, in epiſtola, quam Conſtantinopolim pro venerandis imaginibus deſtinaverat, ita inſtituit, ut amplius de laicis nullatenus in eadem veſtra Conſtantinopolitana eccleſia ordinaretur antiſtes: cujus textum ſi ſcire vultis, in concilio quod ejus tempore in ſupradicta urbe celebratum eſt, invenire poteſtis.

His itaque paulliſper prælibatis in ſupradicti viri conſecratione conſenſum apoſtolatus noſtri præbere non poſſumus, donec per miſſos noſtros, quos ad vos deſtinavimus, cuncta quæ in jam prænominata ſæpius urbe de eccleſiaſticis cauſſis, ſeu ordinibus peracta ſunt, vel agentur, noſtris intimata fuerint auribus. Et ut in omnibus rectus ordo ſervari queat, volumus, o clemens Auguſte, ut Ignatius, quem ſedis ſupradictæ gubernacula propria ſponteneaque voluntate deſeruiſſe, & totius plebis congregato concilio depoſitum eſſe veſtris apicibus nobis intimare curaſtis, in conſpectum veniat noſtrorum miſſorum, & univerſi concilii, veſtris quidem imperialibus inſtitutis, quatenus perquiratur, quamobrem ſpreverit traditam ſibi plebem, & inſtituta anteceſſorum noſtrorum, ſanctorumque pontificum, Leonis videlicet papæ, atque Benedicti, parvipendendo contempſerit, & in hoc agendum ſubtili examine à noſtræ juſtionis legatis depoſitionis ejus cenſura perquiratur: quatenus inquirentes invenire queant, utrum canonicus tenor in eadem obſervatus fuerit, vel non, manifeſtum exiſtat: ac deinde cum noſtro præſulatui ſignificatum fuerit, quid de eo agendum ſit, apoſtolica ſanctione diffiniemus: ut veſtra eccleſia quæ tantis quotidie quatitur anxietatibus, inviolabilis deinceps, & inconcuſſa permaneat.

De imaginibus autem, earumque obſervationibus, licet nulla neceſſitas eſſet ſcribere, eo quod noſtrorum anteceſſorum venerabilium pontificum ſancta ſollicitudo catholico ardore ſuccenſa, multa & valde utilia eccleſiæ Dei profutura inſtituit: tamen quia frequens iteratio informationis ſolet venerabiliorem intentionem reddere audienti: ideoque de eiſdem pro conſervanda unitate populo Dei aliquid exponere curamus. Priſtinam itaque ſanctorum patrum traditionem, quam a prædeceſſoribus noſtris beatiſſimis & orthodoxis pontificibus, qui poſt beatum Petrum in ejus apoſtolica ſede refederunt, nobis obſervandam ſuſcepimus, & hactenus immutilatam hæc ſancta catholica & apoſtolica tenet ac defendit eccleſia. Oportet ergo tota mentis intentione, ſummique deſiderii conamine venerandas tam Domini noſtri Jeſu Chriſti, quam ſuæ ſanctiſſimæ genitricis, & beatorum apoſtolorum, atque omnium ſanctorum imagines venerari, & colere: ut eo quo valemus annixu contra hæreticorum veſaniam, qui ab earum veneratione populum prohibent, reſiſtere ſtudeamus.

Nam in pace eccleſiæ conſtitutis nil contrarium eſſe poteſt, ſi ſanctorum effigies propriæ depictæ fidelibus augeant incrementi amorem. Re vera quia dum eorum vultus aſpicitur, & operis actio recolitur, Deus, cujus habitatio in eis eſſe dignoſcitur, perfecte laudatur. Certe ſi Deus, qui eſt inviſibilis & incorporeus, non per propriam ſubſtantiam deitatis, ſed per ſubjectam creaturam mortalium apparuit oculis, ut credentibus ſummum eſſet culmen honoris: quare animæ ſanctorum, quæ manentes in corpore vultus uniuſcujuſque habuiſſe noſcuntur, ſecundum diſpoſitionem Dei dicit ipſi placentia operatas eſſe, non venerentur a nobis magno honore? Cur eorum execremur effigies, per quos agnovimus fidei veritatem?

Apparuit nempe Deus Abrahæ patri noſtro: non in carne, neque in anima, ſed in ſpecie trium virorum: quibus ille aliud cernens, & aliud eſſe intelligens, pronus in terra adoravit, & dixit: *Domine ſi inveni gratiam in oculis tuis, afferam aquam, & laventur pedes veſtri.* Credidit illico Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt. Apparuit denique Jacob per ſubjectæ creaturæ ſpeciem, unde & dixit: *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea.* Ecce incorporeus Deus & inviſibilis per ſpeciem ſubjectæ creaturæ ita ſe mortalium voluit videri obtutibus, ut credentibus eſſet ad gratiam; Cur nobis ſanctorum icones, quos corporeos, & viſibiles fuiſſe credimus, ſi illos ut vere Chriſti veneremur amicos, poterunt eſſe ad culpam? Nam ſi eorum effigies execrabiles eſſe crederentur, profecto & ipſorum reliquiæ, quorum caro corruptionem ſenſit in tumulo pro neutro (quod abſit) haberi deberentur. Verumtamen ſi ad eorum conſortium venire optamus, profecto hic omnia in honore ſanctorum, id eſt, tam reliquias non ſolum corporum, ſed & veſtimentorum, ſeu etiam imagines vultus illorum in quolibet loco depictas, celeberrimo honore venerari debemus, reminiſcentes illud, quod Iſaias ſpeciem ſubjectæ creaturæ ſe vidiſſe teſtatur, dicens: *Vidi Dominum ſabaoth ſedentem ſuper ſolium excelſum, & ea quæ ſub ipſo erant, implebant templum, &c.*

Gen. 18. Gen. 32. Iſa. 6.

Accedit itaque Moſes & Aaron, ut viderent thronum ubi ſteterat Deus, & erat ſub pedibus ejus tamquam opus lapidis ſapphiri, & velut firmamentum cæli in claritate fulgoris, & ſtabant cherubim ex auro mundo. Quæ omnia, ſecundum quod Salomon poſtea in templo inſtruxit, in monte cum Domino loquens, imaginata, & præſignata vidit.

Hæc & his ſimilia præcedentes patres ſciendo, iconas Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, ejuſque ſanctiſſimæ genitricis ſemperque virginis, omniumque ſanctorum in parietibus eccleſiarum, ſecundum quod tempus hodie probat, depinxerunt, & pingere pro congruis locis omni dilectione uſque in præſens non prohibuerunt. Quid Chriſtiano veriſſimo nocet, ſi quod amat & diligit, non ad adorandum deificet, ſed ad tremendum terribiliter, in pariete vel ligno depingit?

Hadrianus in ep. 1.

Verum, quid officit, ſi aſpicimus imagines Chriſti in templo eccleſiæ, & in arcano cordis præmeditamur eum venturum, cujus imaginem cernimus, citius vivorum & mortuorum judicem adventurum? Quid fidei noſtræ contradicit, quod in centro cameræ ſuper altare, ejus figuram quod Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, animæ noſtræ affectando deſiderant, cujus imago nominis titulum retentat, & quia per naturam filium adoramus, quare per adoptionem nomen novum ſcriptum in calculo, vel gemmis non adoremus? Altare itaque ſanctum, in quo Deo omnipotenti ſacrificiorum vota perſolvimus, lapis eſt naturaliter communis, nihil differens ab aliis tabulis, quæ parietes noſtros & pavimenta adornant. Quia vero ſacratum eſt Dei adjutorio, & benedictionem ſuſcepit, unde & menſa ſancta efficitur: panis iterum, qui ſuper eum offertur, panis eſt quidem communis; ſed quando ipſe ſacramento ſacratus fuerit, corpus Chriſti in veritate fit, & dicitur. Sic & vinum modicum aliquid digna exiſtentia ante benedictionem, poſt ſanctificatio-

Locus mendoſus.

nem

nem Spiritus, sanguis Christi efficitur. Ipsa enim A crucis imago antequam suscipiat ejus formæ figuram, lignum ab omnibus commune est. Suscipiens autem omnimodo venerandam similitudinem, sacra est, & dæmonibus terribilis, propter quod in ea figuratus est Christus.

Hadrianus in ep. 1.

Hæc brevi stylo transcurrentes, cum multa dicere quivissemus, vestræ serenitati transcripsimus; quia Hadrianus sanctissimus præsul antecessor noster multa de his in epistolis, quæ hactenus apud Constantinopolitanam habentur ecclesiam, scribens contradidit, in quibus quidquid hujus rei necessitas coegerit, invenire poteritis. Oportet enim vestrum imperiale decus, quod in omnibus ecclesiasticis utilitatibus vigere audivimus, ut antiquum morem, quem nostra ecclesia habuit, vestris tem- B poribus restaurare dignemini, quatenus vicem, quam nostra sedes per episcopos vestris in partibus constitutos habuit, videlicet Thessalonicensem, qui Romanæ sedis vicem per Epirum veterem, Epirumque novam, atque Illyricum, Macedoniam, Thessaliam, Achajam, Daciam ripensem, Daciamque mediterraneam, Mœsiam, Dardaniam, Prævalim, B. Petro apostolorum principi contradicere nullus præsumat; quæ antecessorum nostrorum temporibus, scilicet Damasi, Siricii, Innocentii, Bonifacii, Cælestini, Sixti, Leonis, Hilari, Simplicii, Felicis, atque Hormisdæ sanctorum pontificum, sacris dispositionibus augebatur. Quorum denique institutiones ab eis illis in partibus destinatas per nostros missos, ut C rei veritatem cognoscere queatis, vestræ Augustali potentiæ dirigere curavimus.

Patrimonia Romanæ ecclesiæ.

Præterea Calabritanum patrimonium, & Siculum, quæque nostræ ecclesiæ concessa fuerunt, & ea possidenda obtinuit, & disponendo per suos familiares regere studuit, vestris concessionibus reddantur, quoniam irrationabile est, ut ecclesiastica possessio, unde luminaria, & concinnationes ecclesiæ Dei fieri debent, terrena quavis potestate subtrahantur; sed domui Dei restituta meritum redditoris multiplicent, & suscipientis votum spiritalis desiderii lucris exerceatur. Inter ista, & superius dicta volumus, ut consecratio Syracusano archiepiscopo nostra a sede impendatur, ut tradi- D

edit Rom. vestrit.

tio ab apostolis instituta nullatenus * nostris temporibus violetur.

Destinavimus autem vestræ serenitati reverendissimos & sanctissimos episcopos, Rhadoaldum videlicet sanctæ Portuensis ecclesiæ, atque Zachariam Anagninæ sanctæ ecclesiæ, fungentes legatione apostolatus nostri, quos ut honorifice suscipiatis, vestram amplitudinem deprecamur; quibus etiam frequens colloquium tribuatis: & eis quæ de ecclesiastico statu irreprehensibiliter dixerint, credere non ambigatis. Et cum in conventu ecclesiæ sederint pro ecclesiasticis diffinitionibus, nihil a vobis, vel ab aliis alicujus contrarietatis impetum sentiant. Et cum fas illis fuerit revertendi, vestros concedite missos; & tales, qui in dromonibus congruis eos Romam incolumes fa- E vente Deo apostolorum precibus studeant referre, quatenus pro omnibus vestris bonis devotionibus gratias Deo omnipotenti Patri, atque ejus unigenito filio Domino nostro Jesu Christo, & Spiritui sancto devotius agere valeamus, cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen. Data mense Septembrio die 25. indictione IX.

Annus est 860.

Hæc pariter ex cod. Vatic. inferuit.

Explicit epistola ab apostolica Sede ad imperatorem Michaelem per Rhadoaldum, & Zachariam episcopos missa.

III. AD PHOTIUM,

Reservat totam causam Photii in adventum legatorum: estque epistola prima ad Photium per Rhadoaldum & Zachariam episcopos Constantinopolim destinata.

OMnis utilitas & profectus animarum catholica fide munitur, & dilectione evangelii tuetur: quæ omnes intra se conclusos salvat & extra se positos suos non existimat. Unde directionis vestræ sumptis apicibus lætificati sumus, quia vos catholicum in eis cognovimus. Nam ibi prudentiæ vestræ utilitatem intelleximus, ideoque multas gratias Deo omnipotenti retulimus, quia vestrum scire de catholico fonte manare experti sumus. Sed rectum vos ordinem minime continuisse doluimus: eo quod non per gradus ecclesiæ ductus ad tantum honorem de * laici habitu vos prosiluistis, cum oporteret vestram prudentiam ita canonice vixisse in clericali ordine, ut nihil extra canonica instituta agentes, tempore congruo, ascensu legitimo constituereris ecclesiæ pastor. Vos itaque hoc * permittentes, contra statuta patrum egisse manifestum existit. Nam Sardicense concilium per omnia tantæ temeritatis præsumptionem vetuit, pariter & sanctorum pontificum Romanæ sedis, Cælestini doctoris egregii, Leonis sanctissimi, cujus laus in quarta synodo clara existit: seu Gelasii doctrina, & meritis æque beatissimi, horum videlicet instituta, hoc prohibuerunt, ut talis ordinatio fieri non præsumeretur. Quapropter vestræ consecrationi consentire modo non possumus, donec nostri, qui a nobis Constantinopolim sunt directi, revertantur, qualiter per eos cognoscamus vestræ observationis actus, & ecclesiasticæ utilitatis constantiam, & quo studio circa catholicæ fidei defensionem vosmet exerceatis. Et tunc, si dignum fuerit, ut tantæ sedis præsulem, ceu convenit, honorabimus, & fraterna dilectione amplectemur. Data mense Septembrio, die 25. indict. IX.

* edit. R. laicali.

* permittens Can. 2.

Explicit epistola ad Photium missa per Rhodoaldum & Zachariam episcopos.

Hæc inser. sunt ex c. Vatic.

Hic sequitur satisfactio sedis apostolicæ, cujus textus a Deo conservandæ christianæ & catholicæ generalitati dudum a sede apostolica fuerat transmissus; sed quia ignoratum est, utrum fuerit datus, idcirco hæc satisfactio denuo visa est esse mittenda.

IV. AD OMNES FIDELES,

Docet Orientalem ecclesiam sine ullo suo consensu a legatis sedis apostolicæ Ignatium depositum, Photium substitutum.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ,

QUod igitur generali notitia extat universæ plebi Dei vulgatum, minime vestræ sanctitati habetur incognitum, qualiter præterito jam tempore sancta Constantinopolitanæ urbis ecclesia, immo Græcorum inclytus imperator cum Christianissima plebe suæ ditioni subjecta pro quibusdam prævaricationibus in eadem ecclesia pullulatis, ac variis dissentionibus in eodem populo super Photio invasore, & Ignatio patriarcha nequiter obortis, legatos proprios ad hanc sanctam, & omnium ecclesiarum matrem miserunt ecclesiam,

Periocha I

siam, discretissima videlicet postulatione consulentes, qui diffinitionis calculus super hujusmodi prævaricationibus nostro judicio deberetur imponi. Sancta scilicet ac salubri discretione perducti ab hac principali ecclesia, quam veraciter intelligunt a Christo salvatore percepisse sui principatus privilegia, non immerito ob ædificationem religionis, & recuperationem pacis, atque concordiæ sub canonica diffinitione sibi dari poscentes judicia. Quorum saluberrimæ petitioni cedentes, dirigere, ut omnibus claret, illuc studuimus ex latere pontificatus nostri legatos, qui nostra apostolica auctoritate muniti, errata corrigerent: depravata quæque ad rectitudinis tramitem perducerent. Super Photio quoque & Ignatio patriarcha rei gestæ veritatem diligenter inquirerent, nostroque apostolatui, Deo auctore, legitime diffinienda ad liquidum nuntiare studuissent, quatenus missorum nostrorum fieret tantum inquisitio, & vera examinatio, nobis tamen remaneret reservata diffinitio, utrum vera esset, an falsa super Ignatii patriarchæ criminibus accusatio. Sed legatis nostris, qui super hoc opere missi fuerant revertentibus, imperialem ab eisdem partibus epistolam nostro apostolatui per ipsius legatum directam nihilo minus recepimus. In cujus serie & eorum actionibus cognovimus, quia dissensionis & invidiæ inter illos crebrescentibus malis absque ullo nostro consensu, vel nostra omnino conscientia, Photium indiscrete subrogarunt, & Ignatium patriarcham deposuerunt. Quod utique indiscretissimum factum nobis, & universæ ecclesiæ nostræ omnimodis habetur contrarium: quia contra sacros canones, qui absque veriſſima probatione neminem damnari, nec alterum prius in ejus loco subrogari præcipiunt, Ignatium patriarcham damnarunt. Et iterum cum dicente Domino: *Non sit discipulus super magistrum, neque servus super dominum suum*, memoratus antistes Ignatius a sibi subjectis, & ministris sui ordinis, proprii gradus sustinuit præjudicium: & contra doctore egregio Paulo dilecto discipulo suo Timotheo præcipiente, ut nemini cito manus imponeret; & *non neophytum*, inquit, *ut in superbiam elatus in judicium incidat diaboli*; Photium subito ex laicali militia tractum indiscrete ordinare præsumpserunt episcopum. Quæ causa contra ordinem divinum nequiter acta, valde nostro apostolatui, & universæ (ut dictum est) ecclesiæ nostræ omnimodis manet contraria. Unde generaliter agnoscat omnis ecclesia sanctorum, quia nec nostra fuit conscientia, nec jussio, nec voluntas, super Photii subrogatione, vel Ignatii patriarchæ depositione: & super hujuscemodi prevaricationibus omnium vestrorum sanctitati satisfaciendo veriſſime denuntiamus: Quia post veriſſimam nostri examinis deliberationem, nec Photium recipimus, nec Ignatium patriarcham damnamus, nec jussimus, nec consensimus, nec ratam hujuscemodi ordinationem, vel indiscretam depositionem manere judicamus, neque firmam absque justę diffinitionis libramine ullo modo consentiemus, nec Ignatium videlicet patriarcham inter depositos reputamus, neque reputabimus: sed nec Photium in episcopali ordine annumeramus, nec annumerabimus.

Igitur, dilectissimi fratres, sanctitati vestrę, qui catholicas Alexandrinorum, Antiochenorum, vel Hierosolymorum gubernatis ecclesias, seu cunctis orientalibus metropolitis, atque episcopis, luce clarius, expressiusque significamus, quoniam sedes apostolica nullo pacto venerabilem Ignatium patriarcham dignitatis propriæ privilegio nudari tam improvide patitur: sed magis repulso a sanctæ catholicæ, & apostolicæ sacro ecclesiæ viscere pervasore conjugis, ut ita dixerimus, viri viventis, sceleſtissimo videlicet Photio, sanctissimum patriarcham Ignatium in sui sacerdotii dignitate manere, sicut olim decreverit; iterum quoque canonico, ac legali examine judicat, & decernit. Et ut vos hujus sedis privilegium rite servantes, pari religione catholici, pari etiam nobiscum super venerabilis Ignatii patriarchæ sacerdotii recuperatione, & Photii pervasoris expulsione eadem sentiatis, apostolica auctoritate vobis injungimus, atque jubemus. Et ut hujus præsulatus nostri paginam in cunctis parochiis vestris ad omnium faciatis notitiam pervenire, atque de hac re juxta apostolicæ sedis diffinitionem prædicare curetis aliis; ipsisque similiter incommutabiliter teneatis paterno more præcipimus. Quid præterea, fratres carissimi, & filii dilectissimi, eidem imperatori Græcorum, & universæ generaliter sanctæ Constantinopolitanæ ecclesiæ super hujuscemodi prævaricationibus, & de his, pro quibus nuper illas in partes nostros cum apostolicis epistolis direxeramus missos (sicut omnibus vobis manifestum est) respondendo nostri apostolatus remandat auctoritas, omnium vestrorum sanctitati satisfaciendo, in subsequentibus relegi jubemus. Data mense Martio die 18. indict. x. Anno 862.

V. AD MICHAELEM IMPERATOREM.

Hanc epistolam per Leonem a secretis, imperialem videlicet legatum, de quo superius dictum est, post reversionem missorum apostolicorum imperatori Michaeli * direxit cum epistola ad Photium. Improbat depositionem Ignatii, & promotionem Photii a legatis temere approbatam. Affert multa pro Ignatio, & contra Photium, cujus electionem cum Nectarii & Ambrosii promotione; aut concilium in quo Ignatius fuerat damnatus, cum Nicæno conferendum non esse demonstrat. Monet imperatorem, ut ecclesiæ perturbatores compescat. Epistolam suam depravatam fuisse quæritur. * edit. Rom. *direximus*

Nicolaus episcopus servus servorum Dei piissimo & glorioſissimo filio Michaeli magno imperatori.

SEreniſſimi imperii vestri gloria, quæ super orthodoxæ fidei integritatem firmata constare cernitur, dum aliqua in sancta Constantinopolitana ecclesia, quæ sub vestræ defensionis tutamine consistere videtur, inconvenientia provenerint, hanc sanctam catholicam & apostolicam, caput omnium ecclesiarum, Romanam scilicet ecclesiam, quæ semper sanctorum patrum sinceriſſimas auctoritates in omnibus suis actibus sequitur, consulere decrevit. * Et ejus consultu, quæ ecclesiasticis conveniunt negotiis, agere curaverit; procul dubio quæ agenda, aut abigenda fuerint, irretractabiliter cuncta disponere, ordinare, atque diffinire poterit. Quod vos feciſſe in epistolis nuper ad hanc sedem missis recolimus: pro quibus etiam & nostros, secundum vestram petitionem illas in partes pro quibusdam præsumptionibus, quibus vestram asserebatis fatigari ecclesiam, seu ob dissensiones, quæ propter religiosum virum Ignatium patriarcham, & Photium emerserant, subtiliter investigandis & nobis renuntiandis misſos direximus. Sed cum ad nos reversi fuissent, nihil nobis, ut illis & in nostris institueramus, de reverendissimo viro Ignatio renuntiaverunt apicibus: sed verbis tantum, quæ de eo contra nostræ voluntatis peracta sunt observantiam, retulerunt. Post aliquot tamen dierum * vestrarum partium * Forte, *Et si ejus*. H. * Deest *spatium*. H

tium prudens, & fidelis legatus nomine Leo a secretis, apostolatui nostro imperialem cum actis apud vos gestis detulit epistolam, quam legi jubentes, cognovimus de memorati viri Ignatii patriarchæ negotio, contra præceptum nostrum improvide illatam sententiam, & nihil omnino nostris jussionibus saltem * similem, sed magis contrarie perpetratam. Etenim quia dudum in epistolis vestris, quas tenemus præ manibus, illum multis accusationibus affirmabatis obnoxium, ob idque hunc ejectum, Photium * elegisse, necessario nostræ sedis legatos apostolica auctoritate fultos de pluribus prædicti viri Ignatii patriarchæ criminibus intentatis indagandum, & nobis renuntiandum direximus, suspendentes videlicet sententiam expulsionis reverentissimi viri Ignatii, vel Photii receptionis, non in legatorum nostrorum sed specialiter in nostro examine. At quia nunc Photium retinentes, prudentissimum virum Ignatium patriarcham absque nostri apostolatus ejectis judicio; nosse vos omnimodis volumus, nullatenus nos Photium recipere, vel Ignatium patriarcham damnare. Denique considerare libet quid sibi vult hoc, quod per duodecim fere jam annos regiæ urbis vestræ innocue sacerdotium agere, & sanctis virtutibus pudicitiæ, castitatisque florere dictum Ignatium, non solum ipsi per vestras innotuistis epistolas, velut etiam synodicis vocibus ejus sub tempore habitis, magnis honoribus epistolæ vestræ fatentur, quas præ manibus tenemus, laudastis jugiter, & extuliſtis, minime eum ad apostolicam sedem invasoris, vel alicujus criminis opinione notantes, nunc invide damnastis. Quod utique indiscretissimum factum sanctæ nostræ generaliter ecclesiæ, nostroque apostolatui, ac sanctorum patrum priscæ diffinitioni omnimodis extat inconveniens.

Nos quidem de nobilissimo viro Ignatio patriarcha non tantum hæc; verum & illud comperimus, quod non solum genere claruit, verum etiam a primævo suæ ætatis per singulos ecclesiasticos gradus ascendens ex monastica vita, omni ecclesiastico cœtu consentiente (sicut in apicibus, quos sanctissimo Leoni præsuli prædecessori nostro destinaveratis, comperimus) episcopatus culmen promeruit. Photium autem novimus per nullos ecclesiasticos gradus ascendentem, sed tantummodo ex laicali militia episcopum pertinaciter ordinatum. Quamobrem necessario in sententia nostra qua stetimus, persistimus: & neque venerabilem Ignatium patriarcham in aliquo damnamus, neque Photium modo quolibet suscipimus. Verum quia omnibus accusationibus remotis, quibus strenuum virum Ignatium patriarcham ad apostolicam sedem asserebatis notabilem, unum opponentes tantummodo, quod potentia sæculari sedem pervaserit, vestro speciali depositis, damnastis, & expuliſtis arbitrio: * Photium ex laicali agmine improvide in ejus loco subrogastis episcopum, æquanimiter ferre omnino non possumus: maxime cum horum duorum negotium investigari, & nobis renuntiari, non diffiniri mandaverimus. Quapropter, ut diximus, nullo modo prudentis viri Ignatii patriarchæ depositioni, vel Photii subrogationi assensum præbemus, quousque veritas omni falsitatis fuco nudata in præsentia nostra eluceat. Quia consuetudinem vestram novimus in regia urbe minime apicem archieraticę potestatis aliquem posse habere sine ecclesiasticę plebis consentu, atque imperiali suffragio, & ob id Ignatium patriarcham damnare nolumus, nec debemus.

Præterea Photii, quem ex militia subito ad tanti culmen regiminis consecrastis, ordinationem ratam haberi decernitis, eo quod Nectarius non solum ex laico habitu, verum etiam ex pagano sancta synodo secunda ordinante meruerit * fieri: qui tamen Nectarius verę religionis catholicus, nullius depositionis catholici conscius sedis gubernacula sine scandalo, sine vi, sine omni schismate suscepit: quem Spiritus sancti auxilio, & talento sibi credito hæreticorum perfidiis restitisse, eorumque dogma, quod jam ex longo tempore pullulaverat, & plurimos sui contagione infecerat, destruxisse ipsi recolitis: & idcirco bene & optime sanctę secundę synodo apostolicę sedis auctoritate fultę ita de Nectario placuisse testamur.

Sed beatus nihilominus fulgidissimus doctor Ambrosius, quem similiter ex militia, & catechumeno asseveratis episcopum, cum divinitus per miraculorum signa ab ipsis cunabulis, usque ad consecrationis suę tempus fuisset evocatus: & ad regimen a dissidentibus populis subito in unam sui concordiam provocatis, compelleretur ecclesiasticum suscipiendum, minime seditioni, vel schismati studuit; quin potius eas, quas reperit, semetipsum non ultro, sed coacte populo offerent, repulit & removit. Neque damnationem molitus est alicujus, quam nunquam omnino ob sui culminis consentiret incrementum: sed coactus atque compulsus, votis eorum consentiens, ecclesiasticarum regularum normam toto vitę suę tempore custodivit, omnes hæreses debellans verbi Dei telo succinctus, pro quo eque hęc sancta Romana ecclesia eos rite suscepit. Ideoque hoc tempus necessitatis probe suscepit, quia contra canonum privilegium sibi concessum nihil novit temere perpetratum. Vos autem non ita horum illustrium virorum camparationem perpendistis, ubi sępe dictum virum Ignatium patriarcham juste a vobis ordinatum, injuste de patriarchatu ejicientes, Photium subito ex laicali militia in episcopali dignitate elevastis, & ob id nihil valere patimur: quia sanctę Romanę ecclesię nunquam extitit mos improvide vel injuste unum ejicere, & alterum subrogare: seu magis studuit equa lance omnium librare & juste diffinire negotia. Igitur quia ad Nicęni venerandi cœtum concilii vestrum, qui in depositione Ignatii patriarchę affuistis totidem numeri fere dicitis, miramur. Et quid prodesse considerabamus ejusdem numeri collegium prędesse, ubi ipsius sententię prevaricantur, cujus & * numerus imitatur? Quod non laude magis, quam reprehensione ducimus dignum: quia omnino magis peccatis est cumulus, ubi multipliciter fuerit agmen prevaricatorum. Nos quidem non numerosum tantum sanctorum episcoporum collegium Nicęni & Chalcedonensis conciliorum, ceterorumque sanctorum patrum synodicas constitutiones sequimur, sed eorum librales veneramur justas divinitus inspiratas sententias; & non tantum pro suorum multitudine observantur a nobis, quia revera multi in personis fuere, sed in validissimis sententiis eos perpendimus plures.

Quod autem asseveratis, fatos fuisse legatos nostros post damnationem religiosissimi viri Ignatii patriarchę, * omnis ejus consecratio debere cassari, damnari, atque evelli; absit, ut hoc fieri patiamur: * ut quia neque Ignatium patriarcham damnamus, neque Photium mœchum suscipimus, qui sedem viventis viri & pudice * servantis, temere sibi usurpare præsumpsit, atque, ut ita dicamus, * quia contra ordinem in ea conversari non erubescens, ecclesię vestrę scandala multipli cari consentiamus. Quin potius, serenissime fili Auguste, dilectionem vestram monemus, suademus, atque apostolica auctoritate denuntiamus, ut tandem aliquando resistatis illis qui pro libitu suę voluntatis contra Constantinopolitanę ecclesię

se

* Rectius, *simile, & perpetratum*. H.

* Pro, *electum fuisse*. H.

Cedrenus in Michaele; & Zonaras libro 3. annalium.

* *& Photium*

De Nectario Theodoritus l. 5. eccles. c. 8.

De S. Ambrosio Paulinus in ejus vita.

Causa dissimulandi.

* Rectius, *numerum*. H.

* Pro, *omnis ejus consecrationem*. H.

* Rectius, *ut qui neque* H.

* Forte, *conservantis* H.

Forte delenda vox *quia*. H.

* *episcopus fieri*.

se prælulem erigentes sine examinatione canonica ignorantibus nobis crebro unum deponentes, alterum inopinate consecrare nituntur. Unde hæc discussio in orientalibus vestris ecclesiis, heu! plurimum agitatur: sed magis studeatis, quando aliqua emerserint, unde schisma possit oboriri, nostræ ecclesiæ consultu peragere: quatenus sicut jam factum pro sanctis imaginibus novimus, quod juste deliberatum est, maneat apostolicæ sedis auctoritate firmatum. Quod autem tantummodo æmulatione voluntatis, contra canonicas, vel synodicas censuras inconsulta Romana ecclesia perpetrari conatur, vestræ religionis brachio arceatur: ne videlicet sanctæ Dei ecclesiæ, ac regiæ urbis gloria vestro, quod absit, sub tempore in aliquo minuatur.

Liceat ergo sanctam ecclesiam, quam Christus sacro suo sanguine a servitute corruptionis redemit, orthodoxam fidem servantem vestro certamine manere ab omni inquietudine infestatorum tranquillam, atque pacatam. Denique ecclesiæ Constantinopolitanæ hortamur statum, ut tales alere omni religione eruditos studeat viros, qui ad honorem cardinis ipsius sanctæ ecclesiæ suis præsulibus mortuis, vel quolibet casu amodo discedentibus valeant subrogari: quod non solum in tanto patriarchatu observari omnino debet, verum etiam in singulis quibusque civitatibus ex consuetudine canonica magna cum cautela servatur & custoditur. Sed & hoc vestræ clementiæ intimare curavimus: quia sicut in vestris actis apostolicæ sedi & nostro pontificio directis insertum invenitur, nescimus cujus fraude vel dolositate epistola nostra ad vos directa fraudata est. Et non solum quia in vestra præsentia secundum illius textum, vel ordinem relecta non est, sed plura excerpta, quibus intellectus ipsius epistolæ continebatur, aliud pro alio, ignoramus, quis temerarius coram vestro imperiali conspectu legendo percurrere, vel interpretari præsumpsit, quam si coram vestræ majestatis præsentia scrutari jusseritis, in aliquibus eam mutatam, atque fraudatam locis reperietis.

Nos autem volentes, clementissime triumphator, excellentiam vestram ab omni labefactionis crimine illæsam consistere, & per diuturna tempora tranquillissimam imperii vestri sublimitatem in Dei sinceriſſime manere servitio, ut spiritalis pater spiritalem filium commonentes, & ea, quæ Deo placabilia sunt apostolicis adhortationibus adimplenda commonentes: & sicut vestri soliti sunt prædecessores, qui in culmine imperiali consistebant, hanc sanctam Romanam ecclesiam pleno devotionis venerari affectu, ita & vos apostolicis perficere oraculis obsecramus: quia ea quæ in præsenti negotio ecclesiasticis procuravimus sancire institutionibus, non invidiæ causſa, vel aliqua dolositate peregimus, sed volentes vestram imperialem dignitatem, & sanctam Constantinopolitanam ecclesiam illæsam servare, & ab omni reprehensione, ducti ferventissimo zelo caritatis custodire, sicut in epistolæ serie ad vos missæ reperitur, Deum timentes ordinare decrevimus, & cuncta observanda præoptamus.

Omnipotens autem Deus, qui vos ad reprimendas multarum gentium feritates in imperiali culmine eligere dignatus est; piissimum imperium vestrum ad statum & defensionem sanctæ suæ ecclesiæ per multa annorum conservet curricula: & sospite vita semper vos ea, quæ illi sunt placita, vobis velle concedat: quatenus ut in præsenti vobis sæculo feliciter imperandi potestatem tribuit, in futuro pro bonis actibus, & justitiæ observantia, quæ sub vestro libramine ponderari debetur, præmia æternæ felicitatis habere permittat. Data mense Mart. die 19. indict. 9. Est Ch. an. 861.

Explicit epistola a sede apostolica missa ad Michaelem Augustum per imperialem legatum Leonem videlicet a secretis. Ex cod. Vat. insertum.

VI. AD PHOTIUM.

Diluit argumenta Photii, qui exemplo Ambrosii, Nectarii & Tarasii se merito ex laicorum gradu ad episcopalem dignitatem perveniſſe affirmabat, eumque tum quod laicus esset, tum quod Ignatius adhuc viveret, injuste ad eum dignitatis gradum conscendiſſe demonstrat.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei prudentissimo viro Photio.

POstquam beato Petro principi apostolorum Dominus, ac redemptor noster Jesus Christus ex utero virginis pro nostra redemptione, ut erat verus Deus ante sæcula, verus homo in fine sæculorum apparere dignatus est, ligandi, atque solvendi in cælo & in terra potestatem tribuit, & januas regni cælestis reserandas concessit; supra soliditatem fidei suam sanctam dignatus est stabilire ecclesiam, secundum illius veridicam vocem dicentis: *Amen dico tibi, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adversus eam; & tibi dabo claves regni cælorum: & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Ad quam promissionem sanctæ apostolicæ institutionis cemento cœperunt hujus fundamenta ex pretiosis succrescere lapidibus & annuente divina clementia, per studium structorum, & apostolicæ auctoritatis sollicitudinem usque ad culmen insolubiliter perducta perpetualiter mansura sine sinistræ auræ impulsu consistere: cujus primatum (sicut omnibus orthodoxis manifestum est viris, & ut in superioribus præmodicum declaratum est) beatus Petrus princeps apostolorum, & janitor regni cælestis merito promeruit. Post quem & hujus vicarii sinceriſſime Deo famulantes, carentes nebularum densitatibus, quæ recto ab itinere impedire assolent, dignius perceperunt, & in cura regiminis quam pro dominicis ovibus susceperant, sollicite permanserunt. Inter quos & nostram parvitatem omnipotentis Dei misericordia connumerare dignatus est: pro quibus tantum consistimus pavidi, quantum consideramus in æterno examine pro omnibus & præ omnibus, qui Christi censentur nomine, rationem reddituri. Et quia universitas credentium ab hac sancta Romana ecclesia, quæ caput omnium est ecclesiarum, doctrinam exquirit, integritatem fidei deposcit, criminum solutionem, qui digni sunt, & gratia Dei redempti exorant: oportet nos, quibus commissa est, sollicitos esse, & ad speculationem dominici gregis tantum ferventius anhelare, quantum hunc * avidi ad dilaniandum hinc inde * patenti ore exquirunt: quod & audiendo cognoscimus, & experiendo comprobamus. Et quos per corporalem ob longinqua terrarum spatia, aut tumentes marinos fluctus, nequimus visitare præsentiam: saltem series apicum quasi viva voce declarent, ut nec a nobis silentii exquiratur culpa, nec audituris de ignorantia excusandi tribuatur facultas: quia & illud a nobis cavendum est, quod per prophetam dicitur: *Canes muti non valentes latrare.* Nam & apostolus ait: *Insta opportune, importune.* Constat enim sanctam Romanam ecclesiam

In VIII. synodo actione 4. extat fragmentum hujus ep.

Romanus pontifex universali præest ecclesiæ.

* edit. Rom. *avidi lupi* * *patentia ora*

Isa. 59.

2. Tim. 4.

ecclesiam per beatum Petrum principem apostolorum, qui dominico ore primatum ecclesiarum susciperе promeruit, omnium ecclesiarum caput esse, & ab ea rectitudinem, atque ordinem in cunctis utilitatibus, & ecclesiasticis institutionibus, quas secundum canonicas & synodicas, sanctorumque patrum sanctiones inviolabiliter atque irrefragabiliter retineret, exquirere, ac sectari. Et ideo consequens est, ut quod ab hujus sedis rectoribus plena auctoritate sancitur, nullius consuetudinis præpediente occasione proprias tantum sequendo voluntates, removeatur: sed firmius, atque inconcusse teneatur. Nam in hoc quo noster apostolatus vestram prudentiam commonuit, quia ex laicali ordine sine canonica approbatione ad patriarchatus dignitatem subito transcendere contra patrum promulgationes non recusastis: sed temere, atque impudenter ad tanti honoris culmen accedere præsumpsistis, assumentes vobis quasi a sanctissimo viro Nectario occasionem, quem sancta secunda synodus non ob aliud ad sacerdotalem eligere, atque ordinare ex laicali ordine voluit dignitatem, nisi quia magnæ necessitatis contritione anxiabatur, eo quod in sancta Constantinopolitana ecclesia, nullus clericorum inveniri poterat, qui pessimæ hæreseos nimbosa caligine non fuerit impeditus: Et ob hoc ne diu jam dicta ecclesia sub destitutione pastoris quasi viduata maneret, prædictum Nectarium expugnatorem hæreticorum, & defensorem, atque gubernatorem ecclesiarum ad ecclesiasticam curam & dignitatem sacerdotalem jam dicta secunda synodus elegit: sed ut hoc iterum fieret non confirmavit, neque sanxit, aut instituit. Et ideo licet contra patrum, atque canonicas institutiones, quod per necessitatis fieri eventus comprobatur, non in auctoritate tenendum est: sed ne iterum talis proveniat necessitas, magis magisque cavendum: quia omne quod ab aliis reprehendi poterit, convenientius, ac decentius videtur existere, si antequam fomes reprehensionis accrescat, emendationis cura * succedat.

Decreta Romani pontificis ab omnibus custodienda.

Quare Nectarius in secunda synodo ex laico Constantinopolitanus episcopus sit factus.

Quod fit necessitate, non trahitur in exemplum.

* Pro, *succidat*. H.

De Tarasii siquidem promotione, qui similiter ex laicali cœtu ad patriarchatus extemplo culmen promotus est, quam & vos quasi in auctoritatem vestræ defensionis assumere vultis, si sanctam quæ apud vos tempore sanctissimi viri * domini Hadriani papæ celebrata est, synodum diligentius scrutati fueritis, atque attentius intenderitis, invenietis quid in ea idem sanctissimus vir consultus decreverit; & quod, dum ejus consecrationis reprehenderet actus, & mœrorem se pro tam præsumptiva factione * nimirum sustinere profiteretur. Dicit enim: Quod nisi in erigendis imaginibus fervентius contra illarum depositores, atque concultatores, ut verus miles Christi resistere: nequaquam vestræ consecrationi assensum præberemus, aut in ordine patriarchatus vestram dilectionem susciperemus: quæ tantum declaratur inordinate promota, quantum comprobatur contra apostolica decreta enormiter præsumpta. Beatissimum quoque Ambrosium, clarissimam & splendidissimam lucernam ecclesiæ, qui ex catechumeno, divino præsagio ad episcopalem per continuos gradus promotus est dignitatem, cur nobis pro vestro tutamine opponitis, & ad vestram illicitam promotionem antefertis? qui non instinctu hominum, sed divina vocatione, per miraculorum prodigia electus est? Nam cum in infantiæ cunis sub nutricis cura dormiens sollicite verteretur: aperto ecce ore examen apum subito adfuit, quod faciem ejus, & ora complevit, ita ut * ingrediendi vices frequentarent. Quod pater cum matre, vel filia deambulans, ne abigerentur ab ancilla, quæ curam nutriendi infantis susceperat, prohibebat. Sollicita enim erat, ne infanti nocerent; expectabant tamen patrio affectu quo fine illud miraculum clauderetur. At illæ post aliquamdiu volitantes in tantam aeris altitudinem sublevatæ sunt, ut humanis oculis minime viderentur: quo facto territus pater ait: Si vixerit infantulus iste, aliquid magni erit.

* Pro, *succidat*. H.

Cur Tarasius episcopus fuerit, Vid. synod. act 2. in epist. Hadriani

* *domini*

* *suænium*

S. Ambrosius divino instinctu ex catechumeno episc. electus. Paulinus in ejus vita.

Post hæc vero adultus puer liberalibus artibus imbutus Mediolanum perrexit, ubi Auxentius Arianorum episcopus cathedram non regendam sed dilaniandam tenebat episcopalem. Quo defuncto dum ad electionem episcopi popularis fieret in ecclesia conglobatio, ecce quidam infans acclamabat, dicens Ambrosium episcopum: ad quam vocem & omnis illa conventio similiter acclamabat Ambrosium episcopum. Quod non humanis id fieri credendum est voluntatibus, sed divinis, ad salvationem, & ereptionem fidelium de adversarii nostri faucibus, qui tamquam leo rugiens, quærit quem devoret, inspirationibus. Qui dum se multis, ac variis voluisset occultare argumentis, & a tanto honore delitescere; tandem superatus ad sacerdotalem ab omni populo & clero divinitus est dignitatem electus, & a catechumeno per singulos gradus ecclesiasticos * proficiscens, octavo die ab omni catholicorum, divina annuente clementia, consensu est consecratus episcopus. Attendat igitur prudentiæ vestræ dilectio, & intimo cordis prospiciat oculo, si debentur ea, quæ per miraculorum signa fidelibus proveniunt, his æquari, quæ proprio tantum libitu ad dignitatis gloriam percipiendam peraguntur: & sic ad auctoritatis vestræ excusationem præfatos assumite viros. Ecce propter necessitatem & inopiam clericorum Nectarius: ecce propter ecclesiastica dogmata, & hæreticorum expugnationem, qui venerandas deponere imagines præsumpserunt, Tarasius: ecce per miraculorum signa Ambrosius ad regendas ecclesias promoti sunt. De vobis autem, quibus perplures auctoritates conciliorum, atque decreta sanctissimorum pontificum resistunt, quid aliud est sentiendum, nisi inopinatam a vobis consuetudinem adoleviſſe credendum? Et secundum sanctorum patrum sententiam non solum quia ex laicali ordine contra canonicas auctoritates ad regendam Constantinopolitanam ecclesiam subito transvolastis: sed etiam quia vivente viro, & incolumi persistente (videlicet religiosissimo Ignatio patriarcha) cathedram illius (scilicet Constantinopolitanam ecclesiam) ut mœchus surripuistis, & invadere præsumpsistis: postponentes illud, quod scriptum est: *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris*: & ideo vestræ consecrationi æquitatis libramina tenentes, assensum præbere (quia enormiter & contra sanctorum patrum institutiones peracta est) minime præsumimus. Quod vero dicitis neque Sardicense concilium, neque decretalia vos habere sanctorum pontificum, vel recipere, non facile nobis facultas credendi tribuitur: maxime cum Sardicense concilium, quod penes vos in vestris regionibus actum est, & omnis ecclesia recipit, qua ratione convenerat, ut hoc sancta Constantinopolitana ecclesia abjiceret, & ut dignum est, non retineret?

* proficiens.

Matth.

Auctoritas sedis apostolicæ corroborans.

[1] Decretalia autem, quæ a sanctis pontificibus primæ sedis Romanæ ecclesiæ sunt instituta, cujus auctoritate, atque sanctione omnes synodi, & sancta

[1] Refert hunc locum Hincmarus Lauduneusis tom. 2. p. 374. ex periocha 5. Nicolai Papæ. *Hard.*

ſancta concilia roborantur, & ſtabilitatem ſumunt, A cur vos non habere, vel obſervare dicitis? niſi quia veſtræ ordinationi contradicunt, & ex laico ſubito ad culmen patriarchatus tranſvolare reſiſtunt? contra illud apoſtolicum: *Nemini cito manum impoſueris*. Quod ſi ea non habetis, de neglectu atque incuria eſtis arguendi: ſi habetis, & non obſervatis, de temeritate eſtis corripiendi, & increpandi. Quod violenter vos ad ſacerdotalem dignitatem promotos aſſeveratis atque proteſtamini, veſtræ conſecrationis tempore non ita eſſe declaratur. Qui poſtquam in patriarchatus throno ſtabiliti eſtis, non ut pater in filiis blandus, ſed ut immitem in depoſitione archiepiſcoporum & epiſcoporum per ſeveritatem vos demonſtraſtis, & in damnatione innocentis Ignatii, B quem vos ut depoſitum habetis, immoderate exarſiſtis: in cujus depoſitione, niſi prius veraciſſime illius cognoverimus tranſgreſſionem, vel culpam, inter depoſitos illum non numeramus, neque damnamus: quia valde cavendum eſt, ne ſine cauſſa innocens damnetur: & ſicut illum in priſtino honore manſurum, ſi ei damnationis crimina non comprobantur, ſancta Romana retinet eccleſia; ſic vos, qui incaute & contra paternas traditiones promoti eſtis, in patriarchatus ordine non recipit: & neque ante juſtam damnationem Ignatii patriarchæ in ordine ſacerdotali [a] vobis manere conſentit. Quod non ideo veſtra arbitretur dilectio contra vos invidiæ cauſſa, aut exoſos vos habendo id agere, atque incongrue contra C veſtram ordinationem exardeſcere: ſed ducti zelo paternæ traditionis volentes ſanctam Conſtantinopolitanam eccleſiam, quæ pro ſui ſtabilitate atque firmitate cenſura ſanctorum patrum ad hanc ſanctam Romanam eccleſiam ſolito more percurrit, ſine macula, ſine reprehenſione, aut aliqua tranſgreſſione illæſam conſiſtere, & ea, quæ eccleſiaſticis regulis obviant, reſecare: & maxime hoc, quod omni auctoritate * canonice revincitur, & tali conſecrationi contraitur, quod jam per longam conſuetudinem quaſi regulariter actum defenditis, omnimodis amputare. A qua (quia vos ſicut nos diligimus) per increpationem paterni affectus providentiam veſtram procul dubio volumus revocare, imitantes apoſtolum dicentem: D *Filium quem diligit pater, flagellando caſtigat & corripit*.

De conſuetudinibus quidem, quas nobis opponere viſi eſtis, ſcribentes per diverſas eccleſias, diverſas eſſe conſuetudines, ſi illis canonica non obſiſtit auctoritas, pro qua eis obviare debeamus, nil judicamus, vel eis reſiſtimus: tamen cavere volumus, ne hæc veſtra conſuetudo quæ omnium ſanctorum patrum promulgatione convincitur, ut ex laico non ſubito ordinetur epiſcopus, vires accipiat: aut in veſtra eccleſia magis pullulet, operam dare minime ceſſamus. Quam etiam noſtra apoſtolica tantum abigit cenſura, quantum hanc temere recognoſcit præſumptam.

De miſſis ſiquidem noſtris, quos petitos in ſer- E vitio beati Petri principis apoſtolorum pro utilitate ſanctæ Conſtantinopolitanæ eccleſiæ contra depoſitores imaginum, vel alias neceſſitates ingruentes, nec non & pro cauſſa ſolummodo depoſitionis ſæpefati viri Ignatii inquirenda, illas in partes direximus, ſilendum non eſt: qui cum eis, ſicut dicunt per centum dierum ſpatia, omnium, niſi ſuorum alloquendi facultas fuiſſet denegata, ut apoſtolicæ ſedis miſſi non digne ſuſcepti ſunt, atque, ut decuerat, retenti. Quod non pro alia geſtum putamus re, niſi ut inquirendi locum de depoſitione præfati viri non invenirent; quia ceu in apoſtolica noſtra inſertum fuit epiſtola, quæ neſcimus cujus illuſione (ſicut in ſynodo a vobis miſſa reperimus) fraudata extitit, non illius promotionem, aut ingreſſionem, ſed tantummodo depoſitionis exitum per noſtros audire, vel cognoſcere, ſicut nunc volumus, miſſos volebamus; quibuſdam nuntiantibus, quod illis a nobis injunctum fuit clam vobis cum ſequacibus veſtris reſiſtentibus perficere minime potuerunt, aut depoſitionem jam dicti Ignatii utrum juſta, an injuſta fuerit, invenire valuerunt. Qua cognita ſecundum fui modum canonica, atque apoſtolica in eo cenſura extenderetur. Data menſe Martio, die 18. indict. x. Anno 861.

☞ *Explicit epiſtola a ſede apoſtolica Conſtantinopolim miſſa.* ☜ Inſeritur ex cod. Vat.

VII. AD MICHAELEM IMPERATOREM.

*Narrationis ordo de Photii depulſione, & Ignatii patriarchæ * inſtitutione: nec non de Zachariæ ac Rhadoaldi dudum epiſcoporum depoſitione, ac excommunicatione, cum capitulis interpoſitis.* * Cod. Vat. reſtitutione

His ita ſe habentibus, & his apoſtolatus noſtri epiſtolis pro manifeſtando noſtræ voluntatis propoſito Conſtantinopolim, & in alias mundi partes deſtinatis, ſicut ex ſuperioribus ſcriptis hucuſque recitatis colligere, ac comprehendere poteſtis: nunc quæ poſt habitam ſatisfactionem noſtram, & oſtenſum votum noſtrum de Ignatii fratris & * epiſcopi noſtri reſtitutione, ac Photii adulteri repulſione coram omni eccleſia, quæ apud nos eſt, adſtante præſentialiter Leone a ſecretis, & imperiali legato, cujus ſuperius mentionem fecimus, & quæ poſt diſceſſum ipſius acta ſunt, veſtræ in Chriſto fraternitati ac piæ generalitati breviter indicamus. Igitur cum hæc gerebantur, nondum Rhadoaldus & Zacharias epiſcopi, quos ab apoſtolica ſede Conſtantinopolim direxeramus, detecti erant, vel oſtenſi, quod ipſi depoſuiſſent patriarcham Ignatium, vel communicaſſent invaſori, & mœcho, ac laico Photio: ſed procedente tempore murmur multorum ab illis partibus Romam venientium, quinimmo perſecutiones a fautoribus Photii commotas fugientium, ſenſim eoſdem cœpit epiſcopos muneribus fuiſſe corruptos diffamare: & quod communicaſſent Photio, & depoſuiſſent Ignatium divulgare. Quo audito nimio mœrore repleti, qualiter ab eccleſia Chriſti, cui divina dignatione præſumus, non habente maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, finiſtram procul faceremus ſuſpicionem (videlicet, ne in hanc ſaltem tenuis ſubſannandi oriretur occaſio) cogitare cœpimus, & mente revolvere. Func convocato multarum provinciarum occidentalium regionum ſanctiſſimorum epiſcoporum cœtu, & collecta ſancta ſynodo in eccleſia Dei, ubi beatus Petrus apoſtolorum princeps corpore floret, & virtutibus emicat: deinde propter frigidiorem locum in eccleſia Salvatoris, quæ ab auctore vocatur Conſtantiniana, & quæ prima in toto terrarum orbe conſtructa eſt, ibique recitatis omnibus ſcripturis de

Vide notas in concilium Rom. III. ſub Nicolao I. intra. Periocha IV.

* edit. Rom. *epiſcopi*

Lateranæ eccleſiæ dignitas.

---

[a] Pars eſt altera Epiſtolæ Synodicæ Nicolai ad Epiſcopos ſedi CP. ſubjacentes, ex Concil. Rom. anni 866. quæ exſtat in Concil. VIII. act. VII. *Quando hæc agebantur &c.* Hard.

de Græco ſermone in Latinum converſis, tam videlicet nefanda ſynodo, quæ per jam fatum Leonem apoſtolicæ ſedi delata eſt, quam etiam imperialibus epiſtolis, in quibus omnibus depoſitio Ignatii continebatur: & deductus in medium Zacharias epiſcopus, quia Rhadoaldus propter abſentiam haberi ad præſens non poterat, & diſcuſſus, & diligenter examinatus, inventus eſt in depoſitione Ignatii & communione Photii omnino culpabilis. In quo idem Zacharias tunc epiſcopus, nunc autem honore, ac communione privatus, ſe obnoxium recognoſcens, proprio ore, ac proprio ſcripto ſe Conſtantinopolim a ſede apoſtolica directum eſſe, & quæ ſibi a nobis agenda fuerant injuncta, neglexiſſe: ac quæ ſibi fuerant prohibita, peregiſſe confeſſus eſt: Ignatium ſcilicet ſine juſſione apoſtolicæ ſedis deponendo, & Photio contra noſtri apoſtolatus præceptionem communicando. Tunc decernente ſancta nobiſcum ſynodo depoſitionis & excommunicationis ſuæ ſententiam præfatus Zacharias accipiens in foveam quam alii præparavit, incidit; alterius (id eſt Rhadoaldi) examinatione propter abſentiam uſque ad aliam ſynodum protelata. Quæ autem in eadem venerabili & ſancta ſynodo unanimiter & conſonanter de fratre & conſacerdote noſtro Ignatio patriarcha, vel de invaſore & uſurpatore eccleſiæ ipſius Photio, atque fautoribus ejus, nec non & de ſacris imaginibus ſtatuimus, & promulgavimus: inſuper autem quid in alia ſynodo a nobis olim collecta decreverimus adverſus eos, qui divinitatem Domini noſtri Jeſu Chriſti cum Valentino, *Manete, Apollinari, & Eutyche, ac ſectatoribus eorum contra primum paſtorem, & apoſtolum, qui Chriſtum tantum carne paſſum dicit, paſſibilem ore ſacrilego in quibuſdam regionibus veſtris prædicare dicuntur, ſubter annexis capitulis declaratur.

* *Mani*

2. *Tit.* 4. 2.

I.

Photii damnatio. Capitula hæc ſunt ex Ep. ea.

Photius qui ex ſchiſmaticorum & ſe a ſanctæ communionis participatione avertentium parte eſſe dignoſcitur, & ex ſæculari adminiſtratione atque militia, & ex foro ſubito tonſuratus a Gregorio Syracuſano dudum epiſcopo in ſynodo damnato, & ab apoſtolica ſede convicto epiſcopus ordinatus eſt, & vivente, ac ſuperſtite conſacerdote noſtro Ignatio ſanctæ eccleſiæ Conſtantinopolitanæ patriarcha, ſedem ipſius invaſit, & ſponſam, quam a Chriſto ſponſo immaculatam cuſtodiendam veluti amicus ſponſi perceperat, non per oſtium, quod Chriſtus eſt, ſed aliunde ex adverſo in ovile dominicum more furis, atque latronis ingrediens ac ſi violentus, rapax & ſceleratus adulter irrupit. Deinde cum damnatis, & anathematizatis, atque cum his, qui ne ſacerdotale officium ante audientiam præſumerent a prædeceſſore meo beatæ memoriæ Benedicto papa fuerant obligati, quotidie ac indifferenter communicans, & converſans contra fidem promiſſam, contraque ſuam profeſſionem, qua pollicitus eſt ſe adverſus jam fatum patriarcham nullum ſiniſtrum concilium eſſe facturum, congregavit concilium, & una cum ſequacibus ſuis depoſitis, & damnatis, excommunicatis, & anathematizatis, & aliis ſine ſedibus, atque cum his a quibus vel ille irregulariter, & illicite provectus fuerat, vel quos ipſe temere, ac indebite provexerat, contra eumdem fratrem, & comminiſtrum noſtrum Ignatium depoſitionem facere, & anathema dicere auſus eſt. Deinde apoſtolicæ ſedis miſſos, quos pro cauſſa ſanctarum imaginum, & pro inquirenda & nobis renuntianda jam fati patriarchæ dejectione, & ob inveniendum modum promotionis hujus neophyti deſtinaveramus, quibus potuit argumentis a noſtris mandatis avertere more Acacii quondam Conſtantinopolitani hæretici patriarchæ præſumpſit. Et ad proceſſionem, quæ ei cum paribus ſuis habebatur; ſicuti eorum profeſſione patefactum eſt. Et ſancto Spiritu revelante venerandæ ſynodo, quæ a nobis collecta eſt, claruit ad damnatorum & ſchiſmaticorum communionem contempta legatione, quæ vel gentilium more ſervari debuit, pertraxit, & in illuſionem beati Petri apoſtoli, a cujus ſede profecti fuerunt, non ſolum inefficaces redire fecit, ſed etiam impugnatores omnium quæ fuerunt mandata monſtravit.

Poſtremo epiſcopos, qui ei tamquam adultero & pervaſori communicare noluerunt exilio relegavit, & ſui ſceleris complices in eorum ſubrogare locis non timuit. Et uſque hodie eccleſiam Dei diverſis perſecutionibus impugnare non deſinit, ita ut fratrem & coepiſcopum noſtrum Ignatium ſanctiſſimum patriarcham inauditis pœnis, & horribilibus tormentis afficere non quieſcat: ſed & omnes quotquot pro veritate & fide cum eodem perſiſtere comprehenderit, quibus prævalet modis perdere imprætermiſſe moliatur. Hæc & his ſimilia contra evangelica, apoſtolica, prophetica, atque canonica inſtituta afferens, ſit Dei omnipotentis, & beatorum apoſtolorum principum Petri & Pauli, & omnium ſimul ſanctorum, atque venerandorum ſex univerſalium conciliorum auctoritate, nec non & Spiritus ſancti per nos judicio, omni ſacerdotali honore, & nomine alienus, & omni clericatus officio prorſus exutus: ita ut ſi poſt notitiam hujus ſanctionis, quam divina inſpiratione depromptam eſſe credimus, cum unanimitate, & concordia ſanctæ ſynodi ſit procul dubio promulgata, tentaverit in Conſtantinopolitano throno præſidere, aut ſæpe fato venerabili coepiſcopo noſtro Ignatio, quominus eccleſiam ſibi commiſſam ſine quavis inquietudine regere poſſit, impedierit: vel ſi ulterius auſus fuerit aliquid de ſacro miniſterio more ſacerdotis contingere juxta præcedentem conſuetudinem, nullo modo liceat ei communionis ſpem, aut locum habere ſatisfactionis: ſed anathematis vinculis innodatus una cum communicatoribus ſuis, atque fautoribus ſuis perpetuo Dei per noſtram mediocritatem judicio, ac ſententia ſacrum corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, non niſi vicino mortis periculo, omnino percipiat; ut hæc unuſquiſque diſcens nequaquam de cetero temeraria præſumptione ex laicis ſubito in dominicis caſtris inſperato quodammodo impetu irrepere audeat, & principatus amore ante ducatum præſtare velit, quam tironis conſummet officium; & ante tentet docere, quam diſcere: ſicut in eadem Conſtantinopolitana eccleſia ſæpe præſumptum eſſe comperimus. Et rurſus ne contemptis clericis, quorum utpote in tam magna urbe copioſa multitudo eſt, quippe ab ipſis (ut ita dixerimus) cunabulis imprætermiſſo labore in eccleſia Chriſti deſudant: & indefinentia Domino exhibent ſervitutis obſequia; is, qui deforis eſt alterius ovilis, Chriſti repente principatum arripiat, & nitatur, quos eſſe ſuos non recognoſcit, diſcerpere: & grex dominicus incipiat eum, utpote extraneum & improviſum, omnino contemnere: præſertim cum perſpiciat nil ſibi ſtipendia profeciſſe meritorum, & alienum ſuorum cernat conſumere fructus laborum.

Cur hic colaus, infra H drianus epiſt. ad rolum re ſex tant œcumeni ſynodos minent cam inſ notis co lii Rom.

II.

Gregorii Piſcopi racuſani rata da tio.

Gregorium ſane, qui Syracuſanæ eccleſiæ irregulariter, atque Deo contempto præeſt, eo quod & ipſe ex parte ſchiſmaticorum ſit, & poſtquam a ſynodo epiſcopatus officio privatus, & a deceſ-

ſore

fore meo ſanctæ memoriæ papa Benedicto obligatus eſt, & Photium laicum ſubito conſecrare in epiſcopatu non formidavit, & de ſacro miniſterio auſus eſt multa contingere, juxta præcedentem conſuetudinem ſancimus, & juxta canonicam deliberationem apoſtolica auctoritate diffinimus, atque ſtatuimus, omni ſacerdotali carere, atque privatum fore miniſterio: ita ut nullo modo liceat ei in qualibet ſynodo reſtitutionis ſpem, aut locum habere ſatisfactionis: quod ſi de reliquo præſumpſerit in ſacro officio more ſacerdotis quovis tempore miniſtrare, anathema ſit. Sed & ſi contra fratrem & coepiſcopum noſtrum Ignatium turbas excitaverit, vel ab ejus communione fideles averterit, anathema ſit. Et omnes communicantes ei ab eccleſia abjiciantur, ſed & ipſi anathema ſint.

III.

Eos vero, quos Photius neophytus, & Conſtantinopolitanæ ſedis invaſor, in quolibet eccleſiaſtico ordine provexit, quoniam manifeſtum eſt eos in omnibus conſecratoris ſui pravitatibus conſenſiſſe, atque ei poſt invaſionem * communicare, omni clericali officio privamus, & apoſtolica atque canonica auctoritate, & ſynodali decreto eos penitus ſequeſtramus.

IV.

Reverentiſſimum & ſanctiſſimum fratrem & coepiſcopum noſtrum Ignatium ſanctæ Conſtantinopolitanæ eccleſiæ patriarcham, qui primo quidem imperiali violentia ac terrore, proprio throno privatus eſt, & poſtea a Photio adultero, prævaricatore, ac pervaſore ſedis Conſtantinopolitanæ, & ab ejus complicibus (excommunicatis videlicet & anathematizatis, atque damnatis, & ſine epiſcopalibus ſedibus, & a deceſſore meo ſanctæ recordationis Benedicto papa, obligatis hominibus) anathematizatus eſt, & poſtremo ab apoſtolicæ ſedis miſſo contra noſtram præceptionem (ut ſanctæ ſynodo Spiritus ſanctus revelavit, & dudum Zacharias epiſcopus, qui unus de eiſdem duobus legatis extitit, propria confeſſione manifeſtavit) infulis eſt ſacerdotalibus deſpoliatus, auctoritate ſummi judicis Domini noſtri Jeſu Chriſti promulgamus, ſancimus, atque decernimus, unquam nec fuiſſe, nec eſſe depoſitum, vel anathematizatum, tamquam qui ab imperiali potentia ſit abſque ulla canonica auctoritate pulſus eccleſia, & tamquam qui ab alligatis nullo poſſit haberi vinculo colligatus, & ab eis qui nullam eum judicandi poteſtatem, vel ab apoſtolica ſede auctoritatem habuerint, & nullum ſui honoris diſcrimen pati debuerit. Et ideo illum (id eſt eumdem fratrem & conſacerdotem noſtrum Ignatium patriarcham) omni vinculo anathematis ab eo remoto per poteſtatem divina voce in beatiſſimo Petro collatam, & per auctoritates ſacrorum canonum, & decretalium conſtitutionum more ſanctorum patrum prolatarum, priſtino honori, priſtinæ dignitati & ſedi, priſtino gradui, & patriarchio, ac priſtinis & pontificialibus infulis, atque officiis reſtituimus, ſtatuimus, ac confirmamus: ita, ut quicumque poſt notitiam hujus apoſtolicæ atque ſynodicæ ſanctionis, quominus omnia, quæ præmiſimus, inſignia pontificatus recipiat, ei impedierit, & non in omnibus huic decreto obedierit, vel ſe ab ejus communione ſeparaverit, vel ulterius contra eum aliquod judicium proferre tentaverit, abſque ſedis dumtaxat apoſtolicæ præmiſſo conſenſu: ſi quidem clericus fuerit, ab omni clericatus officio coram Deo & hominibus ſit alienus, atque perenni pœna tamquam qui magiſtrum prodiderit, cum Juda traditore conſtringatur, & niſi a prava intentione receſſerit, perpetuo anathemate maneat condemnatus: ſi vero laicus extiterit ille (quiſquis eſt) huic noſtræ conſtitutioni contraire tentans, & eum ſedem & omnem priſtinam dumtaxat dignitatem recipere non permiſerit, vel ſi poſt receptam priorem ſedem denuo illum impellere, & a patriarchio expellere tentaverit, vel perſonæ ipſius ſeu ſacerdotali honori aliquam moleſtiam ſine primæ hujus ſedis conſenſu intulerit, omni benedictione paterna privetur, & maledictione Chanaan filii Cham, qui verecundiam patris ſui videns non cooperuit, ſed irriſit, mulctetur: & cum parricidis æterna pœna Domino judicante percellatur, & nexibus anathematis nonniſi reſipiſcens penitus eruatur.

V. Reſtituantur epiſcopi a Photio relegati.

Eos autem epiſcopos, ſeu cujuslibet ordinis clericos, qui poſt injuſtam dejectionem fratris & coepiſcopi noſtri Ignatii, vel in exilio relegati, vel miniſterio, aut gradu invidioſe privati ſunt, ſtatuimus, ut exilio diſſoluto proprias ſedes, atque gradus recipiant. Quod ſi quiſquam huic decreto noſtro contraire præſumpſerit, & ut ſedes, vel gradus reſumant impedierit, quouſque non obtemperaverit, anathema ſit. Sane ſi qui ex eis ab aliis criminantur, decernimus eos antea ſedes quidem & proprios gradus recipere, judicari autem niſi a ſede Romana non patimur. Sed ſi qua præter regulam forte egiſſe dicuntur, noſtro eos decreto judicandos reſervari ſtatuimus, juxta quod & ſacri præcipiunt canones.

VI. De ſacris imaginibus

Quod oportet nos majorum noſtrorum ſtatuta immoto mentis intuitu conſervare, & in omnibus ſanctorum patrum ſemper dogmata venerari, diffinimus de ſacris & venerandis imaginibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, ejuſque ſemper virginis genitricis Mariæ, omnium ſanctorum, qui Deo ab Abel juſto placuiſſe creduntur, quos eccleſia ſancta in univerſo orbe diffuſa antiquitus accepit, quæque ſedis apoſtolicæ præſules pro eis decreverunt, ac ſtatuerunt, illibata perſiſtere, atque intemerata manere. Quapropter [1] Joannem quondam Conſtantinopolitanum antiſtem, & ſequaces ipſius, qui eas frangendas, atque calcandas eſſe ore polluto aſſeverant, quamdiu de his nobiſcum non ſenſerint, & juxta ſanctorum pontificum Romanorum decreta, & aliorum catholicorum patrum inſtituta non ſapuerint, ſancimus eos a Chriſto, & ab eccleſia catholica atque apoſtolica eſſe anathema.

Capitula quæ ſubſequuntur in alia primitus a nobis collecta ſynodo promulgata ſunt.

I.

Quia Dominus Jeſus Chriſtus carne tantummodo paſſus eſt.

Periocha V.

(*a*) Veraciter quidem credendum eſt, & omnimodis profitendum: quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus Deus, & Dei filius paſſionem crucis tantummodo ſecundum carnem ſuſtinuit: deitate autem impaſſibilis manſit, ut apoſtolica docet au-

1 Sive Joannem, qui poſt Antonium ponitur a Conſtantino Porphyrog. lib. 3. n. 26. an. 834. *Harduinus.*

(*a*) Hæc in loco Vaticanus Codex collocat periocham ſextam; ſed cum bis recurrat in eo Codice periocha VI. & deſit quarta, ego mendam deſcriptoris auſpicatus, quo loco Vaticanus quintam ſignabat, ipſe quartam adſcripſi. Hic vero ubi in Vaticano eſt ſexta, quintam repoſui. *Manſi.*

auctoritas, & sanctorum patrum lucidissima doctrina ostendit.

II.

De his qui divinitatem passibilem dicunt.

Hi autem qui ajunt quia redemptor noster, & Dominus Jesus Christus Deus & Dei filius passionem crucis secundum deitatem sustinuit, quod impium est, & catholicis mentibus execrabile, anathema sint.

Periocha VI. Rhadoaldi alterius legati depositio.

(*a*) Igitur rediens Rhadoaldus a Galliis, ubi non minora quam in Constantinopolitana urbe perperam gesserat, & collegam suum tale quid pertulisse cognoscens, quin potius conscientia propria stimulatus, expavit. Quod nos intuentes ne quid formidaret, illum admodum sumus hortati, subjungentes dumtaxat præter examen synodi nihil in illum nos esse moturos: sed neque ei sine culpa prolata, fore aliquid adversi laturos: sed quia fugit impius nemine persequente, dum nihil mali & sufficientibus nostris frueretur bonis, ante tempus synodi, ante sui purgationem, ecclesiam & parochiam propriam deserens ad alias diœceses examen utique subterfugiendo se contulit. In quibus diutius eo morante, apostolico moderamine freti, canonicam, quam merebatur ultionem, super eum inferre distulimus: ne videlicet ad vindictam faciles, vel videremur esse præcipites. Quamobrem destinatis in diversa loca cum epistolis (id est, ubi solus illum rumor latitare fatebatur,) missis nostris, videlicet sanctissimis episcopis, ratum eum duximus convocari. Sed ille diversas latebras penetrando (utpote filius noctis & tenebrarum, qui opera lucis & diei semper refugiens, causam suam ad manifestationem justitiæ solis deduci formidat) quousque valuit, nobis obedire despexit. At ubi non reperit tutum suæ tergiversationis latibulum, tandem aliquando Romam redire ausus est.

Pontificis in episcopi depositione moderatio.

Et cum nos inter furentium adversariorum linguas, & manus apud beatum Petrum apostolum degeremus, ipse insperatus super nos hostis, inter hostes irrupit: &, ut nunc claret, iterum discessurus fraudulenter accessit: quo tamen corpore, non mente reverso, & synodi tempore propter imminentes hostium oppressiones dilato, rumore crebrescente diffamatur, quod Rhadoaldus denuo fugam arripere meditaretur. Quo audito, quia non poteramus sub tam horrendo nævo ecclesiam non habentem maculam *, aut aliquid hujusmodi deserere, quo minus illam etiam a falsa suspicione redderemus extorrem: nec poteramus personam in tantis prævaricationibus diffamatam, & * tam scelerum * ore aspersam, sine satisfactione in communionem nostram admittere, coram multis fratribus & episcopis, coramque plurimis filiis sanctæ hujus ecclesiæ admonuimus eum, quatenus sicut prius nullam in partem sine nostra licentia a Romana discederet urbe: sed in ea residens, sine timore suis licenter utens, & amicos, ac homines suos libere possidens, tempus synodi qua purgandus esset, intrepidus exspectaret: sciens profecto nihil se injustum ante, vel post, præter examen synodicum fore passurum: sed in justitia, quam haberet, esse mansurum.

* edit. Rom. addit. *aut rugam.*

* tantorum * *for.* forde

Insuper etiam sciret, si quoquam a Romana sine licentia nostra discesserit urbe: quia ex tunc esset depositus & excommunicatus. Sed spretis satisfactionibus nostris, atque sententiis in se prolatis, immo spretis sanctorum patrum constitutionibus, sine licentia nostra propriam ecclesiam despolians, & lupinis dentibus oves sibi creditas deserens ad alias diœceses, imminentem synodum fugiens, discessit. Et quia hæc, & alia multa objecta non diluit, vera esse quæ de illo dicebantur, modis omnibus examen subterfugiendo firmavit. Quapropter convocata sanctissimorum episcoporum numerosa & venerabili synodo in superius memorata ecclesia Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana: auctoritate Dei omnipotentis, & beatorum Petri ac Pauli apostolorum principum, & omnium simul sanctorum, quorum regulas & decreta multipliciter violavit, nec non & nostri apostolatus judicio depositus eum, & a corpore & sanguine Christi excommunicavimus, sanctorum scilicet statuta patrum sequentes, & præcipue sancti Felicis exemplum, qui Vitalem & Misenum episcopos deposuit, & excommunicavit, eo quod huic apostasiæ in Constantinopolitana urbe olim par omnino piaculum perpetrarunt. Quod si prædictus Rhadoaldus dudum episcopus, nunc autem depositus, & excommunicatus de cetero cum anathematizato Photio invasore Constantinopolitanæ ecclesiæ mixtus esset aliquando, & Ignatio fratri & coepiscopo nostro infestus esset, & ecclesiam Dei amplius conturbasset, vel si de damnatione sua querimoniam feciisset, anathematizatus foret: ac per hoc ab omni Christianorum separatus & alienatus, donec nostræ sententiæ sponte se submitteret, collegio. Est igitur Rhadoaldus nunc depositus & excommunicatus, & si Photio communicaverit, anathematizatus: quem vobis, fratres carissimi, ideo intimamus, ut scire valeatis cum quibus communicamus, & quos a nostra apostolica & catholica communione repellimus: quatenus per hoc, secundum sacras regulas, & præcipue juxta Nicænum concilium, qui ab aliis abjiciuntur, ab aliis non recipiantur. Porrigentes ergo ecclesiæ Dei manus, quos a nobis abjicimus, a vobis repellite: & quos suscipimus, suscipite: quatenus uno animo, uno ore glorificetur Deus, & Pater per Jesum Christum in unitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Felix III epist. 5.

Nicænum concilium cap. 5.

Præterea postquam sanctæ in Christo fraternitati, piæque religioni vestræ, quæ in isto volumine hucusque releguntur per alia scripta nostra, nota facere procuravimus: venit ad sedem apostolicam quidam protospatharius nomine Michael ab imperatore Græcorum cum epistola missus, in qua eumdem imperatorem invenimus jactitare, quod vos beatissimos videlicet patriarchas, & carissimos fratres nostros traductos, atque seductos habeat: quatenus in illa execrabili apostasia fautores extitistis: videlicet ut & in depositione fratris nostri, & consacerdotis Ignatii irregulariter facta, & in consecratione Photii mœchi, & ecclesiæ invasoris consentiatis: & contra statuta nostra, sed & adversum sedem principis apostolorum Petri, vos cum illis pariter efferatis. Quod quidem nos de vobis licet minime credamus, qui tale quid ab antecessoribus vestris catholicis dumtaxat antistibus actum nusquam omnino legimus: de vobis tamen magis, quam de nobis curam habentes, hæc nos in scriptis ipsius imperatoris recepisse vos nolumus ignorare: intimantes pariter, & vestram unanimem caritatem admonentes, quatenus in speculo sitis, & ad memoriam revocetis ista vobis nos ideo nota facere studuisse, quoniam, ut præ-

(*a*) Post hanc Vaticanus Codex periochas adnotare usque ad undecimam omittit. *Mansi.*

prædiximus, ſancti, magnique Nicæni concilii decretis jubetur per unamquamque provinciam, ut epiſtola regularis obtineat, ut hi, qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur. Deinde vero, ut cauti, ſollicitique ſemper ſitis, ne quorumlibet ſuaſionibus, vel terroribus hominum, aut quibuſcumque mendaciis decepti a capite (id eſt, a prima ſede) diſſentiatis, vel ab ejus eccleſiæ caritate, ac unitate dividamini, cui ille præfuit, quem vox Chriſti prætulit univerſis.

Verum ſi dies antiquos ſecundum datam vobis divinitus ſapientiam cogitatis, priſcoſque ſedium veſtrarum præſules ad memoriam ducitis, quanta veneratione ſedem beati Petri prædeceſſores veſtri celebraverint, quantoque caritatis amore decreta ipſius ſemper amplexi ſint, profecto reperietis: denique in univerſalibus ſynodis quid ratum, vel quid prorſus acceptum, niſi quod ſedes beati Petri probavit (ut ipſi ſcitis) habetur: ſicut e contrario quod ipſa ſola reprobavit, hoc ſolummodo conſiſtat hactenus reprobatum. Proinde caritas unanimitatis veſtræ de fratris & comminiſtri noſtri Ignatii ſanctiſſimi patriarchæ dejectione nobiſcum doleat, & quæ prævalent ei ſolamina nobiſcum exhibeat. Nam ſi juxta apoſtolum, quod patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; quanto potius compatiendum eſt illi, quod inter cetera membra præcipuum tenuiſſe locum dignoſcitur? Unde ſi non pro unius, & ſpecialis perſonæ præfati fratris noſtri repulſione, vel certe pro ſummi ſacerdotii conculcatione dolere, gemere, flere, currere, ac decertare debetis. Nam ſi licitum fuerit ſæculari poteſtati de eccleſiæ Domini præſulibus taliter judicare, vel ſi rurſus fas extiterit inferioribus de prælatis ſibi tam temere iſta patrare; perpendite ne ad perniciem veſtram, immo totius eccleſiæ nunc & futuris temporibus præſumptio talis prævaleat, quod ſi attenditis, ecce jam cernitis. Nam impietas tantum caput extulit, ut eccleſiarum præſulibus poſtpoſitis, & ordine canonico conculcato, laici nunc eccleſiaſtica moderamina teneant: & pro libitu proprio, modo iſtos removeant, modo illos in locis eorum promoveant; & rurſus quos nunc approbant, poſt modicum mentis victi levitate repellant.

Ut enim iidem ſæculares, ac laici homines quælibet ſcelera valeant licenter committere, ut pro his a nullo pontificum, qui ex clero promotus, hæc ſumma poterat auctoritate compeſcere, libere redarguantur, non de clericorum catalogo permittunt ad ſacros ordines provehi, qui vitam eorum tanto audacius, quanto diutius ac familiarius ſub Chriſto duce forti militantes fortius comprimere poſſent: ſed ex ſeipſis eligunt, qui facta eorum tanto minus præſumant arguere, quanto ſe paullo ante de eorum cœtu favore ipſorum promotos meminerit. Quod illis in partibus tanto familiarius agitur iſta præſumptio (videlicet ut ex laicis ſubito tondeantur, & in epiſcopos conſecrentur) quanto ex conſuetudine inoleviſſe teſtantur, quam nos e contra tanto ſtudioſius de eccleſia Dei eradicare volumus, quanto nimium noxiam eſſe clericis, & omni religioſæ plebi ſupra docuimus. Quantoque ſcimus ex ſacris canonibus, quod non minus mala conſuetudo, quam pernicioſa corruptela vitanda ſit: & ſcimus quod paullatim creſcens, jam ſuæ peſtiferæ nequitiæ gravamine multos invaſerit, adeo ut temeritas hæc tantum excreverit, ut jam minime clericis egeant, dum contra ſacros canones ex ſe ipſis ſubito tonſuratum, quem voluerint, eligant: & ad labores clericorum mentis oculos non infiectant, ac per hoc fit, ut alienus comedat ipſorum fructum laborum, & ſtipendia meritorum extraneus hoſtis inſperatus ſurripiat. Ita ut nihil proficiat clericis in caſtris dominicis militaſſe, vel gradatim per ſingulos eccleſiaſticos ordines aſcendiſſe, dum alter ſaltu hos omnes tranſcendit, & repente principatur in eis is, qui inter eos nec contra ſpiritales hoſtes arma ſuſtulit, nec diverſis eccleſiæ adverſariis pro veritate prælians aliquando reſtitit.

Quantum autem ne de laicis temere quislibet ad epiſcopatum eligatur, ſacri canones cum aliis prohibeant, Sardicenſes oſtendunt, Oſio epiſcopo capite decimotertio dicente: Et hoc neceſſarium arbitror, ut diligentiſſime tractetis, ſi forte aut dives, aut ſcholaſticus de foro, aut ex adminiſtratione epiſcopus fuerit poſtulatus, ut non prius ordinetur niſi ante & lectoris munere, & officio diaconi, aut presbyteri fuerit perfunctus; & ita per ſingulos gradus, ſi dignus fuerit, aſcendat ad culmen epiſcopatus. Poteſt enim per has promotiones, quæ habebunt utique prolixum tempus, probari qua fide ſit, qua modeſtia, qua gravitate & verecundia: & ſi dignus fuerit probatus, divino ſacerdotio illuſtretur: quia conveniens non eſt, nec ratio, vel diſciplina patitur, ut temere & leviter ordinetur, aut epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, qui neophytus eſt: maxime cum & magiſter gentium beatus Apoſtolus ne hoc fieret denuntiaſſe, & prohibuiſſe videatur: ſed hi, quorum per longum tempus examinata ſit vita, & merita fuerint comprobata. Contuemini ergo & futura, immo urgentia mala conſpicite: medici eſtis, imminentes morbos per præcedentia ſigna prævidete: epiſcopi eſtis, exurgens in eccleſiam Chriſti horrendum exitium proſpicite: ſpeculatores eſtis, in altam mentis arcem conſcendite, & in gregem dominicum feram peſſimam irruere cupientem a longe contemplamini: quaſi tuba exaltate vocem veſtram, & annuntiate populo Dei ſcelera eorum: *ſuper montem excelſum* (id eſt, ad altitudinem virtutum) *aſcendite, qui evangelizatis Sion: ſtate in fortitudine, poteſtatibus hujus ſæculi ex adverſo aſcendite, & murum pro domo Dei apponite*, & quibuslibet poteſtatibus inique agentibus contraite: Sicque fiet, ut nec, ſicut canes muti, de taciturnitate argui valeatis, nec de talenti occultatione diſtrictam Domino rationem reddere compellamini. Voſque ipſos, & conſacerdotes noſtros, immo eccleſiam Chriſti illis in partibus conſtitutam ab ingenti pernicie, ac noxia labe ipſo jubente laudabiliter eruatis, mirabiliterque regatis.

Sardic concilium c. 13

1. Tim. 3.

Iſa. 58. Iſa. 40

Hanc autem epiſtolam, quam per ſuperius memoratum Michaelem protoſpatharium glorioſo Auguſto Michaeli direximus, idcirco pridem ſanctitati, ſeu unanimi dilectioni veſtræ cum aliis ſcriptis non miſimus, quia & fratres per quos illa deſtinata ſunt, ſe dimitti vehementiſſime poſtulabant, & nos ad multa eccleſiaſticorum negotiorum extenti, hanc tam concite, ſicut volebamus, ſollemniter ordinatam præ manibus, cum dimitterentur, minime poteramus habere.

VIII. AD MICHAELEM IMPERATOREM.

Reprehendit imperatorem, qui ſuperbia & arrogantia inflatus multa inſolentia ſcripſerat. Deinde oſtendit depoſitionem Ignatii nullius eſſe momenti, quoniam a ſuſpectis, excommunicatis & inferioribus epiſcopis fuerat damnatus. Præterea commemorat multa de privilegiis Romanæ eccleſiæ, jubet ad ſe venire Ignatium & Photium, aut eorum legatos, ſi ipſi non poſſunt. Monet imperatorem, ut ſuis præceptis obtemperet: eum objur-

objurgat quod Ignatium in concilio deponi curaverit, primusque illius depositioni subtripserit.

*Nicolaus episcopus servus servorum Dei, piissimo & dilectissimo filio * imperatori gentium, atque tranquillissimo imperatori Michaeli a Deo protecto semper Augusto.*

* Edit. Rom. *superatori.*

PRoposueramus quidem, antequam Michael glorioſus protospatharius legatus vester Romam veniens epistolam nobis claritatis vestræ detulisset, talia vobis scripta per missos nostros, quæ jam & * *gratissimus.* parata erant, transmittere, qualia * gravissimus filius a diligente patre ac Dei cultore, imperatores a sedis apostolicæ præsulibus soliti erant suscipere. At vero præfato viro perveniente, epistolamque nobis vestræ gloriæ, quæ tota blasphemiis, *Thren. 5.* tota erat injuriis plena, porrigente, mutata est in luctum cithara nostra, & organum nostrum in *Isa. 5.* vocem flentium. Quoniam expectavimus tamquam de bona vite uvas, suscepimus autem labruscas: ideoque mutavimus stylum, & ostenso vulneri congrua prævidimus adhibere medicamenta. Igitur ad potentiam vestram inspirante Domino scripturi, nostræque menti affectus industriæ vestræ referaturi, nec non & pro sancta ecclesia catholica & apostolica (cujus nos præcipue cura, & quotidiana secundum apostolum sollicitudo constringit) apud vos interventuri, & epistolæ vestræ assertionibus (prout Dominus posse & nosse dederit) responsuri, nihil opportunius, nihil aptius, nihil profecto salubrius arbitramur (licet vos a conviciis inchoassetis) quam præ omnibus flagitare suppliciter eum, per quem reges regnant, & legum conditores justa decernunt, & in cujus manu corda sunt regum, & ex quo regnat omnis qui pie regnat; & imperat omnis, qui eidem Regi regum & Domino dominantium non repugnat, Dominum videlicet nostrum Jesum Christum, cui omnis rationabilis creatura ministrat: nimirum cui & intensibiles venti, & mare imperanti obediunt, quatenus & labia nostra ad annuntiandum laudem suam aperiens, dilatatum quoque os nostrum pastu doctrinæ salutaris adimpleat, & quæ per nostri apostolatus officium auribus vestris exterius dicimus; per se quoque nutu suæ aspirationis in- *2. Cor. 3.* terius mentibus vestris aspiret. Quia incassum terra cordis vomere nostræ linguæ proscinditur, nisi cælestis roris aspersione intrinsecus infundatur. *Psal. 95.* Deus est enim, qui incrementum dat, & qui docet hominem scientiam.

Putas, imperator, non bene facimus? quod vos ab injuriis scribentes inchoaveritis; nos ab orationibus: vos a conviciis in nos, immo contra primam & magistram ecclesiarum omnium loquentes exordium feceritis; nos in laudibus, & in nomine Domini ad potentiam vestram sermonem habituri os aperuerimus? *1. Reg. 17.* Videmus enim gigantem allophylum contra puerum sanctum, & citharœdum nostrum David furore plenum, & blasphemias eructantem primo impetu populo Dei terrorem non modicum intulisse. Sed exspecta paululum, & ecce videbis illum in nomine Domini percussum, & jam a dicto hymnidico & laudes & psalmos, ac orationes Domini majestati humiliter effundente, gladio suo prostratum. Et quidem nos injurias nobis specialiter irrogatas, & maxime pro justitia laborantibus, & a justitiæ impugnatoribus ingestas, libenter ferimus. Discipuli enim sumus *1. Pet. 2.* illius, de quo apostolorum princeps ait: *Qui cum malediceretur, non maledicebat: & cum pateretur, non comminabatur.* De talibus enim veritas loquitur: *Matth. 10.* *Si patrem familias Beelzebuth vocaverunt: quanto magis domesticos ejus?* Et rursus eos, qui propter nomen illius persecutionem, & maledicta toleraturi erant, beatos esse pronuntiat, dicens: *Matth.* *Beati estis cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversus vos mentientes propter me.* Ubi ergo, teste conscientia, Deus in causa est, ibi omnino beatitudo speranda: & ubi mendacium sævit, ibi convicia nulla timenda. Sicut ergo nos propter Deum etiam a non vera dicentibus injurias nobis illatas æquanimiter ferimus; ita quoque oportet pietatem vestram sacerdotibus, qualescumque sint, propter eum cui deserviunt, reverentiam potius, quam injurias exhibere. Sed de his jam cum sancto papa vobis loquamur Gregorio: Nam in divinis eloquiis sacerdotes aliquando dii, aliquando angeli vocantur. Nam & per Mosem de eo, qui ad juramentum deducendus est, dicitur: *Applica illum* *Exod.* *ad deos*, videlicet ad sacerdotes. Et rursum scriptum est: *Diis non detrahes*, scilicet sacerdotibus. Et propheta ait: *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia angelus* *Malach.* *Domini exercituum est.*

Sacerdoti honor impendus.

Beati Gregorii ep lii ep. 31.

Ibidem.

Quid ergo mirum, si illos imperialis pietas honoret, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut angelos, aut deos ipse etiam appellat Deus? Ecclesiastica quoque testatur historia, quia cum piæ memoriæ Constantino principi scripto oblatæ accusationes contra episcopos fuissent, libellos quidem accepit, & eosdem, qui accusati fuerant, episcopos convocans, in eorum conspectu libellos, quos acceperat, incendit dicens: Vos dii estis, a vero Deo constituti; ite, & inter vos causas vestras deponite; quia dignum non est, ut nos judicemus deos. In qua sententia sibi magis ex humilitate, quam illis aliquid præstitit ex reverentia impensa. Ante eum quippe pagani in republica principes fuerant, qui verum Deum nescientes, deos ligneos & lapideos colebant, & tamen eorum sacerdotibus honorem maximum tribuebant. Quid igitur mirum, si Christianus imperator veri Dei sacerdotes honoret, dum pagani, ut prædiximus, principes honorem impendere sacerdotibus noverunt, qui diis ligneis & lapideis serviebant? Hæc ergo non tantum specialiter, quantum generaliter pro omnibus asserimus sacerdotibus: quoniam adhuc nescimus, quis in terribili Dei judicio qualis futurus sit. Etenim Paulus egregius prædicator dicit: *Nolite judicare ante* *1. Cor. 2.* *tempus, donec veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Hoc tamen breviter dicimus, quia, licet peccatores & indigni, plus tamen de venturi Domini misericordia, quam de vestra pietate præsumimus. Nam sunt multa, quæ de judicio illius homines ignorant: quia fortasse quę vos laudatis, ille reprehendet, & quę vos reprehenditis, ille laudabit. Non ergo quales sint sacerdotes Domini, sed quid de Domino loquantur, est vobis magnopere prævidendum. Nec in vicariis beati Petri apostoli vobis est attendendum, qui sint, sed quid pro correctione ecclesiarum, quid pro salute vestra satagant. Neque enim illos inferiores dicetis scribis & Pharisęis sedentibus super cathedram Moysi: de quibus Dominus præcepit, dicens: *Quæcumque* *Matth.* *dixerint vobis facite & observate: secundum opera vero eorum nolite facere.* Ergo imperator considera, si illos dixit audiendos, qui super cathedram Moysi sedebant, quanto potius his, qui super cathedram Petri residet, esse existimetis obaudiendum? Et si illorum non opera, sed dicta facere & observare jubet; quanto potius horum, quicumque sint ipsi, dicta & monita custodienda sunt, & amplectenda? Quid autem nos mali * volumus, quia frustra indignamini? & contra evangelium quod

Constant. in epist. noluit se judicium

Non facta sed dicta cerdotum tendenda

* Forte, *lumus? Quid fruſ. &c.* H.

quod dicit: *Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis*, nos levitatis nomine lacessendos opinamini: vobis nihil, nisi quod est salubre: nihil nisi quod sit Deo acceptum, offerre studentes? Scimus tamen nos a phreneticis, quos portamus, & sputa perpeti, & colaphis cædi, & eis quod ad salutem pertinet nihilo minus exhibere. Nam & in eorum loco per abundantiam gratiæ Dei sedemus, qui propter veritatem laborantes, a Constantinopolitanis sæpe talia pertulerunt, qualia nunc nos ferre dignoscimur, quę sufficienter (ubi opportunitas exegerit) ostendemus in subditis: neque enim fas esse judicamus, ut ad imitationem inferiorum * tales nos finamus credi, quales a vobis cernimus prædicari. Exemplum sequentes Salvatoris, qui cum a Judæis, *dæmonium habes*, audiret, hoc humiliter dicens: *Ego dæmonium non habeo*, refutavit. Ita quoque nos, cum de nobis, quę vera non sunt, audimus, veraci ac rationabili responsione a nobis illa removere satagimus.

Verumtamen quæ ad ecclesiæ Romanæ injuriam, quæ ad ipsius privilegiorum imminutionem, quæ ad sedis apostolicæ præsulum derogationem scripsistis, quanta possumus constantia retundemus, & nullis terroribus, nec ullis detractionibus vestris repressi, quanta possumus virtute destruere, utpote veritatis inimica, studebimus. Dixistis enim, quod nullus antecessorum nostrorum a sexta synodo meruerit a vobis, quod nos meruisse dignoscimur: quid tamen meruerimus evidenter nullatenus indicastis, nisi forte litteras prædicatorias hoc dicto velitis intelligi nos a vobis nunc tantum meruisse suscipere, a sexta synodo propter aliquod dogma, vel disciplinam quamlibet ecclesiasticam. Et hoc dicitis quasi nostrum fuerit opprobrium, eo quod sedem apostolicam in nullo quærere antecessores vestri dignati fuerint, cum magis eorum fuerit dedecus: quia per tot annorum curricula diversarum hæreseon morbis languentes medicinale remedium non quæsierint: quin potius medicinam sponte a nobis sibi porrectam quasi desperati, vel quasi cor impœnitens gerentes, ab ipsis faucibus projecerint; dum tantæ salutis oblatæ ministros duplici modo interemerint: quoniam aut participes illos sui erroris effectos spiritaliter occiderunt, sicut tempore reverendæ memoriæ Cononis papæ contigit, qui post sextam synodum extitit: aut certe corporaliter illos non consentientes sibi necaverunt, sicuti sub venerabili papa Gregorio factum est, qui post sextam synodum fuit, quando pro zelo fidei, & sanctarum imaginum reverentia religiosi viri, ac Dei famuli directi in exilium missi sunt, & bona confessione hujus mundi finierunt vitam.

Denique a sexta synodo imperatores, aut hæretici, aut, licet perpauci, catholici; fuerunt & hæretici quidem, si mittere ad nos dedignati sunt, non est mirum: noverant enim per gratiam Dei se nos numquam penitus sibi sociaturos. Fuit autem quando nos sibi sæpe sociari tentantes cum magno sunt dedecore & opprobrio repulsi, & digna constantia a nobis, & non a Constantinopolitana ecclesia crebro retusi. Quando vero catholici fuerunt, & pium dogma, vel ecclesiasticam correctionem defendere voluerunt, nostrum præsidium quæsierunt, sicut synodus sub Constantino & Irene facta indicat: in cujus initio, id est in epistola beatæ memoriæ præsulis Hadriani, quantum idem pontifex illam præsumptionem, qua ex laicis quidam subite tonsurantur, & in episcoporum numerum exacervate prosiliunt, damnaverit, si diligenter inquisieritis, profecto invenietis, si tamen non falsata Græcorum more, sed sicut a sede missa est apostolica penes ecclesiam Constantinopolitanam hactenus perseverat, & epistolæ diversæ sanctissimis pontificibus Leoni scilicet & Benedicto decessoribus nostris missæ testantur. Ergo cum ita sint hæc, quæ de multis partim commemoravimus, non jam verum est illud, quod dicitur, a sexta synodo * non * meruisse suscipere quod nunc a vobis ipsi meruimus.

Præterea scripsistis jussisse vos quosdam, qui sub nobis existunt mitti ad vos, quod longe est a piorum imperatorum affectu, quorum sicut locum tenetis, utinam ita & pietatem sectemini, quod longe inquam est a principibus sedis apostolicæ reverentiam observantibus. Non quippe hoc dixit Honorius, qui reverendo præsuli Bonifacio scribit, dicens: Petimus uti quotidianis orationibus apostolatus tuus, studium, ac votum suum circa salutem, atque imperium nostrum dignetur impendere. Non, inquam, hoc dixit Valentiniani, & Marciani pia dualitas ad beatum papam Leonem scribens: Et tuam, inquiens, sanctitatem principatum in episcopatu divinæ fidei possidentem sacris litteris in principio justum credidimus alloquendam, invitantes, atque rogantes, ut pro firmitate & statu nostri imperii æternam divinitatem tua sanctitas deprecetur. Non hoc dixit Justinianus, qui dicit sancto papæ Joanni, etiam promulgatis legibus id interserens. Petimus vestrum paternum affectum, ut vestris ad nos destinatis litteris, manifestum nobis faciatis, quod omnes qui prædicta recte confitentur, suscipit vestra sanctitas, & eos qui Judaice ausi sunt rectam denegare fidem, condemnat. Et rursus: Petimus, inquit, vestram beatitudinem orare pro nobis, & Dei nobis acquirere providentiam. Non hoc dicit Constantinus, qui Dono papæ scribens etiam jurando benignitatem, & honorem circa sedem exhibet apostolicam in his verbis: Per Deum, inquiens, omnipotentem, non est apud nos partis cujuslibet favor, sed æqualitatem utrisque partibus conservabimus, nullatenus necessitatem facientes in quocumque capitulo eis, qui a vobis diriguntur quoquomodo, sed & omni honore cum competenti munificentia, & susceptione dignos eos habebimus: & si quidem utrimque convenerint, ecce bene: sin autem minime convenerint, itedrum cum omni humanitate eos ad vos dirigemus. Et post pauca. Invitare enim & rogare possumus ad omnem emendationem, & unitatem omnium Christianorum, necessitatem vero inferre nullatenus volumus. Non hoc alius Constantinus, & Irene Augusti dicunt, qui ad Hadrianum papam scribentes, ajunt; Rogamus vestram paternam beatitudinem, magis quidem Dominus Deus rogat, qui vult omnes salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, ut det seipsam, & nullam tarditatem faciat, & ascendat huc. Et paullo post: Si non potuerit, inquiunt, ascendere huc, eligat viros pretiosissimos, & dirigat una cum syllabis, &c. O imperator saltem nunc non agnoscitis quam a priorum imperatorum pietate in hac re differatis, & quam vos vestra ab eorum discrepet divinitus inspirata modestia? Illi quippe, Petimus, Invitamus, ac Rogamus, ecce sparsim ad sedis apostolicæ præsules, sed pari pietate clamant. Vos autem quasi non mansuetudinis & reverentiæ, sed solius imperii eorum hæredes effecti, & in causa pietatis illos imitari nolentes præcepisse, jussisse, ac imperasse vos, ut quosdam subjectorum nostrorum ad vos mitteremus, asseritis: & hoc ipsum vos quidem egisse nescimus, cujus instigationibus fascinati, & oblivioni traditi dicitis: porro factum a vobis nulla recordatione recolimus; nusquam enim nobis tale quid jussisse vos (ni fallimur) hactenus reminiscimur, nusquam vos

ad

* Forte, nos H.

* addit. nos. Priscorum imperatorum erga Romanos pontifices observantia.

Honorius in epist ad Bonifacium I.

Est in Concil Chalced. sub initium.

L. Nos reddentes. Cod. de sum. Trin.

1. *Tim.* 2.

ad tantam circa sedem beati Petri apostolorum principis irreverentiam deveniſſe cognovimus. Revolventes enim epiſtolam, quam tunc per venerabiles epiſcopos & Arſam virum glorioſum ſpatharium miſeratis, nil juſſiſſe vos nobis, ſed potius obſecraſſe, atque rogaſſe nos omnino reperimus. In quo datur intelligi, cum nunc aliter perhibeatis, aut vos oblitos eorum fuiſſe, quæ antea miſeratis, aut certe pœnituiſſe pro his, quæ humiliter petiveratis. In tantam vero furoris abundantiam prorupiſtis, ut linguæ Latinæ injuriam irrogaretis, hanc in epiſtola veſtra barbaram, & Scythicam appellantes ad injuriam ejus qui fecit eam: omnis enim operis derogatio ad opificis redundat injuriam. O furorem, qui nec linguæ novit parcere, quam Deus fecit, & quæ inter ceteras in nomine Domini hortante apoſtolo, *confitetur, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris*. Et quæ cum Hebræa, atque Græca in titulo Domini a reliquis diſcreta, inſignem principatum tenens omnibus nationibus prædicat Jeſum Nazarenum regem Judæorum: quem titulum multi Judæorum corrumpere voluerunt, ſicut vos nunc hujus celeberrimæ linguæ tentatis inſigne deſtruere, ſed minime potuerunt; ſcriptum quippe divinitus in libro pſalmorum fuerat: Ne corrumpas tituli inſcriptionem, vel quia Chriſtiani ſunt, quorum linguam barbaram, vel Scythicam appellatis, gloriam veſtram, quare non pudeat, obſtupeſcimus. Cum enim barbari omnes & Scythæ, ut inſenſata animalia vivant, Deum verum neſciant, ligna autem & lapides adorent, in eo ipſo quo verum Deum colit lingua Latina, quantum barbaram, vel Scythicam linguam antecedat, agnoſcitur. Jam vero ſi ideo linguam barbaram dicitis, quoniam illam non intelligitis, vos conſiderate quia ridiculum eſt vos appellari Romanorum imperatores, & tamen linguam non noſſe Romanam.

Philipp. 2.

Joan 19.

Pſal. 56. 57. & 58.

Ad extremum autem, ſi jam ſæpe nominatam linguam ideo barbaram nuncupatis, quoniam a translatoribus in Græcam dictionem mutata, barbariſmos generat; non linguæ Latinæ, ſed culpa eſt, ut opinamur, interpretum, qui quando neceſſe eſt non ſenſum e ſenſu, ſed violenter verbum edere conantur e verbo. Ecce enim in principio epiſtolæ veſtræ imperatorem vos nuncupaſtis Romanorum, & tamen Romanam linguam barbaram appellare non veremini. Ecce quotidie, immo vero in præcipuis feſtivitatibus inter Græcam linguam veluti quiddam pretioſum hanc, quam barbaram & Scythicam linguam appellatis, miſcentes, quaſi minus decori veſtro facitis, ſi hac etiam non bene, ac ex toto intellectu in veſtris obſequiis, ac officiis non utamini. Quieſcite igitur vos nuncupare Romanos imperatores; quoniam ſecundum veſtram ſententiam barbari ſunt, quorum vos imperatores eſſe aſſeritis.

Uſus linguæ Latinæ apud Græcos.

Romani quippe hac lingua, quam barbaram vos & Scythicam vocatis, utuntur. Quieſcite jam utpote tantæ deteſtationis dictionem in veſtro palatio memorare, & adhuc ſi pleniter illam execramini, etiam ab eccleſiis veſtris removere ſatagite.

In Conſtantinopolitana eccleſia Latine primum ep. & evangelium in ſtationibus legebatur.

Iſtius enim dictione linguæ Conſtantinopolitana eccleſia lectionem apoſtolicam & evangelicam in ſtationibus fertur primitus recitare: ſicque demum Græco ſermone propter Græcos utique ipſas lectiones pronuntiare: ſed quia tantum hæc impietas eccleſiæ Conſtantinopolitanæ hactenus defuiſſe putatur, ut tota ibidem nequitia ſuppleatur: hoc reſtat a vobis ſolummodo perficiendum. Verum de hoc nos reſpondiſſe ſufficiat, non tam injuriam linguæ defendere procurantes, quam mutatæ mentis veſtræ inconſtantiam exaggerantes.

Ceterum dicitis non ideo ad nos miſiſſe vos, ut ſecundum judicium Ignatius ſuſtineret, ad quod veraciter reſpondemus: ideo vos miſiſſe procul dubio, quia poſterior hoc probat eventus. Niſi enim voluiſſetis, nec id fieri ſineretis. Immo nos, ut verius dicatur, non ideo miſimus, ut interim quodlibet Ignatius frater & coepiſcopus noſter ſubiret judicium, ſed ut cauſſa illius diligenter inveſtigata, & ad liquidum reperta, juxta illud beati Job dicentis; *Cauſſam quam neſciebam, diligentiſſime inveſtigabam*, plena nobis ac incunctanti relatione pateſceret: ſicque demum juxta ſacros canones miſſorum noſtrorum relationibus certificati, ſi decerneremus mittendos eſſe qui præſentes cum epiſcopis judicarent habentes noſtram auctoritatem, a quo deſtinarentur, eſſet in noſtro arbitrio; ſi vero crediderimus epiſcopos ſufficere, ut negotio terminum imponerent, faceremus quod ſapientiſſimo judicio judicaremus? Si autem Ignatius, ut fertis, jam judicatus erat, quamobrem illum ſecundo judicio * voluiſtis contra illud quod ſcriptum eſt: *Non judicabit bis in id ipſum?* Sed in hoc manifeſte datur intelligi, non vos bonam conſcientiam geſſiſſe, quando iterato illum ad tribunalia * concilii pertraxiſtis: ſed quaſi non perfecte, neque legitime depoſitum * præſentia miſſorum noſtrorum, tamquam majoris auctoritatis exiſtentium damnatione ſubjicere contendiſtis: Dicentes vero quod ſynodice fuerit condemnatus, fortaſſe quia non addidiſtis canonice divinitus actum eſt. Congregatio enim malignantium, non canon juſte judicantium illum damnationi ſubegerat, immo vero afflictioni & tribulationi ſubdiderat.

Joh. 2.

Etenim illi, qui tunc convenerunt contra jam dictum venerabilem virum, aut ſuſpecti, & ab heri & nudiuſtertius inimici ejus erant, aut excommunicati, aut depoſiti, aut ſubjecti ipſius, aut certe inferioris dignitatis extiterunt. Quorum omnium nullus perſonam legitimorum judicum habere ſine dubio poterat, vel accuſatorum in omnibus dumtaxat negotiis: quæ ſigillatim Deo docente, ac ſummatim omnia ita ſe habere monſtrare conabimur.

Igitur quia ſuſpecti, & inimici judices eſſe non debeant, & ipſa ratio dictat, & plurimis probatur exemplis. Nam quid gratius & amabilius dare quis inimico poteſt, quam ſi ei ad impetendum commiſerit, quem lædere forte voluerit? Quod provide Conſtantinopolitana ſynodus canonum ſuorum ſexto dignoſcitur prohibere capitulo, quod tamen non apud nos inventum, ſed apud vos haberi perhibetur. Verum novimus nos apoſtolicis imbuti documentis, etiam ſententiis uti paganorum, quanto magis Chriſtianorum, atque catholicorum? & contra ipſos quorum nec vitam ſequimur, nec mentem erroneam imitamur? Denique apoſtolus Paulus de libris paganorum aliqua in ſuis ſcriptis poſuit, ut eſt illud ad Titum; *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri, cupidi*. Et iterum in Actibus apoſtolorum de Deo ait: *In quo vivimus, movemur, & ſumus*: numquid ideo etiam cuncta recipienda ſunt, quæ cum his pariter ſunt prolata? Ait autem prædictus canon; Quoniam multi eccleſiaſticum ordinem confundere, ac ſubvertere volentes amore inimicitiæ, & calumnioſe cauſſas quaſdam contra diſpenſatores eccleſiarum orthodoxos epiſcopos confingunt, nihil aliud quam fœdare ſacerdotum exiſtimationes, & turbationes peccatorum populorum conficere conantes: propter quod placuit ſanctæ ſynodo epiſcoporum, qui Conſtantinopolim concurrerunt, ne ſine diſcuſſione admittantur accuſatores, nec omnibus præcipiatur accuſationes facere contra diſpenſatores eccleſiarum.

Tit. 1.

Act. 17.

Ve-

Veniamus ergo & ad ſanctam Chalcedonenſem ſynodum, & quid nobis de Athanaſio Parrhenorum epiſcopo referat, audiamus. Is enim antiſtes tertio evocatus ad ſynodum, quia non occurrit, a patriarcha ſuo canonice condemnatus extiterat: ſed ſolum quia cum vocaretur ad ſynodum, quod ſuus inimicus eſſet ipſe, qui judicabat, clamavit: a ſancta Chalcedonenſi ſynodo ad cauſſas illatas ſibi examinandas reſervatur, & niſi denuo convincatur, recipere eccleſiam propriam judicatur. Quod ſi Athanaſius a patriarcha ſuo depoſitus, quia de inimicitia ipſius conqueſtus eſt, iterato ad judicium renovandum dirigitur, & niſi manifeſta ſibi officiant crimina, ſuæ reddi eccleſiæ præcipitur: quanto magis Ignatius, qui non a patriarcha, ſed ipſe potius exiſtens patriarcha minime debuit eccleſia propria inimicis & ſuſpectis judicibus decernentibus exſpoliari? Quod quamvis factum ſit, multo magis quam Athanaſius inimicorum ſoluto judicio, ſua oportuerat ab eccleſia recipi.

Veniat & facundiſſimus noſter papa Gelaſius, hæreticorum expugnator fortiſſimus, & quod de Conſtantinopolitanis more ſolito tunc ægrotantibus dixit, etiam nobis ediſſerat; Quæro, inquit, tamen ab his judicium, quod prætendunt, ubinam poſſit agitari, an apud ipſos, ut iidem ſint inimici teſtes & judices? Sed & tali judicio nec humana debent committi negotia: quod ſi judicio ubi iidem ſunt inimici qui judices, nec humana debent committi judicia; quanto minus divina, id eſt, eccleſiaſtica? Qui ſapiens eſt intelligat. Et re vera hinc Juſtinianus imperator pius legibus ſuis promulgaſſe dignoſcitur, (*L. Apertiſſime, Cod. de jud.*) dicens: Licet ei, qui ſuſpectum judicem putat, antequam lis inchoetur, eum recuſare, ut ad alium recurratur. Nam quodammodo naturale eſt ſuſpectorum judicum inſidias declinare, & inimicorum judicium ſemper velle refugere. Hinc ſanctus Athanaſius inimicorum ſæpe declinavit inſidias: hinc ſanctus Joannes os aureum concilii contra ſe congregati renuit intrare collegium. Quinimmo hinc pſalmiſta David, & Elias eximius prophetarum Saulis vel Achab refugiunt prorſus inſaniam.

Quod autem hi, qui a jam fato fratre & comminiſtro noſtro Ignatio depoſiti, excommunicati, vel anathematizati fuerant, nullam adverſus eum intorquere damnationem potuerint, ex prolato ſecundæ univerſalis ſynodi capitulo declaratur, cum dicitur; Si vero eccleſiaſticum fuerit crimen, quod epiſcopo illatum extiterit, tunc probari oportet accuſantium perſonas, ut primo quidem hæreticis non liceat accuſationes contra orthodoxos epiſcopos pro eccleſiaſticis negotiis facere. Sed ne hos hæreticos eſſe denegetis, audite ſequentia: Hæreticos autem, inquiunt, dicimus tam eos, qui olim ab eccleſia projecti ſunt, quam qui poſt hæc a nobis anathematizati ſunt. Porro ſi adhuc nec ſic creditis, audite quod ſubditur: Præter hos autem, ajunt, & eos qui fidem quidem ſanam ſimulant confiteri. Schiſmaticos etiam, & eos qui ſeorſum a communicantibus nobis epiſcopis collectas faciunt. Deinde vero, & ſi quidam ab eccleſia ſuper cauſſis quibuſdam reprehenſi fuerunt, & projecti aut excommunicati ſive ex clero, ſive ex laicali ordine, nec his licere accuſare epiſcopum, antequam proprio crimine primitus exuantur.

Similiter autem & eos, qui ſub accuſatione priori conſiſtunt, non ante eſſe acceptabiles in accuſationem epiſcopi, aut aliorum clericorum, quam innoxios ſemetipſos illatorum ſibi oſtenderint criminum.

Quid autem periculi regulæ hujus immineat contemptoribus, non ignoratis. Præterea quis de conſidentibus ibidem non de prædictis extitit hæreticis, atque ſchiſmaticis? nonne Gregorius Syracuſanus millies condemnatus? nonne Eulampius, Petrus, item Petrus, qui pro nefandis actibus ſuis & ore confeſſis depoſitionem, deinde anathema inciderunt? & alii quos enarrare longiſſimum eſt. Ecce quales inter ceteros erant, qui contra præfatam regulam centum quinquaginta patrum, os contra venerandum patrem ſuum aperire non ſunt reveriti. Et cum eſſent ligati, ligare; & cum eſſent mortui, & in ſuis penetralibus jam fœtidi, virum per totum mundum redolentem mortificare conati ſunt, & malæ opinionis nidoribus aſpergere tentaverunt.

Sed iterum videte Romanæ ſedis pontificem a vobis quidem derogatum, ſed a totius Chriſtianitatis unanimitate veneratum, & magnæ ſynodi Epheſinæ præſulem Cæleſtinum, quid cenſeat de his, qui depoſiti & excommunicati a Neſtorio fuerant, poſtquam depoſitus coram oculis ſummi arbitri jam eſſe credebatur. Et multo magis hoc de fratre & conſacerdote noſtro Ignatio eſſe cenſendum arbitramini, qui non a prælato quolibet ſicut iſti, ſed a ſe dejectis talia pertulit. Ait enim epiſcopis orientalibus ſcribens: Si quis vero aut ab epiſcopo Neſtorio, aut ab aliis, qui eum ſequuntur, ex quo talia prædicare cœperunt, vel excommunicatus, vel exutus eſt, ſeu antiſtitis, ſeu clerici dignitate; hunc in noſtra communione & duraſſe & durare manifeſtum eſt. Nec judicamus eum remotum: quia non poterat quemquam ejus removere ſententia, qui ſe jam præbuerat ipſe removendum. Item idem ad clerum Conſtantinopolitanum aperte inquit: Sedis noſtræ ſanxit auctoritas, nullum ſive epiſcopum, ſive clericum, ſeu profeſſione aliqua Chriſtianum, qui a Neſtorio, vel ejus ſimilibus, ex quo talia prædicare cœperunt, vel loco ſuo, vel communione dejecti ſunt, vel dejectum, vel excommunicatum videri: ſed hi omnes in noſtra communione & fuerunt, & hucuſque perdurant: quia neminem vel dejicere, vel removere poterat, qui prædicans talia titubabat.

Cæleſtinus in ep. 6.

Cæleſtinus ep. 4.

Intellexiſtiſne imperator ex ſuperius memoratis non potuiſſe, ut non dicamus prælatum ſuum, ſaltem quemlibet removere, qui fuerant olim ipſi remoti, nec dejicere quemquam jam ante proſtrati? Ad infirmandam quoque ſententiam damnatorum, etiam illud valere credimus, quod ſancta ſynodus ad præfatum papam, quæ apud ſe geſta ſunt, referens, pro Joannis Antiocheni amputanda antiſtitis exaggerata præſumptione, quoſdam eorum, qui contra ſanctum Cyrillum & Memnonem latrabant, ſine civitatibus vacantes autem, & eccleſias non habentes: alios vero ante multos annos pro acerbis cauſſis depoſitos a ſuis metropolitis, inter alios plurimos fuiſſe ſuggeſſit. Quibus per omnia veſtrates, ut ita dicamus, depoſitores Ignatii comparari plurima ex parte non immerito poſſunt: ibi namque & ſine ſedibus, & vagi, atque pro ſuis acerbis facinoribus a propriis metropolitis inventi ſunt epiſcopatu privati. Ibi etiam communione extorres, & anathematis damnationis conſortes fuiſſe probantur. Unde miramur, quomodo excommunicati ad judicandum recepti ſint, cum ſecundum apoſtolicos canones ſine commendatitiis literis in communione ſola recipi prohibeantur. Abſurdum etenim eſt, ut cui non licet etiam cum minimis juxta ſacras regulas communicare, liceat penes vos etiam de majoribus judicare.

Conc. Epheſ. in ep. ad Cæleſtinum.

Conc. Carth. III. c. 11.

Sed jam de hoc pleniſſime Deo auxiliante dicamus: & quod a ſubjectis ſuis prælatus non debeat ſui diſpendium perpeti, aut calumniis impeti

Epiſcopus a ſubditis ſuis judicari non debet.

demonstremus: Quod quia Ignatius frater & coepiscopus noster inique pertulit, omni lamentatione plorandum est: & certe patres a filiis honorari non solum divinis, verum etiam humanis legibus præcipiuntur. Et si hoc carnales, quanto potius spiritales digna penitus a filiis debent veneratione potiri? Quanto enim spiritus carnem præcellit, tanto magis ea quæ sunt spiritualia carnalibus oportet omnibus anteponi.

Exod. 20.

Verum si hoc Ignatii subditi dedignati sunt attendere, saltem scelus Judæorum in Christum patratum perhorruissent committere: nec acuerent linguas suas adversus patrem, ac magistrum suum ipsi, sicut serpentes, nec esset gladius in labiis eorum, nec fierent dentes eorum arma, & sagitta, & lingua eorum machæra acuta, formidantes scilicet ne de se Salomon sapientissimus dixisse videretur: *Generatio quæ patri suo maledicit.* Et rursus: *Generatio quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus suis.* Et iterum: *Oculum, qui subsannat patrem, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant illum filii aquilæ.* Denique * si Cham videns patris verenda risit potius, quam (ut ceteri) cooperuit, maledictionem in filio percepisse legitur: quanto potius hi, qui verecundiam patris non solum (si quælibet fuit) minime cooperuerunt, sed & riserunt, & falso ad subsannationem sui moris homines provocaverunt: atque (quod est deterius) patenter contra ipsum de pharetra iniquitatis suæ sagittam judicii produxerunt? Non sic e contra filii sobrii, non sic, sed aversi operuerunt. Quod moraliter egregius doctor papa Gregorius interpretatus ait: Aversari dicimus quod reprobamus. Quid est ergo, quod filii verenda patris superjecto dorsis pallio aversi venientes operiunt, nisi quod bonis subditis sic præpositorum suorum mala displicent, ut tamen hæc ab aliis occultent? Operimentum aversi deferunt, quia dijudicantes factum, & venerantes magisterium, nolunt videri quod regunt.

Prov. 30.

Ibidem.

Gen. 9.

* Forte, *si suis Cham.* H.

Lib. 15. Moral c. 22. Subditi præpositorum vitia occultare, non probare debent.

Sed hæc dicentes, nolite nos æstimare cujuscumque proximorum nostrorum, quæ sunt digna reprehensione velle defendere: sed quod ita velim filios circa spiritalem patrem, & discipulos erga magistrum devotos ac sobrios esse ut nulla penitus temeritate ad eorum vitam, ut non dicamus, dijudicandam, sed nec saltem tenuiter reprehendendam prosiliant. Quoniam docente præfato papa in libro regulæ pastoralis: Admonendi sunt subditi, ne præpositorum suorum vitam temere judicent, si quid eos fortasse agere reprehensibiliter videant, ne unde recte mala redarguunt, inde per elationis impulsum in profundiora mergantur. Admonendi sunt, ne cum culpas præpositorum considerant, contra eos audaciores fiant: sed sic quæ valde sunt eorum prava, apud semetipsos dijudicent, ut tamen divino timore constricti ferre sub eis jugum reverentiæ non recusent.

Lib. 3. Pastor. cap. 5.

Quod melius ostendimus, si David factum ad medium deducamus. Saul quippe persecutor cum ad purgandum ventrem speluncam fuisset ingressus, illic cum viris suis David inerat, qui jam tam longo tempore persecutionis ejus mala tolerabat; cumque eum viri sui ad feriendum Saul incenderent, fregit eos reprehensionibus, quia manum mittere in christum domini non deberet. Qui tamen occulte surrexit, & oram chlamydis ejus abscidit. Quid enim per Saul nisi mali rectores, Quid per David nisi boni subditi designantur? Saul igitur ventrem purgare, est pravos præpositos conceptam in corde malitiam usque ad opera miseri odoris extendere, & cogitata apud se noxia factis exterioribus exequendo monstrare. Quem tamen David ferire metuit: quia piæ subditorum mentes ab omni se peste obtrectationis abstinentes præpositorum vitam nullo linguæ gladio percutiunt, etiam cum de imperfectione reprehendunt. Qui & si quando pro infirmitate sese abstinere vix possunt, ut extrema quædam atque exteriora mala præpositorum, sed tamen humiliter loquantur, quasi oram chlamydis silenter incidunt: quia videlicet dum prælatæ dignitati saltem innoxie & latenter derogant, quasi regis superpositi vestem fœdant: sed tamen ad semetipsos redeunt, seque vehementissime vel de tenuissima verbi laceratione reprehendunt. Unde bene & illic scriptum est: *Post hæc David percussit cor suum, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul.* Facta quippe præpositorum oris gladio ferienda non sunt, etiam cum recte reprehendenda judicantur. Si quando vero contra eos, vel in minimis lingua labitur, necesse est, ut per afflictionem pœnitentiæ cor prematur, quatenus ad semetipsum redeat, & cum præpositæ potestati deliquerit, ejus contra se judicium a quo sibi prælata est, perhorrescat.

1. Reg. 24.

Nam cum præpositis delinquimus, ejus ordinationi, qui eos nobis prætulit, obviamus. Unde Moyses quoque cum contra se & Aaron conqueri populum cognovisset, ait: *Nos enim quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.* Hinc etiam prædicator veritatis Paulus apostolus subditis suis, & quibus Christi evangelium prædicabat, dicit: *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer.* Hinc Sixtus apostolicæ sedis antistes Euphemium episcopum damnasse de scribitur, nihil aliud in depositione illius objiciens, nisi quod Polychronium Hierosolymitanum episcopum pontificem suum accusaverit. Et quidem Polychronius a legatis sedis apostolicæ; eo quod sedem Hierosolymitanam primam esse mendaciter affirmabat, & per simoniacam hæresim ordinationes fecisse probatus est, ecclesiæ privatus est gubernaculis, & urbe rejectus. Sed & Euphemius nihilo minus quia hunc præsumptuose (licet veraciter) accusaverat, damnationi a synodo subjectus est,

Rom. 3.

Exod. 16.

1. Cor. 4.

De expu Sixti p III. c.

Et quoniam linguam suam contra sibi prælatum erexerat, anathema suscepit: adeo ut Leo ecclesiæ Romanæ diaconus ei diceret: Ex te enim damnaberis, quoniam pontificem, qui te consecravit, coepiscopum condemnabas & accusabas. Qui cadens in terram ante omne concilium episcoporum ibi confitebatur se peccasse, Abundio episcopo misso ab urbe Roma, dicente: Non licet quemquam accusare pontificem suum, quoniam judex non judicabitur. Quo audito, Valentinianus Augustus (sicut apud nos scriptum habetur) cujus vos in hoc imitatores esse debetis, gavisus est in damnatione episcopi Euphemii, qui extitit accusator Polychronii pontificis sui.

Consonat autem huic necessariæ sententiæ sanctus Silvester, & magni Constantini baptizator Augusti, dicens: Neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque a regibus, neque a populo, judex judicabitur: haud dubium, quin ecclesiasticus Pelagius quoque præsul apostolicus cuidam regi Francorum scribens; sic dicit: Cum celsitudini vestræ multa dona misericordia divina contulerit, pro amore tamen, quem ecclesiæ ejus sinceriter exhibetis, fecit vos multis regnantibus clariores: quoniam inter alias regni vestri curas tranquillitate sanctæ ecclesiæ præcipuam sollicitudinem vos certum est exhibere.

Silvester stantini ptizator

Childeb Est ep. Pelagii

Quæ cum ita sint, miramur; quia quantum nobis præsentium portitorum suggestio patefecit, passi estis subripi vobis & Sabaudum fratrem & coepiscopum nostrum Arelatensis civitatis antistitem,

tem, cujus ecclesia in regionibus Gallicanis primatus privilegio & sedis apostolicæ vicibus decoratur, ad petitionem episcopi ab ipso ordinati in judicium sequentis civitatis episcopi, quod nulla ecclesiastica lege, vel ratione conceditur, judicandum juberetis occurrere, ut ipso de conculcato loci sui præjudicio conquerente, ille, qui usurpavit, necesse sit de illicita præsumptione culpari. Pro quibus Christianitatis vestræ confidentia freti, paterno studio postulamus, ut si quid tale factum est, congrua satisfactione celeriter amputetur, nec ullum sui exemplum in perturbatione ecclesiarum, quas vobis Deus credidit, relinquere concedatur: & hujusmodi causis sollicitam vos in reliquo decet exhibere cautelam, ne quid contra ecclesiasticas regulas petentibus concedatis: quia quod bene cognitum est religiosæ menti vestræ, non aliter Deo nostro recte potest regalis devotio famulari, nisi providentia ejus ecclesiasticorum ordinum servetur integritas.

eg. lib. 2. ist. 11. 29.

Præterea suavissimus pater & papa noster Gregorius, (de quo supra diximus) clero Mediolanensis ecclesiæ pro eligendo sibi episcopo literis præcipiens, ait; Pensantes ergo, quæ cunctis expediunt, & quem vobis gratia divina prætulerit, integerrimam semper in omnibus obedientiam præbete; judicari namque a vobis ultra non debet semel prælatus; sed tanto nunc subtiliter judicandus est, quanto postmodum judicandus non est. Consecrato autem vobis Deo auctore pastori tota vos mente committite, atque in illo omnipotenti Deo, qui vobis hunc prætulit, deservite. Quibus omnibus rite collectis satis evidenter (ut opinamur) ostensum est, non posse legitime subjectos de prælati sui vita judicare; nec præter hæresim cujuscumque sit meriti temere reprehendere.

Sed si adhuc placet aliquid de hoc nosse, quod delectet, antiqui patris & venerabilis doctoris Areopagitæ Dionysii ad Demophilum verba vobis recitari præcipite: qui etiam in causa pietatis delinquentem sacerdotem nefas sancit a minoribus, vel ab inferioribus judicari, ne fiat in ecclesia Dei aliquid inordinatum, & status ejus in aliquo confundatur. Verum hucusque quod a suis suffraganeis, atque subditis frater & comminister noster Ignatius non debuerit judicari, sed nec facile reprehendi, breviter comprobavimus. Nunc autem divina inspiratione non nos pigebit, nec nobis impossibile erit ostendere vobis (si tamen audire velitis) non posse quemquam rite ab his, qui inferioris dignitatis, vel ordinis sunt, judicialibus submitti diffinitionibus. Siquidem tempore Diocletiani, & Maximiani Augustorum, Marcellinus episcopus urbis Romæ, qui postea insignis martyr effectus est, adeo compulsus est a paganis, ut in templum eorum ingressus, grana thuris super prunas poneret. Cujus rei gratia collecto numerosorum concilio episcoporum, & inquisitione facta, hoc se idem pontifex egisse confessus est. Nullus tamen eorum proferre in eum sententiam ausus est, cum ei sæpissime omnes perhiberent, Tuo ore judica causam tuam: non nostro judicio. Et iterum: Noli, ajunt, audiri in nostro judicio, sed collige in sinu tuo causam tuam. Et rursus: Quoniam ex te, inquiunt, justificaberis, aut ex ore tuo condemnaberis. Et iterum dicunt; Prima sedes non judicabitur a quoquam.

etior ma- em judi- e non po- t.

concil. ucssan.

Hinc etiam superius memoratus confessor Christi Silvester fecit gradus in gremio synodi, ut non presbyter adversus episcopum, non diaconus adversus presbyterum, non subdiaconus adversus diaconem, non acolytus adversus subdiaconem, non exorcista adversus acolytum, non lector adversus exorcistam, non ostiarius adversus lectorem aut accusationem aliquam, neque præsul summus a quoquam judicabitur: quoniam scriptum est; *Non est discipulus supra magistrum*. Sed & cum quidam tempore quodam contra Sixtum papam tentassent quædam non boni rumoris objicere, & in concilio, cui & Valentinianus Augustus intererat, dictum fuisset: Non licere adversum pontificem dare sententiam: surrexit idem protinus imperator, & in arbitrio præfati pontificis tribuit judicare judicium suum. Etenim nullus pontificum minorum, vel inferiorum urbium subactus judiciis invenitur.

iradus ec- fiastici. synod. m. c. 3.

Matth. 10.

De expurgat. Sixti Papæ. Ill. cap. 5.

Unde Joannes Antiochenus tertiæ videlicet sedis episcopus inter cetera legitur in Ephesina synodo usque ad correctionem damnatus, quia Cyrillum Alexandrinum secundæ scilicet sedis episcopum irregulariter damnationi præsumpsit addicere, eadem venerabili synodo ad Cælestinum summæ sedis præsulem taliter in scriptis postulante, ac dicente; Indignetur ergo tua religiositas competenter pro his, quæ facta sunt; si enim data fuerit volentibus licentia & majores injuriis sedes afficere, & contra eas, in quibus non habent potestatem contra leges, sic & contra canones proferre sententias, ibunt ad ultimam confusionem ecclesiæ res.

Ephesina synodus in ep. ad Cælest. 1.

Deinde vero in sancta Chalcedonensi synodo, cum a judicibus Basilio episcopo Seleuciæ objiceretur, Quare in damnatione Flaviani subscripserit: & ipse responderit, Quoniam in judicio centum viginti, aut triginta episcoporum traditus, necessitatem habui parere his, quæ ab illis ordinabantur: & Dioscorus ad hæc diceret ei: Erubescens homines prævaricatus es quod bonum est, & fidem spreveristi. Non audisti quod scriptum est: *Non erubescas in ruinam tuam*? Præfatus Basilius episcopus respondit: Si apud judices habuissem martyrium, sustinuissem. Etenim Constantinopoli ostendi fiduciam meam, a patre autem, qui * judicatur justus, non utitur; filius enim patri etiam justa dicens, moriatur.

Act. 1.

* Hard. legit, *qui judicatur, justis non utitur*. H.

Denique in epistola legimus ad Hebræos, quod *minor a majore benedicatur*; restat profecto, ut exigente ratione etiam maledicatur. Siquidem hæc utique prænoscentes periculosa tempora, illi, qui ante nos fuerunt, providam in ecclesiis consuetudinem tradiderunt: hodieque in ecclesia Romana, quæ magistra est omnium ecclesiarum, imprætermisse servatur, ita ut nullus sacerdos majore suo non innuente consacerdote cuilibet rei benedicere nitatur: sed & anterior stans ad pronuntiandam aliquam lectionem; benedictionem quidem postulat, sed ei quislibet inferior non audet penitus benedicere: cur hoc? Numquid benedicere peccatum est? Absit. De maledicis enim, non benedicis, dicit apostolus: *Quia regnum Dei non possidebunt*, sed per hoc innuitur, quantæ censuræ freno inferiores quique ad suos judicandos præpositos coercendi sunt, si hi nec etiam benedicendi jus ullum penitus obtineant. Et revera (ut superius ex evangelio, beato Silvestro commemorante) jam diximus: *Non est discipulus supra magistrum*, si ad benedicendum non, quanto minus ad maledicendum? In tantum autem hanc præsumptionem sancti patres apud Chalcedonem detestati sunt, ut Dioscorum Alexandrinum antistitem inter cetera, idcirco potissimum sine ulla restitutione damnaverint, quia in contumacia permanens erga primæ sedis Romanæ privilegium resipiscere a suis superstitionibus, ut servaretur a prima sede apostolica, noluit, & ponens in cælum os suum, & lingua ejus transeunte super terram, excommunicationem in sanctum Leonem papam di-

Hebr. 7.

1. Cor. 6.

Matth. 10.

Psal. 72.

ſtavit; ita ut in ſententia contra ipſum prolata, hoc videantur memorare præcipue dicentes, quoniam ſecundis exceſſibus priorem iniquitatem valde tranſcendit. Præſumpſit enim & excommunicationem dictare adverſus ſanctiſſimum, & beatiſſimum archiepiſcopum magnæ Romæ Leonem. Numquid ibi legitur inquiſitionem fuiſſe factam, utrum juſte, an injuſte ipſam * jam fatum Dioſcorum excommunicationem dictaſſe? Non plane, ſed abſque omni controverſia hoc in eo ulti ſunt, quia cum eſſet inferior, potiorem quibuslibet conatus eſt laceſſere contumeliis; teſte Anatolio Conſtantinopolitano præſule, qui dicit: Propter fidem non eſt damnatus Dioſcorus, ſed quia excommunicationem fecit domino archiepiſcopo Leoni. Voluerunt enim in domo Dei nihil fieri properum, nihil confuſum, nihil inordinatum. Unde apte quoque in Africano concilio diffinitum eſt capitulo LIII. ita: Unuſquiſque noſtrum ordinem ſibi decretum a Deo cognoſcat, & poſteriores anterioribus deferant, nec eis inconſultis aliquid agere præſumant. Et ſupra memoratus Gelaſius papa multarum deſtructor hæreſeon in decretali epiſtola ad univerſos dicit epiſcopos per Dardaniam conſtitutos: Si certe de dignitate agitur civitatum ſecundæ ſedis & tertiæ, major eſt dignitas ſacerdotum, quam ejus civitatis, quæ non ſolum inter ſedes minime numeratur, ſed nec inter metropolitanorum jura cenſetur. Et item idem in tomo ad orientales epiſcopos: Præcipue, inquiens, cum de ſecundæ ſedis ageretur antiſtite: Nec ab inferiore qualibet, ſed a prima ſede jure poſſit abſolvi: inferior quippe potiorem abſolvere non poteſt: ſola ergo potior inferiorem convenienter abſolvit. Hinc liquido pervidetur: quia quem non poteſt abſolvere, non poteſt judicio inferior potiorem ligare.

Porro cum Theodoricus hæreſeos Arianæ fæce pollutus, papam Symmachum uſque ad damnationem, multis hunc accuſantibus, impetere voluiſſet, & quotquot potuit ex Liguria, Æmilia, Valeria, & ex diverſis regionibus, atque de Sicilia inſula hujus rei gratia epiſcopos Romam colligi præcepiſſet: & his ad ſe venientibus dixiſſet: Plura ad ſe de papæ Symmachi actibus horrenda fuiſſe perlata, & in ſynodi oportere, ſi vera eſſet inimicorum ejus objectio, indicatione conſtare. Memorati pontifices, quibus allegandi imminebat occaſio, ſuggeſſerunt: Ipſum, qui dicebatur impetitus, debuiſſe ſynodum convocare: ſcientes quia ejus ſedi primum Petri apoſtoli meritum, vel principatus, deinde ſecuta juſſionem Domini conciliorum venerandorum auctoritas, ei ſingularem in eccleſiis tradidit poteſtatem, nec ante dictæ ſedis antiſtitem minorum ſubjacuiſſe judicio. Et rurſus: Cauſſas (inquiunt) Dei ipſius eſſe judicio committendas, *qui valet corpus occidere, & animam mittere in gehennam:* qui dicit: *Mihi vindicta, & ego retribuam*: apud quem conſcientia nuda eſt, cui non abſconduntur occulta. Et iterum: idem ipſi dicunt: Quod dicebatur majori judici, ſervabamus inſtruentes eos, quia per nos illis Chriſtus innotuit, non eſſe ovium lupi inſidias prævidere, ſed paſtoris.

Ad poſtremum vero iſti ipſi venerabiles præſules cum vidiſſent, quod non ſine ſui diſcrimine potuiſſent contra caput obices manus ſuas erigere, quidquid de præfati Symmachi ſanctiſſimi papæ actibus delatum fuerat, totum Dei judicio reſervarunt: ita, ut ſinguli quique in ſubſcriptione ſua hoc patenter indicent, cum dicunt: Laurentius epiſcopus eccleſiæ Mediolanenſis huic ſtatuto noſtro, in quo totam cauſſam Dei judicio commiſimus, ſubſcripſi. Similiter Petro epiſcopo eccleſiæ Ravennatis, & ceteris epiſcopis ſubſcribentibus: nimirum quoniam ſicut magnus Chriſti confeſſor Ennodius Ticinenſis epiſcopus, qui ab Hormiſda apoſtolicæ memoriæ Conſtantinopolim miſſus, innumeras miſerias a Græcorum velania, pro Chriſti fide, & ſtatu eccleſiæ non ſemel pertulit, ex propheta de his meminit: *Numquid gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea; aut exaltabitur ſerra contra eum, qui trahit eam?* His ita ex divina ſcriptura, & probabilium patrum doctrina commemoratis, ſole clarius exhibuimus, non poſſe quemquam, qui minoris auctoritatis eſt, eum, qui majoris poteſtatis eſt, judiciis ſuis addicere, aut propriis diffinitionibus ſubjugare. Verum de hoc generaliter nos hucuſque dixiſſe ſufficiat.

Ceterum ut calamum ad Conſtantinopolitanos præſules ſpecialiter extendamus, aut nunquam omnino, aut certe vix horum aliquis ſine conſenſu Romani pontificis reperitur ejectus, qui tamen hactenus inter depoſitos annumeretur, & non ab hæreticis, vel tyrannis pulſus, aut interemptus commemoretur. Denique, ut ex his paucos commemoremus, nonne Maximus, poſtquam multum a Damaſo papa (ſicut ejus ad diverſos epiſtolæ miſſæ indicant) laboratum eſt, Conſtantinopoli pulſus eſt? Nonne Neſtorius, nonne Acacius, nonne Anthimus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus, ſedis apoſtolicæ diſcurrentibus conſultationibus, ac decretis ejecti ſunt? Cur ergo, cum ita ſit, in ſolo Ignatio Petri memoriam deſpicere, ac oblivioni tradere ſtuduiſtis, niſi quia pro voto cuncta facere voluiſtis, conſtituentes ſynodum Epheſinæ ſecundæ crudelitate conſimilem? quamvis ibi Alexandrinus erat, qui cum ceteris ſibi ſociatis compatriarchis adverſus ſanctum Flavianum agebat.

Hic autem, ut de patriarchis omittamus, nec unius epiſcopus civitatulæ, aut quilibet ignotæ perſonæ adverſus tantum pontificem extitit ſententiæ promulgator, qui non de ſuffraganeis & ſubjectis ejus fuerit. Sed dicitis fortaſſe non fuiſſe in cauſſa Ignatii ſedem apoſtolicam convocare neceſſe, quia non hunc ullus hæreſeos error involverat. O pietatis intuitum ita recte Deum colentis, & magis ſuam injuriam, quam ſui Dei & Domini vindicantis! Nonne magis oportuit circa eum magnanimitatem oſtendere, & regularem vos obſervare cenſuram? quoniam a Deo nec per hæreſim, nec per ullum omnino ſchiſma diſceſſit, quam ſi cunctis pollens virtutibus omnipotenti minime Domino per orthodoxam fidem penitus adhæſiſſet? Congregaſtis concilium adverſus eum, & ad imperii veſtri nutum cuncti ſunt famulati minores, & ad votum ſæcularium (ut cum pace veſtra dicamus) de ſolio imperiali deſcendentes, cathedram præſularem, ut ita fateamur, aſcendiſtis, & pro deſiderio hoſtium ejus auguſtalium obliti ſceptrorum, quemdam regem Iſrael imitantes, adverſus illum ſacerdotalis miniſterii arripuiſtis officium; præſertim cum imperium veſtrum ſuis publicæ rei quotidianis adminiſtrationibus debeat eſſe contentum, nec uſurpare quæ ſacerdotibus Domini ſolum conveniunt.

Dicite, quæſumus, ubinam legiſtis imperatores anteceſſores veſtros in ſynodalibus conventibus interfuiſſe? niſi forſitan in quibus de fide tractatum eſt, quæ univerſalis eſt, quæ omnium communis eſt; quæ non ſolum ad clericos, verum etiam ad laicos, & ad omnes omnino pertinet Chriſtianos? Vos autem non ſolum ſynodo in cauſſa ſacerdotis collectæ interfuiſtis, verum etiam numeroſa ſæcularium millia ad videndum ejus opprobrium aggregaſtis, cum magis debueratis in hoc

A Alone I. Conc. Chalcedon.

* Pro, *jam fatus Dioſcorus .... dictaſſet*. H.

Epiſt. 11.

Synodus Romana ſub Symmacho.

Luc 16. Deut. 32.

Quomodo epiſcopi in concilio Symmachi ſubſcripſerunt, & quare?

In inc... Hormiſc... te epiſc... XI. & ...

Iſa. 10

Epiſcop... ſtant... hæreti... Rom. ...fices d...

Syn... perat... tere... conv... ubi ... agit...

hoc imitari Constantinum pium Augustum, de quo scriptum est quod dixerit: Quia si vidissem aliquem eorum, qui religioso circumamicti sunt habitu, turpitudinem aliquam operantem, chlamydem meam explicassem, & cooperuissem eum, ne videretur a quoquam. Sed in viro hoc omnia hæc oblivioni traduntur: fit plausus de Domini sacerdote scurris & histrionibus. *Heu quomodo obscuratum est aurum*, libet cum Jeremia clamare; *mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum*.

Deinde vero contra ritum ecclesiasticum, contraque venerandas leges producitur accusator de imperialibus ædibus, & cui imperari potest ad falsum dicendum testimonium adhibetur. Fiunt suspecti judices, & mercenarii, & lupi custodes, qui videbantur esse pastores, non ascendentes ex adverso potestatibus mundi, juxta Ezechielem: *Nec opponentes murum pro domo Domini, sed descendentes in infernum viventes*, hoc est, scientes. Submittitur minorum, inferiorum, & subjectorum deliberationibus, cum sacris canonibus præcipientibus, & exemplis sanctorum patrum, semper ubi est major auctoritas, sit eundum, & in omnibus controversiis ad potioris sedis judicia dirigatur. Quod non solum a catholicis, verum etiam ab ipsis constat observatum hæreticis. Alioquin acephalum liquet esse concilium, ubi de tanta persona agitur, & majorum non expectatur sententia: cum nec in causa clericorum inferioris gradus, solius episcopi sui judicium tantummodo præsto sit.

Sed ne sine auctoritate canonica quidquam prosequi videamur, nunc Chalcedonensis concilii sanctiones ad memoriam reducamus, quæ ita decernunt: Si clericus habet causam adversus episcopum proprium, vel adversus alterum, apud synodum provinciæ judicetur: quod si adversus ejusdem provinciæ metropolitanum episcopus, vel clericus habet querelam, petat primatem diœceseos, aut sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ. In quo hic tenor observandus est, ut si videlicet clericus, aut episcopus adversus metropolitanum habet querelam, & tanta urgetur necessitate, vel si hoc grave non ferat, ubicumque sit positus, primatem diœceseos petat: quod si juxta Constantinopolitanam urbem quisquam eorum constitutus, & solius præsulis ejus judicio velit esse contentus, petat eandem regiam urbem. Cum enim dixisset; Petat primatem diœceseos, præceptum posuit eadem sancta synodus, regulamque constituit. Cum vero disjunctiva conjunctione addidisset, Aut sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ: liquet profecto, quia hoc secundum permissionem indulsit. Ergo saltem nunc non videtis ad majora semper esse properandum? & quanto magis ad potioris auctoritatis judicium tenditur querimonia, tanto adhuc amplius majus culmen petendum est, quousque gradatim perveniatur ad eam sedem, cujus causa, aut a se negotiorum meritis exigentibus, in melius commutatur, aut solius Dei sine quæstione reservatur arbitrio.

Quem autem primatem diœceseos sancta synodus dixerit, præter apostoli primi vicarium, nullus penitus intelligitur. Ipse est enim primas, qui & primus habetur, & summus: quæ viritim (si locus exegerit) in subditis demonstrabimus. Ne vero moveat, quia singulari numero diœceseos dictum est; sciendum est, quia tantumdem valet dixisse primatem diœceseos, quantum si perhibuisset diœceseon: plenè sunt enim sanctæ scripturæ tali forma locutionis. Denique scriptum est: *Fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terræ*. Qui enim non ait, Unus fons ascendebat e terra, sed ait, Fons autem ascendebat e terra: pro numero plurali posuit singularem, ut sic intelligamus fontes multos per universam terram loca vel regiones proprias irrigantes: sicut dicitur miles, & multi intelliguntur; sicut dicta est locusta & rana in plagis quibus Ægyptii percussi sunt, cum esset innumerabilis locustarum numerus & ranarum, ita & hic diœcesim singulariter dixit: sed hanc propter unitatem pacis & fidei pluraliter intelligi voluit. *Exod. 10.*

Illud autem ridere libuit, quod quasi ad majorem firmitatem, concilium adversus Ignatium fratrem & comministrum nostrum congregatum, æqualis numeri cum sancta olim synodo in Nicæa a sanctis fratribus celebrata fuisse perhibetis: quod si ideo est admittendum, quia æqualis numeri cum sancta Nicæna synodo habetur; necesse est ut aut septimam, aut octavam hanc synodum vocitetis: necesse est etiam, ut tot instabilitate illius synodos colligatis, quot pro Nicænę synodi sequendis decretis constat fuisse concilia congregata. Quid aut proficit solo numero convenientium personarum sanctam synodum vos fuisse secutos, & moribus hanc esse crudeliter persecutos? Utinam non essent tot numero, sed tamen existerent tales meritis, quales erant, quibus Christus ajebat: *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri meo dare vobis regnum*. Non ergo todidem præsules, sed merita non minora synodum synodo Nicænę possunt facere parilem, magisque illud advertendum est, quia ibi contra unius nuncupati presbyteri vesaniam, non solum multarum regionum pontifices, verum etiam & patriarchæ præsedisse referuntur. Hic autem in patriarchę negotio non solum ullus patriarcharum, sed nec ullus alterius diœceseos inventus est quisquam episcopus, sicut jam significavimus. *De concilibulo contra Ignatium.* *Luc. 12.*

Numerus igitur pusillus nec obest, ubi abundat pietas; nec multiplex prodest, ubi regnat impietas. Quinimmo quanto numerosior est congregatio malignorum, tanto validior est ad sectandum suorum prava votorum: nec gloriandum est in multitudine, ubi non contra mundi rectores tenebrarum harum contra spiritalia nequitię certamen assumitur: sed adversus carnem & sanguinem, id est, adversus homines, totius belli pondus inducitur: nisi enim psalmista nosset quamdam non bonorum multitudinem, nequaquam Deo supplicando diceret: *Disperge illos in virtute tua*. Dispersio enim minorationem facit, minoratio vero abolitionem generat. Nolite ergo gloriari in multitudine, quia non multitudo, sed causa damnationem, vel justificationem adducit. Neque enim Ignatium justiorem dixerimus jam memorato David rege, & propheta Domini, qui dicebat: *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis*. Sed quid de homine dicimus, cum de Deo nimirum, ex cujus persona hęc psalmista dicebat, in passione ipsius, sicut evangelium attestatur, tale quid nihilo minus agnoscamus? *Psal. 58.* *Psal. 39.*

Quod autem scripsistis, vos idcirco quosdam nostrorum adesse voluisse, quoniam dicebamur cum expugnatoribus sacrarum imaginum concertare; nova profecto adinventio est. Nam apud vos præsentia est missorum nostrorum pro imaginibus sacris, nec digne decertatum est, nec impugnatores earum hactenus errare desierunt; sed sicuti usque ad illud tempus apud vos super hac causa strepitus & blasphemię non cessarunt; ita & nunc ibidem profana prædicantur, & hucusque sacrilega pronuntiantur. Unde appatet legatos nostros non causa pietatis a vobis, sed crudelitatis argumento fuisse quæsitos. Verum ad

quid

quid fuerint petiti, res ipsa declarat, videlicet, sicut jam dictum est, ut quod de Ignatio judicandum erat, & acceptum apud omnes, & fixum semper maneret, utpote quod tantę auctoritatis vicarii judicassent. Nos enim nec saltem tenuis rumor asperfit aliquando cum prava sapientibus sapere, quanto minus concertare? Siquidem nusquam frigidus, nusquam tepidus labor sanctorum apostolicæ sedis prœsulum circa debitam sacrarum imaginum reverentiam, & competentem venerationem apparuit. Nec defuerunt harum impugnatoribus decessorum nostrorum certamina, qui hoc egerunt scriptis, hoc diversis laboribus, hoc etiam suis increpationibus apud mundi hujus principes, ut talis error eminus pelleretur: quamvis dixeritis, non nostri eguisse vos ad expugnandos hæreticos pro eo quod jam fuerit hujusmodi hæresis in Nicæa secundo convocata synodo, & a magno Methodio deinde subversa, quasi non & ipsi secundo in Nicæa collectę synodo apostolica nostra sedes præsederit, & prima contra mala sentientes spiritalem sagittam emiserit. Et rursum, quasi non & venerandę memoriç Methodius in Græcia persecutione fervente, hic apud beatum Petrum, & apud nos, ubi olim Athanasius, ubi Paulus, ubi plurimi cum illis, & præter illos, ubi denique semper catholicis subvenitur, consecuti sint requiem, donec apprehenderet campum certaminis jam satiatus lacte matris hujus omnium sanctę videlicet Romanę ecclesię catholicum dogma defendere fuerit eruditus. Et quasi non hinc auctoritatem prædicandi sumpserit, nec hic insulis sacerdotalibus ditatus extiterit: ad extremum quasi non hinc constantiam Petri, & omnia Pauli ad debellandos Iconomachos arma portaverit, id est, loricam justitię, calceatos pedes in præparatione evangelii pacis, scutum fidei, galeam salutis, & gladium spiritus, quod est verbum Dei. Non ergo dicatis non eguisse vos in caussa pietatis Romanę ecclesię, quę collecta concilia sua auctoritate firmat, sua moderatione custodit. Unde quędam eorum, quia consensum Romani pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt.

Studium apostolicæ sedis circa venerationem imaginum.

Sedes apostolica refugium est catholicis.

Synodus Romani pontificis auctoritate eget.

Quomodo non egeat quęlibet synodus Romanę sedis, quando in Ephesino latrocinio cunctis præsulibus, & ipsis quoque patriarchis prolabentibus, nisi magnus Leo, imitator scilicet illius leonis, de quo scriptum est, *Vicit leo de tribu Juda*, divinitus excitatus, os aperiens, totum orbem & ipsos quoque Augustos concuteret, & ad pietatem commoveret, religio catholica penitus corruisset? Nam & in caussa sacrarum imaginum ante sanctissimum Methodium, quinimmo & ante synodum in Nicæa sub Irene congregatam, cum adhuc hoc schisma noviter esset exortum, & Constantinopolitanos pene cunctos more pestilentię invasisset, Romani prœsules Gregorius inter ceteros, & Stephanus convocatis episcopis occidentalium regionum inveniuntur fortiter dimicasse, & hoc funditus condemnasse. Hęc quidem primordiis epistolę imperii vestri respondimus, non quantum poteramus adhuc, sed quantum sufficere credidimus ad convincendam stoliditatem eorum, qui talia sapiunt, qualia in epistola vestro signo signata, & nobis missa resonare videbantur. Non enim nos ex pio corde, vel ore vestro tam profana tamque perversa processisse putavimus.

Apoc. 5.

Ad reliqua vero, quę ex eadem epistola vestra plurima ex parte remanebant, rescribere his pro caussis omisimus, videlicet, quoniam tanta nos pater cęlestis secundum beneplacitum suum ęgrotatione quasi filios suos corripuit, ut non solum quę ad respondendum propositionibus vestris idonea esse perspeximus, valeremus exponere; verum etiam eadem ipsa qualiter dictarentur, nulli ęgritudine nimia pressi quiverimus edicere. Et quia legatus vester tanta est impatientia usus, ut antequam nos ex validissima infirmitate respirare aliquantulum cognovisset, nullam moram passus, mox & jam nobis inconsultis urbe, quam vos quidem inveteratam, sed Honorius pius imperator ęternam vocat, discesserit: ob nihil aliud, nisi quia jam tempus hiemis imminebat, & periculum sui, vel militum vestrorum, qui secum erant, vehementissime formidabat: apud quem vix obtinere potuimus, ut saltem dum hęc scriberentur, (quoniam ad urbem reverti nullo modo voluit) in Ostia positus expectaret.

Honorius epistola Bonifac.

Tertio, quia cum eadem, quę superfuerunt in ipsa epistola, ad quę nihil respondimus, sed potius philosophando contempsimus, plena essent omni pravitate, atque blasphemia, & contra ipsam dispositionem Dei, in qua ecclesię, sedisque Romanę privilegia cunctarum ecclesiarum privilegiis sua ineffabili providentia prętulit, venena diffunderent, non vestra esse verba, sicut prędiximus, quę tam perperam sonabant, credidimus; ac per hoc his, quę in ambiguum venerant, non potuimus tamquam indubitatis responsa, vel apologetica scripta remittere. Verumtamen si vestra fuerunt verba, quæ in despectum beati Petri apostolorum principis, immo Dei, cujus ordinationi resistitis, scripta, & quasi detrahentia privilegiis hujus sacratissimæ ecclesiæ missa sunt; fateor non vos studiose sacras regulas, non venerandarum synodorum actiones, non piorum imperatorum leges, non veraces probabilium virorum historias lectitasse, quas * tam conati estis in derogationem ecclesiæ tantæ intutiliter, ac incompetenter, atque incongrue memorare. Sed rogamus omnipotentem Deum, ut qui suæ cognitionis vobis reseravit mysterium, tribuat quoque nosse ad plenum suas dispositiones, quibus * sancta ecclesia moderatur arcanum, & quæ sint, vel quanta, & qualia privilegia ecclesiæ Romanæ, & ex quo ceperint exordium, & quis ejus summę auctoritatis auctor existat vobis clementer aperiat.

* Forte rius, *san*

* Forte, *fta Eccl*

Quod si a nobis quęritis scire, utpote a ministris Christi, & dispensatoribus mysteriorum ejus, vobis evidentius ostendemus: si vero nosse parvipenditis, & solum contra privilegia ecclesiæ Romanæ nisus vestros erigitis, cavete ne super vos convertantur. Durum quippe est vobis (contra impetum fluminis reluctari durumque est) contra stimulum calcitrare. Porro si nos non audieritis, restat ut sitis apud nos necessario, quales Dominus noster Jesus Christus hos haberi præcepit, qui ecclesiam Dei audire contempserit, præsertim cum ecclesiæ Romanæ privilegia, Christi ore in beato Petro firmata, in ecclesia ipsa dispositra, antiquitus observata, & a sanctis universaiibus synodis celebrata, atque a cuncta ecclesia jugiter venerata, nullatenus possint minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari, quoniam fundamentum quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus: & quod Deus statuit, firmum, validumque consistit. Illeque potissimum peccat, qui Dei ordinationi resistere tentat. Privilegia inquam istius sedis, vel ecclesiæ perpetua sunt: divinitus radicata, atque plantata sunt: impingi possunt, trasferri non possunt: trahi possunt, evelli non possunt. Quæ ante imperium vestrum fuerunt, & permanent, Deo gratias, hactenus illibata, manebuntque post vos, & quousque Christianum nomen prædicatum fuerit, illa subsistere non cessabunt immutilata.

Privilegi Romanæ ecclesiæ perpetua Anfulis cluſa da ex edit. R

Matth.

Ista igitur privilegia huic sanctæ ecclesiæ a Chri-

Christo donata, a synodis non donata, sed jam solummodo celebrata & venerata: per quæ non tam honor, quam onus, nobis incumbit, licet ipsum honorem non meritis nostris, sed ordinatione gratiæ Dei per beatum Petrum, & in beato Petro simus adepti, nos cogunt, nosque compellunt omnium habere sollicitudinem ecclesiarum Dei: cui sancto scilicet Petro addita est societas beatissimi Pauli vasis electionis, magistri veritatis, cui jugiter imminebat omnium ecclesiarum sollicitudo.

Hi ergo tamquam duo luminaria magna cæli in ecclesia Romana divinitus constituti, totum orbem splendore fulgoris sui mirabiliter illustrarunt, & occidens eorum præsentia, veluti rutilante sole tam per se nitorem dante, quam per discipulos suos, quasi quosdam radios lucis micante, factus est oriens: quique non postquam mortui sunt, Romam a principibus sunt delati, ut Romanæ ecclesiæ majorem conferrent privilegiorum honorem, sicut apud vos non rationabiliter, sed potentialiter actum est, videlicet ut ecclesiæ ceteræ patronis suis privarentur, & sola Constantinopolis spoliis & opibus, quas violenter abstulit, ditaretur: sed Romam in carne venientes, vitæ verbum evangelizantes, ab ea erroris caliginem amoventes, veritatis lumine mentes hominum illustrantes, & in ea uno eodemque die martyrium consummantes, sanctam Romanam ecclesiam roseo cruore suo consecraverunt: & hanc non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi exhibentes, Deo Domino dedicaverunt. Sicque demum Alexandrinam ecclesiam suam fecerunt per beatum scilicet Marcum unius horum filium, ac discipulum. Hæreditas quippe filii in potestate parentis existit, & gloria discipuli ad magistrum sine cunctatione refertur.

Fecerat autem beatissimus Petrus præsentia corporali & ecclesiam Antiochenam jam suam, quæ (sicut beatus papa dicit Innocentius) urbis Romæ sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum quippe beatum Petrum apud se consummatumque gauderet. Per has igitur tres præcipuas ecclesias, omnium ecclesiarum sollicitudo beatorum apostolorum principum Petri ac Pauli procul dubio moderamen expectat. Pro quibus patribus nos divinitus, incremento gratiæ ministrato, nati sumus filii, & constituti, licet * eis longe meritis impares, principes super omnem terram, id est, super universam ecclesiam. Terra enim ecclesia dicitur, sicut scriptum est: *Non sic impii, non sic: sed tamquam pulvis, quam projicit ventus a facie terræ.* Quæ, sicut sanctus Augustinus exponit, ecclesia intelligitur. Hæredes quippe horum effecti, facultatem potestatis, quam a Domino perceperunt, & onus sollicitudinis nihilo minus capessere nos oportet.

Proinde animadvertendum est, quia non Nicæna, non denique ulla synodus, quodquam Romanæ contulit ecclesiæ privilegium, quæ in Petro noverat, eam totius jura potestatis pleniter meruisse, & cunctarum Christi ovium regimen accepisse: Sicut beatus præsul Bonifacius * attestatur, universis episcopis per Thessaliam constitutis scribens: Institutio universalis nascentis ecclesiæ de beati Petri sumpsit honore principium, in quo regimen ejus, & summa consistit. Ex ejus enim ecclesiastica disciplina per omnes ecclesias religionis jam crescente cultura, fons emanavit. Nicænæ synodi non aliud præcepta testantur: adeo ut non aliquid super eam ausa sit constituere, cum videret nihil supra meritum suum posse conferri. Omnia denique huic noverat Domini sermone concessa. *Si* omnia, ergo defuit nihil quod non illi concesserit.

Denique si instituta Nicænæ synodi diligenter inspiciantur, invenietur profecto, quia Romanæ ecclesiæ nullum eadem synodus contulit incrementum: sed potius ex ejus forma, quod Alexandrinæ ecclesiæ tribueret particulariter, sumpsit exemplum. Hæc igitur, & his similia, nos pro cunctis ecclesiis sollicitos reddunt: hæc etiam de Constantinopolitana ecclesia impigram curam arripere vehementer hortantur: hæc inquam Ignatium patriarcham nulla regula, nulloque ordine ecclesiastico dictante dejectum, tamquam fratrem adjuvare compellunt. Nam & inter cetera is, per quem nobis præcipue ista sunt privilegia collata: *Tu aliquando conversus*, audivit a Domino, *confirma fratres tuos*. Luc. 22.

Siquidem & ideo in culpam cecidit, ut sciret qualiter aliorum infirmitatis misereri debuisset. Quare Petrus cecidit. Hæc privilegia Photium, vivente Ignatio, in caulas dominicas non per ostium, sed aliunde ascendentem, & pastorem impellentem, & oves dispergentem nobis & ab honore, quem irregulariter usurpavit, & a communione Christianorum amovere divinitus inspirata jusserunt. Quod autem perhibet excellentia vestra noluisse vos, ut a missis nostris Ignatius judicaretur, eo quod fuerit jam judicatus & condemnatus; fatemur veracier, quia nec illud ulla ex parte videtur fuisse canonicum, nec hoc ipsorum judicium fieri præcepimus, nec factum admisimus. Verumtamen cui magis placuit evidenter intelligitur, cum patratum vos scribendo roborassetis, quod nusquam aliquando factum ab imperatore recolitur, & omnes in eo scribere imperassetis. Nos autem non solum factum minime recepimus, verum etiam doluimus, & a nostro consensu procul amovimus: quinimmo auctoritate & exemplo antecessorum nostrorum in irritum duximus. Quod si tempus indulgeret, quod dicimus, facile probare ex monumentis poteramus ecclesiasticis. Patratores autem præsumpti judicii, judicio in quo judicaverunt, judicati sunt, secundum evangelium: & mensura in qua mensi fuerunt, dimensum est eis. Luc. 6. Nos quippe illos, non ut Ignatii ad patriarchalem sedem promotionem, vel ingressum inquirerent, aut judicarent destinavimus: sed ut circumstantiam dejectionis ejus ediscerent, nobisque veritatem repertam repedantes intimarent, direximus.

Quod nostræ, Deo gratias, liquido testantur epistolæ, quas ternas per Zachariam & Petrum atque Leonem Deo amabiles scriniarios sanctæ Romanæ ecclesiæ, uno textu scribi præcepimus, & coram sancta ecclesia, quæ apud nos est, dispertiti sumus: & unam quidem apud nos retinuimus pro futura scilicet cautela, & propter quæstionem, quæ oriri poterat in posterum. Quod ecce impræsentiarum, proh dolor, cernimus: aliam vero dilectæ sublimitati vestræ direximus. Porro tertiam eisdem legatis nostris tribuimus, ut illam velut specular præ oculis habentes, in ea meditarentur quid agere debuissent, atque recordarentur quid sibi a nobis constiterat esse præceptum.

Et si fortasse vestra magnitudo dedignaretur sibi missam epistolam in episcoporum ostendere cœtu, jussimus eis ut illam, quam sibi specialiter dederamus, quamque unius formæ cum reliquis duabus esse noverant, in eo conventu, in quo caus-

---

* In Epistola, quæ recitatur in Concilio Romano, quod Holstenius edidit in Bonifacio II. *Harduinus*.

cauſſam dejectionis Ignatii præceperamus inquire- A excedere profecto nequitiam. Ipſi enim nihil ta-
re, ac diligenter inveſtigare, imprætermiſſe lege- le agere penitus patiuntur, quale nos perpetrare
rent, & in auribus omnium recitarent: licet ipſi cohortamini vos.
contrarii facti ſint eorum omnium, quæ ſibi fue- Denique cum quidam anteceſſorum veſtrorum
rant imperata. Quamobrem & nunc, quia quæ- quemdam venerabilem virum ab Agarenorum
dam ſcripta dicuntur apud vos eſſe, tamquam principe, multis oblatis muneribus, ſibi mitti po-
ex nomine noſtro miſſa, quæ nos omnino non poſcerit, non ſolum minime impetravit, verum
miſimus: idcirco & hanc, quam manſuetudini etiam, ut fertur, ab eo quem quærebat, pudo-
veſtræ dirigimus, in altero tomo ſcribi præcepi- rem conferentia ſcripta recepit. Quamvis, Deo
mus: & hanc quidem Petrus, qui unius prædi- gratias, & per principalem beatorum apoſtolorum
ctarum trium ſcriptor extitit: quam vero penes Petri ac Pauli (de qua ſupra partim expoſui-
nos retinemus, præfatus Leo, Deo amabiles ſcri- mus) poteſtatem & jus habeamus, non ſolum
niarii ſanctæ Romanæ eccleſiæ, quorum fides no- monachos, verum etiam quoslibet clericos de
bis probata eſt, ſcripſiſſe noſcuntur. quacumque diœceſi, cum neceſſe fuerit, ad nos
Porro ſcripſit nobis imperium veſtrum, ut convocare, atque eccleſiaſticis exigentibus oppor-
Theognoſtum, qui a fratre & coepiſcopo noſtro B tunitatibus invitare. Hoc quidem noſtrum: ve-
Ignatio ſuper quaſdam provincias exarchatus pon- ſtrum autem & piorum imperatorum non eſt ul-
dus accepiſſe dignoſcitur, nec non & alios mo- lum penitus quærendi monachos miniſterium,
nachos ſibi tamquam veſtræ auguſtialis injuriato- niſi ad miſerendum, & orationes eorum ſubmiſ-
res excellentiæ deſtinemus. In quo cum tamen ſe poſcendum. Quod ſi forſitan opinamini Theo-
ipſi injuriatores veſtri non fuerint: quid aliud gnoſtum apud nos Photio detrahere, Ignatium-
*Forte, *quan-* niſi ut * quanta pœna, & quibus tormentis ſub- que jugiter commendare; ſcitote veraciter, quia
te pœnæ. H. jiciantur hi, qui ex parte Ignatii ſunt, & apud nihil ipſe de utroque loquitur, niſi quod in pro-
vos in ditione veſtra conſiſtunt, liquidius agno- patulo eſt, quod mundus dicit, quod omnis ec-
ſcamus. Quando hi non utique ad epulas, non cleſia clamat, quod ipſi per innumeros homines
ad inſulas alicujus honoris percipiendas profecto Romam ab Alexandria, ab Hieroſolymis, a Con-
quæruntur, ſed potius ad puniendum, quos forte ſtantinopoli, a confinibus ejus, ab Olympo mon-
nec vidiſtis, nec cujus moris ſint penitus agno- te, atque a ceteris mundi partibus adventantes
viſtis. Denique quidam eorum ab ineunte ætate agnovimus: ad extremum quoque quod nos per
Romæ divinis obſequiis famulati ſunt, & non miſſos veſtros & diverſa ſcripta patenter intelle-
juſtum credimus hujuſmodi tormentis fore ſub- C ximus. Quid ergo quis peccat, ſi ea dicit, quæ
dendos. Theognoſtum autem non de vobis ſiniſ- vos dixiſſe conſtat? Ecce enim ſcripta veſtra miſ-
tra, ſed potius grata prædicare teſtamur. Quam- ſa ad anteceſſorem noſtrum, quæ penes nos re-
obrem ergo eum quæratis ignoramus, niſi for- condita ſervantur, quoſdam partis Gregorii Syra-
te quia illinc fugatus, hic apud nos requiem, cuſani, congregatis epiſcopis, etiam abſente fra-
quemadmodum innumeri Chriſtiani, aliquantu- tre noſtro Ignatio, vos anathematizaſſe teſtantur.
lam reperit. Quid ergo quiſpiam delinquit? vel nos in quo,
Gentes ad limina beati Petri quotidie properant. Siquidem tanta millia hominum protectioni, rogamus, offendimus (licet vos verſa vice quos
ac interceſſioni beati apoſtolorum principis Petri, tunc laudaſtis, nunc vituperetis, & quos tunc
ex omnibus finibus terræ properantium, ſeſe quo- reos & damnatos pronuntiaſtis, nunc miris præ-
tidie conferunt, & uſque in finem vitæ ſuæ apud conis efferatis) ſi quod ſcripſiſtis, credidimus; &
ejus limina ſemet manſura proponunt, ut præter quod dixiſtis, nos quoque nunc dicimus? Poſtre-
illud, quo vas e cælo ſubmiſſum, in quo cunc- mo, niſi correxerimus conſilium noſtrum, vide-
torum oſtenſa ſunt eidem beato Petro horum om- licet ut illud juxta conſilium veſtrum dirigamus,
nium rectori animantium genera, catholicam ſi- vel ſi non effecti ſimiles vobis, ſicut ipſi caput,
gnat eccleſiam: etiam ipſa ſola Romanorum urbs, D ita quoque nos membra tradamus, interminatio-
apud quam ejuſdem apoſtoli corporalis præſentia nibus crebris deterrere nos, & minitari videmi-
* Forte, *cunctas*. H. ſedule veneratur ipſius vaſis * cunctæ dignoſcatur ni, tamquam ſitis patriæ & urbi noſtræ ultimum
in ſe continere univerſorum animalium (quæ exterminium illaturi. Quæ nos Chriſto propitio,
homines intelliguntur ſpiritualiter) nationes. Su- atque cuſtode (de quo ſcriptum eſt: *Niſi Domi-*
ſcepit ergo, ac continet in ſe Romana eccleſia, *nus cuſtodierit civitatem, in vanum vigilant, qui* Pſal.
quod Deus univerſalem eccleſiam ſuſcipere, ac *cuſtodiunt eam*) ſicut hactenus non timuimus,
continere præcepit. Decentiſſimum quippe eſt, nec modo timemus, credentes ſuper muros ejus
atque convenientiſſimum, ut apud ſe Petrus, angelorum cuſtodiam; immo vero ſcientes, quod
quod ſibi ſpecialiter oſtenſum, atque præceptum Salvator poſitus ſit in ea murus, & antemurale,
eſt, exhibeat: ſicque demum quod in generali id eſt, apoſtolorum munimentum interceſſionum. Iſai.
eccleſia facilius credendum ſit, innuat. Sane in- Neque enim non legimus, aut obliti ſumus mi-
tuendum eſt, quia & hoc vas, in quo omnia ge- narum Sennacherib regis Aſſyriorum, & ſervo-
nera erant animantium, Petro ſpecialiter oſten- rum ejus contra urbem Jeruſalem & populum
ſum eſt: & ut ea mactaret & manducaret, illi ejus: quæ non minores, nec pauciores minis ve-
Joan. 21. ſoli juſſum eſt. Et poſt reſurrectionem ut rete E ſtris fuerunt. Et rurſus, miſerationum Domini
plenum diverſis piſcibus ad litus traheret, a Do- recordamur, & qualiter CLXXXV. millia hominum 4. Reg.
mino ipſi proprie ſoli præceptum eſt. Ipſum enim, de caſtris Aſſyriorum interierint, & urbs cum
cujus nos (licet immeriti) vicem ſuſcepimus, prin- habitatoribus ſuis evaſerit, in mente recolimus,
cipaliter, ac ſpecialiter univerſalis eccleſiæ curam & gratias agimus, & ſpem ſumimus, ac fiducia-
divinitus accepiſſe, etiam nobis tacentibus credi- liter de domo Domini, ſi virtutem ipſe donave- Hab.
mus, quod veſtra ſapientia jam animadvertat. rit, cultum Baal amovere curavimus: quoniam
Putas ne ergo imperator juſtum eſſe, ut trada- ipſe eſt nunc, qui tunc ipſe & in ſæcula: nec
mus aliquem eorum, quos nunc commemoravi- minor miſericordia, nec infirmior omnipotentia.
mus, principibus: quorum aulas, dignitates, ho- Ergo, ne velit minari pulvis & vermis ſcriptum
nores, & beneficia contempſerunt, vel quorum eſt: *Quid ſuperbit terra & cinis?* Ne velit ampul- Eccl.
forte indignationes, aut perſecutiones ſuſtinue- la in aquis inflari: quia poſt pauxillum & ecce
runt? abſit. Nolumus enim (Deo auctore) nec non eſt. *Quid gloriatur in malitia, qui potens eſt* Pſal.
Judæ proditori ſimiles inveniri, nec paganorum *in iniquitate?* Quid facturus eſt: Occiſurus eſt

(ut

(ut verbi gratia dicamus) hominem? *quoniam amplius non habet quid faciat*: hoc & unus fungus facit malus. O imperator in hoccine redacta est malitia hominis in iniquitate potentis, ut fungo malo comparetur? Heu quam inutilem potentem, heu supervacue gloriantem!

Porro vestra potens virtus in Domino potius glorietur, in bonitate laudetur, in justitia exaltetur: non minas nobis, non terrores velit incutere. Nescitis enim secundum Salomonem quid superventura pariat dies: & juxta psalmographum: *Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia principum:* præsertim cum inter nos & vos non modica sit intercapedo, quæ quotidie populos non pauxillas vobis injurias, immo discrimina inferentes producit, & de his vos conveniat potius quam de nobis ulcisci. Nos enim apici gloriæ vestræ non damna, non convicia, non prorsus ullas, quod absit, injurias irrogavimus. Verumtamen quamdiu subsistemus, ministerium nostrum honorificabimus, dispensationem nobis creditam exercebimus, antecessorum vestigia nostrorum sectabimur, ecclesiarum cunctarum sollicitudinem bajulabimus in eo, qui nos confortabit Domino nostro Jesu Christo. Quid sæviunt homines? quid mali fecimus nos? Certe non Cretam invasimus, non Siciliam exterminavimus, non innumeras Græcis subjectas provincias obtinuimus: postremo non ecclesias sanctorum, interfectis numerosis hominibus, ac suburbana Constantinopoleos, quæ & muris ejus pene contigua sunt, incendimus. Et vere de istis nulla fit ultio qui pagani sunt, qui alterius fidei sunt, qui inimici Christi sunt, qui veritatis ministris jugiter adversantur; & nobis, qui gratia Dei Christiani sumus, qui ex parentibus Christianis existimus, atque catholicis, qui unius ejusdemque fidei dogmata credimus, qui servi Christi vocamur, qui veritatis cultores, quantum possumus esse desideramus; minæ prætenduntur, terrores promittuntur, etiam nonnullæ molestiæ irrogantur. Non est iste ordo laudabilis, non est ista commutatio imitabilis, ut qui innumera mala ingerunt, impuniti evadant; & qui nihil mali gesserunt, pro his talia recipiant; & qui Christum blasphemant, dimittantur; & qui Christum celebrant, hujusmodi minis subjiciantur. Sed habemus ad quem respiciamus nos, habemus in quo consolemur. Fecerunt enim hoc & Judæi, latronem dimittentes, & Salvatorem tenentes; occisorem justificantes, & vivificatorem condemnantes; Barabbam liberantes, & Christum morti subdentes.

Sed his tandem omissis ad ea, quæ cum universa sancta ecclesia, quæ apud nos est, dispensatorie consideravimus, stylum jam dirigemus, & cum beato Gelasio nostræ sedis antistite consulte dicemus: Necessaria rerum dispositione constringimur, & apostolicæ sedis moderamine convenimur sic canonum paternorum decreta librare, & retro præsulum, decessorumque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri, temperemus. Et quoniam de persona Ignatii, atque Photii nihil discretius, atque mitius, nec non & salubrius arbitramur, quam ut uterque Romam ad renovandum examen veniat, hoc magnopere volumus, & ut vos annuatis salubriter admonemus. Sed hoc secundum indulgentiam concedimus, non licentiam id efficiendi pro libito cujuslibet tribuimus.

Quoniam cum secundum canones, ubi est major auctoritas, judicium inferiorum sit deferendum, ad dissolvendum scilicet, vel ad roborandum: patet profecto sedis apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus. Juxta quod & Bonifacius, atque Gelasius sanctissimi præsules, non suis adinventionibus, sed ecclesiæ Romanæ consuetudinem non ignorantes dicunt: Bonifacius quidem Rufo, & ceteris episcopis per Thessaliam, & alias provincias constitutis scribens: Nemo, ait, unquam apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractare, manus obvias audacter intulit. Nemo in hoc rebellis extitit, nisi qui de se voluit judicari. Gelasius autem in commonitorio Fausto magistro fungenti legatione Constantinopolim dato: Nobis, inquit, opponunt canones dum nesciunt quid loquantur; contra quos hoc ipso venire se produnt, quod primæ sedi sana, rectaque suadenti parere fugiunt. Ipsi sunt canones, qui appellationes totius ecclesiæ ad hujus sedis examen voluere deferri. Ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium. Nec de ejus unquam præceperunt judicio judicare, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cujus potius sequenda decreta mandarunt. Ergo de judicio Romani præsulis non retractando, quia nec mos exigit, quod diximus comprobato: non negamus ejusdem sedis sententiam posse in melius commutari; cum aut sibi subreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione ætatum vel temporum seu gravium necessitatum dispensatorie quiddam ordinare decreverit. Quoniam & egregium apostolum Paulum quædam fecisse dispensatorie legimus, quæ postea reprobasse dignoscitur. Quando tamen illa Romana videlicet ecclesia discretissima consideratione fieri delegerit, non quando ipsa quæ * pene sunt diffinita retractare voluerit.

Post epistolam 8.

* bene

Porro ne dicatis præter ecclesiæ legem Ignatium, vel Photium Romam venire sanxisse; scitote nos antiqui patris & prædecessoris nostri Julii in hoc esse secutos exemplum, qui juxta quod in epistola sua reperitur, his, qui convenerant Antiochiæ, hoc præcepisse dignoscitur: & Theodoritus historiographus in his hoc ipsum verbis ostendit: Verum, inquiens, Eusebius ejusque consortes calumnias in Athanasium factas Julio Romano pontifici destinaverunt, qui ecclesiasticam sequens legem, etiam ipsos Romam venire præcepit, & venerabilem Athanasium ad judicium regulariter evocavit; ille continuo evocatione suscepta venit.

Julii I. in epist. 2.

Lib. 2. c. 4.

Quod si ad hoc dicitis: Ille quidem vocavit, sed ipsi venire contempserunt: Audite sequentia, & videbitis utrum in laudem, an in vituperium ista sit illis reputata contemptio. Subjunxit enim idem historiographus dicens: Calumniarum vero sarcinatores Romam quidem profecti non sunt, scientes facile suum posse capi mendacium. Ne ergo dicatis nos præter ecclesiæ legem præfatos Romam venire sanxisse: quoniam (sicut ex historiographo ecce audistis) beatus Julius & accusatum & accusatores Romam venire præcepit, & venerabilem Athanasium ad judicium regulariter evocavit. Sed ille, qui bonam conscientiam gerebat, nihil reluctans venit: illi vero, qui malam, contempserunt; scientes profecto, sicut ibi legitur, facile suum posse capi mendacium. Quod nos quoque in Ignatio, ac Photio modo probabimus, quia conscientia se remordente, qui pavet,

vet, nobis obedire contemnet. Si tamen Ignatius, qui omni est humano destitutus præsidio, vestrum non impedimentum passus, sed potius fuerit misericorditer vestro qualiter venire possit, adjutus auxilio.

Porro, si venire illi per se nequeunt, primo quidem ipsi, cujus rei causa venire non valent, nobis per satisfactorias suas literas indicent: Deinde veniant de his, qui cum Syracusano Gregorio sunt quotquot voluerint, vices ceterorum tenentes, qui ipsius sunt partis. Mittantur etiam de parte Ignatii archiepiscopi quidam Antonius Cyzici, Basilius Thessalonicæ, Constantinus Lariſſæ, Theodorus Syracusanorum, Metrophanes Smyrnæ, & Paulus episcopus Ponti Heracliæ, Hegumeni autem Niceta Chrysopoleos, Nicolaus Studii, Dositheus Osiidii atque Lazarus presbyter, & monachus qui dicitur Cazaris; qui nisi fuerint missi, suspectos vos reddetis: quia hos in quibus certificari possimus, a nostris obtutibus subtrahere studiose curatis. Et ideo neminem ceterarum partium admittemus, nisi forte quos ex latere vestro destinatos esse veraciter valeamus agnoscere. Quibus ex utraque parte convenientibus, & coram nostra præsentia, ac fratrum & coepiscoporum nostrorum auditis, quid quæstionis inter utramque partem emerserit, facilius agnoscamus, & canonice finiamus. Mittat nihilominus & Photius ex sua parte quos decreverit, qui modum promotionis suæ irreprehensibilem & canonicum, si possunt, edoceant. Nec non & imperialis apex vester, si libet, suos e latere mittat aulicos, qui in præsentia positi, quem justitia & rectitudo utrisque partibus finem dederit, patenter agnoscant, vestræque pietati renuntient. Hi vero, qui ex latere vestro mittendi sunt, tales sint, qui & Deum timeant, & non sint ecclesiasticarum inexpertes traditionum, atque veritati obedienter & facile acquiescant.

Verum quia sunt quidam ex his, quos Romam venire præcipimus, qui nulla sua habentes solatia, nisi aliorum fieti subsidiis, omnino tantum iter arripere nequeant; idcirco quasi præsentialiter clementiam vestram exoramus, ut quibus egent ad tam difficile atque prolixum iter, pro dilectione Dei misericorditer præstare dignemini. Credimus enim acceptum esse vobis istud consilium, nec molestе feret honor regius vester, qui justitiam diligit, pro his quæ taliter efficienda decrevimus: Quoniam justitia sæpius ventilata, clarius splendescit in lucem. Proinde materiam, per quam veritas possit fieri manifesta, confidimus, quod pietas vestra benigne cupiat adjuvare. Cum autem legati vestri venerint, mittite quæsumus & epistolas authenticas, quas per Rhadoaldum, & Zachariam dudum episcopos misimus vestræ scilicet eminentiæ atque synodo, quæ tunc pro sacris imaginibus esse colligenda putabatur, quatenus si tales permaneant apud vos, quales a nobis constat fuisse transmissas, apud nos investigentur: sicque de cetero falso dicentium, alia nos scripsisse præter quæ misimus, labia conticescant. Si vero quædam in eis habentur inserta, quæ nos scribi non jussimus, nec mitti voluimus, diligenter scrutemur, & cujus culpa sit actum, reperiamus. Est enim apud nos socia illarum duarum, quam apud nos (sicut jam supra diximus) retinuimus pro futuro scilicet testimonio, uno tenore cum ipsis duabus exposita, & eisdem syllabis contexta per omnia.

Precamur etiam dilectionem vestram, ut nobis actionum authentica, in quibus continetur, qualiter Ignatius primitus sit existimatus depositus, destinare dignemini: & monumenta gestorum, quæ per Leonem a secretis misistis, quæsumus ipsa nobis authentica transmittite, tam illa videlicet, ubi de tyrannica exspoliatione Ignatii refertur, quam illa in quibus de imaginibus est agitarum, licet pene nihil, & a paucioribus præsulibus, quam in Ignatii putata depositione fuissent inventi. In quo datur intelligi, quod majus studium fuerit arreptum in læsione hominis, quam in laude Dei.

Jam vero si monitis nostris obedieritis, & quæ intimavimus adimplere studueritis, favente Domino, auctoritateque sanctorum principum apostolorum potiti, licentiam Christianissimæ, ac mansuetissimæ sublimitati vestræ concedemus, cum sancta catholica & apostolica ecclesia, specialiter autem nobiscum, & cum consacerdote nostro Ignatio, & cum parte ipsius, communionis gratiæ participandi, excepta communione Gregorii Syracusani, & partis ejus, atque consentaneorum ipsius communione. Porro, si fortassis excellentiæ vestræ non placet, quod superius scripsimus pro mittendis ex utrisque partibus legatis; scitote nos nil convenientius, aut commodius, quam hoc fieri posse penitus invenisse.

Quamvis & ad hoc ipsum pro vestro imperiali amore, ne vobis existimemur in nullo satisfacere velle, condescendamus: Atque ne minus pacem ecclesiæ nos velle sectari, quam semper voluimus, opinemini. Siquidem (ut prætulimus) nulla regula, nullaque consuetudo demonstrat, sedis apostolicæ semel prolatam sententiam, ipsa non annuente, ultra posse mutari. Nihil præterea est, quod vos avertere debeat, si placet, credite, quominus præfatos viros in nostram præsentiam dirigatis ad inquirendam scilicet justitiam & veritatem. Testis enim est nobis omnipotens Deus: quia non est in mente nostra quælibet intentio vel desiderium, nisi diligenter investigandi & inveniendi quid æquitas unicuique parti tribuat, & quid ecclesiæ præsenti statui & futuro conveniat. Non ergo putetis nos aut Ignatio velle favere contra justitiam, aut Photium impugnare canonibus sibi non resistentibus. Certe perfectorum Christianorum est, non solum nulli vell nocere, verum etiam lædenti se malum pro malo non reddere. In quo ergo coram Deo loco, vel inter quos computaremur, si nil nobis contrarietatis irroganti inimicitias inferre appeteremus? Igitur dignetur credere pietas vestra, quoniam nec isti volumus in sua justitia contraire, nec Ignatio, non suffragantibus canonibus, & ecclesiasticis traditionibus, auxiliari. *Matth.* *Rom.*

Credimus autem in Domino, qui dixit de tenebris lucem splendescere, & qui dat homini scientiam: quoniam si partes, quas diximus, ad illius limina pervenerint, qui mentientes Ananiam & Sapphiram gladio sancti Spiritus interemit, si qua sunt incerta & abdita, revelabuntur, & manifesta fient: quia nos semper hoc in voto habemus, & inhianter desideramus, ut æqualitatem utrisque partibus servantes, nihil nisi quod sacri canones, nisi quod æquitas dictaverit, adjuvante Domino, statuamus, nullius detrimentum velentes, quanto minus periculum anhelantes? Quamobrem ergo jam quia sic se veritas habet, contra partem Gregorii Syracusani simus commoti, & in flagello profecti, si vultis agnoscere, dignanter audite: Videlicet quoniam non surdi fuimus auditores sancti evangelistæ, qui nobis refert, quod redemptor noster flagellum fecerit de resticulis, & templum ingressus omnes in eo diverso modo male operantes ex ipso projecerit. Quod cernentes apostoli, potuerunt utique minus adhuc perfecti mirari, veluti forsitan nunc *Act.* *Joan.*

vos,

vos, quomodo tanta facilitate sacerdotes & cunctos malos operarios foras e templo pepulerit. Sed postea recordati sunt, quia scriptum erat: *Zelus domus tuæ comedit me.* Neque itaque inimicitiæ, non humanum odium, non ullum (Deo gratias) malignum desiderium nos contra præfatæ partis homines impulit, sed zelus domus Dei, zelus paternarum traditionum, ordo ecclesiasticus, antiqua consuetudo, atque sollicitudo, quam circumferimus cunctarum ecclesiarum Dei: nec non & privilegia propriæ sedis, quæ in beato Petro suscepta divinitus, & in ecclesiam Romanam derivata, universalis celebrat & veneratur ecclesia, sicut prædiximus, nos accendunt, & silere, ac desides esse nequaquam permittunt.

Ergo cum ita sit, quoniam, ut veritatem dicamus, per omnia ita est, & si tempus indulgeret, mille quæ dicimus valeremus testimoniis demonstrare, & vobis ex probabilium scriptis virorum judiciis ostendere multiplicibus: nolite indignari, nolite adversus nos frustra caussari, nolite perversorum hominum verba libenter audire, sed potius nos audite. Nolite nobis minas prætendere, quoniam nec illas, Domino protegente, metuimus, nec per has præcepta vestra, nisi divinis fuerint justis ornata, faciemus. Parati autem sumus propter veritatem, sanguinem nostrum effundere, & siquidem plebem divinitus nobis commissam, nec vobis, nec ulli vestrum, propitio Christo, trademus.

Vestrum autem est considerare, utrum quod meditamini valeatis nec ne perficere. *Cogitate itaque dies antiquos, & annos æternos in mente habetote*: & quid imperatores, qui persecuti sunt ecclesiam Dei, & maxime ecclesiam Romanam: id est, Nero, Diocletianus, Constantinus, Anastasius, & ceteri moris eorum pertulerunt, & ubi modo sint attendite diligenter, & quantum sit in ecclesia Dei execrabilis fama eorum, & nomen detestabile sapienter advertite. Quanta autem Dei cultorum Augustorum, qui ecclesiam Dei exaltaverunt & præcipue Romanam, Constantini videlicet & Constantis, Theodosii quoque majoris & Valentiniani, & ceterorum laus in universali ecclesia polleat, & eorum præconia ubique per sonent, & nomen eorum inter sacra mysteria imprætermisse commemoretur, attentius & sedule recordamini: sicque nos audire illos imitantes satagite: Patres enim vestri per gratiam Christi sumus, & vos tamquam carissimos diligimus filios: nec possumus vobis nisi viam veritatis ostendere: terrenam gloriam vestram augeri divinitus exoptamus. Sed quid peccamus, si cælestem, ac æternam vos capessere nihilo minus exoramus?

Quapropter attendat clementia vestra, quantus fuerat erga sedis apostolicæ reverentiam antecessorum vestrorum piorum dumtaxat imperatorum, & præcipue quos longe superius memoravimus, amor & studium: qualiter eam diversis privilegiis extulerint, donis ditaverint, beneficiis ampliaverint: qualiter illam literis suis honoraverint (ejus votis annuerint, instituta perficienda mandaverint), orationes petiverint, fidem sectandam decreverint: qualiter etiam legibus suis pro adunandis ei ecclesiis promulgaverint, pro colligendis conciliis, ac proferendis sententiis non imperaverint: sed precati & hortati solum extiterint, & quæ illi decreverunt, ipsi consenserint, & quæ illi damnaverunt, ipsi respuerint. Sic ergo fili carissime, sic & tua sublimitas non ex parte ingratorum & inobedientium filiorum existens, quod absit, sed hos inter ceteros Dei cultores Augustos imitata, quæ decrevimus de Constantinopolitana ecclesia, obedienter attendat. Ista quæsumus suadentibus sæpius nobis pietas vestra nos minime spernat, præ oculis habitis Domini verbis, dicentis: *Qui audit vos, me audit, & qui vos spernit, me spernit, & qui me spernit*, &c. Denique & concordans apostolus Domino nostro: *Quapropter*, inquit, *qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui dedit Spiritum suum sanctum in nobis.* Verum si vos nos spernendos esse ducitis; nos tamen non possumus ea, quæ Dei sunt, spernere & negligere, quo minus & saluti vestræ consulamus, & de acceptione talenti crediti nostrum periculum declinemus, dispensatione nobis cælestis seminis injuncta; Væ si non sparserimus: væ si tacuerimus.

Quod cum electionis vas formidet & clamet, quanto magis cuilibet exiguo metuendum est? Proinde, sicut non leve discrimen incumbit pontificibus silusse pro divinitatis cultu & ecclesiæ correctione quod congruit, ita his, quod absit, non mediocre periculum est, qui cum debeant parere, despiciunt. Et si cunctis generaliter sacerdotibus divina tractantibus fidelium convenit corda submitti; quanto potius sedis illius pontifici consensus est adhibendus, quem cunctæ ecclesiæ generalis jugiter pietas celebravit? Ubi clementia vestra evidenter advertit, nunquam quovis penitus humano consilio elevare se quemquam posse contra illius privilegium, vel confessionem, quem Christi vox prætulit universis, quem ecclesia veneranda confessa semper est, & habet devota primatem: impelli non valent humanis præsumptionibus quæ divino sunt judicio constituta. Desinant ergo, rogamus, temporibus vestris quidam per occasionem perturbationem ecclesiasticam præcipitanter appetere, & quæ non liceat ambire: alioquin & quod male appetiverint, non perfruentur, & ipsam quoque Christianitatem, nisi resipuerint, prorsus amittent. Vos autem, quæsumus, nolite præjudicium Dei ecclesiæ irrogare: illa quippe nullum imperio vestro præjudicium infert, cum magis pro stabilitate ipsius æternam divinitatem exoret, & pro incolumitate vestra & perpetua salute jugi devotione precetur. Nolite quæ sua sunt usurpare: nolite quæ ipsi soli commissa sunt velle surripere: scientes, quia tanto nimirum a sacris debet omnis mundanarum rerum administrator esse remotus, quanto quemlibet ex catalogo clericorum, & militantium Deo nullis convenit negotiis sæcularibus implicari. Denique hi, quibus tantum humanis rebus & non divinis præesse permissum est, quomodo de his, per quos divina ministrantur, judicare præsumant, penitus ignoramus.

Fuerunt hæc ante adventum Christi, ut quidam typice reges simul & sacerdotes existerent: quod sanctum Melchisedec fuisse, sacra prodit historia: quodque in membris suis diabolus imitatus, utpote qui semper quæ divino cultui conveniunt, sibimet tyrannico spiritu vendicare contendit, ut pagani imperatores iidem & maximi pontifices dicerentur. Sed cum ad * verum ventum est, eumdem regem atque pontificem, ultra sibi nec imperator jura pontificatus arripuit, nec pontifex nomen imperatorium usurpavit. Quoniam idem mediator Dei & hominum homo Christus Jesus sic actibus propriis, & dignitatibus distinctis, officia potestatis utriusque discrevit, propria volens medicinali humilitate sursum efferri, non humana superbia rursus in inferna demergi, ut & Christiani imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent, & pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legi-

legibus uterentur : quatenus spiritalis actio carnalibus distaret incursibus.

a. Tim. 2. Et ideo militans Deo minime se negotiis sæcularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset negotiis sæcularibus implicatus, ut & modestia utriusque ordinis curaretur, ne extolleretur utroque suffultus, & competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur. Quibus omnibus rite collectis, satis evidenter ostenditur a sæculari potestate nec ligari prorsus, nec solvi posse pontificem, quem constat a pio principe Constantino, quod longe superius memoravimus, Deum appellatum, nec posse Deum ab hominibus judicari, manifestum est. Sed & Theodosius minor sanctæ synodo scribens Ephesinæ primæ, dicit : Deputatus est igitur Candidianus magnificentissimus comes strenuorum domesticorum transire usque ad sanctissimam synodum vestram, & in nullo quidem quæ faciendæ sunt de piis dogmatibus quæstiones, seu potius expositiones communicare. Illicitum namque est eum, qui non sit ex ordine sanctissimorum episcoporum, ecclesiasticis intermisceri tractatibus.

Verba Theodosii scribentis ad synodum.

Quid præterea hinc Romani præsules sentiant, quid Latini, Græcique doctores hinc exponant, quid denique Maximus venerabilis monachus, & in illo tempore apud vos pene solus catholicus in disceptatione sua perhibeat, quoniam longum est scribere ; interrogate seniores, qui tamen moribus seniores sunt, & dicent vobis. His itaque manifeste repertis, apparet comministrum nostrum Ignatium per imperialem tantummodo sententiam nullo modo potuisse prorsus expelli. In cujus damnatione, quia præsulum quoque assensus est subsecutus, apparet id causa fuisse patratum adulationis, non legitimæ sanctionis. Siquidem in tantum vestra sententia præsulum præcessit sententiam, ut non solum vestro sit jussu a credita sibi ante omnem interrogationem idem antistes pulsus ecclesia, verum etiam postea in damnatione ipsius (sicut gesta illius latrocinalis synodi, quæ nobis per Leonem illustrem a secretis misistis, indicant) quod nunquam, ni fallimur, aliquando fuit actum, primi & ante omnes scripseritis episcopum. His ita prælibatis sub conspectu Dei, pure, sincereque pietatem vestram deprecamur, obtestamur, exhortamur, ut petitionem nostram non indignanter accipiatis.

Ex epistol. Gelasii ad Anast. imp.

Rogamus denique, ut nos in hac vita potius audiatis deprecantes, quam, quod absit, in divino judicio sentiatis accusantes. Et ideo nolite, precamur, irasci si vos tantum diligimus, ut regnum, quod temporaliter assecuti estis, velimus vos habere perenne : & qui imperatis sæculo, possitis regnare cum Christo. Nam qua fiducia, rogamus, illic Dei præmia petituri estis, cujus hic ecclesiæ detrimenta non prohibetis? Non sint gravia, quæsumus vos, quæ pro vestræ salutis æternitate dicuntur. Scriptum legitis : *Meliora sunt vulnera amici, quam fraudulenta oscula inimici*. Deus omnipotens cor imperii vestri ad intelligenda quæ dicimus, clementer aperiat, & nobis obedire in his de quibus scribimus, impetrare nutu intimæ inspirationis suæ dignetur, Christianissime & dilectissime fili.

Prov. 27.

Sic in ep. 10. ejusdem Nicolai.

Quisquis autem hanc epistolam nostram Constantinopoli legerit, & augustissimo filio nostro imperatori Michaeli quidquam ex his, quæ in ea scripta sunt occultaverit, si locum apud illum potest invenire sufficientem, anathema sit. Quisquis etiam interpretatus eam fuerit, & ex ea quidquam mutaverit, vel subtraxerit, aut superaddiderit, præter illud quod idioma Græcæ dictionis exigit, vel * interpretantis scientia intelligendi non tribuit, anathema sit.

* Lege in ep. interpretis scientiæ. H.

Hæc quidem, quæ hucusque per periochas novem sunt scripta, prius acta, & a nobis per quosdam fraternæ generalitati vestræ intimanda sunt missa, præter epistolam illam apostolatus nostri, quam Michaeli excellentissimo imperatori per quemdam ipsius legatum, qui se protospatharium appellabat, nomine Michaelem, transmisimus. Postea vero cum cognovissemus, quia penes hos, qui nolunt sanis acquiescere monitis, nihil solum scribendo proficiebamus, ratum duximus, per legatos nostros, & iteratas literas ea rursus quæ videbantur ecclesiæ profutura mandare, hujus rei gratia direximus Constantinopolim Donatum sanctissimum episcopum, & Leonem venerabilem presbyterum, atque filium nostrum Marinum diaconum : quatenus hi, qui literis admoniti parere refugiunt, veritati, saltem verbis salutaribus conventi, discant tandem divinis institutionibus minime resultare. Quibus in scriptis dedimus, quæ habentur in subditis, quæque per tres periochas distinguenda fore decrevimus. Prima utique harum est, quæ & decima hujus est periocha voluminis, continens epistolam ad jam memoratum Augustum transmissam, & alteram ad episcopos, ac ceteros ordines Constantinopoli subjectos. Secunda vero periocha est, quæ hujus corporis undecimum complet locum, habens in se duas epistolas : unam Photio, & alteram Bardæ fautori ejus descriptam. Porro tertia est, quæ & duodecima istius est codicis periocha, circumferens in se fratri & coepiscopo nostro Ignatio, & matri imperatoris, atque uxori ejus singulas missas epistolas : nec non & epistolam uniformem, quam quibusdam claris urbis Constantinopolitanæ senatoribus singillatim scribendam, atque mittendam fore prævidimus.

IX. AD MICHAELEM IMPERATOREM.

Hortatur imperatorem ad legatos benigne audiendos, repetit quæ in superioribus epistolis de Ignatio, Photio, Rhadoaldo, & Zacharia dicta sunt, docet epistolam a se missam, corruptam fuisse, restituitque loca depravata, demonstrat Photii promotionem vel ea de causa rejiciendam, quia a Gregorio Syracusano damnato fuerat consecratus, & imperatorem, qui eum defendebat, arguit. Petit ut epistolam contumeliarum plenam, quam ipse imperator miserat, jubeat comburi : sin minus, dictatores ejus, dispositores, atque præceptores minatur se excommunicaturum, & ut epistola ad illius dedecus in episcoporum concilio coram omnibus comburatur, præcepturum ; tandem ostendit plurimum conducere causæ Ignatii & Photii, ut uterque Romam veniat.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, piissimo & gloriosissimo dilecto filio Michaeli magno imperatori.

QUanto majora sunt beneficia Dei, quæ gratuita misericordia sua vestræ collata sunt pietati ; tanto procul dubio virtutum vestrarum debent insignia fœcundius abundare : & quanto dono ipsius imperium vestrum glorioſius esse dignoscitur exaltatum, & super omnia regnorum culmina sublimatum, tanto infirmitate propria considerata oportet sub potenti manu ejus solo tenus humiliari, & prona mente, quod omnia ex illo quidquid boni habet, quidquid sibi arridet, sine dubio possideat, submisse, seduleque

Virtus h militatis.

pen-

[l. 3.] [d. 32.] pensare, scriptum quippe est: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus*: & rursus: *Rectorem te posuerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex* [Reg. 15.] *illis*: & ad Saul dicitur: *Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israel?* Nihil quippe a sublimibus personis offertur Deo gratius humilitate. Nihil autem humilitati principum magis congruit, quam libenter audire queritantium voces, prædicantium exhortationes, & imminentes, seu futuras a speculatoribus Domini prænuntiatas cavere calamitates. Denique, cum non omnes prophetiæ spiritum accepimus, unde scire possumus, quæ circa subjectos nostros, vel circa eos, qui ejusdem fidei sunt nobiscum, aguntur, si præsentium verba, vel absentium scripta ab auditu nostro, vel visu prorsus excludimus? Epistolæ namque stylus tamquam quidam adventantium, seu gestorum negotiorum ostiarius est. Quid ergo nosse poterit omnium curam habens subditorum, & præcipue religionis providentia vestra, si adempto janitoris officio intus nuntiari non permittitur, quod a diversis suggerere clementiæ vestræ auribus foris deposcitur. Debetis ergo cunctorum suggestiones absque ulla prorsus retractatione pio semper auditu percipere, referentiumque voces honestatis, immo reperiendæ justitiæ, ac æquitatis avidi absque qualibet dispectione dignanter admittere: sicque demum magistra ratione, quæ semper privatæ voluntati non postponi, sed anteponi debetur, a falsis vera, & a noxiis salubria sequestrare, & falsa quidem, seu noxia summo libramine reperta, merito repellere: quæ autem vera, sive proficua esse probantur, jure consequenter admittere: nam amatoris justitiæ indicium est quoslibet, & quomodolibet [Justitia ubique quærenda.] hanc velle penitus invenire. Justitia nempe pretiosa margarita est, quæ non solum in thesauris regiis, verum etiam in sterquiliniis est quærenda. Quanto potius a sede Petri, cui Deus pater pretiosissimum margaritum, id est, filium suum, revelavit, est sine omni cunctatione speranda, & expectanda: nec non & oblata totis præcordiorum ulnis ardentissime suscipienda. Nolite igitur fili carissime scripta nostra, vel missos a visitatione vestra secludere: nolite a beati Petri legatione tranquillissimas aures vestras avertere. Infidelium est enim, immo de salute sua desperantium, aures a voce prædicantium claudere, *sicut* [al. 25.] *aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiunt vocem incantantium*, id est, prædicantium.

Ceterum vos, qui pii, Deo gratias, suadibiles estis, tanto aures ad audiendos clamores pauperum, id est, humilium, & pro ecclesia Dei vociferantium aperire debetis: tantoque ad audiendam legem dirigere vestram intentionem oportet, quanto ipsi penes Deum haberi orationem vestram acceptam desideratis, quantoque cum in opportunitatibus clamatis, & exaudiri medullitus exoptatis. Siquidem virgines illæ fatuæ, quæ fo- [Matth. 25.] ris positæ incassum, *Domine Domine aperi nobis*, clamarunt, idcirco apertam januam non invenerunt: quoniam aurium suarum januam salutiferis vocibus non aperuerunt: Sicut enim misericordiam facientes, misericordiam consequentur, quod de unaquaque virtute sentiendum est: ita voces, quæ pro caussa Dei proferuntur, qui audierit, voces quoque suas constituet exaudibiles, sicut e contra: Qui non audierit, non audietur, [Prov. 28.] quemadmodum scriptum est: *Qui obturat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis*. Porro, cum quædam mulier typum ecclesiæ ge- [Luc. 11.] stans, Domino: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti*, clamaret, confestim audivit, quod *magis beati sint, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt*. [Ibidem.] Itaque audite serenissime imperator voces legatorum nostrorum, vel voces literarum nostrarum audite patienter, audite tranquille, quas confidimus in Domino, non invenietis a divinis præceptis in aliquo dissentire, vel a paternis diffinitionibus studio discrepare. Nam si antequam has audiatis, repellitis, & * a vocibus antequam de his, quæ fortassis in eis in dubium veniunt, interrogaveritis, excluditis contra divinum præceptum: de incognitis judicare, & non probata damnare procul dubio dignoscemini. Itaque sapientissimum Salomonem, qui filium quem [Prov. 4.] instruit ad auditionem suam potissimum invitat sequentes, hæc vobis scripto tamquam carissimo filio præmisisse sufficiat.

[* Forte melius, a vobis. H.]

Ceterum & si non vobis, saltem nobis consulentes, quæ mittenda operæ pretium duximus, scribere non omittimus, & caussas ecclesiæ ipsius, vel nostras, etsi non auribus tuis, certe tamquam coram præsentia Dei fidenter exponimus. Igitur quæ penes ecclesiam Constantinopolitanam diebus tuis, o excellentissime imperator, acta sunt, hactenus quæruntur, sapientia quidem tua, liquido novit. Sed qualiter zelo zelati pro domo Dei sollicitudinem scilicet omnium ecclesiarum secundum apostolum, more prædecessorum meorum circumferentes, nos de his egerimus, vel disposuerimus, non tam brevi, quam veraci stylo pietati tuæ significamus: & ne aliter sinceræ menti tuæ suaderi tentetur, vel aliter quod egimus, tibi surripiatur intelligi, præsentibus te syllabis edocemus: quod prudentiam tuam dudum jam non lateret, si vel hostes Christi, qui vere est veritas: non in mendacium veritatem converterent, vel nos affectu voluisse paterno, tamquam carissimo filio hanc tibi reserare, studuissent asserere: vel si quo dilectionis ardore circa salutem tuam flagremus, falsitatis fuco noluissent contegere. Igitur postquam audivimus, quod quidam qui invidiæ facibus accensi, & superbiæ fastu arroganter elati, more Judæorum, contra pastorem & magistrum suum fratrem videlicet, & comministrum nostrum Ignatium ecclesiæ præfatæ sanctissimum patriarcham insurrexissent: quidam vero instar viperarum, ac parricidarum parentem proprium, eumdem scilicet beatissimum virum ferinis dentibus impetiissent, & ab ecclesia ipsa, cui jure præsidebat tyrannidis suæ cornu penitus removissent: acerrimis doloribus angustiati, atque mœroribus vehementibus cruciati, cœpimus qualiter erga eum viscera benignitatis, utpote circa fratrem ostenderemus, sedula meditatione tractare. Scriptum quippe est: *Qui viderit fratrem suum* [Joan. 3.] *necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* maxime cum scandalum, & schisma in jam dicta urbe, & in adjacentibus sibi civitatibus propter quemdam Photium ex foro, ac sæculari militia & habitu, atque a palatinis ædibus eductum, ac subito tonsuratum, & in eadem ecclesia contra sacros canones promotum, non modicum audiremus obortum. Aliis videlicet Photii promotionem defendentibus, aliis autem hanc tamquam inconvicto, & superstite Ignatio factam merito detestantibus. Sed dum quid hinc a nobis fieri deberet, vel qualiter tantæ pestilentiæ mederi possemus, nobiscum incessanter & anxie cogitaremus; ecce repente legati sublimitatis tuæ ad sedem apostolicam cum epistola regia pervenerunt, accusationes quasdam adversus jam fatum consacerdotem nostrum Ignatium deferentes, & ut a sede apostolica missos daremus, qui scandala illa sedarent, & schismata dissiparent, magnopere postulantes.

[Debitum apostolicæ sedis in juvandis episcopis ejectis.]

Qui-

Quibus benigne receptis, & legationis injunctæ sibi, seu scriptorum delatorum tenore perspecto, mœstitiam quam prius rumor solus in corde nostro pepererat, casuum evidenter ostensorum certior confestim relatio multiplicavit.

Hæc sunt totidem verbis in ep. 1.

Quapropter, quia sicut imperii tui divinitus inspirata sapientia nobis qui cunctarum Christi ovium cura constringimur, cum vices illius per abundantiam cælestis gratiæ egerimus, cui specialiter a Deo dicitur: *Pasce oves meas*. & rursus: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*: non potuimus dissimulare, non potuimus negligere, quominus visitaremus oves dispersas & dissipatas: vel quominus confirmaremus in fide & bonis moribus fratres nostros & proximos. Et quia inter cetera, quæ de schismate jam fatæ Constantinopolitanæ ecclesiæ, hi qui missi fuerant, testabantur, maxime eamdem ecclesiam ab Iconomachis recidivam contentionem excitantibus asserebant vexari, Christumque per singula conventicula blasphemari: idcirco duos episcopos, qui nobiscum erant, quique ad hoc tantum perficiendum opus idonei nobis esse videbantur, Rhadoaldum scilicet & Zachariam una cum ecclesia, quæ apud nos est, datis literis, * quæ Constantinopolim, idem nimirum piaculum execrantes, e latere nostro direximus, nihil eis penitus injungentes, nisi ut tantummodo causam Ignatii patriarchæ, qui ante de ecclesia pulsus, quam ab aliquo accusatus extiterat, diligenter investigarent, & sedi apostolicæ, & veracibus plenius referrent indiciis: quemadmodum Job beatissimus edocet: *Causam*, inquit, *quam nesciebam, diligentissime investigabam*. Photii vero consecrationem non solum minime interim admittendam esse * credimus, verum etiam ipsis legatis nostris, ne cum illo, * nisi cum laico usque ad notitiam nostram communicarent, frequenti ac commoda jussione præcepimus. Quoniam sicut magniloquus Leo papa scribens ad sanctum Flavianum dicit antistitem: Nos qui sacerdotum Domini matura volumus esse judicia, nihil possumus incognitis rebus cujusquam partis in præjudicium diffinire, priusquam universa quæ gesta sunt, veraciter audiamus. Tantum eis de venerabilibus Domini nostri Jesu Christi, ejusque genitricis semper virginis Mariæ, ac sanctorum ipsius imaginibus quidquid quæstio afferret, juste, ac pie diffinire licentiam dantes. Quæ cuncta ita esse, ut dicimus, literæ nostræ, quas Augustæ mansuetudini tuæ, nec non & Photio per eosdem missos nostros destinaveramus, si ita sunt apud vos, quemadmodum a nobis fuere transmissæ, patenter poterunt indicare. Verum de hoc in subditis late dicturi, ad propositum redeamus. Pervenientes igitur iidem missi nostri Constantinopolim minis imperii tui, (sicut ipsi postea nonnunquam fatebantur) deterriti, & horrendis terroribus impulsi, spretis monitis nostris, contemptis & epistolis sibi a nobis coram tota ecclesia nostra datis, immo postposito timore Dei (sicuti postea claruit) in contrarium verterunt omnia quæ sibi fuerant imperata.

Verum de his a nobis collecto bis sanctorum episcoporum occidentalium regionum concilio, juxta quod Dominus ait: *In quo judicio judicaverunt, judicatum est: & in qua mensura mensi sunt, remensum est eis:* contigit enim illis, quemadmodum Vitali quondam & Miseno episcopis, qui sicut isti Constantinopolim missi eorum, pro quibus destinati sunt, adversæ parti communicando, non executores, sed impugnatores inventi sunt: de quibus beatus Felix apostolicæ sedis antistes, & Alexandrini Petri, seu Constantinopolitani Acacii præsulum damnator imperatori Zenoni scribens, inter cetera Vitalem, ait, atque Misenum cur vel impulsi ad ista consenserint, honore simul & communione apostolica censura privavit.

Quoniam factum est, sicut ipse Cyrillo abbati * Acrinitensi scribit, ut eorum prævaricatione deciperetur populus Christianus: qui rursus de eis mentionem faciens, ad jam fatum principem de eorum transgressione dicit: Plebi suasum est Christianæ nos talibus præbuisse consensum, quos mox ut regressi sunt, prævaricatio impune non habuit. Nam cos apud beatum Petrum apostolum sancta mecum synodus residens dum convicti plura mentirentur, ordine & communione nudavit: ne eorum incorrepta perfidia securitatem præberet inimicis. Jam vero si vos prædictis legatis nostris vim (quemadmodum ipsi fatebantur) intulistis, licet eos exemplo memoratorum oportuerit antistitum deterreri, immo ne vel impulsi ad talia laberentur, Domini, *Nolite timere eos, qui corpus occidunt*, dicentis, debuerint præceptis arceri, contra divinam tamen reverentiam a te, o catholice princeps, probatur admissum, ut beati apostoli Petri directa legatio, immo hæc in illo proferentis Christi, qui dicit: *Qui vos spernit, me spernit*: tamquam in captivitatem redacta teneretur.

Verum quia res & personæ utrarumque partium istius temporis cum illo pene in cunctis conveniunt, memorabilis viri jam nominati Felicis sedis apostolicæ præsulis apud vos etiam clementissime verbis alloqui procuravimus, qui ad superscriptum Augustum scribens inter alia: Cum, inquit, apud barbaras etiam nationes, atque ipsius Deitatis ignaros, pro exequendis negotiis vel humanis, jure gentium semper legationis cujuslibet habeatur sacrosancta libertas, notum est omnibus: quanto magis ab imperatore Romano, & Christiano principe in rebus præsertim divinis oportuerit intemeratam servari? Sed quia superius de falsatæ epistolæ per jam dictos tunc Rhadoaldum, & Zachariam episcopos ad te directæ scriptura memoriam fecimus, restat ut partim loca, in quibus falsata est, quantum inspectis exemplaribus Græcis, quæ nobis per Leonem a secretis missisti, nosse tribuitur, aperiamus.

Asserentes primitus, quomodo non ordo legitimus, nec a sanctis patribus usitatus, in lectione ipsius epistolæ fuerit observatus: quandoquidem eadem epistola non solum de sacris imaginibus, verum etiam de audiendo fratre & coepiscopo nostro Ignatio sententiam sedis apostolicæ continebat. Et vos eam in causa quidem Ignatii consacerdotis nostri, quæ prius ventilata est, nescimus, cujus usi concilio, silentio contexistis, solum hanc postea, quando pro veneratione sanctarum imaginum synodus collecta est, demonstrantes: quamvis in his, quæ ibidem ex calecta sunt, nonnulla addita, multa mutata, plura subtracta reperiantur, & per omnia talis a vobis effecta sit, ut aut nihil aut parum aliquid nos per eam de crebro dicti comministri nostri Ignatii disposuisse causa videamur: sed vere non sic in synodis prisco tempore collectis, non sic actum fuisse nonnullorum gesta conciliorum demonstrant. In illis enim apostolicæ sedis scripta non sub occultationis modio tegebantur, sed ut omnibus, qui erant in domo Dei lucerent, in propatulo ponebantur, & ut si qua turpitudo vel macula in fidei pulcritudine a quolibet tentaretur induci, facile patesceret, ac si specula in omnibus habebantur, & quasi quædam rectitudinis formula qua imprimi ceteri possent posita, colebantur.

Quod ut manifestius patcat ex his huic epistolæ pauca duximus inferenda. Primo etenim loco san-

* Forte redundat vox illa, *qua*. H.

Job 29. Ut in ep. 8. deinceps ut in ep. 1.

* Edit. Rom. credidimus.

* Forte, *nisi ut cum laico*. H.

Epist. 10.

Matth. 7

Ex ep. 10.

* Acac. tensi.

Matth. Ex ep. Felicis

Luc. 10

Ibid.

Mos in nodis p rendi a stolicar stolæo.

Cælesti epistoli

ſancta ſynodus apud Epheſum congregata, ſanctæ memoriæ Cæleſtini papæ prius epiſtolam legit, & ita demum ad alia exequenda vacavit, ita ut jubente ſancto Cyrillo, qui idcirco in præfata ſynodo ante omnes ſedit, quia & ipſe locum jam memorati papæ ibidem (ſicut geſta ejuſdem ſynodi teſtantur) obtinuit: ipſa epiſtola cum competenti honore Latine primitus, & poſtea in Græcam dictionem ſine ullo fuco falſitatis jam translata ſit coram ſynodo lecta: In tantum, ut ex ejus propemodum ſpecialis judicii tenore ſit perfidus Neſtorius Conſtantinopoleos antiſtes expulſus, dum eadem ſynodus in ſententia contra eum prolata tali modo proſequitur: Neceſſario, inquiens, coacti tam ex canonibus, quam ex epiſtola ſanctiſſimi patris noſtri & comminiſtri Cæleſtini epiſcopi Romanorum eccleſiæ lacrymantes ſæpius ad hanc mœrore plenam contra eum venimus ſententiam. Et ad eumdem papam poſtea ſcribens, præfatum Neſtorium per epiſtolam ab ipſo ſanctiſſimo præſule ſcriptam, rationabiliter aſſeverat fuiſſe damnatum. Epiſtola quoque ſancti Leonis papæ adeo apud omnes orientales epiſcopos extitit venerabilis, ut hanc columnam orthodoxiæ vocarent: & omnes in ea præſules Conſtantinopoleos Anatolio præcedente ſubſcriberent: ita ut Chalcedonenſis magna ſynodus nil diffiniſſe, nil reſpuiſſe, nil ſuſcepiſſe, niſi quod vel illa, vel vices apoſtolicæ ſedis ibi reſervantes diffinierunt, projecerunt, vel admiſerunt, penitus agnoſcatur, & (ſicut in relatione ſua, quam ad piæ recordationis ſuæ Marcianum Auguſtum habuit, invenitur) prima ruina Dioſcori, qui epiſtolam ſancti Leonis recitari prohibuit, extitit, dum ſic ajunt: Nos igitur conſiderantes & univerſo orbe factas tempeſtates, & cauſſam inquirentes hujus rei auctorem comperimus Dioſcorum quondam Alexandrinorum epiſcopum, primum quidem, quia epiſtolam a ſanctiſſimo archiepiſcopo ſenioris Romæ Leone directam ad ſanctæ memoriæ Flavianum quondam Conſtantinopolitanæ urbis epiſcopum recitari prohibuit. Sed quid per ſingularum concilia ſynodorum immoremur, cum in omnibus illis ſemper ab apoſtolica ſede ſcriptum prolatum, & ordine præponatur, & auctoritate ſcripturis ceteris antecellat? Quod ſi ſublimitatis tuæ non latuit ſapientiam, oportebat ut etiam ipſa diebus ſuis talium ſequeretur exemplorum veſtigia.

Sed tandem aliquando ad oſtendendum partim falſata in epiſtola noſtra loca, opitulante Domino, ſicut præmiſimus, accedamus: partim vero dicimus, quoniam prolixitatem vitantes, eadem commemorare per ſingula recuſamus, quandoquidem nec in his, quæ de venerandis imaginibus per eamdem locuti ſumus epiſtolam, tenor ſtyli noſtri, vel intentionis extiterit obſervatus. Siquidem cum nos inter alia commemoraſſemus, Quod multoties conventus factus fuerit ſanctorum patrum, a quibus & deliberatum, ac obſervatum extitit, qualiter abſque Romanæ ſedis, Romanique pontificis conſenſu nullius inſurgentis deliberationis terminus daretur. Hoc videlicet de majoribus dumtaxat eccleſiæ negotiis nos innuentes, quod & veraces hiſtoriæ, & ſynodalia geſta ſæpe diffinitum, ſæpe & factum fuiſſe teſtantur: Vos eraſiſtis, Abſque, & interpoſuiſtis, Cum, ſignificare ſcilicet attentantes: Deliberatum fuerat a ſanctis patribus, ut cum ſedis apoſtolicæ, & eccleſiæ veſtræ conſenſu omnis rei finis debeat omnino proferri: cum hoc fieri ſemper nulla ratione valeat, nullo prorſus exemplo geſtum pateſcat, præſertim cum hæc apoſtolica ſemper ſedes in ſana doctrina perſtiterit.

Veſtra vero eccleſia (quantum ad præſulatum pertinet) infirmante capite ſæpe languerit: ac per hoc iſta nequiverit aſcire quovis modo conſenſum, cujus peſſimum execrabatur non immerito ſenſum. Deinde cum nos exprobrantis affectu per eam cauſſari videamur, pro eo quod cœtus conveniens Conſtantinopolim ſine Romani conſultu pontificis Ignatium proprio privaſſet honore, quod nuſquam nimirum de Conſtantinopolitano præſule niſi fortaſſis ab hæreticis abſque Romano papa factum fuiſſe recolitur: Vos hoc commutaſtis dicentes, quod in nos prius a vobis fieri non debuiſſe non ſcripſiſſemus, tamquam vel nos poſtea id fieri cenſuiſſemus: aut tamquam nos legatos noſtros non ad audiendam ſolummodo & nobis referendam Ignatii cauſſam, ſed ad diffinienda Conſtantinopolim miſerimus, cum nonnullis in eadem epiſtola interpoſitis inveniri queat, quod depoſitionis ejuſdem conſacerdotis noſtri cenſuram non terminari ſed tantum perquiri, & nobis ſignificari ad diffiniendam * auctoritatem apoſtolicam luce clarius decreverimus. Nam ſi nos pro diffinienda controverſia fratris noſtri Ignatii tunc legatis noſtris quidquam præcepimus, vel eum damnationi ſubjici decrevimus, ut quid ne ſententiam diffinitivam * ſuſcipere, licet non digne nec legitime decertaverint, attamen quantumcumque & quomodocumque contradixiſſe, ac ne deponeretur, reſtitiſſe probantur. Siquidem (ut cetera nunc commemorare differamus) in epiſtola veſtra ex ore veſtro didicimus, quomodo illi non ſolum conſenſum noluerunt ipſius præbere damnationi, verum etiam qualiter, ne tantum piaculum a vobis in eum committeretur, interdixerint: quæ profecto & ipſi minime contradicerent, ſi ut depoſitioni ejus intereſſent, nos ſibi mandatum tribuiſſe recolerent, & vos poſtea niſi illos præter juſſionem noſtram feciſſe clare ſciretis, eos & vobis commendare, & ſuper hujuſmodi noxa tranſgreſſionis excuſare nullo modo ſtuderetis.

* Forte, *auctoritate Apoſtolica*. H.

* For. *ſuſcipere*. H.

Jam vero ſi dicitis, quam ob rem illos depoſuerimus, cum eos in damnatione ſæpe fati patriarchæ conſentire noluiſſe tam manifeſte ſciamus: Reſpondemus, quia nihil illis bonum profuit inchoaſſe, & in bonitate minime perduraſſe, *Quoniam qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*. Quid enim proderit alicui pro veritate primum quidem impetum dare, & poſt paullulum aut ſuaſionibus, aut terroribus, aut alio quolibet vitio a veritatis tramite declinare? Porro ſi Vitalis & Miſenus, de quibus ſupra diximus, a beato Felice papa honore pariter & communione privati ſunt, qui ad talia vel impulſi dilapſi ſunt; quanto potius iſti pari debent ultioni ſuccumbere, qui parem quidem prævaricationem, ſed non pares, immo nullas pœnas ſicut illi quondam perpeſſi ſunt. Poſt hæc autem quidquid de jam fati fratris & comminiſtri noſtri Ignatii tyrannica repulſione, quidquid de inconſiderata & invidiæ plena in eum prolata ſententia, quidquid de violatis paternis diffinitionibus, quidquid de Photii ſcripſeramus irregulari promotione, ſaltu quodam aſtutiæ tranſcendentes, etiam ſanctorum patrum inſtituta, quæ ſancti Spiritus afflatu ſunt edita, ne ad concilii pervenirent notitiam contexiſtis, & veluti in quodam ſilentii ſudario ligata, in terra dum divinitus attributa talenta fuerint, abſcondiſtis, licet continuatim deveniendo in conſpectu miſſorum noſtrorum & perquirendo Ignatio. Quamobrem traditam ſibi plebem, & conſtituta deceſſorum meorum ſpreverit, quæ nos poſt multa ſcripſimus, dictis ſuperioribus conglutinaveritis. Non tamen quæ nos confeſtim ſubintulimus, paſſi eſtis ad cognitionem eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, vel ad ſynodi auditionem perferri.

Ex ep. 10.

Matth. 10.

Sub-

Subintulimus quippe nos post illa verba ita continuo prosequentes, Et in hoc agendum subtili examine a nostræ jussionis legatis depositionis ejus censura perquiratur: quatenus inquirentes invenire queant, utrum canonicus tenor in eadem observatus fuerit, vel non manifestum existat; ac deinde cum nostro præsulatui significatum fuerit, quid de eo agendum sit, apostolica sanctione diffiniamus, ut vestra ecclesia, quæ tantis quotidie quatitur anxietatibus, inviolabilis deinceps & inconcussa permaneat: sed vos hæc, ut prætulimus, occultantes a piorum, qui fortassis illic habebantur, notitia subduxistis.

Ad nihil plane aliud intendentes, nisi ut non tenebrarum opera manifestatione lucis arguerentur, & ut nos his quæ illic irrationabiliter acta fuerant, dum nostra scripta tacentur, consensum præbuisse reputaremur. Probat hoc præcipue post multa utilia, quæ ibi non utiliter corrupta, vel defraudata sunt, novissimus ejusdem epistolæ locus, in quo nos quidem legatos nostros commendantes, amplitudinem tuam deprecati fueramus de ipsis inter alia dicentes: Et cum in conventu ecclesiæ federint pro ecclesiasticis diffinitionibus, nihil a vobis, vel ab aliis alicujus contrarietatis impetum sentiant: vos vero protinus subintulistis, quasi nos his continuatim subjunxissemus perhibentes: A nobis enim quæ hujusmodi sunt dispositionis & statuta sunt & diffinita.

Hoc præcepto vestra utinam placens Deo sagacitas innuere volens quæcumque a legatis nostris statuta fuerunt & diffinita, nos statuisse, vel diffinisse per omnia dignoscamur: qui tamen scriptus versiculus, nec a nobis prodiit, nec eis (præter quod ad sacras imagines pertinet, & id quoque irreprehensibiliter) diffiniendum sive scripto, sive verbo terminare quidquam, vel deliberare præcepimus. Ita esse quæ diximus superius a nobis annotatis sententiis, testificantibus exemplaribus ejusdem epistolæ nostræ ubi nos depravata rejacent affatim edocentibus. Nam si nos ideo missos nostros destinassemus, ut vice nostra Ignatii essent negotii judices, quemadmodum vos prætenditis, qui latrocinale illud concilium, in quo Ignatius deponi putatus est, judicium nostrum scribentes asseritis. Ante totius litis motionem, atque ante omnis initium controversiæ sedem ei propriam restitui procul dubio censuissemus, ut legitime nimirum reciperet quod nulla lege dictante perdiderat, atque per ecclesiasticum canonem resumeret quod illi potentia sæcularis ademerat: quatenus sic deinde propria sede, nec non & omnibus suis ante receptis, viribusque resumptis restitutus jam & armatus, cum accusatoribus suis certaminis campum, & litigii conflictum posset arripere. Quod cum in mundanis negotiis legibus tuis fieri censeas imperator; multo magis ut in ecclesiasticis atque divinis observaretur pietas tua debuit prævidere.

Sed hæc nos ex innumeris studio veritatis defalsatæ memoratæ crebrius epistolæ nostræ dictionibus summatim tetigisse sufficiat. Cetera vero (quæ supersunt) per legatos nostros, quos ad divinitus protectum imperium tuum ecce direximus, inspectis immutilatis exemplaribus, quæ illis tranquillitati tuæ demonstranda tradidimus, facile potes agnoscere. Quamobrem & nos quoque dilectionem tuam paterno salutantes affectu deprecamur, & per Deum, in cujus manu corda sunt regum, enixius obsecramus, ut eamdem ipsam epistolam, quam gloriæ tuæ per longe superius memoratos, Rhadoaldum & Zachariam misimus, his præsentibus missis nostris monstrare, atque ad collationem cum exemplaribus, quæ eis dedimus, faciendam mora sufficiente accomodare digneris: quatenus per hoc scire valeant, utrum sic eadem epistola in sua penes vos integritate maneat, quemadmodum extiterat a nobis tuæ sublimitati directa: an a quoquam fuerit postmodum ad superius annotatas depravationes perducta.

Et siquidem per vestratum aliquem tantum nefas patratum est: quoniam apud Græcos (sicuti nonnulla diversi temporis scripta testantur) familiaris est ista temeritas: miramur, & modis omnibus obstupescimus, si regius excellentiæ tuæ honor, qui judicium diligit, ad tantum potuerit dedecus incurvari, cum ad hoc magis divinitus ordinatus sit, ut depravata corrigat, & falsata pristinæ veritatis honestati restituat; Aut enim justa fuerunt quæ misimus, sicque consequenter oportuit ea servari, aut si justa putata non sunt, in quo justa non fuerint, per aliud saltem scriptum exponi vel nobis referri, & summa ratione debuerunt patenter ostendi. In nullo tamen horum oportuit ea vel ecclesiæ, quæ apud vos est, cognitione privari, vel aliqua falsitatis depravatione fraudari.

Porro si tuæ mansuetudinis postposita notitia hoc immane sacrilegium gestum est, nihilo minus immensa admiratione ducimur, & quia tantum imperium illud potuit, & tantam fraudem perferre jure dolemus. Denique sacrilegium non immerito commisisse dicendus est, qui scripta pietatis fidelium, atque pii principis notioni vel subducit, vel a sui veritate submovens velamento præstigiorum suorum obnubilat. Verumtamen nos quomodocumque falsitati, vel depravationi eadem sit epistola submissa, grates innumeras agimus Deo, cujus inspiratione & fidelia ejus exemplaria penes nos retinuimus, & cujus permissu qui hæc vel authenticam ipsam scripsere superesse noscuntur.

Nos autem Ignatii fratris & coepiscopi nostri privationi quocumque discrimine, priusquam a nobis specialiter ad iterationem ejus perducatur negotium, quia nec hactenus consensimus aliquando, Deo nos confirmante, nullo modo consentiemus.

Verum non ita justificamus eum, ut nihil hunc reprehensione dignum admisisse dicamus, pro quo fortasse merito poterat, legitima discussione facta, quodlibet canonicæ jaculum pati sententiæ: cum scriptum in apostolicis literis confiteamur, dicentes: *In multis offendimus omnes.* Et rursus: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est*, sed ita volumus, & ita decernimus istiusmodi pontificem digna pro factis recipere, ut sacerdotale decus penitus non vilescat, nec tam facile pontificalis apex terra tenus incurvetur. Ita inquam volumus, & ita decernimus hunc, immo quemcumque pontificem justæ subdi sententiæ, ut non a sæcularibus quibuscumque judicetur, non tyrannice propellatur, non ante audientiam ecclesia sua privetur, non ab inferioribus, sed a majoris auctoritatis personis recti calculi sententiam consequatur. Ita denique volumus, & ita decernimus istius, immo vero cunctorum sacerdotum causas examinare, culpam suam punire ut paternos terminos non transgrediamur, sacros canones non conculcemus, nec decretalia sedis apostolicæ constituta, quibus ecclesia tota fulcitur, atque munitur, quoquomodo violemus.

Ad extremum ita volumus, & ita decernimus, pontificem qualiscumque sit, judicari: ut ecclesiæ, cui præest, jura nulla temeritate, nulla præsumptione frangantur. Nullum quippe poterit ecclesiæ jus dignum servari, si præsul ejus a quibuslibet, vel quandolibet, aut quomodolibet impeta-

Episcopus spoliatus primo restituendus, deinde judicandus.

Ut in ep. Gelasii ad Anast. imp.

Anselis inclusa restituimus ex edit. Rom.

Ex epi ejusde colai.

Jacob. 1. Joa

Episc non tur ni superi bus.

petatur, & pro libito cujuscumque tanta facilitate pellatur. Quod cum ita sit: non possumus interim fratrem nostrum Ignatium, qualiscumque sit, non inter sanctissimos & beatissimos patriarchas connumerare. Qui licet apud vos sit tot opprobriis, tot persecutionibus fatigatus, a nobis tamen non nisi qualis a decessoribus meis habetur, creditur & veneratur; nullo quippe nostro examine alicujus criminis reus, nullo est nostro speciali judicio repertus obnoxius: ac per hoc (cum nulla est) nulla sententia condemnandus, aut a nostri, ecclesiæque nostræ communione collegii sequestrandus, aut aliquibus, nisi honorabilibus vocabulis appellandus. Sed nec in Photii sacerdotali provectu, præstando favore in vota condescensionis nostræ modo quolibet inclinabimus. Ergo tranquillitas tua literarum saltem nunc tenore cognoscat, sedem beati Petri apostoli in neophyto & mœcho, & Constantinopolitanorum ecclesiæ invasore Photio olim justeque damnato, ac nihilo minus præsentia synodali nuper elisо, communionis nunquam, nisi a prævaricatione cessaverit, præbituram esse consensum.

Qui (ut cetera nunc omittamus) a Gregorio Syracusano, vel ceteris schismaticis institutus, immo destructus, contra omne fas alterius præsidere non potest ecclesiæ. Nam merito destructus esse creditur, qui a destructo ædificari sperans, etiam si qua alia bona fortassis habuit, nimiæ præsumptionis ejus temeritati communicans, perdidit. Nam Gregorius quomodo quemquam ædificare poterat, qui multipliciter jam noscebatur elisus? Quomodo quemquam in aliquo ecclesiastico poterat ordine stabilire, qui ecclesiæ unitatem scindens, ipse jam videbatur omnino dejectus? Sicut enim ligatus ligare, & dejectus dejicere non potuit, sic destructus construere, & elisus quemquam ordinare nequivit. In summo quippe statu sui oportet eum vigore consistere, & firmis inniti per omnia basibus, qui alterum vel prosternere, vel conatur statuere.

Gregorius ergo, qui canonice, ac synodice depositus, & anathematizatus erat, quemadmodum posset quemquam provehere, vel benedicere, ratio nulla docet. Igitur nihil Photius a Gregorio percepit, nisi quantum Gregorius habuit: nihil autem habuit, nihil dedit. Per eorum quippe, ut legitur, manus impositionem & invocationem dabatur Spiritus sanctus, qui noverant mundas ad Dominum manus levare. Ceterum Gregorius, qui transgressor factus est legis ad iracundiam sui magis quam ad consecrationem alicujus Spiritum sanctum per impositionem suæ manus sine dubio provocavit, etiam si is qui ordinandus erat, nullas alias haberet sibi regulas obviantes. Hinc enim scriptum est: *Qui obturat aures suas ne audiat legem; oratio ejus erit execrabilis*. Si execrabilis, utique & non audibilis, si non audibilis, ergo inefficax, si inefficax, profecto Photio nihil præstans: nimirum qui vulneratum caput per illam manus impositionem potius habere dignoscitur. Porro si prætendit injuste ab Ignatio se fuisse depositum, quid de omnibus, qui in synodo illo tempore convenerunt, sententiamque in eum protulerunt, perhibebit? Quod si & illos injuste fecisse dicere præsumit, quare cum eis nunc communicat, & quosdam eorum sacerdotio dignos existimat? Quos tamen recte prius non judicasse reprehendit, & sententiæ, quam protulerunt, eos secundum se debere succumbere non nescit? Sed videamus quorum judicio, vel quorum auctoritate Gregorius post depositionem & anathema, honorem episcopatus * præsit, vel officium pristinum recepit. Omnes enim illum & depositum norunt & anathematis vinculis obligatum, ac per hoc totius ecclesiæ communione privatum. Jam vero si dixeritis, quia ipse sibi Gregorius & honorem resumpsit, & pristinum officium recepit; audite quid apostolus dicat: *Nec quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron: sed & Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret*. Sed & venerabiles Antiocheni canones præcipiunt: Si quis episcopus damnatus a synodo, vel presbyter, aut diaconus a suo episcopo, ausi fuerint aliquid de sacro ministerio juxta præcedentem consuetudinem contingere, sive episcopus sit, sive presbyter, aut diaconus, nullo modo liceat ei nec in alia synodo restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis: sed & communicantes omnes abjici de ecclesia, & maxime si postea quam didicerint adversus memoratos prolatam fuisse sententiam, eisdem communicare præsumpserint. Carthaginenses quoque regulæ excommunicatum qui ante audientiam communicare tentaverit, ipsum in se damnationem protulisse manifeste denuntiant. Si ergo secundum apostolum nemo sibi honorem accipit, & Christus non se clarificavit ut pontifex fieret, qui omnes cum Patre & Spiritu sancto glorificantes se glorificat, & ipse est pontifex, de quo rursus idem dicit apostolus: *Talis decebat ut nobis esset pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus*, &c.

Et si episcopus, qui damnatus a synodo est, juxta sacros canones, si ausus fuerit aliquid de sacro ministerio juxta præcedentem consuetudinem contingere, & ante audientiam communicare, ipse in se damnationem protulit; ita ut nullo modo liceat ei nec in alia synodo restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis, sed & communicantes omnes abjici de ecclesia: quanta putas Gregorius pœna mulctandus est, qui post damnationem sui & anathema, in hæc omnia commisisse probatur, id est, & super Christum se extulit, & quod ipse non fecit, iste & honorem sibi resumpsit, & ut pontifex esset, se arrogantissime clarificavit, & ante audientiam excommunicatus communicare, & vetita usurpare præsumpsit, & damnatus de sacro ministerio non solum aliquid, verum etiam multa juxta priorem consuetudinem tetigit? Quod certe Gregorius agere omnino non debuit, etiam si nulla commissa existerent, pro quibus damnari potuisset: quoniam prælati judicium semper inferioribus formidandum est, ne si ei non obedierint, licet ab eo fortassis injuste ligentur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa, id est, inobedientia, mereantur.

Igitur prælatos damnare indifferenter, oportet horrescere. Quicumque vero minoris auctoritatis sunt, damnare sollicite caveant, ne majorum suorum sententiam transgrediantur: alioquin licet injuste nonnunquam damnati sunt, ex ipsa temeraria prævaricatione, culpa, quæ nondum forte perpetrata fuerat, & ultio, quam culpa necdum merebatur, procul dubio subsequuntur. Nihil quippe lignum vetitum in se mortiferum habuit: sed qui inobedienter ex eo comedit, mortem sibi & posteris propinavit: non quia lignum malignum; cum quod Deus fecit, totum fecerit bonum: sed quod mala sit transgressio, & nolenti subjici, per eam merito sit orta damnatio. Porro si dicitis, Gregorium ab imperio vestro, & ab antistitibus fuisse receptum, percontari libet, o sapientissime imperator, quibus hoc documentis, quibus canonibus jubentibus agi rite potest, ut hi qui abjiciuntur, ab aliis recipiantur? id etiam veneranda & universali synodo Nicæna de utraque professione luce clarius inhibente? Nam a sæculari

ic Ingens cinia est ep. 10. isdem Nilai.

ectus epiopus alium dinare n potest.

ers. 28.

Præsumit.

Hebr. 5.

Hebr. 7.

Sententia pastoris etiam injusta timenda.

Ab ecclesia damnatus: ab impera-

Oportet non posse restitui. Hæc tandem legas in tomo Gelasii de anath. vinculo. ib.

potestate nec ligari, nec solvi sacerdotem posse, manifestum est: & idcirco affatim approbatur Syracusanum Gregorium per imperialem tantummodo sententiam nullo modo valuisse reconciliari.

Ubi si pontificum quoque sociatur assensus, quærimus, utrum præcesserit, an fuerit subsecutus? Si subsecutus est, nihilo minus ad id reditur, ut absolutio a sæculari potestate per præcepta valere non possit, pontificumque secutus assensus, adulationis, vel terroris fuerit potius, quam legitimæ sanctionis: si præcessit, doceatur a quibus, & ubi ille sit gestus: si secundum ecclesiæ regulam celebratus, si a paterna traditione profectus, si majorum more prolatus, si competenti examinatione depromptus, si ad majoris auctoritatis sedem, quam illa est, a qua Gregorius damnatione tenebatur obstrictus, secundum ecclesiæ regulas est relatum, si ipse præsul, qui ligavit, absolvit. Si hæc gesta non sunt, quo more, quo ritu Syracusanus Gregorius se gloriatur absolutum, cum nec a pontificibus ordine debito, nec ecclesiasticis legibus fuerit expetitus, nec a mundana potestate potuerit præter ecclesiæ tramitem prorsus absolvi? Jam vero si dicatis; non ego absolvi, sed a pontificibus ut solveretur postulavi: e contra illi multo magis a vobis postulare debuerunt, ut si eum velletis absolvi, legitima ecclesiastici tenoris absolutio præveniret; & hæc omnia quæ superius dicta sunt, secundum ecclesiæ traditionem servarentur, præcipue cum non ab inferiori vel pari, sed a majori persona, & (sicut ex apostolicis canonibus edocemur) solum ab eo qui eum sequestravit, aut certe a prima sede jure possit absolvi. Inferior quippe, vel compar antelatum vel comparem non annuente majori, absolvere non potest. Sola igitur potior inferiorem convenienter absolvit. Proinde inferioris loci pontifices eos, quos potior suus obligaverat, sine prima sede absolvere non potuerunt.

Inferior, nec per majorem auctoritate propria non absolvit.

Verumtamen licet contra Nicænenses sacros canones præfatum Gregorium, qui abjectus fuerat, receperint, numquam tamen eum a vinculo damnationis & anathematis exuerunt, quem absolutione prævaricatoria potius nexuerunt, & hunc, dum solvere nixi sunt, nodis majoribus dediderunt. Quin immo dum sententiam majoris contemnentes transgressi sunt, vel etiam suam tergiversatorio consilio, lenique sensu sibimet facti contrarii destruere sunt moliti, pari prævaricatione habentur innexi, & simili pœna secundum apostolicos & nonnullos alios canones tenentur obstricti: ita ut communicantes expelli de ecclesia jubeantur, ac per hoc, reos reum justificare constat minime potuisse, nec ligatos ligatum solvere modo quolibet valuisse. Ecce a quibus, o Christianissime princeps, Photius est institutus. Ecce qualis est Gregorius, qui Dormitantius convenientius poterat dici. Quamobrem cogita, fili carissime, tracta & tecum sedula meditatione perquire, si stare Photius possit, etiamsi miris virtutibus polleat, etiamsi omni scientia fulgeat, quando qui hunc statuisse tentavit, dudum jam cecidit: & volens erigi cum conantibus se erigere, numquam recuperaturus denuo ruit.

Consideret ergo divinitus vester inspiratus apex quomodo Photius (etiamsi nihil aliud sibi jure valeat impedire) queat in sacerdotali gradu persistere: quandoquidem institutor suus cum hic ordinaretur, non solum sacerdotio, verum etiam ipso carebat Christiano vocabulo; & sicut jam exposuimus, nec damnatus justificare, nec depositus erigere, nec ligatus potest quemquam per impositionem manus provehere: impossibile est enim horum aliquid fieri. Judicate ergo, mansuetissime imperator, cui potius obediendum est, Deo, an hominibus: judicate cui potius resistendum sit, testati quam in Petro Deus omnipotens ordinavit, quamque super cunctam ecclesiam extulit, an ordinationi Gregorii Syracusani, cui dicendum est: Væ homini illi, per quem in ecclesiam Christi tot scandala venerunt: quique olim (sicut ipsi scitis) a fratre & comministro nostro Ignatio, & a synodo, quæ sub eo erat, depositus est: & ut apostolica sedes in ejus damnatione consentiret, ab ipso consacerdote nostro postulata est. Sed decessores mei beatæ memoriæ Leo ac Benedictus sedis apostolicæ moderamina servantes, noluerunt sic unam partem audire, ut aliæ parti nihil penitus reservarent: Unius quippe mediator non est. Quamobrem interim depositio ipsius a sede apostolica non suscepta, remansit infirma. Cumque idem Gregorius per legatum suæ partis, Zachariam nomine, sedem agnovisset apostolicam in sua depositione nullatenus consensisse, non gratias egit, non a cœptis in jam dictum fratrem nostrum sævientibus contumeliis conquievit: sed benignitate Dei, & patientia sedis apostolicæ in superbia abutens, in ipsum videlicet Ignatium patriarcham suum rediviva jacula impietatis irreverenter exacuit: & eo superstite neophytum in Constantinopolitanam ecclesiam consecravit: quin potius & adversus sedis istius decreta contumax esse non destitit, qui pro se, non contra se ipsius ab ea decreta paullo antea data, tamquam ingratus non recolit, & veluti tergiversator arma præparat adversus arma sibi tutelam salutis non modice conferentia, & murum destruere nititur, qui ne ipse destrueretur fortissime custodivit. Et agit nunc quantum in se est, ut ea statuta prorsus habeantur invalida, quæ cum ipse his egeret, supplex petebat, & ut fortiora essent adamante, submissus optabat, atque ut sibi auxiliarentur, humiliter implorabat; nec non & contra ea repugnanter forsitan tyrannos & sacrilegos judicabat. Nisi enim sedes apostolica ei parceret, ille quomodo correverendissimum Ignatium posset destruere, brachium non haberet. At ille usus est sedis apostolicæ bonitate in malignitate, & beneficium in patris sui convertit exitium.

Dicite igitur, o imperator, obsecro, cum ita sit, quomodo non debeamus nos Ignatium non adjuvare? aut usque ad audientiam (quantum in nobis est) indemnem non penitus conservare? vel quomodo non possimus Gregorium, & hos qui ex parte ipsius sunt, merito condemnare? Quando Ignatius, nisi a nobis esset impeditus, sic illos canonice forsitan sterneret, ut & eum nullo conamine potuissent impellere: isti qui non nobis hæserunt, quos in adjutorium suum habere promptissimos meruerunt, nec a nobis consilium acceperunt, ut hi cum patriarcha suo vel canonice judicari potuissent, sed vires suas a nobis ne frangeretur servantes, eas adversus eum protinus præpararunt. Undique perpendite quantum nos nunc Ignatio debitores sumus, qui sibi obstaculum, & inimicis ejus facti sumus defensionis umbraculum: quamvis nos non ideo judicium istorum distulerimus, ut ei nocendi jacula præpararent, sed ut sic sententia in hos prolata valetudinem haberet, ut a nobis examinatio præcederet: & rursus sic ab istis in eum objecta penitus coram nobis admitterentur, ut partis Ignatii persona vocata, vel convicta nostræ præsentiæ non deesset.

Quamobrem dilato parumper judicio, & infirmata sententia, missum est utrique parti, sedis apo-

Hic imp... rursus i... nia ex ... 10. ejus... Nicolai.

Matth.

apostolicæ præsulis præsentandum obtutibus, ac etiam (ut par est) subjiciendum diffinitionibus: sed dum pars Ignatii properando disponit iter, ab hostibus ejus viribus resumptis, non jam fidem apostolicam petentibus, non Petri memoriam facere dignantibus, Ignatius trahitur, impellitur, & innumeris malis affectus ab ecclesiæ regimine sequestratur. Et hoc totum factum est, eo quod prædicti pontifices utrique parti æquitatem servantes, & utriusque lateris audientiam postulantes, Ignatii non firmando sententiam, immo vero interim infirmando, inimicis ejus quodammodo manum porrexerint, dum nimirum sententiam in eos prolatam, non interim auctoritate sedis apostolicæ roboraverint, sed usque in præsentiam ejusdem apostolicæ sedis differri decreverint.

Quamobrem, carissime fili & laudabilis Auguste, quia quasi per nos inventa est Ignatii dejectionis materia: idcirco præter id quod frater adjuvari debet a fratre, præter id etiam quod Petro cujus in terris, licet indigni, vicem gerimus, Christi oraculo peculiariter dicitur: *Et confirma fratres tuos*. Etiam hoc specialiter dicitur, eum non solum adjuvare & confirmare, verum etiam (sicuti ipsi potestis advertere,) totis nos pro illo viribus oportet per omnia disceptare; ut videlicet totum in illo funditus aboleatur, quod per nos lædendi fomitem adversariis ejus reperientibus, ei violentiam inferri monstratur: totumque recipiat Christo propitio, quod, dum nos moderate, ac regulariter gerimus, ipse præjudicialiter amisisse dignoscitur. Quoniam & præfati decessores nostri, Leo scilicet & Benedictus beatæ recordationis pontifices, si tale quid diebus eorum Gregorius, vel complices ejus patrassent, videlicet ut abusi tanto compassionis & patientiæ sedis apostolicæ circa se beneficio in Ignatium manus suas injecissent, ut adversus eum, ipsis sanctis præsulibus inconsultis, linguas suas taliter exacuissent; profecto eos tamquam ministros inquietudinis, & ipsos se sole clarius obnoxios ostendentes, sine quavis retardatione protinus condemnassent, & tantum piaculum impietatis eorum destruere ardentissime studuissent. Sed quia illi divina vocatione ab hac convalle lacrymarum subducti sunt, hanc tyrannidem nondum intuentes, nos debemus in eorum labore succedere, qui successimus in honore, in cujusque tempore crudelitas, quæ diebus ipsorum cœpit radices mittere, consummata perpatuit. Proinde nos, primo quia sedis apostolicæ de tota ecclesia fas habentis judicare, moderamina retinemus: secundo quoniam fratribus injuriam passis subvenire debemus: postremo, quia (sicut jam diximus) oportet nos in eorum labore succedere, in quorum successimus pontificatus honore: quemadmodum ipsi decessorum suorum exempla secuti sunt, & operis eorum strenui cultores inventi sunt: quod ipsi profecto agerent adjuvante Domino: habentes (quemadmodum illi) ejusdem zelum justitiæ, seu privilegium dignitatis, nos studiose perficere procuravimus: nimirum quod omittere procul dubio, sicut nosse cunctis clare tribuitur, non valemus.

Sed dicis, o imperator, etiam sine consensu nostro Photium & ecclesiam retenturum, & communionem ecclesiæ habiturum: Ignatium vero nihil per nos meliorationis penitus adepturum. At nos e diverso credimus, quod ecclesia Christi sacros canones, & præcipue Nicænos non tradat oblivioni, præcipientes videlicet, ut hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur. Credimus etiam, quod diu membrum incolume non subsistat hærens membris capiti non hærentibus. Postremo credimus, quod cetera membra, (si tamen affectant vivere) caput quandoque sequantur. Verum in omnibus his (secundum apostolum) *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*: & ideo pro labore pietatis moras ullas, roborante nos Deo, minime fastidimus, quia etsi nostrum est currere, divinæ tamen est potestatis, quando ei placuerit ad palmam perducere. Rom. 9.

Quod autem facere apostolicam sedem decuit, sicut ad omnes orthodoxos ecclesiæ catholicæ scripsimus, strenue fecit: Dei vero est cœpta perficere: nam nos vomere quidem linguæ terram proscindimus mentium, & in ea verborum semina spargimus: Deus autem potens est illi & sui * rore Spiritus infundere, & augmento gratiæ fœcundare, atque eorum quanta & qualia vult, & quomodo vult, ad uberem & multiplicem fructum perducere: quoniam nos etsi agri dominici cultores sumus; attamen *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*. * Forte, rorem. 1 Cor. 3.

Verum his ita se incunctanter habentibus, constat eos, qui semel a sedis apostolicæ præsulibus perculsi sunt, sententia illius hodieque constringit: ita ut eorum nonnullos quidem prolata contra se judicii tela principum tegmine munitos non statim sauciaverint, quandoque tamen medullitus penetraverint, nonnullos autem etiam post mortem susceptam cunctis execrabiles omnino reddiderint. Quotquot autem in ipsa communione sedes apostolica tenuit, aut dum viverent ab ecclesia sunt universali recepti, aut postmodum ab ea summa celebritate retenti. Præterea illos in quorum damnatione non consensit singulari prærogativa dissolvit. Quæ ut manifestius prudentia tua cognoscat, ex his pauca commemorare studebimus. Primo quidem claviger cæli Petrus & primus sessor sedis istius, Simonem magum non ferri; sed linguæ mucrone prostravit. Sed ille principum utens virtute non solum in nequitia sua permansit, sed & male moriens, sui causa, in ejusdem damnatoris sui mortem principes inflammavit. Deinde cum Asiani omnes inter ceteros, evangelista Joanne auctore, quartadecima luna cum Judæis putarent pascha celebrandum; hos præsul meritis & nomine Victor a communione collegii separavit. At illi omnes cum nonnullis ecclesiarum præsulibus non solum huic manus minime præbuerunt, verum etiam pertinaciæ redarguerunt. Felix quoque papa Constantinopolitanum Acacium non solum deposuit, verum & insolubilibus anathematis vinculis innodavit. Sed adeo est contemptus, ut idem Acacius, mundi dilectorum tuitione protectus, etiam nonnullis Romanis pontificibus decedentibus, & officio sacerdotali juxta præcedentem consuetudinem fungeretur, & exceptis paucis, omnium orientalium communione frueretur. Porro Agapetus apostolicæ sedis præsul Anthimum Constantinopolitanum similiter antistitem condemnavit, & in loco ejus ordinavit Mennam, pro quo videlicet Anthimo Silverius & Vigilius Romani pontifices ab Augusta Theodora multa incommoda, sed & discrimina sunt perpessi: sed ad restitutionem ejus nullatenus inclinati. Eusebius lib. 5. hist. c. 24. Felix III. in epist. 3. & Liberatus de causa Nest. & Eutych. c. 18. Agapetus in ep. 4. & 5. & Liberat. c. 21. Pontifical. in Silverio & Vigilio.

His ergo de pluribus sedis apostolicæ magnis & præclaris rectoribus carptim commemoratis; quid mirum si nos pro Photio contemnimur, cum videamus apostolorum principem pro veritate contra Simonem defensa, etiam mortem subire? quandoquidem, licet sero, licet post multos sudores, quandocumque tamen mundus totus ea defendit, quæ Petrus contra Simonem defendisse dignoscitur: ea damnat, quæ illum damnasse describitur.

Quid autem mirum, si nobis pro ecclesiastica correctione laborantibus manum non datis, sed & duritiis redarguitis? cum videamus Victorem papam & marytem, qui ideo vere victor est, quia martyr pro ecclesiastica traditione, pœna a totius ecclesiæ præsulibus pertinaciæ redargutum: quandoquidem ecclesia tota nunc cum illo sapit, & quod fecit laude prædicat dignum. In quo animadvertendum, quia si tunc ille pro justitia tanta severitate non uteretur, sicuti nonnulli hortabantur episcopi, hactenus fortassis error ipse mansisset, præcipue cum etiam eo tanto zelo succenso, usque ad Ephesinam priorem in aliquibus perdurasse synodum legerimus. Quid præterea mirum, si sedes apostolica diebus tuis parvipenditur, nec ab imperio tuo, tibique subjectis auditur? cum videamus sanctum Felicem adeo ab imperatoribus prædecessoribus tuis contemptum, ut ab eo anathematizatum Acacium ita sua protectione munirent, ut & sede Constantinopolitana dum vixit, abuteretur, & in perfidia sua mala moreretur. Verumtamen propitio Christo, sedis apostolicæ pontificibus indesesse certantibus, a catholicis jugi fatigatione remota, tandem aliquando a sæpe fati beati Felicis * sententia, id est, ecclesia tota conversa. Et quia prædictus Acacius non est inventus superstes, consequenter nomen ejus in ecclesia taceri sancitum est. Sed & tu imperator orthodoxe de ipso nunc cum sede apostolica sapis, qui si illo tempore fuisses repertus, pro eo contra eam, & in hac causa fieres fortassis accensus.

* Forte, *sententia est ecclesiæ* H.

* Gelas. in ep. 21. *Absolutionem quam superstes nec quæsivit omnino, nec meruit, mortuus jam non potest impetrare.* H.

Ad extremum quid mirum, si pro dejectione Photii nobis minaris? quando antecessores tui principes pro Anthimo jam dicto prædecessores meos usque ad confessionem persequendo perduxerint? Verumtamen, licet diutissime laboraverint, sævierint, & tot diras adversus eos afflictiones commoverint: sententiam tamen eorum mutare, vel Anthimum revocare ad pristinum statum nullo modo potuerunt: qui licet tarde, quandoque tamen & ipsum Anthimum, & sensus ejus cum sede apostolica sapientes detestati sunt: & Mennam virum sanctum ab ipsa promotum, non sicut vestrates falso autumant, sed cum ea hunc digne recipientes veneranter amplexi sunt. Quis vero tunc videns Petrum vel successores ejus, Simonem, præfatosque prævaricatores tam fortiter debellare, non poterat indignari? & eos tamquam insensatos efferri penitus arbitrari: præsertim cum pro eisdem perfidis totus præter pauciissimos adversus illos cum principibus suis pugnaverit orbis? Sed quia veritas tegi funditus humanis non potest conatibus, & prefati, quin & alii sancti summique pontifices spe freti, quæ non confundit, tot labores arripuerunt: idcirco sol justitiæ radios suos fortasse mittens & nebulam dissipavit erroris, & veritatis paullatim lumen ostendit: sicque demum quantum illi defensores ecclesiæ recte sapuerint, & isti nequiter oberraverint, tandem evidenter innotuit. Ita quoque & nos (ut verbis egregii loquamur apostoli (*habentes eumdem spiritum fidei quem & patres nostri*, sicut scriptum est: *Credidi propter quod locutus sum*) & nos credidimus, propterea quod & loquimur; & confidimus, quoniam qui Abraham contra spem dedit filium, potens est nobis pro ecclesia sua laborantibus & incrementa spiritalium frugum donare, & earumdem frugum uberem fructum multiplicare.

Rom. 5.

2. *Cor.* 4.

Psal. 115.

Unde dicito, quæsumus, o imperator piissime, cujus prolixitatis inobedientia, vel cujus multitudinis insolentia, aut cujus potestatis excellentia, nos ab hac fide vel spe debeat aut valeat saltem parumper avertere? Præsertim cum beatissimus jam designatus exclamet apostolus. *Est*, inquiens, *fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* & rursus: *Spes*, ait, *quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis quid sperat? si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus.*

Hebr. 11.

Rom. 8.

Hac igitur fibei suæ spe certificati, fili carissime, nos quidem de percipienda mercede laborum (etiam si vos nobis numquam obedieritis, etiamsi quantum potestis apostolicæ sedis reniti contenderitis) nullatenus dubitamus. De te tamen tamquam de dilectissimo filio vehementer ingemiscimus & tristamur: quoniam non priorum vestigia, sed pravorum principum exempla sectatus apostolicæ & primæ in toto orbe terrarum sedis edicta, perversorum hominum suasionibus illectus, atque decreta postponis, & anathematis obligamenta, quibus persecutores Ignatii comministri nostri, Photium videlicet, qui post depositionem nimis multa de ministerio sacro contingere juxta præcedentem consuetudinem ausus est, & fautores ejus regulariter irretivit, contemnis: & quasi minus Christianus temere parvipendis.

Quod quantum sit a pio intellectu removendum, & a fidelium cordibus execrandum, eximius præsul nostræ sedis moribus & nomine Gregorius ostendit, cum de hoc scriberet, dicens: Si sunt, qui certissime talia sentiunt, vel tenent, quia Christiani non sunt: dubium non est eos, quæ & ego & omnes catholici episcopi, atque universa ecclesia anathematizamus, quia veritati contra sentiunt, contra loquuntur. Et rursus: Ipsi, inquit, sibi testes sunt, quia Christiani non sunt, quia ligamenta sanctæ ecclesiæ vanissime æstimant conatibus solvere, ac per hoc nec absolutionem sanctæ ecclesiæ, quam præstat fidelibus, veram putant, si ligaturas ejus valere non æstimant. Contra quos diutius disputandum non est, quia despiciendi per omnia & anathematizandi sunt, ut unde veritatem fallere se credunt, inde in peccatis suis veraciter ligentur.

S. Greg. epist. lib. epist. 49.

Contra c temnente censuras

Sed si forte dicis non debuisse nos tam concite audita dicta credere, nec tam ad proferendam sententiam esse proclives; noveris, o imperator, hoc rationabiliter posse dici, si culpa cum clamore, quemadmodum Sodomorum & Gomorrhæorum, non esset: si quæ de Gregorio gesta superius intimavimus, tam in propatulo non extitissent: si scripta vestra, quæ apud Constantinopolim contra consacerdotem nostrum Ignatium, vel circa Photium, immo vero per Photium, gesta sunt evidenter, nullatenus indicassent: vel si legatos nostros, & epistolas pietas tua benigne suscepisset: vel si susceptas ausu temerario nemo fallacia depravasset, & illa ab earum veritatis tenore nullatenus amovisset. At ubi piaculum non solum cum voce, sed & cum clamore commissum est, & sanguis insontis fratris (sicut hactenus) clamabat ad Deum de terra, & vestrates (juxta quod per prophetam de reprobis exprobrantis * effectu perhibentur) *peccatum suum, quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt*: post quam scripta quoque vestra, * id est, peccatum consummatum, liquido demonstrarunt, postquam etiam missos nostros aversatos a colloquio fidelium, & jussis nostris aversos, & epistolas nostras occultatas, atque falsatas agnovimus; quid potuimus consultius, vel cautius agere, quam (ne ut magis ac magis scelus, ut cancer serperet) id funditus extirparemus: & (* ne ut desides & negligentes judicaremur) pro domo Dei

* affectu *Isa.* 3.

* Forte *ipsum pe cum.* H.

* Forte ne. H.

cele-

celerem, fervidumque zelum oſtenderemus? Præter hæc autem, quia falſo divulgati fueramus, nos vel Ignatii depoſitioni, vel Photii promotioni conſenſiſſe, idcirco veloci ſtudendum eſſe ſatisfactione, & Chriſti eccleſiam de hoc certificare jure prævidimus.

ec cito creerimen deit, nec coitum tarde niri.

Verum quemadmodum audita crimina non facile credi, ſed cognita ſine tarditate puniri debeant; ſanctus jam nominatus papa Gregorius & magiſter egregius, ſapienter edocet dicens: Peccatum cum voce, culpa eſt in actione: Peccatum vero etiam cum clamore, eſt culpa cum libertate. Sed quid hoc exemplo niſi nos admonemur ne ad proferendam ſententiam unquam præcipites eſſe debeamus, ne temere indiſcuſſa judicemus, ne quælibet mala audita nos moveant, ne paſſim dicta ſine probatione credamus, quod profecto perpetrare pertimeſcimus, ſi auctoris noſtri ſubtilius facta penſamus. Ipſe quippe ut nos a præcipitata ſententiæ prolatione compeſceret, cum omnia nuda & aperta ſint oculis ejus, mala tamen Sodomæ noluit audita judicare, qui ait: *Deſcendam & videbo utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint, an non eſt ita, ut ſciam.* Omnipotens itaque Dominus, & omnia ſciens, cur ante provocationem quaſi dimittit, niſi ut gravitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante præſumamus credere, quam probare?

Gregorius expoſit. 2. pœnitent.

neſ. 18.

Ecce per angelos ad cognoſcenda mala deſcendit, moxque facinoroſos percutit, atque ille patiens, ille mitis, ille de quo ſcriptum eſt: *Tu autem Domine cum tranquillitate judicas*, ille de quo rurſum ſcriptum eſt: *Dominus patiens eſt redditor*, in tanto crimine involutos inveniens, quaſi patientiam prætermiſit, & diem extremi judicii expectare ad vindictam noluit, ſed eos igne judicii ante judicii diem prævenit: & ecce malum & quaſi cum difficultate credidit, cum audivit, & tamen ſine tarditate percuſſit, cum verum cognoſcendo reperit: ut nobis videlicet daret exemplum, quod majora crimina & tarde credenda ſunt cum audiuntur, & citius punienda cum veraciter agnoſcuntur.

p. 12.

el. 5.

Nos igitur quomodo ad puniendum audita mala proclives, aut præcipites fuimus, quando (ſicut longe ſuperius diximus) antequam legati veſtri, Arſavir videlicet illuſtris ſpatharius, ac ceteri Romam veniſſent, quæ apud Conſtantinopolim poſtea geſta fuiſſent veraciter agnovimus, nos jam audita, nec tamen credita penitus habebamus? Poſtquam vero, iidem miſſi veſtri ad ſedem apoſtolicam pervenerunt, quæ auditu ſolo primitus didiceramus, patefieri coram nobis, & tota eccleſia quæ apud nos eſt, manifeſte cœperunt: nec tamen nos interim ad ſui damnationem quoquomodo pertraxerunt.

Poſtquam vero miſſi noſtri, quos iſtuc ad hæc per ordinem, ac ſubtiliter inveſtiganda, & pleniter invenienda, ſeu veſtræ notitiæ veraciter referenda deſtinaveramus, una cum Leone a ſecretis imperiali legato regreſſi ſunt: & tam epiſtolam tuam, quam cetera ſcripta de his, quæ Conſtantinopoli geſta ſunt, ab illo ſuſcepimus, & diligenter inveſtigavimus, eoſdem miſſos noſtros una cum ſancta ſynodo regulariter examinavimus, cuncta quæ geſta ſunt, enucleanter didicimus, omne quoque dubietatis nubilum ex corde pepulimus, ac per hoc docente magniſona Chriſti tuba, præfato ſcilicet papa Gregorio, quod ſupra meminimus, ſicut audita mala tarde credidimus, ita tot probationibus cognita, citius punire neceſſario procuravimus, & hoc rite: nam ad cognoſcendam & condemnandam impietatem Neſtorii, ſancta Epheſina ſynodus ſolam epiſtolam ejus, quam ad beatum Cyrillum ſcripſerat, recitatam ſufficere credidit. Quinta præterea ſynodus etiam jam mortuos Origenem, atque Theodorum per eorum damnanda ſcripta non recte ſapuiſſe repertos, anathemate perculit. Sanctus quoque papa Gelaſius de damnatione Acacii veſtræ quondam urbis epiſcopi ad Dardanos ſcribit, dicens: Hic, ſi examinatio quæritur, jam judicio non erat opus, poſtquam litteris ſuis ipſe confeſſus eſt. Chriſti præterea confeſſor papa Martinus Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum & Paulum Conſtantinopolitanos, ſolis eorum in ſua ſacra ſynodo ſcriptis recenſitis, damnationi contradidit. Hæc ergo, & tot prædeceſſorum meorum exempla ſequentes ſollemniter nos Photium & complices ejus damnaſſe manifeſtum eſt: præſertim cum ex vobis audierimus in ſcriptis Ignatium, qui merito chriſtus Domini dicendus eſt, a ſubjectis & inferioribus ſuis ſententiæ gladio tranſverberatum fuiſſe, ac detrimentum dignitatis propriæ pertuliſſe, quod apte ſecundum David in Saule, quem dicit chriſtum Dei, nuncupatur: abjectus tamen a Domino jam dignoſcebatur exhorruiſſe, regum prodit hiſtoria, qui dum ex ore pueri Amalechitæ, etiam mendaciter dicentis audiſſet, quod occiderit Saulem, non alia certitudine requiſivit, ſed protinus hunc percuſſit, dicens: *Sanguis tuus ſuper caput tuum, os enim tuum locutum eſt adverſus te dicens: Ego interfeci chriſtum Domini.*

Epiſt. 11.

Martinus in concil. Lateran.

Locus obſcurus.

2. Reg. 1. Proprii oris confeſſio ſine alio teſte probat.

Verumtamen quid opus eſt hinc multa proferre, cum hodieque penes eccleſiam Conſtantinopolitanam impietas ipſa vigeat, prævaricatio regnet, ſchiſmata multiplicentur? Porro ſi ſententiam noſtram exhorreſcitis, & hanc alicujus valetudinis eſſe putatis, ne illam formidetis tantum, quia in prævaricatores & contaminantes prolata eſt, quantum quia perpetuo conſtringit inobedientes, & niſi reſipiſcentes nunquam omnino reſolvit: Quapropter fili cariſſime & Chriſtianiſſime princeps, quem cum omnibus imperio tuo ſubjectis alloquimur, auferte malum de medio veſtrum, tollite adulterum, tollite tyrannum & pervaſorem eccleſiæ: reddite fratri & coepiſcopo noſtro Ignatio eccleſiam ſibi divinitus creditam: de qua vos illum ante omnem audientiam canonicam expuliſtis: reddite quod tuliſtis, & emendate pro Deo quod contra Deum egiſtis: relinquite malum, convertimini ad * nos, & corrigemini: & liberati a malo, a nobis nullatenus dividemini: quoniam nos non in Photium ideo ſententiam tulimus, quia homo eſt, quia Photius dicitur; ſed quia eſt perſona prævaricatrix, & quia viventis antiſtitis, & ea nulla ex parte legitime carentis, uſurpavit eccleſiam. Itaque malefactum quod in ea eſt & in fautoribus ejus punitur irrogatione ſententiæ: quæ prævaricatio, quod maleficium ſi recedat, jam non erit illa perſona, in quam ſententia prolata eſt. Remanebit enim homo, & Photius, quem non damnat, in quantum homo eſt, & hominis nomen cenſetur, ſed in quantum prævaricator & malefactor eſt. Si ergo deſinat eſſe prævaricator, ſententia noſtra in eo locum penitus non habebit: alter enim erit quam ille, cui illata ſententia eſt, dum incipiet eſſe quod non fuit, vel non eſſe in quem prolata ſententia eſt: nam quamdiu in hoc manet, cui illata ſententia eſt, vere inſolubilis eſt illa ſententia. Et quantumlibet floret ille, cui * irrogata eſt, quantislibet affluat honoribus, tantislibet miris laudibus efferatur, illa ſententia perpetuo confringetur. Et niſi reſipiſcat, ſi non modo, certe vel poſt paucos, aut etiam poſt multos annos, aut certe quandoque, etſi non vita ſua carebit eccleſia quam tyrannice poſſidet, carebit tamen poſt mortem

* *ad bonum revertimini ad nos, &c.*

* erogata.

Gregorius iſt. lib. 6. iſt. 14.

Chri-

Christianitatis proculdubio nomine, cujus profes- A sionem inverecunde conculcat.

Jam vero si sententia nostra se ac fautores suos judicat obligatos, & idem cum eis posse absolvi; hoc enim significare videmini, cum epistola nobis directa nos mutare voluntatem, consilium, ac sententiam sæpius exhortamini: Utique non prætendit injustitiam, & esse alicujus momenti, profecto non dubitat, quæ tum potuit obligare, & a qua se cum fautoribus suis possit absolvi: quia non posset obligare nisi justa. Cum autem justa sit, nonnisi damnato errore juste resolvitur.

Ergo fateatur errorem Photius cum fautoribus suis, deponant prævaricationem omnes, quos ligatos tenet justa sententia: sed tu multo magis fili carissime, qui tantum justitia & pietate cunctos debes superare, quatenus dissoluta prævaricatione dissolvatur quisque consequenter & sententiæ prolatæ censura; quia & Nathan propheta palam publiceque in facie regis David, & commissum pronuntiavit errorem, & quia hoc ipse commiserit, omnino non tacuit; sed confessione correctum consequenter absolvit. Præterea non omittendum esse credidimus nos commemorare præterito anno per indictionem videlicet tertiamdecimam epistolam sub nomine vestro conscriptam, per Michaelem protospatharium suscepisse; quæ tantis erat verbis contumeliosis, immo blasphemiis respersa, ut scriptor ejus non nisi in gutture colubri calamum tinxisse putetur, & dictatoris labia pro dictionibus venena fudisse videantur, C adeo ut si cujuspiam simpliciorum cor penetrent, (non enim hæc aures prudentium suscipiunt) hunc continuo necent, nimirum tanto miserabilius, quanto mors animæ magis quam corporis per illum virulentum haustum admittitur. De cujus immanitate piaculi, licet vobis jam nos scripsisse recolamus, eadem tamen scribere vestræ sapientiæ nunc, mihi quidem non pigrum, vobis autem & multis necessarium.

Denique opinati sumus, & adhuc nihilo minus opinamur, quod pietas vestra tandem aliquando resipiscat, & de ecclesiæ Constantinopolitanæ restaurando statu, nobis salubria suadentibus acquiescat. Sicque demum omnia scripta, quæ male sint compilata, non solum adversum nos, & hanc D sanctam ecclesiam, verum etiam contra fratrem nostrum, & comministrum Ignatium, coram universa imperii sui multitudine igni tradenda decernat. Alioquin jam cunctis ecclesiæ fidelibus, quæ foret apostolicæ sedis auctoritas, vel quæ fabricatoribus mendacii, seu inventoribus perversorum dogmatum immineret ultio, profecto patescceret.

Impossibile est enim (quamquam nostras nos speciales injurias curare floccipendamus,) ut tantorum ac talium sanctorum patrum, & propugnatorum * ecclesiæ, ac destructorum diversarum hæreseon atque defensorum orthodoxæ fidei blasphemias æquanimiter sustineamus, vel etiam tantæ sedis, sive tam excellentis ecclesiæ Romanæ, cui Deo deservimus auctore, contumelias perferamus. E

* *Catholica Ecclesiæ.*

Verum quamvis & de nobis humiliter sentiamus, non tamen (conscientia dictante) vera esse, quæ vos de nobis perhibetis, asseveramus: sed ut diximus, ea postponentes, illa potius quæ Jesu Christi sunt investigamus. Etsi male congesta adversus ejus famulos, adversus ejus ordinationes, adversus ejus * dispositiones stabilita privilegia reperiuntur; nulla patientia toleramus: & non solum hæc destruere totis viribus anhelamus, verum etiam conflatoribus tantæ perversitatis dignam

* *Pro, dispositione.* H.

* Deesse h quidam v detur.

vicissitudinem reddere necessario meditamur. Nimirum ne hos quis impunitos intuens, aut nunc, aut futuro tempore deinceps talia præsumat præstigia falsitatis componere, vel commenta blasphemiarum, hujusmodi figmentis contradicere. Quapropter, imperator sublimissime, diligenter propter Dominum inquirentes, atque scrutantes, si vestra illam non fuisse præceptione tam cænosam inveneritis confectam, immo toxicatis syllabis infectam epistolam (ut interim de tot præstigia texentium pœna taceamus) quam illi vobis zelo veritatis flagrantibus involvere, * convenit saltem hujus socia accepta, & palam cunctis igne succensa per augustales vestros tam nobis, quam omnibus, ad quorum notitiam pervenit, destinatos apices competenti satisfactione a tam perverso sensu, & tam profanis adinventionibus, quod a sensu vestro non fuerint commentis tradita, vos exhibere prorsus immunes. Jam vero si vobis in multis hujus mundi sollicitudinibus occupatis surreptum est, ut talia scribere mandaretis, ne pigeat clementiam vestram hoc etiam ipsum humiliter confiteri, & legibus vestris ut hujusmodi scripta nullius habeantur momenti, decernere: ita ut penes quem reperta fuerint, impunito non evadente, ipsius quoque sæpe memoratæ, ac semper execrandæ epistolæ vel exemplaris ejus apices intemeratis pro reverentia manentibus sacris dictionibus, flammeo dedantur igni voranda; ut & sinistræ opinionis nævo, quod ex blasphemiis scriptis incurreretis, carere valeatis. Et ingrati filii circa matrem vestram, ex qua imperandi fastigium vos, & patres vestri ordine cælitus dispositio percepistis, nullatenus appareatis.

Sin autem, scitote, quoniam postquam in hac vos pertinacia persistere fine tenus velle comperimus; primum quidem congregatis cunctarum occidentalium regionum venerabilibus sacerdotibus, dictatores & dispositores, atque præceptores tantæ fallaciæ, seu crudelissimæ derogationis sanctorum, vel paternarum traditionum, ab omni Christiana compage remotus, apostolica freti auctoritate, diris anathematis vinculis innodabimus. Nec non & patrum ac prædecessorum meorum secuti vestigia, qui soliti sunt etiam numerosorum concilia nequiter celebrata cassare pontificum, si qua socia sunt crebro dictæ, vel exemplaria fortassis epistolæ, quin potius non solum hæc, sed & omnia scripta, quę vel adversus fratrem & coepiscopum nostrum Ignatium inique confecta, vel adversus nos cauſſam illius canonice prosequentes, furiose deprompta sunt, perenni damnationi mandabimus.

Deinde vero decernentibus nobiscum, & simul considerantibus eisdem sanctissimis fratribus & coepiscopis nostris, ipsam epistolam in stipite videntibus cunctis suspensam vasto suppositio foco, ad vituperium vestrum coram omnibus nationibus, quæ penes memoriam sancti Petri multiplices inveniuntur, extremæ perditioni donabimus. Quatenus his rite patratis discat pius quod amet, & crudelis quod timeat; Nam tot & talia blasphemiarum commenta, quin potius veracium litterarum depravationes audisse & tacuisse, [1] cohibuisse est. Quamobrem venerabilis imperator, valde mihi, sicut ipse comprehendere poteris, cavendum est, ne, si nos præstigiorum figmentis minus celeriter obviaverimus, tamquam vera recognita, vel comprobata hæc admisisse fallaciter apud stolidos [2] æstimetur. Nec possumus in ecclesia Dei dissimulando tam spurca relinquere germina, quæ an-

1 Pro *connivisse*, ut in epist. 10. *Cohibendi* verbo pro *connivendi* sæpe abutuntur veteres libri. *Hard.*

2 Pro *æstimetur*. H.

anteceſſorum noſtrorum beatiſſimorum pontificum tempore, aut nunquam exorta, aut certe ſi undecumque, vel quomodocumque exorta ſunt, eorum judicii ligone, antequam proficerent radicitus extirpata ſunt.

Deſtruite ergo vos, & diſſipate illa, alioquin a nobis fore deſtruenda, ſeu funditus diſſipanda (modo quem prædiximus) antenoſcite, quamvis antequam nos iſta vobis ſcriberemus, quæ nunc ſublimitatem veſtram hortamur, hoc vos ſponte facturos eſſe putaremus: ſed quia quod putatum eſt, nullum effectum hactenus habuit: idcirco nos ſalutem veſtram illæſam manere volentes, ut hoc nunc ſaltem agatis, affectu paterno monemus. Alioquin (ut jam præfati ſumus.) ſic, Deo favente, de cetero vigilabimus, & ſtudiis quibus poſſumus, inſiſtemus, ut inter exanimes computentur, qui auctoritatem Petri non ſenſerint, immo Dei hanc ordinantis in Petro non intellexerint: ita ut nec iſta, quæ pernicioſe compilata ſunt defendere, ſed nec his ſimilia, ut non dicam ſcripto tradere, vel in mentem volvere, quis ulterius audeat. Non enim figmenta, quæ ordinationi Dei reſiſtunt, quæ evangelicis vocibus contradicunt, quæ ſanctorum patrum diffinitionibus obviant, quæ ſynodicis conſtitutionibus adverſantur, quæ ſi ſic dimittantur, innumera poſſunt fidelibus auxilia Petri quærentibus inferre diſpendia, incolumia ſine diſcrimine noſtro valemus deferere, & exiſtimationi noſtræ vel nunc, vel poſt deceſſum noſtrum tantum, (quod abſit) [1] nedum ad deſtructionem ſimpliciorum, & mutilationem ſedis apoſtolicæ privilegiorum relinquere.

Itaque, fili deſiderabiliſſime & Auguſte clementiſſime, tamquam ſapientiſſimus filius lætifica patrem tuum, & tandem aliquando mœſtitiam de pectore matris tuæ veluti gratiſſimus natus repelle, removendo videlicet mœchum, & ei reddendo legitimum. Deſtrue, quæſumus, opus diaboli, & omnes ſupplantationes ejus ſubverte. Opus eſt enim diaboli, & ejus ſubverſutiis actum eſt, mihi credite, ut patriarcha pelleretur Ignatius, & ſibi eccleſiam creditam Photius adulter invaderet: ipſe quippe callidus, & veternoſus inimicus volens inferioris dignitatis ſacerdotibus imponere ſempiternum ſilentium, eum, quem ſublimioris auctoritatis eſſe conſpexit, impetendum primitus exiſtimavit: & ad hunc proſternendum quotquot potuit, vires armavit, atque totius invidiæ facibus etiam mundi principes inflammavit.

Cur hoc, niſi ut dum illi eum, qui ſuper ſe eſſet, eliſum cernerent, ipſi (utpote minoris auctoritatis) pro veritate loqui penitus non auderent, & tanto jam ſublimioribus perſonis prave agentibus, minus audenter ex adverſo ſe opponerent, & tanto minus pro domo Domini murum licenter conſcenderent, quanto in potiorem ſuum talia perpetrari conſpicerent. Sed tu imperator, qui plus religione, quam brachio carnis hoſtes eccleſiæ vincis, vince verſutias ejus, & omnia molimina ipſius ſubverte: exaudi nos, ſi libet; ſin autem vel protectorem tuum exaudi, & verba, quæ ad Jeremiam locutus eſt, ad te delata cognoſce. Ait enim: *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & regna, ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.* Evellas videlicet, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, juxta competens imperio veſtro miniſterium, omnes argumentationes diabolicas, & omnia membrorum ejus machinamenta, & præcipue illa, quæ per Photium orta ſunt, male pullulantia germina: ædifices autem & plantes cunctarum virtutum mœnia, & honeſtorum odoriflua morum aromata: Immo quæcumque per vos de fratris & coepiſcopi noſtri Ignatii ſunt dignitate deſtructa, & de his, quæ ad officium patriarchale pertinent, a perſona qualibet irreverenter evulſa.

Jam vero ſi vel peccatis impedientibus, vel perverſis hominibus ſuadentibus, miſſis imminentibus noſtris, quod ſuadere vobis etiam ad imperii veſtri felicitatem nitimur, non ducitis quod gementes dicimus, adimplendum & dilationibus (proh dolor!) ſolum decernitis fore ſtudendum; ſcire volumus excellentiam veſtram, quoniam de perſona Ignatii, atque Photii, de quorum agitur controverſia, nihil diſcretius atque mitius, nec non & ſalubrius arbitramur, quam ut uterque & Romam ad renovandum examen, quod tamen ſecundum indulgentiam promittimus, tenore ac ordine quo jam vobis per Michaelem protoſpatharium ſignificavimus, veſtro favore veniat, ita ut Ignatius, qui omni eſt humano deſtitutus auxilio, quemadmodum venire valeat veſtro pro Chriſti amore collato ſibi fulciat juvamine. Jam vero ſi epiſtolæ per eumdem legatum veſtrum, a quo vobis modo delata non eſt, tenorem vel ordinem, quo diximus prænominatas perſonas Romam fore venturas ſcire cupitis, a præſentibus miſſis noſtris exigite, & hunc noſſe plene valebitis. Siquidem illis exemplaria epiſtolarum, quas magnitudini veſtræ, nec non Photio per Rhadoaldum & Zachariam tunc epiſcopos direximus, ſcripta pio collatione cum authenticis facienda tradidimus: cum quibus etiam exemplaria epiſtolarum, quas vobis & Photio per Leonem a ſecretis miſimus, & hujus, quam per Michaelem protoſpatharium nos deſtinaſſe prædiximus, ſecum nihilo minus deferendum contulimus.

Juxta ergo tenorem & ordinem, quo præfatas perſonas ad iterandum judicium huc venire decrevimus, latius ſagax induſtria veſtra reperiet, quem nos in hac faſtidium prolixitatis declinantes, replicare refugimus. His igitur, inſpirante Deo, ita veſtræ ſerenitatis auribus intimatis, ſciat a Domino redimitum imperium veſtrum miſſos ſibi a præſulatu noſtro (Deo auctore) deſtinatos, Donatum videlicet reverendiſſimum & ſanctiſſimum ſanctæ eccleſiæ Oſtienſis epiſcopum, & religioſos ac venerabiles ſanctæ Romanæ eccleſiæ Leonem tituli ſancti Chriſti martyris Laurentii, qui appellatur Damaſi, presbyterum, atque Marinum apoſtolicæ noſtræ ſedis diaconem, quos benigne clementia veſtra ſuſcipiens, utpote Chriſtianæ religionis cultrix, in omnibus pie tractet, & intactos quamdiu vos penes remorantur, & indemnes prorſus manere decernat: quin & aditum, ſimulque locum, quæ injuncta ſunt ſibi, vobis licenter exponendi congruum eis, ac ſufficientem impartiri dignetur. Sicque demum in quibus Deus annuerit, & cordi veſtro impetraverit, ordinatis, illæſos ad nos protinus eos, & abſque qualibet impediente moleſtia, redire ſinat.

Sed quoniam in Dei omnipotentis ſervitio diriguntur, per ipſius terribile nomen, quod Trinitas eſt inſeparabilis: & per horrendum divinum judicium, in quo ante pavendum Chriſti Dei noſtri tribunal omnes aſtabimus, & diſtrictam reddituri ſumus pro meritis rationem, vos adjuramus, & totis præcordiis obſecramus, ut eiſdem miſſis noſtris apud vos poſitis, nullam læſionem, vel cum reverti inde voluerint, obſtaculum inferatis, neque inferre alium quemlibet permittatis: quin

rem. 1.

1 Pro *nævum*, ut in ep. 19.

quin potius a cunctis insidiatorum molitionibus eos intrepidos & securos reddatis. Quatenus illis ad nos, etsi vestram vobis salutem suadere possunt, efficacibus redeuntibus, cunctis gentibus pateat quantum Deum coronatorem vestrum, pro cujus ecclesiæ pace, atque correctione, legatione perfuncti sunt, honoretis: & quantam reverentiam principum apostolorum, a quorum sede profecti sunt, præ oculis habeatis. Siquidem nos, o tranquillissime imperator, illos non ad synodum celebrandam destinavimus, non ad lites & contentiones excitandas direximus. Scimus enim, quod, docente apostolo, *servum Domini non oporteat litigare*: sed hoc totum est, pro quo misimus, videlicet, ut servata apostolicæ sedis auctoritatis reverentia, restaurationem ecclesia Constantinopolitana status sui recipiat, & pax & unanimitas sanctis ecclesiis, & imperio vestro reddatur, atque perpetuis (Deo propitio) temporibus custodiatur: nec non & nomen vestrum diutinis, ac prosperis crescat successibus. Et quemadmodum piorum præcedentium Augustorum miris hic post funus præconiis attollatur, & in cælis æterni regni beatitudine perfruatur. Alioquin secundum apostolum *verbum Dei non est alligatum*: qui rursus ait: *Vivus enim est Dei sermo & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ, ac spiritus; compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis*: quo usi nec inobedientes, nec adversantes ecclesiæ Dei, nec molestiam inferentes famulis ejus dimittere quoquomodo poterimus impunitos. *Qui habet aures audiendi audiat:* quæ nos omnia licet strictim, idcirco dicimus & satagimus, nec non & diligenter exequimur, ut plurima commemorare prætermittamus. Primo, ut ne nos de talenti acceptione, quam in privilegiorum quantitate percepimus districtam, si pigri repetiamur, coram summo judice cogamur reddere rationem. Secundo, ne in irregulari dejectione Ignatii consacerdotis nostri & fratris, vel in promotione Photii quoquomodo consensisse putemur. Tertio, ne sacerdotalis ordo tam ignominiose vilescat, ut Domini nostri & sacrum corpus ejus tractantes, atque sancti sanctorum ejus velamina penetrantes, & præcipue summum in diœcesi sua locum retinentes, tam facile de cetero impellantur, & a vulgaribus quibusque ac inferioribus suis, nec non & laicis prosternantur, & absque ullo examine, aut comprobato crimine gradu proprio, & ecclesia sua priventur. Quarto, quoniam manifestum est, qualiter sede apostolica in Gregorii Syracusani & sociorum ejus damnatione non consentiente, ipsi, modo quem prædiximus, ad hæc excitanda surrexerint: & nunc nisi nos hæc corrigamus, vel puniamus, veremur ne nobis deputetur in culpam. Nimirum qui successores sumus eorum quorum ipsi benignitate abusi, licet nobis inconsultis ad ista prolapsi sunt. Quinto, ne ipsum quoque imperium vestrum, vel successorum vestrorum tam leviter adversus ecclesias Dei, vel præsules eorum perversæ suggestionis flatibus commoveantur.

2. Tim. 2.

Hebr. 4.

Matth. 11.

Unde pietatem vestram obsecramus, & coram Deo & sanctis angelis ejus contestamur, ut obediatis nobis, & nos in hac vita potius audire curetis, hortantes atque rogantes, quam B. Petrum cælestis regni clavigerum in futuro sentiatis accusantem, atque damnantem. Nam si nobis non obedieritis, ipse contemnitur, cujus vices gestamus, & auctoritate clamamus. Porro si illum contemnitis, ipsi jam considerate quid de vobis erit, vel quam in terribili judicio Dei rationem dabitis, qui in tanta sublimitate positi, per exemplum vestrum cunctis subjectis vestris ultimi exitus præcipitium demonstretis: non solum autem in præsenti tempore, verum etiam in futuro, imperatoribus videlicet & cunctis mundi principibus, nec non & omnibus omnino fidelibus.

Exhorrescite igitur tot hominum exemplo vestro pietatem destruere: formidate tantarum animarum operari periculum: pertimescite fidelibus ad salutem forte tendentibus, tantam perniciem præparare: & pro his omnibus coram districto judice sine quibuslibet excusationis ambagibus de omnibus rationem omnimodam dare. Quoniam quot exemplo vestro ad talia fuerint devoluti, de tot animarum dispendio eritis prorsus obnoxii; & tot procul dubio (quod non optamus) pœnas luetis, quot noxiæ actionis vestræ forma, in inobedientiæ chaos demergitis. Quæ omnia, pietate vestra nobis obediente, avertat Dominus: nam ista nos pro salute vestra prosequimur & exigimus. Unde ne irascaris, si te tantum diligimus, ut temporale regnum, quod assecutus es, te velimus habere perenne: & qui imperas nunc hominibus, regnes cum Christo, & qui cras moriturus es, vitam percipias, & gloriam *æternam. Data Idibus Novembris indictione xv.

Ex ep. Gelasii papæ Anast. in

* cod. Va sempitern.

X. AD CLERUM CONSTANTINOPOLITANUM.

Percenset omnia quæ a die quo Constantinopolim missi sunt Rhadoaldus & Zacharias, fuerunt acta. Item commemorat concilii Romani decreta: repetitque omnia, quæ in superiori epistola dicta sunt de promotione Photii, & de Gregorio Syracusano, qui Photium consecravit, & de epistola imperatoris, quam comburi jubet.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, reverendissimis & sanctissimis confratribus nostris archiepiscopis metropolitanis, & episcopis Constantinopolitanæ sedi subjacentibus, atque universo venerabili clero Constantinopolitanorum ecclesiæ.

EA quæ nuper apud Constantinopolim gesta sunt, hactenusque geruntur, sanctitatem vestram non credimus ignorare: sed qualiter zelo zelati pro domo Domini, quæ est ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis, more decessorum meorum sollicitudinem omnium ecclesiarum Dei circumferentes, nos de his egerimus, vel disposuerimus, vobis non tam breviter, quam veraciter intimamus. Igitur postquam audivimus, quod quidam vestrum invidiæ facibus accensi, & superbiæ fastu arroganter elati, more Judæorum contra pastorem & magistrum suum, fratrem videlicet comministrum nostrum Ignatium, ecclesiæ præfatæ sanctissimum patriarcham insurrexerint: quidam vero instar viperarum, ac parricidarum parentem proprium, eumdem scilicet beatissimum virum, ferinis dentibus impetierint, & ab ecclesia ipsa, cui jure præsidebat, tyrannidis suæ cornu penitus removerint, acerrimis doloribus angustiati, atque mœroribus vehementibus cruciati, cœpimus qualiter erga eum viscera benignitatis (utpote circa fratrem) ostenderemus, sedula meditatione tractare. Scriptum quippe est: *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* Maxime cum schisma in jam dicta urbe, & in adjacentibus sibi civitatibus, propter quemdam Photium ex foro & sæculari militia & habitu, atque a palatinis ædibus eductum, ac subito tonsuratum, & in eadem ecclesia contra sacros ca-

Exstat in in vers. nodo ad. Sed hic tine est in terpolata, multo pr lixior.

1. Joan. Schisma p pter Pho tium.

nones promotum, non modicum audiremus obortum. Aliis videlicet Photii promotionem defendentibus, aliis autem hanc tamquam inconvicto & superstite Ignatio factam, merito detestantibus.

Sed dum quod hinc a nobis fieri deberet, vel qualiter tanti rumoris certitudinem nosse possemus, incessanter & anxie cogitaremus: ecce repente cum epistola regia quidam episcoporum, quorum unus erat Gangrensium metropolitanus cum Arsa viro glorioso spathario, Augustalem ferentes legationem ad sedem apostolicam pervenerunt, accusationes quasdam in scriptis adversus jam fatum consacerdotem nostrum Ignatium, & in verbis excusationes pro Photio deferentes, & ut a sede apostolica missos daremus, qui scandala illa sedarent, & schismata dissiparent, magnopere postulantes. Quibus rite susceptis, & legationis injunctæ sibi, seu epistolæ delatæ imperialis inspecto tenore, mœstitiam, quam prius rumor solus in corde nostro pepererat, casuum evidenter ostensorum certior confestim relatio multiplicavit. Quapropter quia (sicut divinitus inspirata sapientia vestra novit) cunctarum Christi ovium cura constringimur, cum vices illius per abundantiam cælestis gratiæ geramus, cui specialiter a Deo dicitur: *Pasce oves meas*, & rursus: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, non potuimus dissimulare, aut negligere, quo minus visitaremus oves dispersas & dissipatas, vel quo minus confirmaremus in fide & moribus bonis fratres nostros, & proximos.

Et quia inter cetera, quæ de schismate jam fatæ Constantinopolitanæ ecclesiæ, hi, qui missi fuerant, testabantur, maxime eamdem ecclesiam ab Iconomachis, recidivam contemptionem excitantibus, asserebant vexari, Christumque per singula conventicula blasphemari: idcirco duos episcopos, qui nobiscum erant, quique ad hoc tantum perficiendum opus idonei nobis esse videbantur, Rhadoaldum scilicet & Zachariam una cum ecclesia, quæ apud nos est, datis literis tam ad Augustum, quam ad Photium scriptis Constantinopolim, idem nimirum piaculum execrantes, e latere nostro direximus, nihil eis penitus injungentes, nisi ut tantummodo causas Ignatii patriarchæ, qui antea de ecclesia pulsus, quam ab aliquo accusatus exstiterat, diligenter investigarent, & sedi apostolicæ plenis & veracibus referrent indiciis, quemadmodum Job beatissimus edocens, *Causam*, inquit, *quam nesciebam, diligentissime investigabam*: Photii vero consecrationem non solum minime interim admittendam esse credidimus, verum etiam ipsis legatis nostris, ne cum illo nisi quæ cum laico usque ad notitiam nostram communicarent, frequenti ac omnimoda jussione præcepimus. Quoniam sicut magniloquus Leo papa scribens ad sanctum Flavianum dicit antistitem: Nos qui sacerdotum Domini matura volumus esse judicia, nihil possumus incognitis rebus in cujusquam partis præjudicium diffinire, priusquam universa, quæ gesta sunt, veraciter audiamus. Tantum eis de venerabilibus Domini nostri Jesu Christi, ejusdemque genitricis semper virginis Mariæ, ac sanctorum ipsius imaginibus, quidquid quæstio afferret, juste, ac pie diffinire licentiam dantes, quæ cuncta ita esse, ut dicimus, literæ nostræ, quas Augustæ mansuetudini, nec non & Photio per eosdem missos nostros destinaveramus, si ita sunt apud vos quemadmodum a nobis fuere transmissæ, patenter poterunt indicare. Nam si nos pro diffinienda controversia fratris nostri Ignatii tunc legatis nostris quidquam præcepimus, vel eum damnationi subjici decrevimus, ut quid nec sententiam diffinitivam suscipere, licet non digne, nec legitime decertaverint, attamen quantumcumque & quomodocumque contradixisse, ac ne deponeretur restitisse, probantur; siquidem, ut cetera nunc commemorare differamus, in epistola imperiali didicimus, quomodo illi non solum consensum noluerunt ipsius præbere damnationi, verum etiam qualiter ne tantum piaculum committeretur interdixerunt: cui profecto & ipsi minime contradicerent, si ut depositioni ejus interessent, nos sibi mandatum tribuisse recolerent: & carissimus filius noster pius Augustus, nisi illos præter jussionem nostram egisse clarescceret, eos & nobis commendare, & super hujuscemodi noxa transgressionis excusare nullo modo studeret. Jam vero si dicitis quamobrem illos deposuerimus, cum eos in damnatione sæpe fati patriarchæ consentire noluisse tam sciatis manifeste? respondemus, quia nihil illis bonum profuit inchoasse, & in bonitate minime perduravisse: quoniam qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Quid enim proderit alicui pro veritate primum quidem impetum dare, & post paullulum aut suasionibus, aut terroribus, aut aliquolibet vitio a veritatis tramite declinare? Porro si Vitalis & Misenus a beato Felice papa honore pariter & communione privati sunt, qui olim ad talia, quemadmodum isti nunc vel impulsi vel dilapsi sunt; quanto potius isti pari debent ultioni succumbere, qui parem quidem prævaricationem, sed non pares, immo Constantinopoli nullas pœnas, sicut illi quondam, perpessi sunt? Porro si nos ideo missos nostros destinassemus, ut vice nostra Ignatii essent negotii judices, quemadmodum imperatoria perhibebat epistola per Leonem a secretis missa, quæ latrocinale illud concilium, in quo Ignatius deponi putatus est, judicium nostrum fuisse non veraciter asserebat: profecto ante totius litis motionem, atque omnis initium controversiæ, sedem ei propriam restitui procul dubio censuissemus, ut legitime nimirum reciperet, quod nulla lege dictante perdiderat: atque per ecclesiasticum canonem resumeret, quod illi potentia sæcularis ademerat, quatenus sic deinde sede propria nec non & omnibus suis ante receptis, viribusque resumptis, vestitus jam & armatus, cum accusatoribus suis certaminis campum & litigii conflictum posset arripere. Quod cum in mundanis negotiis legibus fieri censeatur, multo magis, ut in ecclesiasticis atque divinis observaretur, debuit prævideri.

Præterea quando præfatos missos a nobis direximus, epistolam quam eis mansuetissimo imperatori (sicut prætulimus) dandam tribuimus, in tribus voluminibus, uno eodemque tenore, ac eisdem syllabis scribi præcepimus. Et unum quidem ex his apud nos pro futuro testimonio retinuimus, suspecti videlicet jam de fraudanda epistola: quod postea probavimus. Aliud vero (ut præmissum est) jam memorato pio Augusto eis dedimus offerendum. Porro tertium eisdem legatis nostris præbuimus, injungentes, ut hoc sibi ad instructionem suam tamquam speculum præ oculis jugiter habitum reservarent, & cum Constantinopoli conventus fieret sacerdotum, in quo a legatis nostris comministeret noster Ignatius fuerat audiendus, si præfatus Augustus nollet ibidem sibi missum recitari epistolæ nostræ volumen, ipsi hoc, quod illis apud se retinendum dederamus, quodque unius formæ per omnia cum ceteris duobus, quorum jam mentionem fecimus, erat, in ipso conventu legerent, & ad notitiam omnium vestrum quomodocumque perferrent. At illi pervenientes Constantinopolim, minis imperatoriæ potestatis (sicut ipsi postea fatebantur) deterriti, spretis monitis nostris, ac epistolis sibi a nobis

Eadem plane in ep. 9. ejusdem Nicolai.

Matth. 10

bis coram tota ecclesia nostra datis, immo post- A
posito timore Dei (sicuti postea claruit) in contrarium vertere omnia, quæ sibi fuerant imperata. Denique & cum Photio adultero, ecclesiæ invasore, atque neophyto, quod sibi multipliciter prohibitum fuerat, inter sacrosancta mysteria communicaverunt: & Ignatium virum senem & sanctum, ac per duodecim annos innocenter ecclesiam Dei regentem, & nobiscum & vobiscum, atque cum universali & orthodoxa ecclesia communicantem, Constantinopolitanorum factioni pernicioſissime concinentes, damnaverunt: & sacerdotalibus insulis exspoliatum ab ecclesiæ regimine modis omnibus expulerunt. Quem non ita justificamus, ut nihil hunc reprehensione dignum admisisse dicamus: pro quo fortasse merito poterat, B
legitima discussione facta, quodlibet canonicæ jaculum pati sententiæ, cum scriptum in apostolicis literis confiteamur, dicentes: *In multis offendimus omnes*, & rursus: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus; nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Sed ita volumus, & ita decernimus, istiusmodi pontificem digna pro factis recipere, ut sacerdotale decus penitus non vilescat, nec tam facile pontificalis apex terra tenus incurvetur. Ita inquam, volumus, & ita decernimus hunc, immo quemcumque pontificem justæ subdi sententiæ, ut non a sæcularibus quibuscumque judicetur, non tyrannice propellatur, non ante audientiam ecclesia sua privetur, non ab inferioribus, sed a majoris auctoritatis persona recti calculi sen- C
tentiam consequatur.

Eadem legas in ep. 9.

Jac. 3. 1. Joan. 1. Describit hunc locum Hincmarus Laud. t. 2. p. 276. ex pericopa S. Nicolai ad Michaelem.

Ita denique volumus, & ita decernimus, istius, immo vero cunctorum sacerdotum causas examinare, culpasve punire, ut paternos terminos non transgrediamur, sacros canones non conculcemus, nec decretalia sedis apostolicæ constituta, quibus ecclesia tota fulcitur, atque munitur, quoquomodo violemus.

Ad extremum ita volumus, & ita decernimus, pontificem, qualiscumque sit, judicari, ut ecclesiæ, cui præest, jura nulla temeritate, nulla præsumptione frangantur. Nullum quippe poterit ecclesiæ jus dignum servari, si præsul ejus a quibuslibet, vel quandolibet, aut quomodolibet impetatur, & pro libito cujusque tanta facilitate D
pellatur. Quod cum ita sit, non possumus interim fratrem nostrum Ignatium, qualiscumque sit, non inter sanctissimos & beatissimos patriarchas connumerare, qui licet apud vos sit tot opprobriis, tot persecutionibus fatigatus: attamen non nisi qualis a deceſſoribus meis est habitus, creditus & veneratus, habetur, creditur & veneratur, nullo quippe nostro examine alicujus criminis reus, nullo est nostro speciali judicio repertus obnoxius, ac per hoc nulla est nostra sententia condemnandus, aut a nostris ecclesiæque nostræ communione collegii sequestrandus: aut aliquibus nisi honorabilibus vocabulis appellandus: sed ad narrationis ordinem redeamus. Missi præ- E
terea nostri tandem reversi, nihil aliud renuntiavere, nisi depositum Ignatium, & Photium in sede Constantinopolitana firmatum. Post duos vero dies legatus a nobis imperialis nomine Leo a secretis susceptus, duo volumina obtulit, quorum unum depositionis Ignatii gesta continebat; alterum autem de sanctis habebat imaginibus acta, per quæ videlicet cognovimus, quia nec imperator epistolam nostram, qua fratrem & coepiscopum nostrum ad solam audientiam ante conspectum missorum nostrorum accersiri decreveramus, in depositione ipsius consacerdotis nostri, quæ prius, sicut putatur, facta est, ostendit: nec iidem missi nostri parilem ejus, ac per omnia con-

Ex ep. 1. ejusdem Nicolai.

similem, quam eis in episcoporum conventu recitare jusseramus, demonstrare curaverunt. Sed nec, quantum in eisdem voluminibus in Latinum sermonem ex Græco translatis reperitur, ordo legitimus, & a sanctis patribus usitatus in lectione ipsius epistolæ extitit observatus. Quamvis & in his quæ in conventu qui posterius pro sacris imaginibus collectus est, ex ea lecta sunt, nonnulla addita, multa mutata, plura subtracta reperiantur, & per omnia talis effecta sit, ut aut nihil, aut parum aliquid nos per eam de crebro dicti comministri nostri Ignatii disposuisse causa videremur. Quidquid enim de ipsius recessu vel præjudicio, quidquid de sententia non a Romano pontifice secundum morem in eum prolata, quidquid de violatis paternis diffinitionibus, quidquid de Photii scripseramus irregulari promotione, saltu quodam calliditatis * transcendentis, etiam sanctorum patrum instituta, quæ sancti Spiritus afflatu sunt edita, ne ad concilii pervenirent notitiam, more suo falsidici transcenderunt, & cum divinitus attributa talenta fuerint, velut in quodam silentii sudario ligata sub terra penitus absconderunt. Quo comperto moleste tulimus, & quid sine missis nostris actum fuerit, confestim intelleximus, * qui talia cum missis nostris perpetrata fuissent, patenter agnovimus. Aut enim justa fuerunt, quæ misimus; sicque consequenter oportuit ea servari, aut si justa putata non sunt, in quo justa non fuerint per aliud saltem scriptum exponi, & nobis referri, & summa ratione debuerunt patenter ostendi. In nullo tamen oportuit ea vel ecclesiæ, quæ apud vos est, cognitione privari, vel aliqua falsitatis depravatione fraudari. Detulit præterea idem Leo imperialis legatus augustales literas deprecantes, quatenus & in depositione Ignatii, & in confirmatione Photii consensum præberemus, & subscriberemus. At nos (divina docente gratia) dum idem adesset missus, convocata tota quæ apud nos est ecclesia, decrevimus, & statuimus, atque professi sumus coram ipso, & coram eadem sancta ecclesia, sicuti * & nunc per eamdem, ac per vos profitemur coram universali sancta Christi ecclesia, pro dejectione Ignatii, vel consecratione Photii nunquam mississe, nunquam missuros esse, & in depositione Ignatii, & promotione Photii nunquam consensisse, nunquam consensuros esse. Ex his sæpius dictis, & palam annuntiatis, atque in apostolatus nostri epistolis taliter insertis, & eidem Leoni a secretis tam imperatori, quam Photio ad defendendum datis, hunc a nobis remisimus.

* Forte transcendentes.

* Forte qui quæ

Ut i

* edi est

Igitur cum hæc gerebantur, nondum Rhodoaldus & Zacharias episcopi, quos (ut præmissum est) Constantinopolim miseramus, confessione propria, vel synodali examine convicti erant, aut patenter ostensi, quod ipsi deposuissent Ignatium, vel communicassent adultero Photio: quamvis hoc & illa concilia, quæ imminentibus illis Constantinopoli celebrata sunt, videlicet tam id quod adversus patriarcham Ignatium, quam id quod pro sacris imaginibus collectum est, patenter innuerint, & imperialis epistola clare denuntiaverit, atque præfatus Leo a secretis regius, his negantibus, in facie sæpissime, atque constantissime coram nobis, & primoribus ecclesiæ nostræ jam dixerit. Sed procedente tempore, murmur multorum ab * aliis partibus Romam venientium, quinimmo persecutiones a fautoribus Photii commotas fugientium, sensim eosdem cœpit episcopos muneribus fuisse corruptos diffamare, & quod communicassent Photio, & deposuissent Ignatium, divulgare. Quo audito, nimio mœrore repleti, qualiter ab ecclesia Christi, cui divina di-

* illis

gna-

gnatione præſumus, non habente maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſiniſtram procul faceremus ſuſpicionem, videlicet, ne in hanc ſaltim tenuis ſubſannandi oriretur occaſio, cogitare cœpimus, & mente revolvere. Tunc convocato multarum provinciarum occidentalium regionum ſanctiſſimorum epiſcoporum cœtu, & collecta ſancta ſynodo in eccleſia Dei, in qua beatus Petrus apoſtolorum princeps corpore redolet, & virtutibus emicat: deinde propter frigidiorem locum in eccleſia Salvatoris, quæ ab auctore appellatur Conſtantiniana, & quæ prima in toto terrarum orbe conſtructa eſt, ibique recitatis omnibus ſcripturis de Græco ſermone in Latinum converſis, tam videlicet nefanda ſynodo, quæ per jam fatum Leonem a ſecretis apoſtolicæ ſedi delata eſt, quam etiam imperiali epiſtola: In quibus omnibus exiſtimata depoſitio Ignatii continebatur: & deductus in medium Zacharias tunc epiſcopus, quia Rhadoaldus propter abſentiam haberi ad præſens non poterat, & diſcuſſus, & diligenter examinatus, inventus eſt in depoſitione Ignatii, & communione Photii omnino culpabilis, in quo idem Zacharias ſe obnoxium recognoſcens, proprio ore ac proprio ſcripto ſe Conſtantinopolim a ſede apoſtolica directum iiſſe, & quæ ſibi a nobis agenda fuerant injuncta neglexiſſe; ac quæ ſibi fuerant prohibita, peregiſſe confeſſus eſt: Ignatium ſcilicet ſine juſſione apoſtolicæ ſedis deponendo, & Photio contra noſtri apoſtolatus præceptionem communicando. Tunc decernente ſancta nobiſcum ſynodo, depoſitionis & excommunicationis ſuæ ſententiam præfatus Zacharias accipiens, foveam quam aliis præparavit incidit.

Alterius, id eſt, Rhadoaldi, examinatione propter abſentiam, uſque ad aliam ſynodum protelata, ad quam canonice ſæpe invitatus, qui occurrit depoſitionis & excommunicationis ſententiam, quam complex ejus promeruit: inſuper, & anathematis, ſi cum Photio de cetero communicaſſet, obligamentum merito non evaſit. Dignum quippe fuit, ut par iniquitas, par gigneret utrique judicium, & æqualitas eſſet in retributione, quibus parilitas extitit in tranſgreſſione. Nam quia idem Rhadoaldus objecta non diluit, vera eſſe, quæ de illo dicebantur, etiam ſi alia nulla conſtarent indicia, examen ſubterfugiens omnino firmavit. Et idcirco jure illi non profuit abſentia, quam ipſe non caſu accedente, ſed voluntate propria miniſtrante (quemadmodum Neſtorius quondam, & Dioſcorus) ſibi procuraſſe probatum eſt. Nam (ut ſanctus papa Bonifacius in decretali ſua docet) manifeſtum eſt confiteri eum de crimine, qui indulto, & toties delegato judicio, purgandi ſe occaſione non utitur. Nihil enim intereſt, utrum in præſenti examine omnia quæ dicta ſunt, comprobentur, cum ipſam quoque pro confeſſione procuratam toties conſtet abſentiam.

Hinc etiam egregius ſedis apoſtolicæ præſul & magnus eccleſiæ propugnator ſcribit Hormiſda: Soli, inquiens, declinant examen conſcientiæ, quæ juſſa ſunt non tenentes. Sed ut quid multa proſequamur, cum juxta quod Dominus dicit: *Judicio, quo judicaverunt, judicatum ſit eis: & in qua menſura menſi ſunt, remenſum ſit eis.* Contigit enim illis quemadmodum Vitali quondam & Miſeno epiſcopis, qui ſicut iſti Conſtantinopolim miſſi, eorum pro quibus deſtinati ſunt, adverſæ parti communicando, non executores, ſed impugnatores inventi ſunt. De quibus beatus Felix apoſtolicæ ſedis antiſtes, & Alexandrini Petri, ſeu Conſtantinopolitani Acacii præſulum damnator, imperatori Zenoni ſcribens, inter cetera: Vitalem, ait, atque Miſenum, cur vel impulſi ad iſta conſenſerint, honore ſimul & communione apoſtolica cenſura privavit, quoniam factum eſt, ſicut ipſe Cyrillo abbati * Acymetenſi ſcribit, ut eorum prævaricatione deciperetur populus. Chriſtianus: qui rurſus de eis mentionem faciens, ad jam fatum principem de eorum tranſgreſſione dicit: Plebi ſuaſum eſt Chriſtianæ nos talibus præbuiſſe conſenſum. * Quos mox regreſſi ſunt, prævaricatio impune non habuit. Nam eos apud beatum Petrum apoſtolum ſancta mecum ſynodus reſidens, dum convicti plura mentirentur, ordine & communione nudavit: ne eorum incorrecta perfidia ſecuritas proveniret inimicis. Porro quæ in ſuperius memorata venerabili & ſancta ſynodo unanimiter, ac conſonanter de Photio uſurpatore, ac invaſore Conſtantinopolitanorum eccleſiæ, atque fautoribus ejus: ſeu de fratre ac conſacerdote noſtro Ignatio patriarcha: vel de his qui ex parte ipſius ſunt: nec non & de ſacris imaginibus canonice, rationabiliter, catholiceque ſtatuerimus & promulgaverimus, ſubter annexis capitulis declaratur.

* al. Acrinetenſi. forſ. Acymetenſi.

* Forte, *Quos mox ubi*. H.

I.

Photius, qui ex ſchiſmaticorum, & ſe a ſanctæ communionis participatione avertentium parte eſſe dignoſcitur, & ex ſæculari miniſtratione, atque militia, & ex foro ſubito-tonſuratus, a Gregorio Syracuſano dudum epiſcopo a ſynodo damnato, & ab apoſtolica ſede convicto epiſcopus ordinatus eſt: & vivente ac ſuperſtite conſacerdote noſtro Ignatio ſanctæ eccleſiæ Conſtantinopolitanæ patriarcha ſedem ipſius invaſit, & in ſponſam quam a Chriſto ſponſo immaculatam cuſtodiendam veluti amicus ſponſi perceperat, non per oſtium, quod Chriſtus eſt, ſed aliunde ex adverſo in ovile dominicum more furis, atque latronis ingrediens, ac ſi violentus, rapax & ſceleſtus adulter irrupit. Deinde cum damnatis & anathematizatis, atque cum his, qui ne ſacerdotale officium ante audientiam præſumerent, a deceſſore meo ſanctæ memoriæ Benedicto papa fuerant obligati, quotidie ac indifferenter communicans, & converſans contra fidem promiſſam, contraque ſuam profeſſionem, qua pollicitus eſt ſe adverſus jam fatum patriarcham nullum ſiniſtrum conſilium eſſe facturum, congregavit concilium, & una cum ſequacibus ſuis depoſitis & damnatis, excommunicatis & anathematizatis, & aliis ſine ſedibus, atque cum his, a quibus vel ille irregulariter & illicite provectus fuerat, vel quos ipſe temere, ac indebite provexerat, contra eumdem fratrem & comminiſtrum noſtrum Ignatium depoſitionem facere, & anathema dicere auſus eſt. Deinde apoſtolicæ ſedis miſſos, quos pro cauſſa ſacrarum imaginum, & pro inquirenda & nobis renuntianda jam fati patriarchæ dejectione, & ob inveniendum modum promotionis hujus neophyti deſtinaveramus, quibus potuit argumentis a noſtris mandatis avertere (more Acacii quondam Conſtantinopolitani hæretici patriarchæ) præſumpſit, & ad proceſſionem, quæ ei cum comparibus ſuis habebatur, ſicuti eorum profeſſione patefactum eſt, & ſancto Spiritu revelante venerandæ ſynodo, quæ a nobis collecta eſt, claruit, ad damnatorum & ſchiſmaticorum communionem contempta legatione, quæ vel gentilium more ſervari debuit, pertraxit, & in * illuſionem beati Petri apoſtoli, a cujus ſede profecti fuerant, non ſolum inefficaces redire fecit, ſed etiam impugnatores omnium, quæ fuerant mandata monſtravit. Poſtremo epiſcopos, qui ei tamquam adultero & pervaſori communicare noluerunt, exilio relegavit, & ſui ſceleris complices in eorum ſurrogare locis non timuit. Et uſque

Photii damnatio.

Ut in ep. 6. Felicis P. ad Acacium CP.

* In ep. Felicis, *laſionem*.

que hodie ecclesiam Dei diversis persecutionibus impugnare non desinit: ita ut fratrem & coepiscopum nostrum Ignatium sanctissimum patriarcham inauditis pœnis & horribilibus tormentis afficere non quiescat. Sed & omnes quotquot pro veritate & fide cum eodem persistere comprehenderit, quibus prævalet modis perdere imprætermisse moliatur.

Forte, Per hæc, H. * Hæc & his similia contra evangelica, apostolica, prophetica, atque canonica instituta se efferens, sit Dei omnipotentis, & beatorum apostolorum principum Petri & Pauli, ac omnium simul sanctorum atque venerandorum sex universalium conciliorum auctoritate, nec non & Spiritus sancti per nos judicio, omni sacerdotali honore, & nomine alienus, & omni clericatus officio prorsus exutus: ita ut si post notitiam hujus sanctionis, quam divina inspiratione depromptam esse credimus, cum unanimitate & concordia sanctæ synodi sit procul dubio promulgata, tentaverit in Constantinopolitano throno præsidere, aut sæpe fatum venerabilem coepiscopum nostrum Ignatium, quominus ecclesiam sibi commissam sine quavis inquietudine regere possit, impedierit, vel si ulterius ausus fuerit aliquid de sacro ministerio more sacerdotis contingere; juxta præcedentem consuetudinem, nullo modo liceat ei communionis spem aut locum habere satisfactionis, sed anathematis vinculis innodatus, una cum communicatoribus suis, atque fautoribus suis perpetuo Dei per nostram mediocritatem judicio, ac sententia sacrum corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, non nisi vicino mortis periculo, omnino percipiat: ut hæc unusquisque discens, nequaquam de cetero temeraria præsumptione ex laicis subito in dominicis castris insperato quodammodo impetu irrepere audeat, & principatus amore ante ducatum præstare velit, quam tironis consummet officium, & ante tentet docere, quam discere, sicut in eadem Constantinopolitana ecclesia sæpe præsumptum esse comperimus. Et rursus ne contemptis clericis, quorum utpote in tam magna urbe copiosa multitudo est, quique ab ipsis (ut ita dixerimus) incunabulis imprætermisso labore in ecclesia Christi desudant, & indesinentia Domino exhibent servitutis obsequia; is qui deforis est, alterius ovilis Christi repente principatum arripiat, & nitatur quos esse suos non recognoscit, discerpere: & grex dominicus incipiat eum, utpote extraneum & improvisum omnino contemnere: præsertim cum perspiciat nil sibi stipendia profuisse meritorum, & alienum suorum cernat consumere fructus laborum.

II.

Gregorii episcopi Syracusani iterata damnatio. Gregorium sane, qui Syracusanæ ecclesiæ irregulariter, atque Deo contempto præest, eo quod & ipse ex parte schismaticorum sit, & postquam a synodo episcopatus officio privatus, & a decessore meo sanctæ memoriæ papa Benedicto obligatus est, & Photium laicum subito consecrare in episcopum non formidavit, & de sacro ministerio ausus est multa contingere: juxta præcedentem consuetudinem sancimus, & juxta canonicam deliberationem apostolica auctoritate diffinimus, atque statuimus omni sacerdotali carere atque privatum fore ministerio; ita ut nullo modo liceat ei in qualibet synodo restitutionis spem aut locum habere satisfactionis. Quod si de reliquo præsumpserit in sacro officio more sacerdotis quovis tempore ministrare, anathema sit. Sed & si contra fratrem & coepiscopum nostrum Ignatium turbas excitaverit, vel ab ejus communione fideles averterit, anathema sit, & omnes communicantes ei ab ecclesia abjiciantur: sed & ipsi anathema sint.

III.

Eorum vatio; Photii dinare Eos vero, quos Photius neophytus & Constantinopolitanæ sedis invasor, in quolibet ecclesiastico ordine provexit, quoniam manifestum est eos in omnibus consecratoris sui pravitatibus consensisse, atque ei post invasionem communicasse, omni clericali officio privamus, & apostolica, atque canonica auctoritate, & synodali decreto eos penitus sequestramus.

IV.

Restitu Ignatii Reverentissimum & sanctissimum fratrem & coepiscopum nostrum Ignatium sanctæ Constantinopolitanæ ecclesiæ patriarcham, qui primo quidem imperiali violentia ac terrore, proprio throno privatus est, & postea a Photio adultero prævaricatore ac pervasore sedis Constantinopolitanæ, & ab ejus complicibus, excommunicatis videlicet & anathematizatis, atque damnatis, & sine episcopalibus sedibus, & a decessore meo sanctæ recordationis Benedicto papa obligatis hominibus anathematizatus est: & postremo ab apostolicæ sedis missis contra nostram præceptionem (ut sanctæ synodo Spiritus sanctus revelavit) & Zacharias dudum episcopus qui unus de eisdem duobus legatis extitit, propria confessione manifestavit, insulis est sacerdotalibus despoliatus: Auctoritate summi judicis Domini nostri Jesu Christi promulgamus, sancimus, atque decernimus, unquam nec fuisse, nec esse depositum, vel anathematizatum, tamquam qui ab imperiali potentia sit absque ulla canonica auctoritate pulsus ecclesia, & tamquam qui ab obligatis nullo possit haberi inculo colligatus; & ab eis, qui nullam eum judicandi potestatem, vel ab apostolica sede auctoritatem habuerint, nullum sui honoris discrimen pati debuerit. Et ideo illum (id est, eumdem fratrem & consacerdotem nostrum Ignatium patriarcham) omni vinculo anathematis ab eo remoto, per potestatem divina voce beatissimo Petro collatam, & per auctoritatem sacrorum canonum, & decretalium constitutionum more sanctorum patrum prolatarum pristino honori, pristinæ dignitati, & sedi pristinæ, gradui ac patriarchio, ac pristinis pontificalibus insulis, atque officiis restituimus, statuimus, ac confirmamus: ita ut quicumque post notitiam hujus apostolicæ, atque synodicæ sanctionis, quominus omnia, quæ præmisimus insignia pontificatus recipiat, eum impedierit, & non in omnibus huic decreto obedierit, vel se ab ejus communione separaverit, vel ulterius contra eum aliquod judicium proferre tentaverit, absque sedis dumtaxat apostolicæ præmisso consensu (si quidem clericus fuerit) ab omni clericatus officio coram Deo & hominibus sit alienus, atque perenni pœna, tamquam qui magistrum prodit, cum Juda traditore constringatur, & nisi a prava intentione recesserit, perpetuo anathemate maneat condemnatus: si vero laicus extiterit, ille quisquis est, huic nostræ constitutioni contraire tentans, & eum sedem & omnem pristinam dumtaxat dignitatem recipere non permiserit; vel si post receptam priorem sedem, denuo illum impellere, & a patriarchio expelliere tentaverit, vel personæ ipsius, seu sacerdotali honori aliquam molestiam sine primæ hujus sedis consensu intulerit, omni benedictione paterna privetur, & maledictione Chanaan filii Cham, qui verecundiam patris videns non cooperuit, sed irrisit, mulctetur, & cum parricidis æterna pœna, Domino judicante, percellatur, & nexibus anathematis non nisi resipiscens, penitus eruatur. Genes

V.

ituantur opi a io rele-

V.

Eos autem episcopos, seu cujuslibet ordinis clericos, qui post injustam dejectionem fratris, & coepiscopi nostri Ignatii, vel in exilio relegati, vel ministerio, aut gradu invidiose privati sunt, statuimus, ut exilio dissoluto proprias sedes atque gradus recipiant. Quod si quisquam huic decreto nostro contraire præsumpserit, & ut sedes vel gradus resumant, impedierit, quousque obtemperaverit, anathema sit. Sane si qui ex eis ab aliis criminantur, decernimus eos antea sedes quidem & proprios gradus recipere; judicari autem nisi a sede Romana non patimur: sed si qua præter regulam forte egisse dicuntur, nostro eos decreto judicandos reservari statuimus: juxta quod & sacri præcipiunt canones.

VI.

scris nibus,

Quoniam oportet nos majorum nostrorum statuta, immoto mentis intuitu conservare, & in omnibus sanctorum patrum semper dogmata venerari; diffinimus de sacris & reverendis imaginibus Domini nostri Jesu Christi, ejusque semper virginis genitricis Mariæ, & omnium sanctorum, qui Deo ab Abel justo placuisse creduntur, quæ ecclesia sancta in universo urbe diffusa antiquitus accepit, quæque sedis apostolicæ præsules pro eis decreverunt, ac statuerunt illibata persistere, atque intemerata manere. Quapropter * Joannem quondam Constantinopolitanum antistitem, & sequaces ipsius, qui eas frangendas atque calcandas esse ore polluto asseverant, quam diu de his nobiscum non senserint, & juxta sanctorum pontificum Romanorum decreta, & aliorum catholicorum patrum instituta non sapuerint, sancimus eos a Christo, & ab ecclesia catholica atque apostolica esse anathema. Hæc sunt, quæ de his sedes apostolica statuit: hæc sunt, quæ synodice regulariterque decrevit; hæc sunt, quæ vos tanto studiosius oportet amplecti, tanto sollicitius observare, quanto latius nostis, quæ ab ea statuta fuerint, hæc universalem semper ecclesiam tenuisse, ita, ut contra singulos errores in ecclesia exortos prior hæc secundum primatus sui auctoritatem sententiæ terminum dederit. Et ita demum universalis ecclesia, licet aliquando per aliquantulum temporis in quibusdam reluctata sit, quæ illa tamen probavit, quandoque probaverit, & quæ illa refutavit, ipsa refutaverit. Verum vos quomodocumque obedieritis, vel non obedieritis divinis institutis, vel paternis canonibus; nos tamen in Ignatii fratris & coepiscopi nostri quocumque discrimine, priusquam a nobis specialiter ad iterationem ejus perducatur negotium, quia nec hactenus consensimus, aliquando, Deo nos confirmante, nullo modo consentiemus. Sed nec in Photii sacerdotali provectui præstando favore, vota condescensionis nostræ modo quolibet inclinabimus, sed omnibus viribus nostris, atque conatibus pro coactæ justitiæ provectione, pro restaurando videlicet legitimo, & repellendo mœcho (quamdiu vivam) occurrere; & quod nostrum est agere, nullatenus auctore Deo cessabimus, & nunc obsecrando, nunc hortando, nunc increpando, nunc etiam regulariter admonendo: insuper & auctoritate apostolica eos, qui contumaces sunt, feriendo, nunc verbis, nunc literis, quod rectum & justum, atque inchoatum est, die ac nocte cum virtute summi opificis consummare studebimus. Ergo fraternitas vestra literarum saltem nunc tenore cognoscat, sedem beati Petri apostoli, neophyto, & mœcho, & Constantinopolitanorum ecclesiæ invasori Photio olim, justeque damnato, ac nihilo minus præsentia synodali nuper elisо, vel fautoribus ejus, nisi a prævaricatione cessaverint, communionis nunquam præbituram esse consensum. Qui (ut cetera nunc omittamus) a Gregorio Syracusano, vel ceteris schismaticis instructus, immo destructus, contra omne fas nulli præsidere potest ecclesiæ. Nam merito destructus esse creditur, qui a destructo ædificari sperans, etiam si qua alia bona fortassis habuit, nimiæ præsumptionis ejus temeritati communicans perdidit. Nam Gregorius quomodo quemquam ædificare poterat, qui multipliciter jam noscebatur elisus? quomodo quemquam in aliquo ecclesiastico poterat ordine stabilire, qui ecclesiæ unitatem scindens, ipse jam videbatur omnino dejectus? Sicut enim ligatus ligare, & dejectus dejicere non potuit, sic destructus construere & elisus quemquam ordinare nequivit. In summo quippe status sui oportet eum vigore consistere, & firmis inniti per omnia basibus qui alterum, vel prosternere, vel conatur statuere. Gregorius ergo, qui canonice, ac synodice depositus, & anathematizatus erat, quemadmodum posset quemquam provehere, vel benedicere, ratio nulla docet. Igitur nihil Photius ex Gregorio percepit, nisi quantum Gregorius habuit: nihil autem habuit, nihil dedit: per eorum quippe, ut legitur, manus impositionem & invocationem dabatur Spiritus sanctus, qui noverant mundas ad Dominum levare manus. Ceterum Gregorius, qui transgressor factus est legis, ad iracundiam sui magis, quam ad consecrationem alicujus Spiritum sanctum per impositionem suæ manus sine dubio provocavit, etiamsi is, qui ordinandus erat, nullas alias haberet sibi regulas obviantes. Hinc enim scriptum est: *Qui obturat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis:* si execrabilis, utique non audibilis: si non audibilis, ergo inefficax: si inefficax, profacto Photio nihil præstans: nimirum qui vulneratum caput per illam manus impositionem potius habere dignoscitur. Prov. 28

Porro si prætendit injuste ab Ignatio fuisse depositum, quid de omnibus, qui in synodo illo tempore convenerunt, sententiamque in eum protulerunt, perhibebit? Quod si & illos injuste fecisse dicere præsumit, quare cum eis nunc communicat, & quosdam eorum sacerdotio dignos existimat? quos tamen recte prius non judicasse reprehendit, & sententiæ, quam protulerunt, eos secundum se debere succumbere, non nescit? Sed videamus quorum judicio, vel quorum auctoritate Gregorius post depositionem & anathema, honorem episcopatus resumpsit, vel officium pristinum recepit. Omnes enim illum & depositum norunt, & anathematis vinculis obligatum, ac per hoc totius ecclesiæ communione privatum. Jam vero si dixeritis quia ipse sibi Gregorius & honorem resumpsit, & pristinum officium recepit; audite quid apostolus dicat: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron: sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret.* Sed & venerabiles Antiocheni canones præcipiunt: Si quis episcopus damnatus a synodo, vel presbyter, aut diaconus a suo episcopo, ausi fuerint de sacro ministerio contingere, sive episcopus juxta præcedentem consuetudinem, sive presbyter aut diaconus, nullo modo liceat ei, nec in alia synodo restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis: sed & communicantes omnes abjici de ecclesia, & maxime si postquam didicerint adversus memoratos prolatam fuisse sententiam: eisdem communicare tentaverint. Carthaginenses quoque regulæ excommunicatum, qui ante audientiam communicare præsumpserit, ipsum in se damnationem protulisse manifeste denun- Hebr. 5 Cap. 4

ens hic nia, quain ep. 9. dem Ni- i.

Hebr. c. 5. nuntiant. Si ergo ſecundum apoſtolum *nemo ſibi honorem accipit, & Chriſtus non ſe clarificavit ut pontifex fieret*, qui omnes cum Patre & Spiritu ſancto glorificantes ſe glorificat, & ipſe eſt pontifex, de quo rurſus idem dicit apoſtolus: *Talem docebat, ut nobis eſſet pontifex, ſanctus*, &c.

Ibid. c. 7.

Et ſi epiſcopus qui damnatus a ſynodo eſt juxta ſacros canones, auſus fuerit aliquid de ſacro miniſterio juxta præcedentem conſuetudinem contingere, & ante audientiam communicare, ipſe in ſe damnationem protulit, ita ut nullo modo liceat ei nec in alia ſynodo reſtitutionis ſpem, aut locum habere ſatisfactionis; ſed & communicantes ei omnes abjici de eccleſia: quanta putas Gregorius pœna mulctandus eſt, qui poſt damnationem, ſive anathema, hæc omnia commiſiſſe probatur, id eſt, & ſuper Chriſtum ſe extulit, & quod ipſe non fecit, iſte & honorem ſibi reſumpſit: ut & pontifex eſſet, ſe arrogantiſſime clarificavit, & ante audientiam excommunicatus communicare & vetita uſurpare præſumpſit, & damnatus de ſacro miniſterio, non ſolum aliquid, verum etiam multa, juxta priorem conſuetudinem tetigit: quod certe Gregorius agere omnino non debuit, etiamſi nulla commiſſa exiſterent, pro quibus damnari potuiſſent. Quia prælati judicium ſemper inferioribus formidandum eſt, ſi ei non obedierint, licet ab eo fortaſſis injuſte ligentur, ipſam obligationis ſuæ ſententiam ex alia culpa, id eſt inobedientia, mereantur. Igitur prælatos damnare indifferenter oportet horreſcere. Quicumque vero minores ſunt, damnari ſollicite caveant, nec majorum ſuorum ſententiam tranſgrediantur: Alioquin licet injuſte nonnunquam damnati ſunt, ex ipſa temeraria prævaricatione, culpa quæ nondum forte perpetrata fuerat, & ultio quam culpa necdum merebatur, procul dubio ſubſequentur. Nihil quippe lignum vetitum in ſe mortiferum habuit; ſed qui inobedienter ex eo comedit, mortem ſibi & poſteris propinavit: non quia lignum malum, cum Deus, quod fecit, totum fecerit bonum; ſed quod mala ſit tranſgreſſio, & nolentis ſubjici, per eam merito ſit orta damnatio. Porro ſi dicitis Gregorium ab imperatore, & ab antiſtitibus fuiſſe receptum, percontari libet, o ſapientiſſimi fratres, quibus hoc documentis, quibus canonibus jubentibus agi rite poteſt, ut hi qui abjiciuntur, ab aliis recipiantur. Id etiam veneranda univerſali ſynodo Nicæna de utraque profeſſione luce clarius inhibente. Nam a ſæculari poteſtate nec ligari, nec ſolvi ſacerdotem poſſe manifeſtum eſt: & idcirco affatim approbatur Syracuſanum Gregorium per imperialem tantummodo ſententiam nullo modo valuiſſe reconciliari: ubi ſi pontificum quoque ſociatur aſſenſus, quærimus utrum præceſſerit, an fuerit ſubſecutus: ſi ſubſecutus eſt, nihilo minus ad id reditur, ut abſolutio a ſæculari poteſtate percepta valere non poſſit; pontificumque ſecutus aſſenſus adulationis, vel terroris fuerit potius, quam legitimæ ſanctionis: ſi præceſſit, doceatur a quibus & ubi ille ſit geſtus, ſi ſecundum eccleſiæ regulam celebratus, ſi paterna traditione profectus, ſi majorum more prolatus, ſi competenti examinatione depromptus, ſi ad majoris auctoritatis ſedem, quam illa eſt, a qua Gregorius damnatione tenebatur obſtrictus, ſecundum eccleſiæ regulam eſt relatum, ſi ipſe præſul, qui ligavit, abſolvit. Si hæc geſta non ſunt, quo more, quo ritu Syracuſanus Gregorius ſe gloriatur abſolutum, cum nec a pontificibus ordine debito, nec eccleſiaſticis legibus fuerit expeditus, nec a mundana poteſtate potuerit præter eccleſiæ tramitem prorſus abſolvi? Jam vero ſi dicitis, Non imperator abſolvit, ſed a pontificibus ut ſolveretur poſtulavit. E contra, illi multo magis ab Auguſto poſtulare debuerunt, ut ſi eum vellet abſolvi, legitima eccleſiaſtici tenoris abſolutio proveniret, & hæc omnia, quæ ſuperius dicta ſunt, ſecundum eccleſiæ tramitem ſervarentur, præcipue cum non ab inferiori, vel pari, ſed a majori perſona, & ſicut ex apoſtolicis canonibus edocemur, ſolum ab eo, qui eum ſequeſtravit, aut certe a prima ſede, jure poſſit abſolvi. Inferior quippe, vel compar antelatum, vel comparem, non annuente majori, abſolvere non poteſt: ſola igitur potior inferiorem convenienter abſolvit. Proinde inferioris loci pontifices eos, quos potior ſuus obligaverat, ſine prima ſede abſolvere non potuerunt. Verumtamen licet contra Nicænos ſacros canones præfatum Gregorium, qui abjectus fuerat, receperint: nunquam tamen eum a vinculo damnationis & anathematis exuerunt. Quem abſolutione prævaricatoria potius nexuerunt, & dum hunc ſolvere niſi ſunt, nodis majoribus dediderunt. Quinimmo dum ſententiam majoris contemnentes tranſgreſſi ſunt, vel etiam ſuam tergiverſatori conſilio, lenique ſenſu ſibimet facti contrarii deſtruere ſunt moliti, pari prævaricatione habentur innexi, & ſimili pœna, ſecundum apoſtolicos & nonnullos alios canones tenentur obſtricti: ita ut communicantes ei, pelli de eccleſia jubeantur. Ac per hoc reus reum juſtificare conſtat minime potuiſſe, nec ligatos ligatum ſolvere modo quolibet valuiſſe. Ecce a quibus, o beatiſſimi Chriſti miniſtri, Photius eſt inſtitutus: ecce qualis eſt Gregorius qui Dormitantius convenientius poterat dici.

Sententia majoris etiam injuſta timenda. Deſcribit hunc locum Hincmar. Laud t. 2. p. 376.

Quamobrem cogitate fratres cariſſimi, tractate, & vobiſcum ſedula meditatione perquirite, ſi ſtare Photius poſſit, etiam ſi miris virtutibus polleat, etiamſi omni ſcientia fulgeat, quando qui hunc ſtatuiſſe tentavit, dudum jam cecidit, & volens erigi cum conantibus ſe erigere nunquam recuperaturus denuo ruit. Conſideret ergo veſtra divinitus inſpirata prudentia, quomodo Photius, etiam ſi nihil aliud ſibi jure valeat impedire, queat in ſacerdotali gradu perſiſtere: quandoquidem inſtitutor ſuus cum hic ordinaretur, non ſolum ſacerdotio, verum & ipſo carebat Chriſtiano vocabulo. Et ſicut etiam expoſuimus, nec damnatus juſtificare, nec depoſitus erigere, nec ligatus poteſt quemquam per impoſitionem manus provehere. Impoſſibile eſt enim horum aliquid fieri. Quapropter attendite cariſſimi, non ſolum hæc, verum etiam paternos canones & præcipue apoſtolorum, Antiochenos, atque Carthaginenſes, & quid de damnatis & excommunicatis, atque de his præcipiant, qui merito facinorum ſuorum ab eccleſia pulſi ſunt, diligentiſſime conſiderate, ac ſtudioſe recolite: nam nos quod decrevimus, quod ſtatuimus de his, quos recepimus & erexeximus, vel de his, quos abjecimus & a ſacerdotio, vel communione pepulimus, veſtræ in Chriſto fraternitati notum facere canonice procuravimus: juxta quod & magni venerandique Nicæni concilii regulis admonetur, quatenus de his, qui communione quandoque privantur, ſeu ex clero, ſeu ex laico ordine epiſcopis, per unamquamque provinciam ſententia regularis obtineat, ut hi qui abjiciuntur ab aliis non recipiantur. Ergo nos quod debuimus fecimus; ea videlicet vos ſcire volentes, quæ, Deo teſte, non niſi zelo rectitudinis egimus, & affectu conſervandæ paternæ conſtitutionis executi ſumus: veſtrum autem eſt obedire: alioquin eamdem cum eis ſententiam jure meritoque ſubire, Antiochenis canonibus ſecundo capitulo præcipientibus ita: Si quis de epiſco-

Cap. 5.

Cap.

piſcopis, aut presbyteris, aut diaconis, ſeu quilibet ex clero deprehenſus fuerit cum excommunicatis communicare, etiam iſte communione privetur, tamquam qui regulam confundat eccleſiæ. Et rurſus capitulo quarto, quod etiam ſuperius commemoravimus: quid idem dicat antiquitus acceptum concilium, ſtudioſe recolite. Cavete ergo dilectiſſimi, ne cum his commiſceamini, qui ſanctis fuerunt inobedientes inſtitutionibus, ne par ſententia involvat, quos uno communionis glutino invenerit irretitos.

Videte præterea quia de ignorantia nullum jam poteſtis excuſationis habere præſidium, qui & canonum, Deo inſpirante, memores, & noſtris edocti jam nunc eſtis epiſtolis. Nolite communicare itaque peccatis alienis, nolite nobis inobedientes eſſe, quoniam inobedientia protoplaſtum de paradiſo expulit. Inobedientia, idololatria merito nuncupatur, ſicut ſanctus Samuel ad Saulem loquitur, dicens: *Quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere.* Perpendite ergo quantum ſit execrabile repugnare, quantum deteſtandum acquieſcere nolle, quod ariolandi peccato, ſcelerique idololatriæ comparatur. Clamat apoſtolorum princeps: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus:* & coapoſtolus ejus Paulus: *Qui reſiſtit*, inquit, *poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Judicate ergo cui potius obediendum ſit, Deo an hominibus: Judicate cui potius reſiſtendum ſit, poteſtati, quam in Petro Deus omnipotens ordinavit, quamque ſuper cuncta eccleſia extulit, an ordinationi Gregorii Syracuſani, cui merito malitiæ ſuæ dicendum eſt: væ homini, videlicet per quem in eccleſia Chriſti tot ſcandala venerunt; quique olim, ſicut ipſi ſcitis, & nos ſupra retulimus, a fratre & comminiſtro noſtro Ignatio & a ſynodo, quæ ſub eo erat, depoſitus eſt, & ut apoſtolica ſedes in ejus damnatione conſentiret, ab ipſo conſacerdote noſtro poſtulata eſt. Sed deceſſores mei beatæ memoriæ Leo & Benedictus ſedis apoſtolicæ moderamina ſervantes, noluerunt ſic unam partem audire, ut aliæ parti nihil penitus reſervarent: Unius quippe mediator non eſt. Quamobrem interim depoſitio ipſius a ſede apoſtolica non ſuſcepta remanſit infirma. Cumque idem Gregorius per legatum ſuæ partis Zachariam nomine ſedem agnoviſſet apoſtolicam in ſua depoſitione nullatenus conſenſiſſe, non gratias egit, non a cœptis in jam dictum fratrem noſtrum ſævientibus contumeliis conquievit, ſed benignitate Dei, & patientia ſedis apoſtolicæ in ſuperbiam abutens, in ipſum videlicet Ignatium patriarcham ſuum rediviva jacula impietatis irreverenter exacuit, & eo ſuperſtite neophytum in Conſtantinopolitana eccleſia conſecravit: quin potius & adverſus ſedis iſtius decreta contumax eſſe non deſtitit, qui pro ſe, non contra ſe, ipſius ab ea decreta paullo ante data tamquam ingratus non recolit, & velut tergiverſator arma præparat adverſus arma ſibi tutelam ſalutis non modice conferentia & murum deſtruere nititur, qui ne ipſe deſtrueretur, fortiſſime cuſtodivit. Et agit nunc quantum in ſe eſt, ut ea ſtatuta prorſus habeantur invalida: quæ, cum his ipſe egeret, ſupplex petebat: & ut fortiora eſſent adamante ſubmiſſus optabat, atque ut ſibi auxiliarentur humiliter implorabat, nec non & contra ea repugnantes, forſitan tyrannos & ſacrilegos judicabat: niſi enim ſedes apoſtolica ei parceret, ille quomodo contra reverendiſſimum Ignatium poſſet exercere brachium, non haberet. At ille uſus eſt ſedis apoſtolica bonitate in * malignitatem, & beneficium in patris ſui convertit exitium.

Dicite igitur, obſecro fratres, cum ita ſit, quomodo non debeamus nos Ignatium adjuvare, aut uſque ad audientiam (quantum in nobis eſt) indemnem non penitus conſervare? vel quomodo non poſſimus Gregorium, & hos qui ex parte ipſius ſunt, merito condemnare? quando Ignatius, niſi a nobis eſſet impeditus, ſic illos canonice forſitan ſterneret, ut eum nullo conamine potuiſſent impellere. Iſti qui non nobis hæſere, quos in adjutorium ſuum habere promptiſſimos meruerunt, nec a nobis conſilium acceperunt, uti cum patriarcha ſuo vel pacificari, vel canonice judicari potuiſſent: ſed vires ſuas a nobis ne frangerentur ſervatas, adverſus eum protinus præpararunt. Unde quæſo perpendite, quantum nos nunc Ignatio debitores ſimus, qui ſibi obſtaculum, & inimicis ejus facti ſumus defenſionis umbraculum. Quamvis non ideo judicium iſtorum diſtulerimus, ut ei nocendi jacula præpararent, ſed ut ſic ſententia in hos prolata, valetudinem haberet, ut a nobis examinatio præcederet. Et rurſus ſic ab iſtis in eum objecta penitus coram nobis admitterentur, ut partis Ignatii perſona vocata, * nec convicta noſtræ præſentiæ non deeſſet. Quamobrem dilato parumper judicio, & interim infirmata ſententia, miſſum eſt utrique parti ſedis apoſtolicæ præſulis præſentandum obtutibus, ac ejus (ut par eſt) ſubjiciendum diffinitionibus. Sed dum pars Ignatii properandi diſponit iter, hoſtibus ejus viribus reſumptis, non jam ſedem apoſtolicam petentibus, non Petri memoriam facere dignantibus, Ignatius trahitur, impellitur, & innumeris malis affectus ab eccleſiæ regimine ſequeſtratur. Et hoc totum factum eſt, eo quod prædicti pontifices utrique parti æquitatem ſervantes, & utriuſque partis audientiam præſtolantes, Ignatii non firmando ſententiam, immo vero interim infirmando, inimicis ejus quodammodo manum porrexerint, dum nimirum ſententiam in eos prolatam non interim auctoritate ſedis apoſtolicæ revocaverint, ſed uſque in præſentiam ejuſdem apoſtolicæ ſedis deferri decreverint.

Quamobrem, cariſſimi, quia quaſi per nos inventa eſt Ignatii dejectioni materia, idcirco præter id quod frater adjuvari debet a fratre, præter id etiam quod Petro, cujus in terris licet indigni vicem gerimus, Chriſti oraculo peculiariter dicitur: *Confirma fratres tuos*, etiam pro hoc ſpeciaLuc. 22. liter eum non ſolum adjuvare & confirmare, verum etiam (ſicut ipſi poteſtis advertere) totis nos pro illo viribus oportet per omnia decertare, ut videlicet totum in illo funditus abolcatur, quod per nos lædendi fomitem adverſariis ejus reperientibus ei violentiam inferre monſtratur, totumque recipiat, Chriſto propitio, quod dum nos moderate, ac regulariter egimus, ipſe præjudicialiter amiſiſſe dignoſcitur. Quoniam & præfati deceſſores noſtri (Leo ſcilicet & Benedictus beatæ recordationis pontifices) ſi tale quid diebus eorum Gregorius vel complices ejus patraſſent, videlicet ut abuſi tanto compaſſionis, & patientiæ ſedis apoſtolicæ circa ſe beneficio in Ignatium manus ſuas injeciſſent: aut adverſus eum ipſis ſanctis præſulibus inconſultis linguas ſuas taliter exacuiſſent: profecto eos tamquam magiſtros inquietudinis, & ipſos ſe ſole clarius obnoxios oſtendentes, ſine quavis retractatione protinus condemnaſſent: & tantum piaculum impietatis eorum deſtruere ardentiſſime ſtuduiſſent. Sed quia illi divina vocatione ab hac convalle lacrymarum ſubducti ſunt hanc tyrannidem nondum intuentes, nos debemus in eorum labore ſuccedere, qui ſucceſſimus in honore, in cujus tempore crudelitas,

quæ

* al. vel convicta. H

quæ diebus ipſorum cœpit radices emittere, conſummata perpatuit. Proinde nos primo, quia ſedis apoſtolicæ de tota eccleſia fas habentis judicare moderamina retinemus: ſecundo quoniam fratribus injuriam paſſis ſubvenire debemus: poſtremo, quoniam (ſicut jam diximus) oportet nos in eorum labore ſuccedere, in quorum ſucceſſimus pontificatus honore; quemadmodum ipſi deceſſorum ſuorum exempla ſecuti ſunt, & operis eorum ſtrenui cultores inventi ſunt, quod ipſi profecto agerent, adjuvante Domino, habentes quemadmodum illi eumdem zelum juſtitiæ, ſeu privilegium dignitatis ſtudioſe perficere procuravimus. Nimirum quod omittere proculdubio (ſicut noſſe cunctis clare tribuitur) non valemus: ſane quia Gregorium neophytum conſecraſſe diximus, ne Photium quidem neophytum quando quaſi in ſacerdotem conſecratus eſt, negent; ſancti papæ Gregorii, & Anglorum ampliſſimæ, ac fideliſſimæ gentis apoſtoli (nam ſignaculum apoſtolatus ejus ipſi ſunt in domino) verba commemoremus, qui ait: Sicut autem tunc neophytus dicebatur, qui initio in ſanctæ fidei erat converſatione plantatus, ſic modo neophytus habendus eſt, qui repente in religionis habitu plantatus ad ambiendos honores ſacros irrepſerit.

S. Gregorii epiſtol. lib. 7. indictione 2. epiſtola 110.

Quis neophytus dicatur.

Præterea non omittendum eſſe credimus, nos commemorare præterito anno per indictionem videlicet tertiam decimam, epiſtolam ſub nomine principis conſcriptam, per Michaelem imperialem protoſpatharium ſuſcepiſſe, quæ tantis erat verbis contumelioſis, immo blaſphemiis reſperſa, ut ſcriptor ejus non niſi in gutture colubri calamum tinxiſſe putetur, & dictatoris labia pro dictionibus venena fudiſſe videantur, adeo ut ſi cujuſpiam ſimplicium cor penetrent (non enim hæc aures prudentium ſuſcipiunt) & hos continuo necent; nimirum tanto miſerabilius, quanto mors animæ magis, quam corporis per illum virulentum hauſtum admittitur. De cujus immanitate piaculi licet Auguſto per jam fatum legatum jam nos ſcripſiſſe recolamus, eadem tamen nunc ſcribere veſtræ beatitudini ratum duximus. Denique opinati ſumus, & adhuc nihilo minus opinamur, quod pietas ejus tandem aliquando reſipiſcat, & de eccleſiæ Conſtantinopolitanæ reſtaurando ſtatu nobis ſalubria ſuadentibus acquieſcat: Sicque demum omnia ſcripta, quæ male ſunt compilata, non ſolum adverſus nos & hanc ſanctam eccleſiam, verum etiam contra fratrem noſtrum & comminiſtrum Ignatium, coram univerſa imperii ſui multitudine igni tradenda decernat. Alioquin jam cunctis eccleſiæ fidelibus quæ foret apoſtolicæ ſedis auctoritas, vel quæ fabricatoribus mendacii, ſeu inventoribus perverſorum dogmatum immineret ultio, profecto pateſceret. Impoſſibile eſt enim (quamquam noſtras nos ſpeciales injurias curare floccipendamus) ut tantorum ac talium ſanctorum patrum & propugnatorum catholicæ eccleeccleſiæ, ac deſtructorum diverſarum hæreſeon atque defenſorum orthodoxæ fidei blaſphemias æquanimiter ſuſtineamus, vel etiam tantæ ſedis, ſive tam excellentis eccleſiæ Romanæ, cui Deo deſervimus auctore, contumelias perferamus.

Hæc totidem verbis in ep. 9.

Verum, quamvis & de nobis humiliter ſentiamus, non tamen, conſcientia dictante, vera eſſe quæ de nobis perhibuit, aſſeveramus: ſed (ut diximus) ea poſtponentes, illa potius quæ Jeſu Chriſti ſunt, inveſtigamus, & ſi qua male congeſta adverſus ejus famulos, adverſus ejus ordinationes, adverſus ejus diſpoſitiones ſtabilita privilegia reperiuntur, nulla patientia toleramus, & non ſolum hæc deſtruere totis viribus anhelamus, verum etiam conflatoribus tantæ perverſitatis diguam viciſſitudinem reddere neceſſario meditamur. Nimirum ne hos quis impunitos intuens, aut nunc, aut futuro tempore deinceps talia præſumat præſtigia falſitatis componere, vel commenta blaſphemiarum hujuſcemodi figmentis contrahere.

Quapropter eidem imperatori ſublimiſſimo per epiſtolam præſulatus noſtri cohortando direximus, in qua etiam vos ad votum noſtrum laborare ſummopere convenit: quatenus diligenter inquirat, atque ſcrutans ſi ſua illam non fuiſſe præceptione tam cænoſam invenerit contectam, immo toxicatis ſyllabis infectam epiſtolam, ut interim de tot præſtigia texentium pœna taceamus, quæ illos ſe zelo veritatis flagrantes involvere convenit: ſaltem hujus ſocia accepta & palam cunctis igne ſuccenſa per Auguſtales ſuos tam nobis quam omnibus, ad quorum notitiam pervenit, deſtinatos apices competenti ſatisfactione a tam perverſo ſenſu, & tam profanis adinventionibus, quod a ſenſu ſuo non fuerit commentis tradita, ſe exhibeat prorſus immunem. Jam vero ſi ſibi in multis hujuſmodi ſollicitudinibus occupato ſurreptum eſt, ut talia ſcribere mandaret, ne pigeat clementiam ejus etiam hoc ipſum humiliter confiteri, & legibus ſuis, ut hujuſmodi ſcripta nullius habeantur momenti, decernere: ita ut penes quem reperta fuerint, impunito non evadente, ipſius quoque ſæpe memoratæ, ac ſemper execrandæ epiſtolæ, vel exemplaris ejus apices, intemeratis pro reverentia manentibus ſacris dictionibus, flammeo dedantur igni voranda. Et ut ſiniſtræ opinionis nævo, quod ex blaſphemis ſcriptis incurreret, carere valeat, & ingratus filius circa matrem ſuam, ex qua imperandi faſtigium ipſe & patres ſui ordine cælitus diſpoſito percepit, nullatenus appareat. Sin autem, ſcitote, quoniam poſtquam in hac eum pertinacia perſiſtere fine tenus velle compererimus: primum quidem congregatis cunctarum occidentalium regionum venerabilibus ſacerdotibus, dictatores & diſpoſitores, atque præceptores tantæ fallaciæ, ſeu crudeliſſimæ derogationis ſanctarum, vel paternarum traditionum ab omni Chriſtiana compage remotos, apoſtolica freti auctoritate, duris anathematis vinculis innodabimus: nec non & patrum, ac prædeceſſorum meorum ſecuti veſtigia, qui ſoliti ſunt etiam numeroſorum concilia nequiter celebrata caſſare pontificum, ſi qua ſocia ſunt crebro dictæ vel exemplaria fortaſſis epiſtolæ: quin potius non ſolum hæc, ſed & omnia ſcripta, quæ vel adverſus fratrem & coepiſcopum noſtrum Ignatium inique confecta, vel adverſus nos cauſſam illius canonice proſequentes, furioſe deprompta ſunt, perenni damnationi mandabimus.

Deinde vero decernentibus nobiſcum, & ſimul conſiderantibus eiſdem ſanctiſſimis fratribus & coepiſcopis noſtris, ipſam epiſtolam in ſtipite videntibus cunctis ſuſpenſam, vaſto ſuppoſito foco, ad vituperium imperialis apicis coram omnibus nationibus, quæ penes memoriam ſancti Petri multiplices inveniuntur, extremæ perditioni donabimus: quatenus his rite patratis, diſcat pius quod amet, & crudelis quod timeat. Nam tot & talia blaſphemiarum commenta, quin potius veracium literarum depravationes, audiſſe & tacuiſſe, conniviſſe eſt.

Quamobrem venerabiles fratres, valde mihi, (ſicut ipſi comprehendere poteritis) cavendum eſt, ne, ſi nos præſtigiorum figmentis minus celeriter obviaverimus, tamquam vera recognita vel comprobata, hæc admiſiſſe fallaciter apud ſtolidos exiſtimemur. Nec poſſumus in eccleſia Dei diſſimulando tam ſpuria relinquere germina, quæ

ante-

anteceſſorum noſtrorum beatiſſimorum pontificum tempore aut nunquam exorta, aut certe, ſi undecumque vel quomodocumque exorta ſunt, eorum judicii ligone, antequam proficerent, radicitus extirpata ſunt. Deſtruat ergo etiam vobis hortantibus ipſe & diſſipet illa: alioquin a nobis fore deſtruenda, ſeu funditus diſſipanda, modo quem prædiximus, antenoſcite: quamvis antequam nos iſta vobis ſcriberemus, pro quibus nunc ſublimitatem ejus hortamur, hoc ipſum ſponte facturum eſſe putaremus. Sed quia quod putatum eſt, nullum effectum hactenus habuit: idcireo nos ſalutem ipſius illæſam manere volentes, ut hoc nunc ſaltem agat, affectu paterno monuimus: Alioquin (ut jam præfati ſumus) ſic Deo favente, de cetero vigilabimus, & ſtudiis quibus poſſumus inſiſtemus, ut inter exanimes computentur, qui auctoritatem Petri non conſenſerint, immo Dei hanc ordinantis in Petro non intellexerint: ita ut nec iſta, quæ pernicioſe compilata ſunt, defendere, nec his ſimilia, ut non dicam ſcripto tradere, vel in mente volvere quis ulterius audeat. Non enim figmenta, quæ ordinationi Dei reſiſtunt, quæ evangelicis vocibus contradicunt, quæ ſanctorum patrum diffinitionibus obviant, quæ ſynodicis conſtitutionibus adverſantur, quæ (ſi ſic dimittantur) innumera poſſunt fidelibus auxilia Petri quærentibus inferre diſpendia, incolumia ſine diſcrimine noſtro valemus deſerere: & exiſtimationi noſtræ, vel nunc, vel poſt diſceſſum noſtrum, tantum, quod abſit, nævum ad deſtructionem ſimplicium, & mutilationem ſedis apoſtolicæ privilegiorum, relinquere.

Hæc deinceps ſunt totidem verbis in ep. 7.

Ceterum ut caritas unanimitatis veſtræ de fratris & comminiſtri noſtri Ignatii ſanctiſſimi patriarchæ dejectione nobiſcum doleat, quæ prævalent ei ſolamina nobiſcum exhibeat. Nam ſi juxta apoſtolum *quod patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*; quanto potius compatiendum eſt illi, quod inter cetera membra præcipuum tenuiſſe locum dignoſcitur? Unde ſi non pro unius & ſpecialis perſonæ prælati fratris noſtri repulſione, vel certe pro ſummi ſacerdotis conculcatione dolere, gemere, flere, currere, ac decertare debetis. Nam ſi licitum fuerit ſæculari poteſtati de eccleſiæ Domini præſulibus taliter judicare, vel ſi rurſus fas extiterit inferioribus de prælatis ſibi jam temere iſta patrare, perpendite, ne ad perniciem veſtram, immo totius eccleſiæ nunc & futuris temporibus præſumptio talis prævaleat: quod ſi attenditis, ecce jam cernitis. Nam impietas tantum caput extulit, ut eccleſiarum præſulibus poſtpoſitis, & ordine canonico conculcato, laici nunc eccleſiaſtica moderamina teneant, & pro libitu proprio modo iſtos removeant, modo illos in locum eorum promoveant, & rurſus quos nunc approbant, poſt modicum mentis victi levitate repellant. Ut enim ſæculares, ac laici homines quælibet ſcelera valeant licenter committere, & pro his a nullo pontificum, qui ex clero promotus hæc ſumma poterat auctoritate compeſcere, libere redarguantur. Nec de clericorum catalogo permittunt ad ſacros ordines proveni, qui vitam eorum tanto audacius, quanto diutius, ac familiarius ſub Chriſto duce forti militantes fortius comprimere poſſent: ſed ex ſeipſis eligunt, qui facta eorum tanto minus præſumant arguere, quanto ſe paullo ante de horum cœtu, favore ipſorum promotos meminerint: quod illis partibus tanto familiarius agitur (iſta præſumptio videlicet, ut ex laicis ſubito tondeantur, & in epiſcopos conſecrentur) quanto ex conſuetudine hac inoleviſſe teſtantur, quam nos e contra tanto ſtudioſius ex eccleſia Dei eradicare volumus, quanto nimium noxæ jam eſſe clericis, & omni religioſæ plebi ſupra docuimus: quantoque ſcimus ex ſacris canonibus, quod non minus * conſuetudo, quam pernicioſa corruptela vitanda ſit: & ſcimus quod paullatim creſcens, jam ſuæ peſtiferæ nequitiæ gramine multos invaſerit, adeo ut temeritas hæc tantum excreverit, ut jam minime clericis egeant, dum contra ſacros canones ex ſeipſis ſubito tonſuratum, quem voluerint, eligant, & ad labores clericorum mentis oculos non inflectant. Ac per hoc fit, ut alienus comedat ipſorum fructus laborum; & ſtipendia meritorum extraneus hoſtis inſperatus ſurripiat, ita ut nihil proficiat clericis in caſtris dominicis militaſſe, vel gradatim per ſingulos eccleſiaſticos ordines aſcendiſſe, dum alter ſaltu hos omnes tranſcendit, & repente principatur in eis, qui inter eos nec contra ſpiritales hoſtes arma ſuſtulit, nec diverſis eccleſiæ adverſariis pro veritate prælians aliquando reſtitit.

* *Mala conſuetudo.*

Eccleſiaſticæ dignitatis his conferendæ, qui in eccleſiis deſerviunt.

Quantum autem ne de laicis temere quislibet ad epiſcopatum eligatur, ſacri canones, cum aliis prohibeant, Sardicenſes oſtendunt, Oſio epiſcopo capite decimo tertio dicente: Et hoc neceſſarium arbitror, ut diligentiſſime tractetis, ſi forte aut dives, aut ſcholaſticus de fori adminiſtratione epiſcopus fuerit poſtulatus, ut non prius ordinetur, niſi ante & lectoris munere, & officio diaconi, aut presbyteri fuerit perfunctus, & ita per ſingulos gradus, ſi dignus fuerit, aſcendat ad culmen epiſcopatus. Poteſt enim per has promotiones, quæ habebunt utique prolixum tempus, probari qua fide ſit, qua modeſtia, qua gravitate & verecundia, & ſi dignus fuerit probatus, divino ſacerdotio illuſtretur: quia conveniens non eſt, nec ratio, vel diſciplina patitur, ut temere & leviter ordinetur, aut epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, qui neophytus eſt: maxime cum & magiſter gentium beatus apoſtolus, ne hoc fieret, denuntiaſſe, & prohibuiſſe videatur: ſed hi, quorum per longum tempus examinata ſit vita, & merita fuerint comprobata. Contuemini ergo, & futura, immo urgentia mala conſpicite: medici eſtis, imminentes morbos per præcedentia ſigna prævidete: Epiſcopi eſtis, exurgens in eccleſia Chriſti horrendum exitium proſpicite: ſpeculatores eſtis, in altam mentis arcem conſcendite, & in gregem dominicum feram peſſimam irruere cupientem a longe contemplamini. *Quaſi tuba exaltate vocem veſtram, & annuntiate populo Dei ſcelera eorum: ſuper montem excelſum*, id eſt, altitudinem virtutum, *aſcendite. Qui evangelizatis Sion, ſtate in fortitudine, poteſtatibus hujus ſæculi ex adverſo aſcendite, & murum pro domo Dei opponite, ac quibuslibet poteſtatibus inique agentibus contraite*: ſicque fiet, ut nec ſicut canes muti de taciturnitate argui valeatis, nec de talenti occultatione diſtrictam Domino rationem reddere compellamini, voſque epiſcopos & conſacerdotes noſtros, immo eccleſiam Chriſti illis in partibus conſtitutam ab ingenti pernicie, ac noxia labe ipſo juvante laudabiliter eruatis, mirabiliterque regatis.

Officia epiſcopalia.

1. *Tim* 5.

Iſa. 58.

Verum nos de ipſis hæc vobis ſcripſiſſe ſufficiat. Pax autem Dei, *quæ exuperat omnem ſenſum*, præcordiorum veſtrorum intima penetret: & quam de ſalute omnium veſtrum ſolliciti ſimus, vobis Deus omnipotens clementer aperiat; & quomodo vos cupiamus in viſceribus Chriſti, & in eccleſiæ gremio continere, quæ diffuſa in toto orbe terrarum, quaſi unius Chriſti thalamus eſt, atque in ſancta communione una vobiſcum perſiſtere, ut unum ſapiamus omnes, & non ſint in nobis ſchiſmata, illuminationis ſuæ gratia revelare dignetur: ita ut de correptione fidelium congaudentes,

Philipp. 4.

1. *Cor.* 1.

tes, & congratulantes, uno animo, & uno ore glorificemus & collaudemus Deum Patrem videlicet, & Filium, & Spiritum sanctum per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Quisquis autem hanc epistolam nostram Constantinopoli legerit, & eorum * notioni, quibus missam intellexerit, quidquam ex his, quæ in ea sunt occultaverit, si locum potest invenire sufficientem, anathema sit. Quisquis etiam interpretatus eam fuerit, & ex ea quidquam mutaverit, vel subtraxerit, aut superaddiderit præter illud, quod idioma Græcæ dictionis exigit, vel interpretanti scientiam intelligendi non tribuit, anathema sit.

* Cod. vatic. positionibus, qui.

XI. AD PHOTIUM.

Exprobrat Photio multa crimina, quæ in occupanda Ignatii sede commisit: probat illum & divinum & humanum jus violasse: nuntiat ipsum depositum fuisse: & si non paret sententiæ, minatur illi perpetuam usque ad obitum excommunicationem.

Periocha XI.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, viro Photio.

INnumerabilium reperiris prævaricationum obnoxius, & venerandorum canonum, atque paternarum diffinitionum, quinimmo & divinorum mandatorum contumeliis multipliciter ac impudenter elatus: siquidem & ex schismaticorum; sed & cum venerabilis frater & coepiscopus noster Ignatius Constantinopolitanam regeret ecclesiam, a sanctæ communionis participatione contra regulas avertentium parte fuisse dignosceris, & ex sæculari administratione atque militia, & ex foro subito tonsuratus, a Gregorio Syracusano dudum episcopo a synodo damnato & ab apostolica sede convicto episcopus ordinari & nuncupari passus, etiam vivente ac superstite Ignatio patriarcha sedem ipsius invasisti; & sponsam, quam a Christo sponso immaculatam custodiendam, veluti amicus sponsi perceperat, non per ostium, quod Christus est, sed aliunde ex adverso in ovile dominicum more furis, vel latronis irrumpens, ac violentus, rapax & scelestus adulter surripuisti. Et præter, immo adversus apostolicos canones, sæcularibus potestatibus usus, ecclesiam per eos obtinuisti. Deinde cum damnatis & anathematizatis, atque cum his, qui ne sacerdotale officium ante audientiam præsumerent, & a decessore meo sanctæ recordationis Benedicto papa fuerant obligati, quotidie ac indifferenter communicans, & conversans contra fidem promissam, contraque tuam professionem, qua pollicitus es, te adversus jam fatum patriarcham nullum sinistrum consilium esse facturum, congregasti concilium, & cum sequentibus tuis depositis & damnatis & excommunicatis, & anathematizatis, & aliis sine ecclesiis, atque cum his, a quibus vel tu irregulariter ac illicite provectus fueras, vel quos ipse temere ac indebite promoveras contra eumdem fratrem & comministrum nostrum depositionem facere, & anathema dicere ausus es. Deinde apostolicæ sedis missos, quos pro caussa sacrarum imaginum, & pro inquirenda, & nobis renuntianda jam fati patriarchæ dejectione, & ob inveniendum modum promotionis tuæ destinaveramus: quibus potuisti argumentis a nostris mandatis avertere, more Acacii quondam Constantinopolitani hæretici patriarchæ, præsumpsisti, & ad processionem, quæ tibi cum comparibus tuis habebatur: sicuti eorum professione patefactum est, & sancto Spiritu revelante venerandæ synodo, quæ a nobis collecta est, claruit, ad damnatorum & schismaticorum tuamque confusionem contempta legatione, quæ vel gentilium more servari debuit, * pertransisti, & in illusionem beati Petri apostoli, cujus a sede profecti fuerunt, non solum inefficaces redire fecisti, sed etiam impugnatores omnium, quæ sibi fuerant imperata, monstrasti. Postremo episcopos, qui tibi tamquam adultero, & pervasori communicare noluerunt, exilio relegasti, & ipsis jubentibus contra canones tui sceleris complices in eorum surrogare locis non timuisti. Et usque in præsens ecclesiam Dei diversis persecutionibus impugnare non desinis. Ita ut fratrem & coepiscopum nostrum Ignatium sanctissimum patriarcham inauditis pœnis & horribilibus tormentis afficere non quiescis: sed & omnes quotquot pro veritate, & fide commode persistere deprehendis, quibus prævales modis perdere imprætermisse moliris.

* Pro, transisti.

Quamobrem in his & hujuscemodi te cognoscentes contra evangelicas, apostolicas, & propheticas, atque canonicas institutiones efferre dolemus, & nimiis mœroribus affecti, necessario te præsentibus apicibus admonemus, hortamur & obsecramus, ut in tanta gloria non decipiaris, & æterna bona pro his brevibus non amittas. Pensa quam pauca sunt omnia, quæ hic * mulctent, quamlibet multa esse videantur. Perpende quæso, quam multiplex sit, & quam prolixa pœna gehennæ, & hanc incidere pertimesce, hanc tibi acquirere medullitus exhorresce. Nam secundum evangelium, *quid prodest homini si lucretur totum mundum, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Scimus quoniam sapientia præditus, & scientia ditatus haberis. Sed audi quid propheta de quibusdam sapientibus dicat: *Sapientes*, inquit, *sunt, ut faciant mala, bene autem facere nesciunt.* Porro de scientia egregius apostolus ait: *Scientia inflat, caritas vero ædificat.* Ergo quantum non prosit, immo quantum obsit, non ad bona sed ad mala facienda habentibus sapientiam animadverte: & noli gloriari si habes scientiam sine caritate, quoniam, teste apostolo, illa inflat, ista ædificat. Et certe absurdum ac indecens est, ut eam, quæ inflat, virtutem habeas; illa vero quæ ædificat, careas. Quam autem habuisti caritatem, quando videbas fratrem & comministrum nostrum Ignatium ab ecclesia sua pelli, impeti, & adversus eum conjurationes & conspirationes præparari? Et non solum minime illum, cum posses, utpote ad sæculum clarus & honorabilis adjuvisti, verum etiam cum factiosis concurristi, & cum machinantibus adversus eum, & varias malignitatis argumentationes excitantibus concertasti. Quin potius horum omnium peccatum, quod generat mortem, in te proprie consummatum est, nimirum qui cunctarum prævaricationum in illum commissarum tu auctor factus es. Nam & si te homicidam dicimus, non mentimur, Joanne apostolo clamante, qui ait: *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est:* si ergo qui odit fratrem homicida est; quanto potius is, qui patrem non solum odit, sed & quantum in se est, mactat? insuper etiam si, ut Achab, quæ illius sunt rapit, & possidet, homicida dicendus est, & non solum qualiscumque homicida, verum etiam & parricida? Pater enim tuus erat Ignatius, & tu filius ejus, qui tantum a te præ naturali patre debuerat venerari, quantum spiritus, quo relativa hæc nomina mutuo possidetis, præferendus est carni.

* mulc...

Marc.

Jer. 4

1. Cor.

1. Joa...

Porro si te viperam appellamus, non fallimur, siquidem tu, non nisi parente perempto, proficere credidisti. Jam vero si te * tam similem asserimus, nec sic erramus: ipse quippe adeo in irrisionem & contumeliam patris prorupisti, ut de

* Irg. C... quid c... quoniam nimis ... firmant...

de cathedra sacerdotali eum projiceres, & ad illudendum mimis, & scenicis inverecunde proderes. Extremo, si te Judæis comparamus, fortasse non modicum quidem a vero discedimus: nam ipse non solum super magistrum tuum contra evangelium factus es, verum etiam ordinationi Dei resistens adversus eum dentes tui, arma & sagittæ, & lingua tua machæra acuta effecta est. Quandoquidem non, sicut sanctus David, mittere manum in christum Domini formidasti, sed sicut principes latronum non habentes bona, regem suum trucidantes, insurgere contra rectorem tuum versutis insidiis magnopere procurasti. Quos idem sanctus David, sicut & illum qui se christum Domini (Saulem videlicet) peremisse nunciaverat, tamquam homines impios, & principem suum trucidantes, tradere morti laudabiliter jussit. Quamquam etiam si nihil in his reprehensionis admitteres, cum pridie laicus fueris & sæculo militaveris, nequaquam tam repente debueras ad summi sacerdotii pervenire fastigium: quandoquidem nec monachorum poteras tam subito secundum probabilium patrum traditionem, perfectionem consequi, Gelasio, Gregorio & Hadriano magnis, & vere sanctis sedis Romanæ præsulibus id ipsum, quod serenissimo Augusto, atque tibi jam scripsimus, multipliciter inhibentibus. Sane si horum tamquam ignotorum, sanctitatis insignia non agnoscebas (licet cujus fidei, cujus studii fuerint, per eorum nosse scripta sufficeret) saltem Cælestini, atque Leonis, ejusdemque sedis pontificum reverentiam præ oculis habuisses: quorum sententiæ tota per mundum diffusa inclinatur ecclesia: quorumque doctrinam (sicut in sacratissimis tertia & quarta synodis videre est) Christiana veneratur apprime religio. Quinimmo & quorum virtutum decus, & eloquentiæ nitorem, nec non & morum probitatem ac exhortationum suavitatem non solum fideles reges, verum etiam infideles ac tyranni, barbarique principes, reverentia, vel pavore non modico mansuefacti vehementer amplexati sunt & sectati. Quod si magnos, sanctosque fuisse non negas (quia nec vales: alioquin pugnabit pro eis orbis terræ contra insensatos) oportet ut in cunctis ecclesiæ dogmatibus, & disciplinis eos solerter attendas, & veneranter admittas. Nam si in ceteris nostræ religionis negotiis eorum assertionibus cesseris, & in his eos, in quibus tuæ promotioni contradicunt, contempleris; apparet te minus saluti communi, quam sorti privatæ intendere, ac per hoc, non quæ Jesu Christi, sed quæ tua sunt, quærere. Aut illæ bonæ arbores fuerunt, & bonos fructus fecerunt, aut malæ (quod absit) & fructus eorum mali: & si quidem boni fuerunt & fructus eorum boni, oportuit eos tamquam bonos sequi. *Non enim potest* (evangelio testante) *bona arbor malos fructus facere*. Porro si de eisdem non cum tota Christi ecclesia sapis, necesse est qualiter vel ipsi, vel fructus eorum mali fuerint, plurimis adhibitis ex omni ecclesia testibus comprobes & affirmes: quoniam tibi soli super hoc negotio contraria suadenti non creditur.

[Margin: Cælestini atque Leonis sententiæ.] [Margin: Matth. 7.]

Jam vero si dixeris, Bona & grata sunt, atque salubria, quæ prædicaverunt, vel statuerunt, sed non omnia, nam horum quædam dulcia, quædam amara fuere; Jacobus tibi pro eis respondet apostolus, dicens: *Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam?* quoniam sicut idem iterum ait: *Neque salsa dulcem potest facere aquam*: Spiritus enim sanctus quorum vasa isti fuerunt, non potest nisi dulcia per hos, quos repleverit, eructare. Præterea si prositeris omnia eorum decreta salutifera quidem tore, sed hæc vos hactenus ignorasse, nec sic profecto excusabiles eritis. Nisi enim ignorantiæ peccata essent, nequaquam psalmista pro his Dominum precaretur, dicens: *Delicta juventutis, & ignorantiæ meæ ne memineris*: qui rursus denique dicit: *Noluit intelligere, ut bene ageret, iniquitatem meditatus est in cubili suo*. Qui enim non ait, Non intellexit, sed *Noluit intelligere, ut bene ageret*, profecto monstravit, quia sæpe proposito voluntatis ignorantia procuratur. Idcirco de ignorantia cuncta ad securitatem auferes, si apostoli formidolosa verba consideraveris, quibus ait: *Si quis autem ignorat, ignorabitur*: quia profecto, docente sancto Gregorio papa, qui ea quæ sunt Domini nesciunt, a Domino nesciuntur. Sed dicis; hæc non in lege suscepimus, & prævaricatores, qui significantius Græce παράνομοι dicuntur, non sunt, nisi qui præter legem acceptam aliquid pravitatis committunt, sicut apostolus ait: *Ubi non est lex, nec prævaricatio*. Sed audi, & expavesce quod rursus idem dicit apostolus: *Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*. Alioquin gentes, quæ legem non acceperunt, excusabiles fateberis. Verum ego universos, qui inique agunt, transgressores dixerim, psalmographi habens auctoritatem, qui canit: *Prævaricantes*, inquiens, *reputavi omnes peccatores terræ*. Dicens ergo, *prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ*, etiam gentes, quæ legem non acceperunt, comprehendit. Quoniam etsi legem per Moysen datam non acceperunt, acceperunt tamen legem naturæ: quæ nisi corrupta fuisset, lex Mosaica data non esset: quam videlicet legem naturalem nunc a te non inconvenienter exigimus, qui gloriaris sanctorum tantorum pontificum edicta nullatenus accepisse.

[Margin: Jac. 3.] [Margin: Ibidem.] [Margin: Psal. 24.] [Margin: Psal. 35.] [Margin: 1. Cor. 14.] [Margin: Rom. 4.] [Margin: Rom. 2.] [Margin: Psal. 118.]

Denique hanc sibi datam, si volumen cordis tui conscientia scrutata fuerit, procul dubio non negabit. Ibi quippe scriptum reperies, lege naturæ dicente, a nemine velle lædi, a nemine velle tua prorsus auferri. Quapropter apte præcipitur: *Quod tibi non vis fieri, aliis ne feceris*, & Domino dicente: *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis*. Ideoque non poteris hanc te legem non accepisse negare, cum eam etiam ipsa natura doceat, & propria uniuscujusque voluntas * edere jugiter innotescat. Quod si hanc datam tibi fuisse denegas, profecto sedis apostolicæ præsulum decreta te accepisse demonstras. Quid enim illa nisi quod tibi non vis fieri, aliis ne feceris, dicunt, quando præcipiunt ne subito factus clericus clericis dominetur, qui per singula stipendia militaverunt, & omnem in dominicis castris ætatem egerunt. Quid inquam illa, nisi omnia quæ vultis ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis, jubent, quando præcipiunt, ne prioris ordinis sui quislibet saltu præpropero in alienum honorem ambiat immoderata cupiditate transcendere, vel pro suo libitu jura studeat aliena pervadere. Et certe si tu per singula stipendia in ecclesia Constantinopolitana militasses, & omnem in dominicis castris ætatem egisses, & quilibet prioris professionis saltu præpropero in honorem tuum ambiret, & immoderata cupiditate transcenderet, & pro libitu studeret tua pervadere, mox in vocem prorumperes, & adversus hunc querelas exponeres. Et quia præceptum est: *Non concupisces rem proximi tui, neque omnia quæ illius sunt*; & rursus: *Quod tibi non vis fieri, aliis ne feceris*, sufficientibus scriptis palam cunctis ostenderes, & quod Joannes Baptista militibus, ut neminem concuterent, neque calumniam facerent, & contenti essent

[Margin: Luc. 6.] [Margin: Matt. 7.] [Margin: * Forte, ea de re. H.] [Margin: Exod. 20.] [Margin: Luc. 3.]

essent stipendiis suis, præcepit, intentissime commemorans, & ait: Noli me concutere, noli mihi calumniam facere: sed esto tu, qui miles sæculi hactenus fuisti, stipendiis tuis contentus, quia sic tibi præcursor Domini dicit, & excelsis vocibus exclamares, & fleres forte singultiens: Ea stipendia, eorum fructus laborum noli concupiscere; noli surripere, noli de me, vel de meis commilitionibus male sentire: noli modo vincere nos omnes tot curriculis temporum diversis præliis Domini jam fessos, tot sudoribus & vigiliis pro civitate ipsius jam tabefactos velle saltu quodam ambitionis transcendere, & in nobis ex militia nostra non electus, vel provectus noli ducatum arripere. Igitur cum ea, quæ sedis apostolicæ præsules instituerunt, in libris sacris invenias, immo vero in temetipso jugi perseverantia relegas: noli, quia decreta ipsorum non susceperis amplius asseverare: cum ipsi nihil, nisi quod naturalis, quod Mosaica, nec non & gratiæ lex jussit, instituant; & quidquid in Sardicensi sancti patres concilio statuerunt, custodiendum prorsus diffinierunt. Inter quos Osius ille famosus, & magnus inventus est Athanasius, quamvis timescimus quid somnians dicas ejusdem concilii canones apud vos non haberi, quod procul a vero multis esse probatur indiciis.

Primum quidem, quoniam quando Zacharias, qui se prætendebat episcopum, ex parte Syracusani Gregorii, & collegarum, ejus apostolicam sedem adiit, eorum deposcens renovari judicium: hos se in appellatione canones, & eos, a quibus missus extiterat, fuisse secutos ajebat. Deinde nos diligentissime requirentes reperimus ipsos canones eo sensu, & numero non solum in novis, verum etiam in veteribus, atque authentigis codicibus, qui veraciores soliti sunt inveniri, Græce conscriptos, quo ceteris Latinis canonibus inferti esse cernuntur, nimirum qui & a præsulibus provinciarum pene totius orbis diffiniti sunt, & illis omnibus satis placuisse per eadem exemplaria Græca monstrantur. Quomodo autem non esse penes vos Sardicenses canones tu solus astruere poteris, quando non solum a Latinæ, verum etiam cum aliis a Græcæ linguæ hominibus statuti sunt & promulgati? Qua de re credibile non est, quod illic diffinitum est, unumquemque ipsorum minime linguæ propriæ tradidisse. Aut quomodo non sunt penes vos [1] canones Sardicenses, quando inter quinquaginta titulos, quibus concordia canonum apud vos texitur, ipsi quoque reperiuntur? Jam vero [2] si & habitus tum præfatorum insignium Romanorum pontificum decretalibus institutis, de laicis ad ecclesiasticos gradus non temere provehendis emissis, contemnendos esse putasti, saltem doctorem gentium Paulum apostolum audire consensisses, & quam sancti patres in Sardicensi concilio convenientes in hoc cum eo concordaverint, attendisses. Nam & audenter dicimus, & veraciter profitemur, quoniam qui Sardicense concilium non recepit, nec Paulum apostolum recepit. Quid enim (ut cetera prætermittamus) Sardicense concilium statuit, quando dicit: Si forte aut dives, aut scholasticus de foro, aut ex administratione sæculari episcopus fuerit postulatus, non prius ordinetur, nisi ante & lectoris munere, & officio diaconi, aut presbyteri fuerit perfunctus: & ita per singulos gradus, si dignus fuerit, ascendat ad culmen episcopatus? Potest enim per has promotiones, quæ habebunt utique per prolixum tempus, probari qua fide sit, qua modestia, qua gravitate & verecundia, & si dignus fuerit probatus, divino sacerdotio illustretur: quia conveniens non est, nec ratio, vel disciplina patitur, ut temere & leviter ordinetur aut episcopus, aut presbyter, aut diaconus, qui neophytus est, maxime cum & magister gentium beatus apostolus ne hoc fieret, denuntiasse, & prohibuisse videatur: sed hi, quorum per longum tempus examinata sit vita, & merita fuerint comprobata, nisi quod apostolus præcipit dilecto discipulo, dicens: *Manum cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Et de diaconibus: *hi autem probentur, & sic ministrent.* Quis autem maiorem concordiam quam in his verbis apostoli, & memorati concilii poterit invenire? Quid vero est, Cito, nisi ante maturitatem ætatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, immo ante exhibitionem subjectionis potius, quam celsitudo prælationis? Jam vero si apostolus (ut intermisse prædicti concilii mentio differatur) diaconos probari præcepit, & sic ministrare, quanto igne doctus episcopus diutinis est temporum spatiis per omnium exercitia virtutum probandus, & tamquam aurum in fornace diversarum tentationum examinandus? Sicque demum purgatus jam, & * expiatis cunctis probis moribus & virtutibus, manifestus ad prælationis fastigium provehendus. Igitur nos quidem de indebita promotione tua summatim hæc scripsisse tibi cognosce.

Tu autem qui etiam cogitationum tuarum testis es, quam illicite sis provectus, scire facilius poteris. Qua de re alienum cessa de cetero pervasum locum tenere, nec pias domui Israel in offendiculum iniquitatis, & nec amplius cæcis ducatum præstes erroris. An non (ut multa omittamus) offendiculum domui Israel factus es, qui tantam Domini plebem Ignatium deserendo contra suam subscriptionem, vel professionem agere compulisti? An non ei ducatum erroris præstitisti, quando illi pastorem suum infideliter deserere, & te, cui non pertinebat aliquid de ovibus, sequi callide suasisti? Verum tanti reatus pondere jam fungeres, si veritatis sententiam sollicita cordis aure pensares, quæ ait: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Per molam quippe asinariam secularis vitæ circuitus, ac labor exprimitur, & per profundum maris, extrema damnatio figuratur. Melius ergo tibi fuerit, ut sub exteriori habitu te ad mortem sæculi acta constringerent, quam sacra officia ambiendo, & non solum unum, sed etiam cum magistro patre, ac pastore tuo plurimos eorum, qui in Domino credunt scandalizando, in culpæ te ceteris imitabilem demonstrares: quia nimirum si solus caderes, utcumque te tolerabilior inferni pœna cruciaret. Fuge itaque principatum nequiter usurpatum: declina præesse, qui innumeris dignosceris indesinenter obesse. Scriptum legisti quia *Jesus* (qui utique rex verus est) *cum cognovisset quia venturi essent ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit:* quis enim principari omnibus tam sine culpa potuisset, quam is, qui hos nimirum regeret, quos ipse creaverat? Sed quia idcirco in carne apparuit, ut non solum nos per passionem redimeret, verum etiam per conversationem doceret; exemplum se sequentibus præbens, rex fieri noluit. Ad crucis vero patribu-

Concordia canonum apud Græcos.

* *For.* ex c. probri moribus virtutibus manifestus &c. *vel* ex c. pravis ribus, &c.

Matth. 18.

Joan. 6.

[1] Collectio Canonum est Joannis Antiocheni, quæ 50. titulis constat. Hanc Justellus edidit. *Hard.*
[2] Forte, *si & canones eum.* Hard.

tibulum ſponte cum venit, oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probroſæ mortis appetiit, ut videlicet membra ejus diſcerent favores mundi fugere, terrores minime timere, pro veritate adverſa diligere, proſpera formidando declinare.

Igitur tandem aliquando audi nos, quos ſi audieris, non ſenties erga te penitus inflexibiles, nec ad miſericordiam duriores: quia ut Leo magnus apoſtolicæ ſedis antiſtes beato Flaviano ſcribit: Dominus noſter verus & bonus paſtor, *qui animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis, & qui venit animas hominum ſalvare, non perdere*, imitatores nos vult eſſe pietatis, ut peccantes quidem juſtitia coerceat, converſos autem miſericordia non repellat. Siquidem nunc pro omnibus, quæ ſparſim per hujus epiſtolæ textum te contra omnia juſſa divina perpetraſſe commemoravimus, Dei omnipotentis & beatorum apoſtolorum principum Petri ac Pauli, ac omnium ſimul ſanctorum, atque venerandorum ſex univerſalium conciliorum auctoritate, nec non & Spiritus ſancti per nos judicio cuncto ſacerdotali honore, ac nomine (quod gementes dicimus) alienus, & omni clericatus ex officio prorſus exutus. Ita ut ſi poſt notitiam hujus ſanctionis, quam divina inſpiratione depromptam eſſe credimus, dum unanimitate & concordia ſanctæ ſynodi ſit procul dubio promulgata, tentaſti in Conſtantinopolitano throno præſidere, ac ſæpe fato venerabili coepiſcopo noſtro Ignatio, quominus eccleſiam ſibi commiſſam ſine quavis inquietudine regere poſſet impediſti: vel ſi de miniſterio ſacro ulterius auſus fuiſti aliquid more ſacerdotis contingere, juxta præcedentem conſuetudinem (quod contra canones eſt) nullo modo liceat tibi communionis ſpem, aut locum habere ſatisfactionis, ſed anathematis vinculis innodatus una cum communicatoribus tuis, atque fautoribus perpetuo Dei judicio, ac ſententia per mediocritatem noſtram exiſtens, ſacrum corpus & ſanguinem Domini Jeſu Chriſti nonniſi vicino mortis periculo percepturus. Quatenus hæc unuſquiſque diſcens, nequaquam de cetero temeraria præſumptione ex laicis ſubito in dominicis caſtris inſperato quodammodo impetu irrepere audeat, & principatus amore ante dux eſſe velit, quam tironis con ſummet officium, & ante tentet docere, quam diſcere, ſicut in eadem Conſtantinopolitana eccleſia ſæpe præſumptum eſſe comperimus. Et rurſus ne contemptis clericis (quorum utpote in tam magna urbe copioſa multitudo eſt) quiſque ab ipſis (ut ita dixerimus) cunabulis, imprætermiſſo labore in eccleſia Chriſti deſudant; & indeſinentia Domino exhibent ſervitutis obſequia, is qui deforis eſt, alterius ovilis Chriſti repente principatum arripiat, & nitatur quos eſſe ſuos non recognoſcit, diſcerpere, & grex dominicus incipiat eum utpote extraneum, & improviſum omnino contemnere, præſertim cum perſpiciat nihil ſibi ſtipendia profeciſſe meritorum, & alienum ſuorum cernat conſumere fructus laborum.

Data Idibus Novembris, indictione xv.

XII. AD BARDAM CÆSAREM.

Dolet ſe depulſum fuiſſe de ſpe, quam ob multa, quæ a principio de ejus pietate audierat, in ipſo collocaverat, hortatur eum ut reſipiſcat, & cauſſam Ignatii apud imperatorem agat, ipſiſque legatis ſedis apoſtolicæ faveat.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, in Chriſto diligendo filio Bardæ inclyto Cæſari.

POſtquam Dei omnipotentis in te cœperunt dona miris ſucceſſibus abundare, eorumque donorum inſignia longe lateque glorioſiſſime coruſcare, nec non & apud aurium noſtrarum auditus odorifera crebreſcente fama laudabiliter frequentare, cœpimus & nos exinde immenſas eidem omnium donorum largitori Domino gratias agere: & ut hæc in te creſcere faceret, enixius implorare, qui pro magnæ pietatis ſuæ, ac ineffabilis miſericordiæ multitudine tanto apicem excellentiæ tuæ poſt ſublimius extulit, quanto per te oppreſſos erigi, & opprimentes comprimi, & exaltantes eccleſiam ſuam exaltari, & humiliantes hanc voluit humiliari. Poſuit quippe te in eccleſia ſua ſicut cedrum, ut ſub umbra tua refrigerium cruciati, & protectionem inveniant deſolati, ac diverſis fatigationibus lacerati. Poſt hæc autem audivimus in Conſtantinopolitana urbe diſſenſiones, contentiones, clamores, conjurationes, conſpirationes, factiones, animoſitates, ſimultates, & cetera incommoda, ſeu diſcrimina, ita ut jam imminere credamus illa tempora, quæ ab apoſtolo noviſſimis diebus inſtatura fore prædicta ſunt, & urgere putarentur omnia ſigna, quæ redemptor noſter finem mundi præventura eſſe pronuntiavit. Quid autem nequius, immo periculoſius, quam ante juſtam, canonicamque audientiam ſola ſæculari potentia præſulem a ſua ſede propelli, atque eccleſia ſibi divinitus commiſſa, conſenſuque ac ſubſcriptione provincialium ſacerdotum, & compatriarcharum communione roborata privari? & eum qui inter Deum & hominem interpres, ab interceſſione populorum, nulla monſtrata noxa, ſolo pro libitu uniuſcujuſque removeri? Quid inquam nequius, aut periculoſius, quam ut diſcipuli manus in magiſtrum injiciant? filii viperas imitantes parentem proprium (quantum in ipſis eſt) interficiant? eique maledicere, a quo benedicti ſunt? eum projicere, a quo ad ſingulorum graduum honorem provecti ſunt? Quid vero præſumptuoſius, quam ſi pulſus aliquem pellere, aut remotus removere, aut ligatus ligare tentet? Quid præterea inconvenientius, vel inordinatius, atque confuſius agi poteſt, quam tanta numeroſitate Conſtantinopolitanorum clericorum, tamquam tota vel fidei violatione polluta, vel inſcitiæ inſipientia enervata, vel diverſis criminibus irretita, ſpreta penitus, ac reprobata, laicum ſuper hanc erigere, & extraneum ſuper eam inducere, & in ea contra ſacros canones, immo vero adverſus apoſtolum neophytum ordinare? Jam vero ſi neophytum nonniſi noviter in fide plantatum dicitis; reſpondemus, non hoc illud nobis nomen ſignificare: ſiquidem in illo nomine, quod eſt neophytus, nihil de fide ſonat.

Quid ſignificet neophytus

Sed dicitis: Ita hoc ſancti patres noſtri interpretantur, videlicet ut neophytus noviter in fide plantatus intelligatur; At nos reſpondemus, quod poſtquam in compoſitione nominis hujus nil de fide ſonare ſcit, non ſolum in fide, verum etiam in clericali militia noviter inſertus neophytus vocari appellari, quemadmodum & ſanctus papa Gregorius, & Anglorum gentis apoſtolus interceſſor veſter apud Deum, qui & vim nominis iſtius perſpicaciter intellexit, & patres illos forſan, quos dicitis, ſubtiliter inveſtigavit, inter cetera ſcribit, dicens; Sicut autem tunc neophytus dicebatur, qui initio in ſanctæ fidei erat converſatione plantatus, ſic modo neophytus habendus eſt, qui repente in religionis habitu plantatus ad ambiendos honores ſacros irrepſerit. Quid rurſus pernicioſius eſt, quam cuiquam ex ſchiſmaticis intra ſepta dominica principatum tribuere, & per damnatos ſanctificare, & per depoſitos ad ſacerdotium ſublimare, & viventis locum ſubripere, & al-

S. Gregorius lib. 7. epiſt. indictione 2. epiſt. 1ro

& alteri Christi sponsam commissam temerare, & in apostasiam multos demergere, & in infidelitatem impellere, & a professione, vel subscriptione sua non paucos avertere, & ecclesiam per exteras potestates accipere, ac per hoc in ovile dominicum, non per ostium, sed ex adverso, ac aliunde conscendere, & in id more furis atque latronis, seu lupi rapacis irrepere, & primum quidem pastorem necare, deinde vero ovium alias quidem trucidare, alias autem dispergere, conterere, nudare, lacerare, ac diversis modis & machinationibus disperdere? Quid postremo, quæsumus, horribilius, & execrabilius, quam dominica, seu sanctorum patrum, nec non & apostolicæ sedis scripta pro religione, pro disciplina, pro correctione missa violare, & quædam quidem eorum fidelibus occultare, quædam vero defraudare, & subtractione, ac commutatione, nec non & additione quædam callide depravare? Missos quoque beati Petri apostolorum principis variis argumentis a sibi commissis avertere, & ad * præcessionem, quæ a schismaticis, excommunicatis & damnatis agebatur, pertrahere, illosque contempta legatione, quæ vel gentilium more tractari debuit, nonnullis incommodis subdere, & ad extremum in illusionem beatissimi Petri, a cujus sede profecti fuerant, non solum inefficaces redire facere, verum etiam impugnatores omnium, quæ mandata fuerant, demonstrare? Quæ & his similia, nec non & his pluriora in Constantinopolitana urbe, vel in adjacentibus sibi civitatibus patrari audientes, immenso fumus mœrore repleti, & anxietate nimia perturbati. Sed quia horum omnium auctor tu existere fama divulgante diceris, intolerabili cruciatu mentis afficimur, & doloribus undique coangustamur. Unde videlicet cum Jeremia in vocem prorumpere, ac libet lamentabiliter mœstitiæ operam dare, flebiliterque exclamare: *Quis dabit capiti meo aquam, aut oculis meis fontem lacrymarum*, ut plangam, & lugeam tantam & talem perniciem, tantum & tale dispendium? Frustrata est enim spes nostra: confidentia nostra decepit nos. O damnum incomparabile, o exitium non nisi per te, Domine Jesu, quoquomodo destruendum! Versa sunt dona Dei, quæ olim fuerant tibi collata, in armaturam adversus ecclesiam ejus, & quæ ille pro salute plurimorum tribuit, in perniciem evidentem sunt commutata multorum. Sed revertere fili mi, revertere piissime Cæsar, revertere: quia Dominus noster misericors est, & te revertentem extensis benignitatis brachiis clementer amplectetur. Et non tantum indignatus est pro læsione, quam ecclesiæ illius operatus es, quantum lætabitur, si quem læsisti adversus ecclesiam, adjuvare contenderis. Porrigat igitur pietas tua Constantinopolitanæ ecclesiæ manum, nec patiatur hanc amplius suo jam destitutam rectore subsistere: & mœrentem ac lugentem incedere. Virtutum charismata, quę tibi Dominus noster Jesus Christus contulit, non contra se, sed pro se, proque sancta ecclesia sua præparata semper inveniat: teque de beneficiis suis esse melioratum gaudeat, & gratias agere continuis horis, atque momentis reperiat.

Legatos præterea (Donatum videlicet reverendissimum, & sanctissimum sanctæ ecclesiæ Ostiensis episcopum, & religiosos, ac venerabiles sanctæ Romanæ ecclesiæ Leonem tituli sancti martyris Christi Laurentii, qui appellatur Damasi, presbyterum, atque Marinum apostolicæ nostræ sedis diaconem) quos Constantinopolim in nomine Domini destinavimus, ita libenter, ita benigne suscipite, atque tractate, quemadmodum orthodoxi principes beati Petri apostoli missos suscipere, nec non tractare soliti fuisse multis apicibus referuntur. Nam & impietatem paganorum transcendere comprobantur, quicumque legatos ecclesiarum quibuslibet putaverint contumeliis impetendos. Apud ipsos enim etsi non habetur legatio fortassis accepta, persona tamen legati semper judicatur immunis, præsertim cum legatio præfatorum nihil nisi quæ pacis sunt, satagat, & tantum quæ justitia diligit, ipsa verecunde suadere contendat. Scilicet ut ablato mecho ecclesiæ Constantinopolitanæ, proprio reddatur episcopo: & si quid huic restituto jam fortassis objicitur, servato ordine audiatur, & judicetur; videlicet ut inferior a potiori judicetur, & non minorum (quod contra omne fas est) sententiæ subjiciatur. Quam præterea fortitudinem ostendetis, si totius indignationis vestræ pondus super duas, vel tres personas inflectitis; Et pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona solum calcandos vel conterendos existimatis? Sed videte (quia ejus capitis pedes calcantur, quod olim, ut quid sibi persecutio ingerebatur, pro ipsis e cælo clamavit) ne verbum alligetis, neque occultetis legationem nostram: quoniam, dicente apostolo: *Nec verbum Dei est alligatum, nec veritas ullo pacto poterit occultari*: quæ etiam dicit: *Nihil opertum quod non reveletur, & occultum, quod non sciatur*. Si autem talentum acceptum in terra abscondere extremæ damnationis est, quanta pœna mulctandus est, qui alterius talentum volentis hoc ad lucrum Domini sui multiplicare, tollit, & abscondit, vel etiam fraudare non pavescit? Porro de talenti acceptione nullam poteris omnino excusationem prætendere. Accepisti quippe non minimum talenti donum, etiam & antequam ad Cæsareas insulas pervenires, familiaritatis scilicet locum apud Augustum, & impetrandi quod volebas, facillimam gratiam. Si ergo nihil ei pro ecclesiæ proprio rectore desolatæ detrimentis locutus es, nihil pro his, qui pro fratre & pro coepiscopo nostro Ignatio patriarcha abjecti, vel exiliati, aut oppressi sunt, pie suadere curasti; pro talenti retentione profecto posituras es rationem. Habens igitur magnificentia tua obtinendi penes Augustum talentum ea, quæ postulant damnationem, pro retento talento timeat, * si cum valet apud eum pro reddendo priori ecclesiæ Constantinopolitanæ præsule, vel pro perdendis nimis oppressis instanter intervenit. Præcipue cum donante divina gratia sublimitas vestra non solum impetrandi quod vult apud Augustum munus assecuta sit, verum etiam per Cæsaream excellentiam, quam adepta est, ipsa valeat concedere quod rogat, & largiri quod sibi ad lucrum proficiat sempiternum. Tantum quippe ab unoquoque nostrum venturus judex exiget, quantum dedit. Quamobrem valde nobis, carissime, metuendum est, & omnibus modis formidandum, quod sapientia terribiliter mundi principes admonens: *Discite*, inquit, *judices finium terræ, præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est potestas a Domino vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, neque custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis: horrende, & cito apparebit vobis, quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia. Potentes autem potenter tormenta patientur.* Quas voces sedulo tractans & mente revolvens pietas tua paveat, o Cæsar: quoniam secundum apostolum, *horrendum est incidere in manus Dei viventis*; & idcirco consilium nostrum audi, & quæ contra fratrem & comministrum nostrum

Igna-

* al. processionem.

Jerem. 9.

1. Tim. 2

Luc. 12

* Forte, fi. H.

Sap. 6.

Hebr. 10.

Ut in ep. 9.

Legati immunes.

Ignatium, vel adversus complices ejus, vel communicatores egisse te recolis, celeri studes satisfactione corrigere, & quæ per te destructa sunt, indifferenti cura pristino statui reddere: quæ cuncta, Domino auxiliante, facile (sicut credimus) adimplebis, si tranquillitas tua in susceptione & auditione missorum sancti Petri debitum honoris officium exhibuerit. *Testis autem mihi est Deus, quomodo vos cupiam in visceribus Christi*, & hoc ipsum idcirco magnopere postulem, ut & ministerium meum adimpleam, & ecclesiæ status, & ordo reformetur, & gloria magnificentiæ vestræ, præstante Domino, de corruptibili felicitate ad incorruptam, a mortali vita ad immortalem, & a culmine terreno ad cæleste fastigium, & a temporali, atque cito defluenti claritate ad perennem & semper manentem beatitudinem perducatur, & divina visione cum sanctis omnibus & electis angelis perfruatur. Data Idibus Novembris, indictione decima quinta.

Phil. 1.

XIII. AD IGNATIUM PATRIARCHAM CONSTANTINOPOLITANUM.

Certiorem Ignatium facit de omnibus, quæ in ejus causa a reditu legatorum Zachariæ & Rhadoaldi acta fuerunt, & qualiter Photius fuerit in concilio depositus, & anathematizatus cum suis sectatoribus: ipse vero una cum suis restitutus.

Inscriptio XII. *Nicolaus episcopus servus servorum Dei, reverendissimo, ac sanctissimo fratri, & comministro nostro Ignatio patriarchæ Constantinopolitano.*

Status initio rerum octavæ synodi.

Dilei non potest, frater carissime, quantis mœroribus, vel quantis anxietatibus ob immensitatem tribulationum, & persecutionum in vos illatarum afficiamur, quantisque nos laboribus, & certaminibus fraterna dilectione provocati, jugiter ac indesinenter immisceamur. Nimirum qui & causam vestram reputamus, & onera totius ecclesiæ bajulamus. Etenim considerato ministerio nostro, quod divinitus per beatum Petrum apostolum ad nos usque derivatum suscepimus, non est pro fratribus nostris silendi facultas, quibus major & honor & onus cunctis Christianæ pietatis, & ecclesiarum correctionis inesse debere sollicitudo dignoscitur. Sustinemus quippe cunctorum qui premuntur gravamina, quin potius sustinet in nobis hæc sanctus Petrus apostolus, qui in omnibus (ut confidimus) administrationis suæ protegit ac tuetur heredes. Quæ vero de vobis sedis apostolicæ auctoritatem habentes, ac privilegia ipsius vindicantes decrevimus, dilectioni vestræ his intimamus affatibus: quoniam apud nos hoc semper fuistis, quod ex omnipotentis Dei munere accepistis esse: non quod ex voluntate hominum putamini non esse. Igitur postquam legati nostri (Rhadoaldus scilicet a Zacharias dudum episcopi) quos Constantinopolim pro inquirenda solummodo causa remotionis vestræ a sede Constantinopolitana, inter illa, quæ jussu nostro pro sacris imaginibus erant agenda, miseramus, reversi sunt: & tam eorum relatione, quam scriptis per Leonem imperialem a secretis nobis delatis, comperto, quod ipsi etiam sententiam contra vos dederint, tanta sumus mœstitia, tantoque cruciatu mentis attriti, quanto contraria gesserunt omnibus, quæ sibi fuerant imperata: quantoque per eos visa sunt stabiliri, quæ credebamus penitus exinaniri: quantum etiam subreptum est, atque persuasum omnibus, nos in talibus præstitisse consensum. Quapropter dum apud nos imperatorius missus (id est Leo) adesset, convocata tota, quæ apud nos ecclesia est, professi sumus coram ipso, sicut & profitemur, pro dejectione vestra & confirmatione Photii nunquam misisse, nunquam missuros esse; & in depositione vestra, vel promotione Photii nunquam consensisse, nunquam consensuros esse. Et hæc sæpius dicta, & palam annuntiata, atque in apostolatus nostri epistolis taliter inserta, tam excellentissimo imperatori Michaeli, quam Photio destinatis præfato Leoni a secretis decretis deferenda tradidimus.

Ex ep. 10. ejusdem Nicolai.

Deinde vero qualiter ab ecclesia Christi, cui divina ordinatione præsumus, non habente maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, hanc siniſtram procul faceremus suspicionem (ne videlicet in hac saltem tenuis subsannandi oriretur occasio) cogitare cœpimus, & mente revolvere. Tunc convocato multarum provinciarum occidentalium regionum sanctissimorum episcoporum cœtu, & collecta sancta synodo in ecclesia Dei, in qua beatus Petrus rejacet: primum quidem (decernente nobiscum sancta synodo) Zacharias depositionis & excommunicationis sententiam pertulit: Rhadoaldi comparis videlicet sui judicio propter absentiam protelato, * quod tamen se similiter deponens, & communione privatus, & ipse non in finem evasit. Præterea deposuimus Photium, immo Deus deposuit eum, tamquam neophytum & pervasorem, atque adulterum, & omni sacerdotali honore, seu clericatus officio, nec non & patriarchatus nomine prorsus exuimus: & si post notitiam hujus nostræ sanctionis in Constantinopolitano throno præsedit, aut vobis ad recipiendam ecclesiam impedivit, vel si ausus fuit de ministerio sacro quidquam more sacerdotis contingere, communione & loco satirfactionis omnino privavimus, & una cum communicatoribus & fautoribus suis anathematizavimus pariter & Gregorium, qui Syracusanæ ecclesiæ, Deo contempto, præest, eo quod a vestra se communione sequestraverit, & Photium irregulariter ordinaverit, & post dispositionem sacrum ministerium tetigerit, sancivimus, atque statuimus omni sacerdotali gradu fore privatum: ita ut si postea præsumpsit in sacro officio more sacerdotis ministrare, anathema sit. Et si contra vos turbas excitavit, (vel excitaverit) vel a vestra communione fideles averterit, anathema sit: & omnes communicantes ei ab ecclesia abjiciantur: sed & ipsi anathema sint. Eos vero, quos Photius ordinavit, quoniam manifestum est eos in omnibus consecratori suo communicasse, omni clericatus officio dispoliavimus. Vos autem auctoritate summi judicis Domini nostri Jesu Christi promulgavimus nunquam fuisse, nec esse depositum, vel anathematizatum, tamquam qui ab imperiali potentia sis absque ulla canonica auctoritate tua pulsus ecclesia, & tamquam qui ab obligatis nullo possis haberi vinculo colligatus: & ab eis, qui nullam te judicandi potestatem, vel ab apostolica sede auctoritatem habuerint, nullum tui honoris discrimen pati debueris. Itaque vos omni vinculo anathematis per potestatem divina voce beatissimo Petro collatam, & per auctoritatem sacrorum canonum remoto, pristinæ dignitati, sedi, gradui, patriarchio, ac pristinis & pontificalibus iusulis, atque officiis restituimus, & confirmavimus: ita ut quicumque in omnibus huic decreto non obedisset, vel se a vestra communione separasset, vel ulterius contra vos aliquod judicium absque sedis apostolicæ consensu protulisset: si quidem clericus esset, ab omni clericatus officio coram Deo & hominibus foret alienus: si vero laicus extitisset ille, qui (quisquis esset) constitu-

Ex ead. ep. 10.

* Locus corruptus.

Ausulis inclusa supplevit ex edit. Rom.

tutioni noſtræ contraire tentaſſet, & vos ſedem & omnem priſtinam dignitatem recipere non permiſiſſet, vel ſi poſt receptam denuo vos impelle- * leg. vobis. re tentaſſet, vel per ſermonem * veſtrum aliquam moleſtiam irrogaſſet, omni benedictione paterna Gen. 9. privaretur, & maledictione Chanaan filii Cham, qui verecundiam patris non cooperuit, ſed irriſit, mulctaretur, & cum parricidis æterna pœna (Domino judicante) percelleretur, & nexibus anathematis nonniſi reſipiſcens penitus erueretur. Eos autem epiſcopos, ſeu cujuslibet ordinis clericos, qui poſt nec dicendam depoſitionem veſtram in exilio relegati, vel miniſterio, aut gradu ceſſati, ac privati ſunt, ſtatuimus, ut exilio diſſoluto proprias eccleſias, atque gradus recipiant: ita ut ſi quiſquam huic decreto noſtro contraire præſumpſit, & ut eccleſias, vel gradus reſumant, impedivit, vel impedierit, quouſque obtemperet, anathema ſit. De his autem, qui ex horum catalogo forte ab aliis criminarentur, decrevimus eos antea quidem proprias eccleſias, & gradum recipere: non autem niſi ab apoſtolicæ ſedis Romano pontifice judicari. Sed ſi qua præter regulam egiſſe forte dicerentur, noſtro eos decreto judicandos reſervari ſtatuimus: juxta quod ſacri præcipiunt canones. Hæc ſunt frater cariſſime, quæ in ſuperius memorata veneranda ſynodo una cum fratribus & conſacerdotibus noſtris diverſarum provinciarum occidentalium, ſecuti anteceſſorum noſtrorum auctoritatem egimus, & ſtatuimus. Quæ idcirco beatitudini veſtræ nota facere curavimus, ut ſcire valeat, quæ noſtra ſit ſuper negotio veſtræ fraternitatis intentio, & nemo poſſit aliter vobis de his ſuadere quæ geſta ſunt.

Nunc autem hortamur, ut ſpe, quæ in Deo eſt, erecti, ne deficiatis in tribulationibus, ſcientes *quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia* Rom. 5. *vero probationem, probatio vero ſpem, ſpes autem non confundit*. Nam & nos licet longe poſiti, ubi pravitatem perſequentium vos agnovimus, fraterna ſolicitudine nos urente non modico flagramus incendio, licet inter eccleſias Dei, quæ in unum Chriſti thalamum undique referuntur, nihil longe ſit, nihil habeatur extraneum. Unde frater cariſſime, conſolatio veſtra ex Deo ſit, qui dat ſemper virtutem confidentibus in eum. Habetis exempla ſanctorum, qui olim ſeminantes in lacrymis, in gaudio meſſuri ſunt in futuro. Non amat Dominus noſter ſervum, niſi experimentis probatum; Chriſtianas animas rerum palæſtra ſemper exercet. Noſtri nobis bella moverunt, (ſi tamen noſtri dicendi ſunt) quos ad inimicum tranſiviſſe fœdere rupto ſentimus. Nulla eſt tribulatio temporalis, ſi ſit ante oculos præmium ſempiternum, cui nihil convenit anteponi. Clamat Pſal. 26. noſter hymnidicus: Si adverſus ſe caſtra conſiſtant, ſpe illuminationis ejus ſibi penitus non timendum. Rogamus ergo quidquid inimicus intulit, ferre patienter. Indixit injurias, indixit contumelias, indixit exilia; ille in ſuis hoc paſſus eſt, qui pertuliſſe pro nobis ſputa, flagella, mortemque dignoſcitur. Patientiæ vobis, atque conſtantiæ forma Stephanus primus Chriſti martyr exiſtat. Sed longum eſt ire per ſingulos, qui vitam vel moriendo, vel confitendo mercati ſunt. Habetis tamen vos, qui eccleſia eſtis expulſi, beatæ recordationis Athanaſii Alexandrinæ eccleſiæ prudentiſſimi ſacerdotis exemplum: cui non conſolationis ſit illius tolerantia, cui non ſpem faciat ejus * expectata reverſio? Ejicitur Ario per- * inexpectata. ſequente, ſed revocatur Domino proſequente. Paſſus eſt carcerem, paſſus eſt anguſtias; nec mirum, ſi vir apoſtolicus ea paſſus eſt, quibus apoſtolus ſe gloriatur exercitum: fugatus illinc in noſtris patribus roboratus eſt, & in hac ſede requiem communionis invenit, a qua ſemper catholicis ſubvenitur. Verumtamen ſenſit in tribulationibus laſſitudinem, qui factus eſt in perſecutione confeſſor: unde non debetis temporalem vobis illatam dejectionem dolere, quia (ſicut credimus) Deo non cecidiſtis. Photium ergo ne timeamus, ne a * regione vivorum dejiciamur: illud eſt noſtrum, illud æternum. Noſtrum enim non eſt, unde tranſitur; ſed illa vere noſtra ſunt quæ ſpes certiſſima pollicetur. Sunt autem, dicente apoſtolo, *quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor* 1. Cor. *hominis aſcenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus ſe*. Data Idibus Novemb. ind. xv. * fer. re

XIV. AD THEODORAM AUGUSTAM.

Hortatur Auguſtam, quam multis laudibus ornat, ad patientiam, & ad collocandum in Deo ſpem ſuam. Oſtendit ſe in Ignatii reſtitutione omnem ſuam ponere operam. De The ra Anaſt in præfa ne octa ſynodi; drenus, Zonaras Michae

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectiſſimæ filiæ Theodoræ, imperatori quondam terreno, nunc autem ſpiritualiter cœleſti conjunctæ.

VIrtutes veſtras, quibus præditæ antecedentium vos Auguſtarum nulli diebus iſtis apparuiſtis ſecundæ, quibus etiam, & præcipue in cauſſa pietatis, earum nemini eſtis inferiores inventæ, ſubtiliter atque ſollicite recolentes, Deo cunctipotenti, cujus munere has percepiſtis, grates immenſas referre, & ejus ſancto nomini benedicere non ceſſamus, atque piorum ſtudiorum veſtrorum præconia pro imitatione audientium inter fidelium colloquia jugiter enarramus. Tu quippe etiam principe marito tuo contra leges eccleſiæ ſentiente ſuperſtite, ſana ſapere & recta defendere non formidaſti. Tu inquam in orthodoxa religione perſeverans, unicum filium non terreni patris, ſed ſupercæleſtis iter aggredi docuiſti. Quis autem morum inſignia, quis correctionum tuarum facta fortia narrare ſufficiat? Cum enim ſola principabaris, Domino cooperante, non ſolum ab hoſte viſibili, verum etiam nullo mare infirmior eccleſiam Domini ab hoſte inviſibili (hoc eſt ab errore) texiſti: & perverſorum dogmatum nebulam, tamquam ſolis radius ab eccleſiæ facie depuliſti. Senſerunt in te hæretici virile pectus, & mirantes inſuperabile robur, quod femina fueris ambiguum habuerunt. Cur hoc, niſi quia ſedis apoſtolicæ dogmata ſequebaris, & Conſtantinopolitani monita pontificis, cui Romana eccleſia communicabat, amplectebaris? Sic enim devoti filii paternum venerantur affectum: & in nullo prorſus ingrati circa parentes ſuos conſentiunt inveniri; ſed inimici quid agunt? apprehendunt, ejiciunt, & quid plura? omni dehoneſtati ſubjiciunt. Sed exempla patientiæ, quibus iſta contemnere: & illa, quæ ſunt æterni imperii, docearis appetere, o Chriſtianiſſima filia, ſatis abundant. Nam legifer Moyſes & Aaron ſanctus Domini murmur & duras contumelias, atque ſeditionem patiuntur ab iis, quos velut filios in ſinu portabat, & adeo diligebat, ut Domino volenti eos perdere, & facere eum in gentem magnam, diceret: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me* Exod. 3 *de libro quem ſcripſiſti*. Sic beatus Samuel ab his quibus multa præſtiterat beneficia, de principatu propellitur: ſic propheta Zacharias ab eo, cui pater ſuus regnum vendicaverat, & ipſe viam ſalutis oſtendebat, lapidibus impetitur. Sed quid per hominum genus diutius immoremur? quando ipſe mediator Dei & hominum Dominus noſter

Je-

Jesus Christus ab his, quibus cæcos illuminavit, languidos plurimos pristinæ sanitati restituit, mortuos excitavit, probra, sputa, flagella & mortem crucis sustinuit? Devenimus quippe, heu! in ea quæ beatus apostolus prædixit periculosa tempora Paulus, cum scriberet: *Et in novissimis temporibus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi*; ubi & interposuit: *Parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace*. Immo devenimus in eos lugendos & deplorandos dies, in quibus, proh dolor! juxta quod & Dominus in evangelio dicit: *Tradet frater fratrem in mortem, & insurgent filii in parentes*. Sed hæc facientes & sævientes hostes quid agunt? dum cupiunt obesse, prosunt: & cum lædere moliuntur, plurimum præstant: privant tyrannice regno temporali, sed donant (licet nolendo) imperium sempiternum: auferunt terrenam gloriam, sed conferunt cælestem beatitudinem. Commutatur enim eorum argumentum iniquitatis in artificium æquitatis: & arma perniciei seu tyrannidis versa sunt in instrumenta salutis & pietatis. Quoniam quantumlibet sæviant æmuli, quantumlibet hostes insaniant, *diligentibus* tamen *Deum omnia cooperantur in bonum*: nimirum quia *non est sapientia, non est scientia, non est consilium contra Dominum*. Ergo carissima filia confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus, & in adversitatibus unicum Domini solum adite refugium: statuentes etiam pedes vestros in petra, super quam Dominus principaliter suam construere delegit ecclesiam: & ab ejus communionis soliditate, sicut nec hactenus, ita quoque usque in finem nullis procellæ alienamini flatibus. Nos vero, qui ejusdem immeriti sumus vicarii, tam circa statum ecclesiæ Constantinopolitanæ, quamque circa recuperationem fratris & coepiscopi nostri Ignatii, juxta ministerium nobis creditum, segnes inveniri vel desides nullo pacto confidite. Quomodo autem erga vos, vel erga dilectas filias vestras agatur, vel si forte quid cordi est, per præsentes missos nostros, quibus suffragari vos in opportunitatibus petimus, fida mente nobis, & indubitabili conscientia quæsumus intimate. Data Idibus Novembris, indictione xv.

im. 3.

. 13.

. 8.

. 21.

XV. AD EUDOXIAM AUGUSTAM.

Rogat ut agat partes Ignatii apud imperatorem.

*Nicolaus episcopus servus servorum Dei, dilectæ filiæ Eudoxiæ * gloriosæ Augustæ.*

cod. Vaticest. ecclesiæ.

NIhil in regia sublimitate justitiæ dilectione decentius, nihil in infirmitate muliebri fortitudine mentis honestius. Quid autem laudabilius vel robustius, quam si femina virile pectus induat, & adhuc in causa pietatis virorum studia superet? Qua de re principio sermonis nostri sublimitatem vestram nunc primitus literis alloquentes, hortamur, & vehementissime deprecamur, ut Deum omnipotentem affectu, quo decet, & cultu quo convenit, diligatis: & præcipua sollicitudine circa statum ecclesiæ ipsius invigiletis: ita ut apud dilectissimum filium nostrum a Deo protectum Michaelem tranquillissimum imperatorem conjugem vestrum summa instantia impetrare procuretis, & femineæ infirmitatis oblitæ viriliter agere studeatis: quatenus invasore Constantinopolitanæ ecclesiæ, seu mœcho, atque neophyto Photio remoto, fratri & coepiscopo nostro Ignatio eadem ecclesia permissione ipsius, atque favore reddatur; quoniam contra omnem regulam, & præter omnem ordinem, illa præfatus reverendus antistes dispoliatus, atque privatus est. Verum adeo imperium vestrum pro hac eadem re noverit, præfato a Deo conservando Augusto desiderabilissimo filio nostro missos, & literas apostolatus nostri competibiles destinasse; quibus vestram quoque pietatem sociantes petimus, ut tantum legationem eorum adjuvetis, & eis in omnibus suffragemini, quantum beatum Petrum apostolum & cælestis regni clavigerum culmini vestro semper adesse benignum medullitus exoptatis. Non enim frustra nobilitatem vestram Christus Deus noster imperii conjugis vestri fecit consortem, nec posuit vos, nisi ut ecclesiam ejus adjuvetis, erga statum ejus vigiletis, famulis ipsius auxiliemini, mœrentes consolemini, oppressos & elisos erigatis, pulsos & exiliatos revocetis, & cuncta depravata, confusa, inordinata, atque destructa, vigori pristino reformetis: verum etiam, ut tamquam fortis virago & insignis adjutrix viro vestro ad multa intendenti, & innumera disponenti, adjutorium impendatis: & ne inter tot varietates a justitiæ culmine decidat, manum solatii quodammodo porrigatis. Sic Dominus in principio conditionis humanæ protoplasto mulieris adjutorium sibi simile tribuit, ne videlicet vir solitarius alterius forte consilio destitutus, facilius ad ima decideret, difficiliusque post casum resurgeret, juxta quod scriptum est: *Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem*: quamvis ipsi dispensationem divinam in contrarium verterint, & concessa liberi arbitrii dignitate, seu ditissima potestate petulanter abusi sint. Porro si vos nunc cooperanti collegæ vestro prospera vel amica ecclesiæ suggeritis: si, ut mœchum repellat, & legitimum ecclesiæ Constantinopolitanæ reddat suadetis, si penes eum, ut ea, quæ in plurimis occupatus, pariter & intentus minus recte patravit, in priorem ordinem reducat obtinetis; quid vos, nisi salutiferum ejus dicemus adjutorium, & laudabile vestrum prædicabimus contubernium? Nam (nobis credite) non minus his temporibus venerabilis Ignatii repulsio, seu temeratoris Photii promotio imperio vestro, quam Evæ suggestio nocuit. At vero si e contra, salubri vestro * nomine, seu certamine, quæ callide sunt suasa, vel carissimo filio nostro suggesta, dissolvantur, & quæ nos pro salute communi decrevimus, adimpleantur, profecto in imperii vestri orbe quasi per alteram Evam (id est, per obedientem) cuncta quæ destructa sunt, restaurabuntur. Ille namque priscus serpens & antiquus adversarius non cessat ecclesiam Domini, quæ de utroque sexu componitur, diversis versare machinamentis. Unde & apostolus ne sensus quorumdam * corrumperentur a castitate Christi, memor seductionis Evæ valide formidabat. Quamobrem necesse est, ut cum forte calcaneo vestro (id est, perfectioni bonæ operationis vestræ,) per vasa sua, id est, per malos operarios tentaverit insidiari; caput ejus protinus conteratis, id est, in ipso mox initio pravæ suggestionis deprehensas serpentis, & ministrorum ejus venenosas suasiones quasi conculcantes, ad nihilum redigatis. In calcaneo namque finis est corporis, quo non inconvenienter consummata virtus exprimitur. Has quippe inimicitias posuit Deus inter serpentem & mulierem, videlicet ut ipse coluber ab ea, quam deceperat, non spatio quolibet interposito, sed confestim in ipso virulentæ suggestionis articulo conteratur: nec ei diutinus venena sua spargendi aditus concedatur: quæ velut cancer serpant, & ad cor usque penetrando perveniant. Quæ autem sint, quæ dicimus, præstantissima sapientia vestra (credimus) jam advertit. Nolumus

Gen. 2.

Eccles. 4.

* f. molimine.

* id est, corruerent. Sed suspicio est deesse aliquid: quod palam fiet ex xi. c. secundæ ad Corinth. quem locum vide.

mus enim vos a quoquam decipi: nolumus vos a caritate Christi quibuslibet subverti versutiis: nolumus quorumvis vipereis adversus ecclesiam Dei commoveri suasionibus, qui magis volumus & optamus, & pium fastigium vestrum enixius imploramus, ut vos in integritate fidei, & in tramite rectitudinis populo Dei, qui est ecclesia, more sanctæ illius Esther reginæ perseverantes, virum quoque vestrum circa Dei timorem, amoremque succendatis: & erga sanctæ ecclesiæ Constantinopolitanæ recuperationem, prudenter inflammetis: quatenus a Photii mœchi, neophyti, ac invasoris, ac per hoc damnati, & anathematizati, communione se muniens, quidquid in fratrem & coepiscopum nostrum Ignatium molestiæ intulit, & sibi commissam regere permittens ecclesiam corrigat: salutique suæ, atque imperii sui consulat, & Dominum sibi, suisque omnibus propitium faciat. Quod vos cum virtute summi regis, in cujus manu corda regum sunt, obtinere posse procul dubio credimus: & excusationem de impossibilitate nullam habere (si voluntas affuerit) omnimodis arbitramur. *Siquidem per mulierem fidelem*, secundum apostolum, *etiam infidelis vir salvabitur*. * Quando Photius per fidelissimam feminam vir potuerit salvari, qui, Deo gratias, non solum infidelis non est, absit, verum etiam Christianissimus & religiosissimus esse dignoscitur.

1. Cor. 7.

* leg Quanto potius, &c dignoscitur?

Deponite ergo cunctam muliebrem infirmitatem, & erga eum, ea, quæ pia sunt, quæ sanctæ ecclesiæ congruunt, impetrare satagite: nec deficiatis, neque tardetis, ut nostris obediat precibus, nostras exaudiat tamquam spiritalis patris sui petitiones, indesinentibus apud eum suggestionibus, atque supplicationibus agere; nec non & quasi virili fortitudine circumcinctæ in constantia continua decertare. Quoniam (ut prætulimus) non vos Dominus frustra imperii conjugis vestri fecit esse consortem, & nisi pro populo ejus legitime laboraveritis, in districto divino judicio districtam procul dubio dabitis rationem. Aggredimini ergo, & induimini fortitudine, & pro statu, ac ordine ecclesiæ Dei & erectione afflictorum, & oppressorum certamen assumite, imitantes videlicet superius memoratam beatam reginam Esther, quæ pro populo Dei etiam in mortem dedit animam suam, & quousque hunc * liberavit, anima ferias nullas suo certamini tribuit: cui Mardochæus ille laudabilis patruus ejus (quemadmodum nos nunc vobis) inter cetera ita suggesserat: *Ne putes*, inquiens, *quod animam tuam tantum liberes, quia in domo regis es præ cunctis Judæis: Si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Judæi, & tu & domus patris tui peribitis. Et quis novit, utrum idcirco ad regnum veneris, ut in tempore tali parareris?* Quantum autem piæ imperatrices, quarum vos imitatrices esse volumus, sedi beati principis apostolorum Petri devotæ fuerint: & hanc præ cunctis sedibus honoraverint, qualiterque sublimissimos principes circa reverentiam Romani pontificis inflammaverint, ex epistola Gallæ Placidiæ quam Theodosio Augusto scripsit, potestis agnoscere: quam idcirco solam commemoramus, quoniam epistolarem excedere locutionem vitamus. Ait ergo: Non modicum detrimentum est ex his quæ gesta sunt, ut fides, quæ tantis temporibus regulariter custodita est, a sacratissimo patre nostro Constantino, qui primus in imperio * splenduit, Christianitas nuper turbata sit. Ad arbitrium unius hominis es, qui in synodo Ephesinæ civitatis odium & contentiones potius exercuisse narratur, militum præsentia, & metu appetens Constantinopolitanæ civitatis episcopum Flavianum: eo quod libellum ad apostolicam sedem emiserit, & ad omnes episcopos harum partium per eos, qui directi fuerant in concilio a reverendissimo episcopo Romæ, qui secundum diffinitiones Nicæni concilii consueti sunt interesse, domine sacratissime fili venerabilis imperator. Hac itaque gratia, tua mansuetudo tantis turbis resistens, veritatem immaculatam fidei catholicæ religionis salvari præcipiat, ut secundum formam & diffinitionem apostolicæ sedis, quam etiam nos tamquam præcellentem similiter veneramur, in statu sacerdotii ille, remanente per omnia Flaviano, ad concilii & apostolicæ sedis judicium transmittatur; in qua primus ille, qui cælestes claves dignus fuit accipere, principatum episcopatus ordinavit: quando scilicet decet nos huic maximæ civitati, quæ domina omnium est, tuam in omnibus reverentiam conservare. Diligentius autem etiam in hoc providete, ne quod priscis temporibus nostra generatio custodivit, sub nobis imminui videatur, & per præsens exemplum * similia gerantur in episcopos, ac sanctas ecclesias. Videte igitur, carissima filia, qualiter hæc Dei cultrix Augusta, ut priscam fidem servet, satagat: & quod Constantinopolitanus episcopus sæcularium metu fuerit appetitus, doleat: qualiter eum libellum ad sedem apostolicam mississe commemoret; qualiter sedem apostolicam, tamquam præcellentem veneretur: qualiter secundum formam & diffinitionem ejus Flavianus submitti ad judicium sedis ipsius (quemadmodum & nos de Ignatio & Photio statuimus) hortetur: qualiter in sede Romana illum primum qui cælestes claves dignus fuit accipere, principatum episcopatus ordinasse recolat: qualiter etiam diligenter providendum esse censeat, ne quod priscis temporibus custoditum fuerat, imminui videatur, & per præsens exemplum similia gerantur in episcopos, ac sanctas ecclesias. Quæ cuncta, filia carissima, diligenter attendentes, & per hujus piæ Augustæ vestigia gradientes, hujusmodi reverentiam, hujusmodi cultum circa sedem beati Petri, & exhibete, & exhiberi a Christianissimo conjuge vestro strenue suadete. Quatenus imperium, quod temporaliter assecutæ estis, cum illis Dei cultricibus, & honorem sancti Petri sedi exhibentibus imperatricibus, percipiatis æternum, & gloriam incorruptibilem eodem intercedente apostolorum eximio, cui vos in legatis, & in legatione ipsius reverentiam per obedientiam impendere cohortamur, in cælesti palatio incorruptibilem & immarcessibilem largiente rege regum Domino consequamini. Data Idibus Novembris, indictione xv.

* Schisma generentur

* Forte, *liberavit a ruina*. H.

Esth. 14.

Epistola Gallæ Placidiæ exstat inter epistolas præambulares concilii Chalcedonensis.

* Lege, *splenduit Christianus nuper &c.* H.

XVI. AD SENATORES CONSTANTINOPOLITANOS.

Ut faveat caussæ Ignatii, & abstineat a communione Photii.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, singulis quibusdam senatoribus Constantinopoleos a paribus.

FIdelium relatione, qui ad sanctorum apostolorum limina orationis gratia veniunt, agnovimus gloriam tuam in Dei esse timore pariter & amore semper intentam, & in ejus famulatu sum

---

1 Citatur in Concilio VIII. sed Græce non exstat. Inscripta ibi dicitur πρὸς τοὺς συγκλητικούς. *Harduinus.*

ſumma, jugique devotione ſollicitam. Quapropter Deo gratias agimus: & ut bono ſtudio quod cœpiſti, perſeverantiam det, atque in futuro dignam viciſſitudinem tribuat, ejus miſericordiam ſupplici-ter exoramus: præcipue quoniam diceris miſeriæ Conſtantinopolitanorum eccleſiæ compati, & ejus perturbationem, atque detrimentum moleſtiſſime ferre: ita ut fratri & coepiſcopo noſtro Ignatio ejuſdem eccleſiæ patriarchæ, ejuſque dejectionis condoleas & congemiſcas: licet (ſicut oportebat) libere pene nullum ei auxilium præſtes. Nam perfectorum virorum eſt, non ſolum juſtitiam & veritatem quæ Chriſtus eſt, coram cunctis mundi principibus confiteri, verum etiam, ſi neceſſe ſit, uſque ad mortem tota virtute defendere. Quis enim filiorum, niſi ingratus, niſi impius, non doleat, non uſque ad mortem ſatagat pro ſpirituali patre ſuo tam furioſe dejecto, & a commiſſa ſibi divinitus cura paſtorali tam temere ſequeſtrato, & in locum ejus adultero ſurrogato? Quis, inquam, filiorum, niſi ingratus, niſi impius, non doleat, non uſque ad mortem ſatagat pro ſancta eccleſia matre ſua, quam tantis viderit quotidie perturbationibus agitari, & tam irregulariter ſuo rectore privari, & invaſori ac neophyto pro libitu uniuſcujuſque contradi? Curre igitur dilectiſſime, & ſi eſt perfectus in te Domini timor, nulli poteſtati veritatem abſconde, redemptorem audiens dicentem: *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius eum timete, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam*. Porro ſi tanta libertas in te ſpiritus non eſt, nec te tantum amor Chriſti ſuccendit, ut mundi poteſtatibus, quod prave fecerunt, non corrigentibus libere contradicas: ſaltem a fratris, & coepiſcopi noſtri Ignatii, & communicatorum ejus (quod tamen ſecundum indulgentiam dicimus) te quacumque læſione coerce: & a communione invaſoris, neophyti, ac adulteri Photii omnino ſuſpende; ſciens quia nos apoſtolica, canonica, nec non & rationabili cenſura juſte hunc, & ſynodice, atque ſecundum privilegiorum apoſtolicæ ſedis auctoritatem jure depoſuimus, & pro tot prævaricationibus & præſumptionibus ſuis una cum multarum provinciarum occidentalium regionum antiſtitibus, eum conſonanter anathematizavimus. Proinde provideat, & precaveat prudentia tua, cariſſime, ne communicet peccatis alienis, ac per hoc alterius irretiatur nexibus vinculorum: quin potius ſi poteſt eccleſiæ Dei ſubveniens pro repellendo mœcho & revocando legitimo dare operam, bene: ſin autem vel ſalvans ſalvet animam ſuam, & ſecundum illud propheticum: *Exite de medio eorum, & pollutum nolite tangere*. Legatos præterea, quos Conſtantinopolim miſimus, pro ejus amore, a cujus ſede profecti ſunt, in quo ſe occaſio præbuerit, benigne ſubſequi caritas tua contendat: videlicet ut propitio Chriſto & legatio eorum efficax habeatur, & ipſi ſine læſione qualibet ad nos revertantur.

Deus omnipotens & pietatem, atque dilectionem, quam te circa ſanctæ eccleſiæ ſtatum fama frequens habere teſtatur, in præcordiis tuis per amplius, & perfectius augeat: & te, quæ diximus, ſollicite proſequentem hic diu præſentis felicitatis munere perfrui faciat, & futuræ beatitudinis præmia ſine fine concedat.

XVII. AD LOTHARIUM REGEM.

Legatos ad ſynodum cogendam mittit, ad quam præcipit duos de Caroli regno epiſcopos accedere, ſicut de Ludovici patrui, & Caroli fratris ejus regno binos alios convenire juſſerat.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei Lothario regi (Pro Synodo.)*

REgalis excellentia veſtra nuper apoſtolatui noſtro direxit, ut pro perficienda ſynodo miſſos e latere noſtro dirigere dignaremur: quod nos, & ante literarum veſtrarum preces, & poſtmodum facere deſiderio ardenti cogitavimus. Sed quia multi ſanctarum eccleſiarum Dei utilitatibus hactenus fuimus occupati, tam celeriter ut volebamus eos deſtinare nequivimus. Nunc autem, Domino noſtro Jeſu Chriſto favente, legatos ſanctæ noſtræ cui Deo auctore deſervimus, eccleſiæ, duos reverentiſſimos (& ſanctiſſimos) epiſcopos, Rhadoaldum ſanctæ Portuenſis eccleſiæ, & Joannem ſanctæ * Ficolenſis eccleſiæ, delicioſos noſtros, quorum adventu atque præſentia Dei ſacerdotum ſynodus congregetur, tranſmittimus, ſicut noſtris vobis jam pridem direximus literis, quibus magnitudini veſtræ intimatum eſt, binos epiſcopos de regno Ludovici regis patrui veſtri, & Caroli regis fratris veſtri, ad ipſam ſynodum convenire debere. Nunc autem volumus, atque litteris noſtris directis jubemus, ſimiliter duos de regno Caroli glorioſi regis patrui veſtri ibidem ſine aliqua ambiguitate adeſſe. Quas ſane literas nobilitati veſtræ dirigentes, petimus ut eas ipſi Carolo regi de præſenti per veſtrum fidelem hominem tranſmittatis: quatenus & duo regni ejus epiſcopi, ut diximus, ad præfatam ſynodum, quæ auxiliante Domino congreganda eſt, cum noſtris pariter legatis valeant convenire. Quos ſane apoſtolatus noſtri legatos excellentia veſtra digno honore ſuſcipiat, & familiaritatis eis locum concedat, ut Domino auxiliante, cum ad nos fuerint reverſi, digna nobis de parte veſtra nuntiantes, maximas Deo gratias referre, & apoſtolicæ vos benedictionis munere ditare poſſimus, congaudentes ſane in veſtræ humilitatis devotione fideli. Dextera vos ſupernæ majeſtatis illæſos conſervare per tempora longa dignetur. Data IX. Kalendas Decembres, indictione XI. Anno Ch. 862.

* Sic reformari hanc ſalutationem ex edit. Rom.

Anſulis incluſa inſerui ex edit. Rom.

* In edit. Rom. *Fundenſis*.

XVIII. AD CAROLUM CALVUM REGEM.

Ut duo de ejus regno epiſcopi ad ſynodum Metis cogendam proficiſcantur.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei Carolo glorioſo regi (Pro ſynodo.)

SEdes hæc ſancta atque præcipua, cui dominici gregis eſt ſollicitudo curaque commiſſa, in omnibus mundi partibus rectitudinis ſuæ diſpoſitione ſalubri cuncta ordinare perficereque divino freta procurat auxilio, & quod ſingulari pro auctoritate perficere valet, multorum ſæpe ſacerdotum decernit definire conſenſu, & juſtitiæ cenſura ea ſcilicet emendanda deliberare, quæ perperam atque enormiter fuerint alicubi commiſſa. Unde veſtræ regali Deoque amabili excellentiæ notum eſſe volumus, quia ad futuram ſynodum, quæ Metis civitate Lotharii regis nepotis veſtri pro [1] Theutber-

1. De Theutberga & Vvldrada vide vitam S. Deicoli tom. 2. Actorum Ord. S. Benedicti pag. 114. *Hard. Concil. General.* Tom. XV.

berga ſorore Hucberti clerici, & Vvaldrada congreganda eſt, duos de regno veſtro epiſcopos, quos prudentes atque veraces vos eſſe cognoſcitis, convenire jubemus, qui una cum ſanctæ ſedis noſtræ legatis, quos illuc Domino auxiliante nunc deſtinamus, & aliorum venerabilium epiſcoporum cœtu, qui ad eamdem ſynodum conveniendi ſunt, ſubtili cuncta indagatione, rectaque valde inquiſitione, ſecundum Deum, & venerabiles ſanctorum patrum inſtitutiones, examinare ac definire decertent. Nam & Ludovico glorioſo regi, fratri veſtro, ſimili modo literas noſtras direximus, duos regni ſui epiſcopos ad ipſam ſynodum convocantes, quatenus in omnibus, quæ ibi ſtatuenda ſunt, rectitudo vigeat, juſtitia polleat, & falſitate fugata veritas ſplendeat: ut venerabili ſacerdotum Dei certamine Chriſti eccleſia ab omnibus inconcuſſa conſiſtat adverſis. Quos ſane in veniendo epiſcopos, & ad jam dictam ſynodum juſſione noſtra volentes occurrere, veſtra non retardet nobilitas: ſed pro Dei amore ipſos abſque temporis protelatione ad præfatam ſynodum ſinatis occurrere. Data nono Kalendas Decembres, indictione XI.

XIX. AD LUDOVICUM II. IMPERATOREM.

Commendat legatos pro cauſſa Lotharii fratris ejus in Franciam miſſos.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei Ludovico imperatori (*Pro Synodo.*)

AUguſtæ ſerenitatis magnitudini veſtræ, imperiali fulgenti decore, his apoſtolatus noſtri literis innoteſcimus, quia multis & quotidianis eccleſiarum Dei ſollicitudinibus & utilitatibus, quibus nos vigilanter inſiſtere decet, præpediti, miſſos noſtros pro perficienda ſynodo, quam pro cauſſa Lotharii glorioſi regis, fratris veſtri, noſtra apoſtolica fieri auctoritate decrevimus, tam celeriter, ut inter nos ſtatutum eſt, in Franciam deſtinare nequimus. Et quoniam eccleſiaſticæ rectitudinis & utilitatis zelo, quo nos ſemper fervere oportet, accenſi, legatos nunc ſicut diximus noſtros duos venerabiles epiſcopos, Rhadoaldum videlicet ſanctæ Portuenſis eccleſiæ, & Joannem ſanctæ * Ficolenſis eccleſiæ antiſtites, delicioſos noſtros, illuc pro ejuſdem rei quam ſcitis negotio canonice diffiniendo direximus. Quos clementia veſtra benigne ſuſcipiat, eiſque fidelem atque prudentem tribuat hominem, qui eos uſque ad locum, quo a talibus ſuſcipiantur hominibus, quorum comitatu ad prædictum regem Lotharium fratrem veſtrum illæſi valeant pervenire, ſecuros & quietos, omnique ſuavitate deducat (cognoſcat præterea clementia veſtra.) Quia pro communi eccleſiæ pace atque conſenſu, duos epiſcopos de regno Caroli regis, patrui veſtri, ad ipſam ſynodum, quæ Domino auxiliante in Metis civitate congreganda eſt, ſedis apoſtolicæ miſſa vocatione convenire præcepimus: qui una cum miſſorum noſtrorum præſentia, & aliorum ſacerdotum Dei conventu, quod diffinire oportet, juſte canonice que decernant. Data IX. Kalendas Decembres, indictione XI.

* Edit. Rom. *Fnadenſis.*

Anſulis inclusa ſupplevi ex edit. Rom.

XX. AD CAROLUM CALVUM REGEM.

Petit ut Balduino parcat, qui filiam ejus rapuerat, & in uxorem acceperat.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei Carolo glorioſo regi majori (*Pro Balduino.*)

BEato ac pretioſo Chriſti Dei noſtri cruore eccleſia ſancta redempta, & ſacro ipſius Domini ſuper ſolidam veræ fidei petram fundata eloquio, pietatis ſuæ viſcera omnibus, non ſolum quos ex aqua regeneravit & ſpiritu, delinquentibus, verum etiam quotquot ſacri necdum lavit unda baptiſmatis, patet, atque gremio gratulatur fovere ſalubri. Unde ab ipſo inſtitutionis ejus exordio, ad eam omnes, velut ad pium cariſſimæ genitricis gremium, confugere digna devotione procurent, qui ſe in aliquo flagitii ſcelere jacere cognoſcunt: ut per ſpiritualem gratiam, quæ rite ignoſcit pœnitentibus, a peccatorum nexibus abſolvantur. Et quoniam ad hanc ſanctam Romanam, cui Deo auctore deſervimus, eccleſiam, quæ ob ſui privilegii principatum, quo ceteras Dei eccleſias orbe univerſo diffuſas excellit divinitus, de diverſis mundi partibus quotidie multi ſceleris mole oppreſſi confugiunt, remiſſionem ſcilicet, & venialem ſibi gratiam tribui ſupplici & ingenti cordis mœrore poſcentes: a qua vero ob inſigne dilectionis meritum, & debitæ compaſſionis gratiam, recti libraminis auxilium cunctis fida petentibus intentione tribuitur, atque largitur. Idcirco ad beatiſſima ſanctorum apoſtolorum principum Petri ac Pauli confugere limina, noſtrumque pontificium Balduinus, vaſallus veſter, ardenti animo accedere ſtuduit: qui veſtram ſe habere indignationem, eo quod Judith filiam veſtram, illum præ ceteris diligentem, ſine veſtræ voluntatis conſenſu in conjugium elegerit, eamque volentem accepit, ore proprio retulit. Quamobrem præſulatui noſtro preces multimodas fudit, orans & petens obnixe, ut magnitudinis veſtræ per noſtram interventionem adipiſci gratiam mereretur. Cujus nos crebris petitionibus, & miſericordiæ largitate commoti, veſtram regalem excellentiam his apoſtolatus noſtri apicibus, præſentibuſque legatis, Rhadoaldo videlicet & Joanne, reverentiſſimis & ſanctiſſimis epiſcopis, delicioſis noſtris, valde precamur, ut pro Jeſu Chriſti Domini noſtri amore, & ſanctorum apoſtolorum Petri ac Pauli, quorum auxilium ipſe Balduinus, magis quam regum terræ, fide devota quæſivit, noſtraque dilectione, quam vos luculenter habere agnoſcimus, jam dicto Balduino, quia & tale jam olim aliis eveniſſe regibus ſcitur, indulgentiam pariter, & plenariam gratiam largiamini, ut veſtræ amplitudinis fretus benignitate conſiſtat, maneatque inter ceteros vobis fideles ſecurus. Cui ſane ideo veſtræ ſublimitatis gratiam ut tribuatis depoſcimus, non ſolum quia pio amore omnibus, qui aliquo fuerint ſceleris contagio maculati, hujus apoſtolicæ ſedis opem, atque miſericordiam, & præſidium poſtulantibus, humilique devotione quærentibus, pro qualitate facti ſubvenire debemus: verum etiam metuentes, ne propter iram indignationemque veſtram ipſe Balduinus impiis Northmannis, & inimicis eccleſiæ ſe ſanctæ conjungat, & in populo Dei, quem prudenti conſilio, menteque ſollicita, ſalvum & incolumem regere & gubernare debetis, aliquod ingerat periculum, & ſcandali fomitem, qui fidelium cœtus depopuletur, immittat; & ob hoc animæ veſtræ, quod abſit, contingat diſcrimen. Dextera vos ſupernæ protegat majeſtatis, & ab omnibus ſemper adverſitatibus illæſos cuſtodire dignetur. Data IX. Kalendas Decembres, indictione XI.

XXI. AD HERMENTRUDEM REGINAM.

Intercedit pro Balduino, qui ad opem implorandam in urbem venerat.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei Hermentrudi reginæ (pro Balduino.)

FIdelium univerſitas gentium ex variis mundi partibus, cujuſcumque ſint ordinis, vel ætatis, ſi qua forte criminis noxa, vel ſeniorum ſuorum formidine detinentur, ad hanc ſanctam omnium terrarum matrem Romanam eccleſiam, ut ſalutare percipiant remedium, recurrunt, & ab ea non ſolum animæ, ſed & corporis ſalvationem, ut omnibus patet, humili prece ſuſcipere precantur. Quibus multis divinitus fulta auctoritatibus, & ſanctorum patrum roborata documentis, materno amore ſolamina ſubminiſtrat, & fugenda ubera conſolationis compatiendo inferre minime recuſat. Et quia hic Balduinus, qui cariſſimam filiam veſtram contra divinarum legum ſanctiones rapuit, de his ſe eſſe recognovit, liminibus ſanctorum apoſtolorum lacrymoſis mœſtiſque precibus lugubriter ſe obtulit, & ut pro tanto crimine apoſtolicam opem acciperet, noſtro apoſtolatui nihilo minus flendo ſe præſentare quæſivit. Cujus cum lamentabilem, & tanto ſcelere plenam cognoviſſemus petitionem, ad mentem rediit quod per prophetam Dominus dicit: *Miſericordiam volui, & non ſacrificium*, miſerti fuimus, & hos veſtræ in Chriſto dilectæ induſtriæ apoſtolicæ ſollicitudinis apices fieri ſtatuimus, miſſoſque etiam Rhadoaldum & Joannem reverentiſſimos & ſanctiſſimos epiſcopos, delicioſos noſtros, pro eo veſtræ claritati direximus, per quos obnoxius deprecamur, ut præfatus Balduinus, quam apud veſtram per apoſtolorum interceſſiones deſiderat magnificentiam obtinere, pro Dei amore gratiam percipere valeat, & de ſui affectione noſtri præſulatus oraculis conſolationem reſumat, quatenus qui ſe per infelicem culpam a normæ æquitatis declinaſſe non ambigit, medelam apoſtolorum agnoſcat, & apud ſeniorem veſtrum venialem, vobis juvantibus, vigorem obtineat. Dextera vos ſupernæ protegat majeſtatis, & ab omnibus ſemper adverſitatibus maculiſque cuſtodire dignetur.

XXII. AD EPISCOPOS GALLIÆ ET GERMANIÆ.

Ut ad ſynodum Metenſem cum legatis accedant, ibique audito Lothario, ejus divortii cauſſam cognoſcant, & canonice definiant.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus archiepiſcopis per Galliam & Germaniam conſtitutis (Pro Synodo.)

INcognitum vobis eſſe non credimus, qualiter pro duabus feminis Lotharii regis, eccleſiæ Dei facies illiciti connubii nævo aſperſa ſit, vel qualiter una repulſa idem rex alteram ſibi ſceleratiſſime copulaverit. Quarum prior Theutberga nomine, pro ſui repudio acriter dolens, per emiſſam legationem ſuper hoc negotio ſedis noſtræ expetivit judicium. Ex qua re unius partis cauſſam ſine altera judicare, canonicum fore minime A duximus. Statuimus ergo, fraternitatem veſtram Metis collectam, pariter cum legatis noſtris ejuſdem Lotharii cauſſam audire, & canonice communi ſententia diffinire. Itaque juxta * ſtatutum noſtrum, cum duos illas in partes fratres noſtros deſtinaremus epiſcopos, accidit ad noſtram notitiam pervenire, quod Lotharius, legitima & prima repulſa muliere, ſecundam ſibi abſcivit conjugem, neque ſedis noſtræ petitum ac promiſſum judicium exſpectans, neque canonico judicio uſpiam ſuccumbens. Qua ex re quid aliud datur intelligi, niſi quia ubi plurimorum judicium prævenit, ibi ſuo judicio prævaricatorem ſe indicavit? Et ideo univerſaliter hanc fraternitati veſtræ apoſtolicæ auctoritatis epiſtolam deſtinavimus, ut B Chriſtianæ religionis zelo accenſi, pariter cum miſſis noſtris Metim proficiſcamini, illucque Lotharium convocantes audiatis, & in eum canonicum judicium proferatis. Quod ſi venire diſtulerit, & a præſentia ſe ſynodali præſentibus legatis noſtris ſubduxerit, & ad pœnitentiam ac ſatisfactionem repedare minime curaverit, ita ut præſentialiter ad ſynodum coram miſſis noſtris ſatisfacturus, & a ſcelere receſſurus occurrat; illum de cetero excommunicatum reddemus, & quamdiu in hoc permanſerit, a totius eccleſiæ conſortio faciemus exortem.

* coll. mſ. decretor. Nicolai 255. & Ivo VIII 255.

XXIII. AD EPISCOPOS IN CONCILIO METENSI RESIDENTES.

Ut Theutbergæ cauſſam examinent ac definiant, conciliique acta ad ſe mittant.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus reverentiſſimis archiepiſcopis confratribus noſtris, & epiſcopis in concilio reſidentibus, quod Metis celebratur.

(a) REverentiæ ſacerdotali tunc debitus honor impenditur, cum eos in omnibus, quæ ab illis ſub æquitatis libramine geri debent, trutinam miſericordiæ cum lance rectitudinis tenere conſpicimus, & tenendo nullius favore retenti, aut quorumcumque terroribus permoti, vel etiam D numeroſis pecuniis, aut honorum amplitudinibus a tramite juſtitiæ quoquomodo inclinati permutantur. Sed quantum eis erga proximos in diſcutiendo cura conceditur, tantum his ſine perſonarum acceptione ad ſui cuſtodiam pavor cum zelo rectitudinis procul dubio adhiberi debet, ne immemores illius apoſtolicæ ſententiæ videantur dicentis: *Unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem*. Nam cum inter multarum eccleſiaſticarum rerum, quæ ad ſalutem & fidei ſoliditatem populi Dei pertinere videntur, noſter apoſtolicus animus cauſſas extenderetur, de quarumdam feminarum controverſia, Theutbergæ ſcilicet atque VValdradæ, admodum ſicut quorumdam referentium, quia paſtoralis nos cura ad E audiendum commoverat, relatio intentos reddidit, & ne aliquo violentiæ morbo per deſidiam grex fatigetur dominicus, ad medelam recuperandæ ſanitatis ardore caritatis ferventius invitavit. Prædicta quippe Theutberga multis vicibus ſedem apoſtolicam lacrymoſis literis ſtuduit appellare: in quibus affatu flebili puram ſe quo accuſatur crimine, inquit, atque inſontem. Ad quod negotium & judicii diſcretionem, ſicut jam veſtram fraternitatem nuper per apoſtolicos apices commone-

(a) Hanc epiſtolam in editis conciliorum mendis hinc inde ſcatentem emendavi ad normam editionis Rom. epiſtolarum Pontificiarum an. 1591. quod etiam & in ceteris præſtitum eſt. *Manſi*.

monere decrevimus, apostolico vos hortamine a- A
desse volumus, quatenus a pontificii nostri latere venientibus missis, synodicam illic celebrationem, apostolica fulti auctoritate, cum fraternitate vestra præsidentibus adunare debeatis, & una cum eis vigilantius, sine dolositatis macula, vel fomento invidiæ, aut odii nutrimento, quæ possunt homines a via veritatis pervertere, & a calle rectitudinis, proh dolor! declinare, semper Deum præ oculis habentes, personas principum, & terrores, qui ad tempus insurgunt, & in tempore finiuntur, contemnentes, quid in his justius, quidve veracius cum fatis missis nostris invenire valueritis, horum consensu diffinire & statuere procul dubio studeatis, caventes hoc quod
Isa. 5. per prophetam dicitur: *Væ his qui dicunt bonum* B *malum, & malum bonum: qui ponunt tenebras lucem, & lucem tenebras: qui dicunt dulce amarum, & amarum dulce.* Nam & evangelica inter cetera, quæ nos ad bene vivendum instruit, sententia admonet dicens: *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.* Psalmista quo-
Joan. 7. Psal. 57. que ait: *Si vere utique justitiam loquimini, justa judicate filii hominum.* Igitur cum multa sint, quibus vestram fraternitatem, non oblivionis aut ignorantiæ caussa de vobis judicantes, sed caritatis studium amplectentes, commonere possimus: hæc ideo sufficere credimus, quia ad plura vos & evangelicæ, atque apostolicæ, propheticæque lectionis dogmata in talibus memoria transcendere non dubitamus. Tantum est, ut cum æquita- C
tis justitia in præsenti examinatione, sine aliquo dolo vel invidiæ macula, sicut præfati sumus, quia Deo præsente adsistitis, proximorum caussas, cum jam dictis missis nostris, ita juste & irreprehensibiliter cum Dei timore diffinire satagatis, ut illorum in omnibus vestræque sanctitatis consensus atque judicium æquitate fulgere videatur. Nam si vos vel illos in aliquam partem, pro cujuscumque favore, a canonicis & sanctorum patrum institutionibus, quod non optamus, declinare perspexerimus, arguere non dubitamus. Si vero aliarum ecclesiasticarum utilitatum in eodem concilio res acciderint, digno examine pertractantes eas cum Dei timore diffinire satagite. Si autem aliqua in eo fuerit contentio orta, in D
qua diffinitionis ponere nequiveritis fortasse censuram, nostro eam judicio reservare sancimus. Statuimus, autem, ut cuncta quæ in eodem concilio peracta fuerint ac diffinita, nostro præsulatui gestorum serie incunctanter significetis: ut si ea, justitiæ pulcritudine, probabilique sanctione diffinita perspexerimus, Deo omnipotenti gratias referamus: si vero injustitiæ, quod nolumus, & contrarietatis fuerint acta intentione, ea renovare summopere jubeamus. Missos quidem nostri pontificii, ut in prima epistola vestræ dilectioni significavimus, pro quibusdam ecclesiasticis utilitatibus, quibus fuimus occupati, destinare nequivimus. En Christo juvante, strenuitatis pollentes scientia atque doctrina, reverentissimos nunc E
dirigere missos decrevimus, Rhadoaldum scilicet atque Joannem episcopos, delicioso, & consiliarios nostros, qui prædictum cum vestra sanctitate concilium, ut protulimus, studeant celebrare. Omnipotens Deus, qui vos sacri regiminis culmine perornavit, vestræ beatitudinis corda rectitudinis & justitiæ claritate repleat, atque decoret, ut in omnibus vestris actibus æquitatis videamini plenitudine rutilare. Data IX. Kalendas Decembris, indictione XI.

XXIV. AD TRASULFUM ABBATEM CORBEJENSEM.

Privilegium monasterii Corbejensis.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, Trasulfo religioso abbati, & per te venerabili monasterio beatorum principum Petri ac Pauli, quod appellatur Corbeja, in perpetuum.

CONvenit apostolico moderamini, quod beatus Petrus apostolorum eximius, per attributam & revelatam sibi divinitus gratiam, licet suis longe imparibus meritis, nobis tamen singulari præ-
B rogativa, ut in totius Christianæ religionis universitate principaliter excelleremus, contulit: quatenus sicut dignitate & auctoritate per ipsius singulare privilegium omnibus præeminemus, ita universarum ecclesiarum Dei sollicitudinem habeamus, & singulis quibusque fidelibus, atque piis locis, in quibus jugi Deo famulantium sedulitate placatur divinitas, opportuna suffragia conferamus. Unde quia non multis intercedentibus annis monasterium beatorum apostolorum Petri ac Pauli, quod appellatur Corbeja, venerabilis qui tunc fuerat abbas Odo, & gloriosus dilectus filius noster rex Francorum Carolus, decessorem
* Ejus di-
ma sup. a
editum
nobis v
Tom. X
pag. 105
nostrum sanctæ recordationis * Benedictum pontificem, directis ad eum tam literis quam missis
C postulaverant, ut prædicto monasterio, & rerum suarum liberam concederet dispositionem, & in eligendo de semetipsis abbate regularem daret canonicamque licentiam. Quorum petitionem ille gratanter accipiens, petita concessit, & ut concessionis ejus perpetuitas servaretur, privilegium monasterio jam dicto fecit. Nunc vero adveniens venerabilis Odo Belvacensis episcopus, qui prius abbas monasterii Corbejensis fuerat, innotuit nobis tam petitionem ipsius benigni principis, quam postulationem tuam, qui præfati monasterii Corbejæ abbas esse dignosceris, qua postulasti, ut quæ prius monasterio illi a decessore nostro beatæ recordationis papa Benedicto concessa fuerant, auctoritatis nostræ promulgatione firmare non ab-
D nueremus. Nos itaque considerantes religiosam esse petitionem tuam, & nihil novi nos constituturos, si prædecessorum decreta sequamur, pastoralis quoque pariter esse officii, servorum Dei jugiter utilitati commodisque prospicere: decernimus ut monasterium Corbejæ, quod ad laudem Dei, in honorem sanctorum apostolorum Petri ac Pauli, constructum esse dignoscitur, & a Balthildæ regina Francorum, filioque ejus Chlothario, a principio fundatum, & donariis rebusque necessariis locupletatum, quod est in pago Ambianensi super fluvium Summa situm, rerum suarum liberam in omnibus habeat disponendi regulariter potestatem, ut quæcumque eidem monasterio in auro vel argento, in agris vel famu-
E lis, seu quibuslibet rebus fuerint oblata, sive in præsenti die collata esse constant, in tua tuorumque successorum abbatum fratrumque maneant dispositione: ut quidquid secundum Dei timorem, ad ecclesiæ ipsius utilitatem, regulariter & canonice dispositeritis agere, liberam in omnibus habeatis faciendi potestatem. Episcopus vero Ambianensis nullam ex eis vel accipiat, vel exposcat portionem: neque vel in abbate, vel in fratribus, vel in ipso cœnobio potestatem obtineat, neque in cellis ipsius monasterii dominatione potiatur ulla, neque in clericis, neque in famulis, & in omnibus, quæcumque ad monasterium illud videntur habere possessionis respectum, sicut jam olim

olim conceſſum illi monaſterio cognovimus ab epiſcopo * Ambianenſi, & ab aliis epiſcopis Galliarum, & privilegio ceſſionis firmatum, tam temporibus dilecti filii noſtri Caroli, præſenti tempore regnantis, quam antiquis temporibus Baltchilde, Chlotharioque Francis principantibus: niſi quantum canonicus ordo permittit. Nec ad monaſterium, ſeu cellas ejuſdem, vel ipſe per ſe epiſcopus, vel œconomus ejus, vel archipresbyter, vel archidiaconus illius, aut quælibet ex ejus agentibus perſona, poteſtatem habeat accedendi, niſi forte ab abbate monaſterii, vel fratribus, neceſſitatis cauſſa, vel dilectionis gratia, vocatus advenerit: ne importunitate ſui, miniſtrorumque ſuorum inquietudine, fratres vel abbates ſuſtineant ullam moleſtiam. Neque in eccleſiis prædicto monaſterio ſubjectis, vel in presbyteris eiſdem eccleſiis ordinatis, aliquam tentet facere perturbationem, vel abbati, vel fratribus, novam conſtituendo, & antiquam conſuetudinem violando: ſed ſicut regulariter & canonice diſpoſita ſunt, & longo jam tempore manentia, ita quoque futuris temporibus maneant inconcuſſa. Nec poteſtate epiſcopalis faſtus abutens, violenter contra conſtituta majorum diſponere velit aliquid adverſus voluntatem abbatis, & fratrum in ipſo cœnobio Deo quocumque tempore militantium. Ordinationes quæ neceſſariæ fuerint in monaſterio, ſive de monachis, ſive de canonicis, & quas petierint abbas & fratres, agere non differat. Altaris quoque & baſilicarum benedictiones, ſive conſecrationes, prout neceſſitas poſtulaverit, vel in ipſo monaſterio, vel in agris ipſius monaſterii libenter concedat: chriſma quoque, oleumque conſecratum per ſingulos annos præbere non differat: & pro his omnibus nullum munus accipiat, ne Spiritus ſancti gratiam vendere conatus, Simonis damnationem, quod abſit, ſuſtineat. Hoc conſtitutum non ſolum epiſcopum Ambianenſem, verum etiam omnes per Galliæ Germaniæque provincias epiſcopos, ubicumque præfatum monaſterium vel eccleſias, vel agros, vel famulos habere dignoſcitur, obſervare ſine cunctatione, ſeu contradictione decernimus, ut nullus poteſtatis jure, de rebus præfati monaſterii, ſine voluntate abbatis fratrumque ipſius cœnobii abutatur: ſed maneant omnia quæ collata ſunt, fuerintque, in rectoris ipſius monaſterii poteſtate, & regulari diſpoſitione, neque ſit aliquis vel regum, vel ullius poteſtatis, ſeu dignitatis fultus gradu, qui de monaſterii præfati rebus, vel violenter, vel potenter invadat aliquid, vel diripiat. Abbatem vero fratres ipſius monaſterii de ſe ipſis eligendi ſemper habeant poteſtatem, & eam perſonam eligant, quæ monachi propoſitum & habitu, & moribus profiteatur, non canonicum, aut laicum, neque alterius monaſterii monachum: quoniam monachico ordini præficere vel laicum, vel canonicum, non eſt ſervare ordinis profeſſionem, ſed evertere, quod unuſquiſque præpoſitus cujus eſt ordinis, ejus quoque erit & propagator: nec bene diſponet aliquando cujuſcumque militiæ vitam, cujus non fuerit ipſe qui diſponit æmulator. Sed neque rex, neque poteſtas aliqua, ullam monaſterio Corbejenſi præponat perſonam, quam non fratres ipſius elegerint monaſterii. Debent enim mundi principes honorem præſtare Deo, quem ſibi volunt præſtari a Deo, videlicet ut quemadmodum cupiunt a Deo ſibi collatum regni honorem conſervari: ſic eccleſiæ Chriſti ſuam non dedignentur ſervare legem. Non enim decet, neque juſtum videri poterit, ut ſibi militantibus, de eccleſiæ Chriſti poſſeſſionibus mercedem reſtituant, & quod de republica ſua retribuere debent, id reddere velint de his quæ collata ſunt Deo. Qua de re præcipimus omnino, ut monaſterio beatorum Petri ac Pauli, quod Corbejæ dicitur, nullam præficiant perſonam, vel ex ſibi militantibus, vel ex alieno monaſterio ſumptam, quæ non per electionem ſumatur probabilem, ſive de laico, ſive de canonico, ſive de quocumque fuerit ordine. Quoniam vero multæ quæruntur ab importunis hominibus malignitatis occaſiones, & neceſſe eſt ſemper adverſarii tela clypeo protectionis repellere: decernimus ut abbas, poſtquam electus fuerit & ordinatus, nulla poteſtate prævalente dejiciatur, niſi in criminis cauſſa fuerit deprehenſus, cujus merito rectoris non debeat adminiſtrare officium. Infamiæ vero maculis, ſeu criminis alicujus denotatione ſi fuerit appetitus, non præter canonicam & regularem deponatur examinationem. Hoc vero conſtitutum ſi fuerit ab aliquo prævaricatum, per epiſcopum Ambianenſem, quiſque ille fuerit, ex noſtra conveniatur auctoritate, ut eum qui hujus ſedis conſtituta convulſerit, conveniat, & iniquitatis ſuæ culpam commoneat, cuique periculo ſubjiciatur, notum faciat. Quod ſi vel ipſe neglexerit, vel deſpexerit, vel timuerit perficere, metropolitanus epiſcopus conventus a fratribus ipſius cœnobii, perſonam hujus ſanctionis violatricem adire non differat, & hujus noſtri decreti teſtificationem innoteſcat, utque ab eo quod prave geſſit recedere non moretur, ex ſua noſtraque auctoritate conteſtetur. At ſi ille contumaciter in ſui facti perpetratione permanere decreverit, & non quod inique geſſit corrigere maluerit, licentiam habeant fratres monaſterii prædicti Romanam apoſtolicamque ſedem adire, & neceſſitatis ſuæ cauſſas ante papam, qui tunc fuerit, urbis Romæ deponere, & præſentis præcepti conſtitutionem manifeſtare: ſicque Romanus pontifex, cognita cauſſa, juſtæ damnationis ſententia reum mulctare non cunctetur. Si quis vero ſacerdotum, vel clericorum, hanc conſtitutionis noſtræ paginam agnoſcens, contra eam venire tentaverit, ordinis ſui dignitate careat: laicus vero, cujuſcumque ſit poteſtatis, vel dignitatis, ſi hujus privilegii decreta in aliquo violaverit, reum ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & niſi vel ea quæ ab eo ſunt mala ablata reſtituerit, vel * digna pœnitentia illicite acta defleverit, Dei & beatorum apoſtolorum Petri ac Pauli auctoritate atque noſtra ſententia anathematis vinculo innodatus, a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti alienus exiſtat, atque in æterno examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem venerabili monaſterio juſta ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis recipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ quietis inveniant. Scriptum per manum Leonis notarii regionarii, & ſcriniarii ſanctæ Romanæ eccleſiæ, in menſe Aprili, indictione XI. Data IV. Kalendas Maias, per manum Tiberii primicerii ſanctæ ſedis apoſtolicæ, imperante domino piiſſimo Auguſto Ludovico a Deo coronato, magno, pacifico, imperatore, an. XIV. & * poſt ejus * annum XIV. indictione XI.

ertefrido

n privi-
o Bene-
Papæ,
l eſt in
o VI.
ilegii p.
Hard.

* edit. Rom. *vel legitima.*

* Forte, *& poſt conſulatum ejus anno XIV.* H. *f. Conſulatus*

XXV. AD CAROLUM CALVUM REGEM.

Hortatur ad pacem [1] cum Ludovico imperatore nepote suo retinendam, & ut Arsenio quem legatum in Galliam mittit, fidem habeat.

Nicolaus servus servorum Dei dilecto filio Carolo glorioso regi.

INitium locutionis meæ, quam ad vos nunc habeo, carissime, ecce cum apostolo Paulo sumit exordium, & vox mea vox illius est, dicens: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Quo autem modo Christus formari melius in cordibus vestris poterit, quam si evulsis ex præcordiis vestris odiorum & simultatum vepribus, pacem in visceribus vestris concipiatis quæ Christus est, sicut per eumdem apostolum de eo dicitur: *Ipse est pax vestra, qui fecit utraque unum*: & caritatem in invicem observetis, quæ Deus est, veluti a Joanne describitur: *Deus caritas est.* Nulli ergo dubium est, quod qui caritatem & pacem in se non habet, Christum Dominum Deum nostrum, qui per hæc vocabula designatur, e corde suo projecerit, & quasi conformatum ex intimis uteri sui pepulerit. Quamobrem necesse est, ut sicut sancta mater ecclesia, cui mea humilitas per abundantiam divinæ miserationis præest, ut habitaret Christus per fidem in cordibus vestris, olim vos per evangelium genuit: ita quoque, ut per ministerium apostolatus mei in præcordiis vestris per pacem & dilectionem idem formetur Christus, nunc vos iterum parturiens gignat, & ut in virum perfectum occurratis informet. Quomodo autem Christus in vobis formari potest, qui in scissis mentibus non habitat? qui totus est pax, totus justitia, totus est veritas? vel in vobis quomodo formatur, qui licet in pectore vestro per fidem [*] suam solidus & integer habitet, per discordiam tamen minus in vobis perfectus, & velut informis habetur? Concipite itaque filii pacem, parturite justitiam, & alternam amplectimini caritatem. Audite quid dicat apostolus: *Pacem sequimini cum omnibus.* Et rursus: *Quod*, inquit, *ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Unde intimo mentis intuitu, & summa est diligentia perpendendum, quoniam si tantus apostolus cum omnibus hominibus pacem sequi, & cum omnibus pacem habere commonuit, quanto potius, quantoque salubrius cum his sequenda, & cum illis habenda est pax, quibus consanguinitate propinquiores, & materia carnis proximiores, ac juramento servandæ vicariæ pacis connexi artius esse ferimini? Qua de re nunc mihi sermo est, & ad regium culmen vestrum meum tendit eloquium: ad ea videlicet vos dirigens, per quæ non solum terrena regna debito jure possidendo, dies vestros in quiete maxima transeatis: verum etiam beatitudinis hæreditatem capessentes, filiorum quoque Dei vocabula sortiamini. Scriptum quippe est: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Igitur memores estote, filii dilecti, memores estote nominis Domini Dei nostri, cujus mentionem coram nonnullis testibus facientes, terribili estis alternam pacem invicem pacto polliciti, & pertimescentes tantum nomen in vanum accipere, reddite Domino juramenta vestra. Fœdus, quod ad alterutrum pepigistis, inviolabili maneat apud vos veritate repostum, & immaculate vigeat vestra sublimitas, insignia fidei cunctis circumquaque nationibus repræsentans. Parcite gladio, & humanum fundere sanguinem formidolosius exhorrescite. Cesset ira, sedentur odia, sopiantur jurgia, & omnis ex vobis simultas radicitus extirpetur. Unusquisque vestrum sua sit sorte contentus, & funiculo hæreditatis divinitus sibi collato pacifice perfruatur, aliena jura non invadens, non subtrahens, non conturbans. Liceat dilectissimo filio nostro, vestro autem nepoti, a Deo conservandum imperium suum, cum regno proprii germani, quieta possidere tranquillitate, & statui ejus summa securitate consulere, & gubernacula ditione debita moderari: ad salutem videlicet ac defensionem populi Christiani; & ad sanctæ matris suæ, Romanæ scilicet insignis ecclesiæ, libertatem & sublimitatem. Non autem in vobis gloriæ typhus, non supercilii fastus, non alterius usurpandi terminos ambitio, sed justitia, caritas, & concordia regnet, ac summum pax inter vos teneat omnino fastigium. Sane cum pro concordia scribimus, cum pacem prædicamus, de ea nos concordia, vel pace, non opinemini agere, quam solet mundus diligere, ac reprobi adinvicem observare. Denique illi, ut liberius & audacius possint mala perpetrare quæ cupiunt, & plures ac validiores ad quæ gestiunt reperire, unanimitatem student, & pacem inter se irrefragabiliter, & imprætermisse tenere. Quam Dominus sciens, & hanc a sua pace secernens, dilectoribus suis ajebat: *Pacem*, inquiens, *relinquo vobis: pacem meam do vobis: meam*, inquit, non dilectorum mundi. Unde apte subdidit: *Non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Quod qualiter accipiendum sit, sanctus Augustinus salubriter & luculenter exponit. Cetera vero quæ, ne modum excederemus epistolarem, huic paginæ inserenda non duximus, Arsenio reverentissimo & sanctissimo episcopo, apocrisiario & misso apostolicæ sedis, & consiliario nostro, defæcatissime prosequenda non indecenter, ut credimus, scriptis & dictis injunximus. Cui bene faciet gloria vestra in cunctis attendens, & in his quæ sibi, ex nostri apostolatus auctoritate, de pace sanctæ ecclesiæ perhibuerit, non immerito credula vel inambigua, fidem certam accommodans. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat, dilectissime fili.

Galat. 4.

Ephes. 2.

1. Joan. 4.

Joan. 14.

Hebr. 12.

Rom. 12.

Matth. 5.

[*] edit. Rom. *fanam*

Nota Jacobi Sirmondi S. J.

1 *Cum Ludovico imperatore.*) De regno Burgundiæ, ut opinor, post Caroli regis obitum fuit controversia. Nam a Carolo Calvo fuisse occupatum, indicare videntur capitula in Burgundiam ab eo missa titulo XXXII. At Burgundiam Ludovicus imperator tamquam fratris regnum sui juris esse contendebat. Hinc illa epistolæ hujus: *Liceat vestro nepoti imperium suum cum regno proprii germani quieta possidere tranquillitate*, & alia in epistola sequenti.

XXVI. AD EPISCOPOS IN REGNO CAROLI CONSTITUTOS.

Quod pacis studio Arsenium legatum mittat; proinde regem ad eam cum Ludovico Augusto nepote suo conservandam hortentur.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei omnibus reverentissimis & sanctissimis confratribus nostris, archiepiscopis & episcopis in regno Caroli glorioſi regis constitutis.

STudium nostrum semper fuit, & est, fratres dilectissimi, ut pro ædificando mutuæ caritatis & pacis bono, non solum his qui prope, sed & his qui longe sunt, officii nostri vellemus jugem,

gem, & impigrum extendere famulatum, ad id quoque inter cetera, quæ ſuggeſtionibus veſtris inter vos a nobis diſponenda crebrius exegiſtis, hortatu veſtro plurimum invitati. Sed innumeris undique Chriſti Domini noſtri eccleſiæ, cujus principaliter curam gerimus, laboribus impediti, hæc ut optabamus hactenus agere profecto nequivimus. At nunc poſtquam toties, ut ita dicamus, ille vir Macedo, qui olim apparuit Paulo, *Tranſi & adjuva nos*, * per pias nobis ſanctitatis veſtræ voces exclamavit, & noſtro apoſtolatui oſtium, per gratas Deo veſtras, ut credimus, orationes, ſicut ipſi egregio tunc apoſtolo, tandem apertum eſt; nihil deſidiæ, nil tanto volumus operi tarditatis afferre: ſed potius cœptis aliis negotiis eccleſiaſticis & perneceſſariis parumper omiſſis, rogabimus quæ ad pacem ſunt Jeruſalem, illius ſcilicet, quæ partim in cælo jam cum ſponſo regnat, partim adhuc in terris incolatur & premitur, quatenus concordiæ ac dilectionis fundamentis in ædificatione ipſius poſitis, fiat etiam conſequenter pax in virtute illius, & abundantia in turribus ejus. Hujus rei gratia præſentia fraternitati veſtræ ſcripta direximus: quibus admoniti, ſicut boni commilitones, & quaſi dominicæ vineæ cultores, vitia nobiſcum * expugnate, virtutum chariſmata prædicate, diſcordiam deſtruite, unanimitatem ædificate, odia extirpate, caritatem plantate, rixas diſſipate, pacem evangelizate. Haud talem, quod abſit, unanimitatem vel pacem, quali Judæorum uſa eſt in Domini Salvatoris nece conſpirans factioſa caterva, vel Herodes & Pilatus ex inimicis eodem tempore ad invicem pepigerunt. Sed talem, qualem audierunt paſtores cæleſtem militiam in nativitate noſtri Salvatoris canere, cum diceret: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Intonans enim, *pax hominibus*, ſubintulit, *bonæ voluntatis*, ut malevolæ voluntatis homines a pace hujuſcemodi ſequeſtraret. Nam perverſi quique, quo pacatiores ſunt invicem, eo procul dubio ad agendum perperam validiores exiſtunt. Unde & apoſtolus, non ſolum *evangelizantium bona* ſpecioſos pedes admiratur, ſed & *evangelizantium pacem* addens, nulla bona ſine pace, nec rurſus pacem ſine ceteris bonis innuit fore ſequendam. Et alias pacem cum omnibus & ſanctimoniam ſectandam præcipit, ſine qua nemo videbit Deum. Quas ita connectens, unam ſine altera minus oſtendit eſſe proficuam. Habentes ergo, cariſſimi, dilectionem in vobis, pacem ſequimini cum omnibus & ſanctimoniam: non pacem, qua etiam corvi potiuntur in invicem; ſed quam ſimplex, & a laniatu prorſus extorris columbarum poſſidet miranda concordia. Non ſolum autem vos pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat: ſed & per vos, omnes qui ſub veſtro moderantur regimine, coadunet & vinciat. Præcipue regem veſtrum quantocius informare ſatagite ad ea quæ illi ſcripſimus, & juxta quod eum inſtruximus: exhortantes videlicet, ut memor ſit memoriæ diſtricti judicii, cujus nomen multis audientibus nominans, jurejurando conſervandam fratribus eorumque liberis inviolabilem pacem ſpopondit, & pertimeſcens tam tremendum nomen in vanum aſſumere, reddat Domino juramenta ſua, cui ſolum vota ultro Domino promiſſa non reddere impium eſt. Commonete itaque eum, ut illud fœdus, quod cum fratribus pepigit, perpetua unitate conſervet, & id immaculate cuſtodiens cunctis de ſe imitabile præſtet exemplum. Parcat bello, & Chriſti ſanguine ſanguinem emptum fundere magnopere perhorreſcat: ſcriptum quippe eſt: *Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus.* Unde ſua ſit forte contentus, & funiculo hæreditatis cælitus ſibi datæ pacifice perfruatur, aliena jura uſurpare non tentans, non ambiens. Ceſſet temeraria præſumptio, & avidi anhelitus medullitus comprimantur: maxime a finibus dilecti filii noſtri excellentiſſimi Auguſti, vel a metis regni uterini ejus longe diſtantis. Permittatur ergo * prælato pio imperatori quietam ducere vitam atque tranquillam, & patruis ſuis nullam præſumptionem monſtrantibus, machæræ uſum quem primum a Petri principis apoſtolorum vicario contra infideles accepit, non cogatur in Chriſti fideles convertere. Liceat inquam ei regna ſibi per hæreditatum jus derivata, & apoſtolicæ ſedis auctoritate firmata, & ſummi pontificis manu capiti ſuperpoſito diademate auguſtiſſime decorata, cum ſuis fidelibus pie ac juſtiſſime gubernare. Sinatur omnino a Deo protectum imperium ſuum, quod cum benedictione, & ſacratiſſimi olei unctione, ſedis apoſtolicæ præſule miniſtrante percepit, ad exaltationem & quietem matris ſuæ hujus ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ, licenter ac rectiſſime moderari. Alioquin quiſquis contra hujus noſtræ ſalutiferæ commonitionis paginam agere forte præſumpſerit, & adverſus jam fatum filium noſtrum Auguſtum referre tentaverit, noverit ſibi & Deum omnipotentem, cujus imperium terminum neſcit, refragaturum, & apoſtolatum noſtrum juxta competens ſibi miniſterium procul dubio reluctaturum. Porro ſcitote nos tam ad glorioſum regem veſtrum, quam ad vos, Arſenium venerabilem virum, Hortenſem * epiſcopum, apocriſiarium & miſſum apoſtolicæ ſedis, & dilectum conſiliarium noſtrum, cujus apud nos approbata eſt fides, & comperta devotio, & vobis quoque perſona vel eſt forte non omnibus ignota prudentia, deſtinaſſe. Quem tanto debetis & vos, & admonitione veſtra, filius noſter rex, benigne ſuſcipere, quanto ſcitis, quia pro cunctis laborat, dum pro communibus eccleſiæ negotiis, quæ omnium mater eſt, tantum faſtidium non recuſavit aſſumere: immo quanto portando pacem, Chriſtum, qui eſt pax vera, in ſe longe lateque geſtare dignoſcitur. Ad quem veſtra etiam ſanctitas jungi, & cum ſibi quoquomodo adventus illius innotuerit, accelerare non renuat, quatenus alterna viſione ac colloquio fruiti, quæ circa veram pacem ſunt, liquidius agnoſcatis, ita ut & vos legationis ejus tenorem, & ille, quæ per tot curricula temporum anhelaſtis, evidentius comprehendat. Tumque demum, ſi quæ ſunt quæ per ſe corrigere poſſit, auctoritate noſtra corrigat: reliqua vero, quæ forte difficiliora ſunt, apoſtolatui noſtro diffinienda reſervet. Optamus fraternitatem & ſanctitatem veſtram in Chriſto bene valere.

* edit. Rom. *Præclaro illi imperatori*

* edit. Rom. *Archiepiſcopum*

XXVII. AD LUDOVICUM GERMANIÆ, ET CAROLUM CALVUM REGES.

Reprehendit quod epiſcopos in urbem ad ſynodum non miſerint. Ut Lotharium de divortio commonere pergant. De epiſcopis in Colonienſi & Cameracenſi eccleſia conſecrandis, & de Rothado Sueſſionenſi.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectiſſimis filiis Ludovico & Carolo glorioſiſſimis regibus.

GRedimus ex Dei dono, filii cariſſimi, proceſſiſſe, quod unanimes effecti vos de corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta junxiſtis. Unde fit, ut uno animo, & uno ore

per vos glorificetur Deus & pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ad ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ, regnique veſtri decus conjunctio veſtra proficiat & ſalutem. De epiſtolis autem noſtris, quas ſuſcipientes archiepiſcopis & epiſcopis regnorum veſtrorum, immo & Lotharii regni pariter archiepiſcopis & epiſcopis, ſecundum tenorem illarum dediſtis, grates excellentiæ veſtræ retulimus. Sed quia eos ad ſynodum noſtram, & pro anguſtia temporis, & pro injuria tranſitus, occurrere non valere dixiſtis, merito dure tulimus, cum tanta temporis anguſtia non immineret, ut ſaltem de vobiſcum converſantibus binos mittere nequiviſſetis, præcipue tu, fili mi Carole rex, qui regnum tuum per maximum ſpatium longius, quam fratris tui Ludovici dilecti filii noſtri glorioſi regis, ab hac ſancta ſede in occidentalibus partibus ſecus mare oceanum diſparari fateris. Non enim credibile poteſt exiſtere, ut adeo longius diſparetur regnum tuum, ut ſicut ſupra meminimus, * vel binos unius, aut duarum metropoleon legatos omnium vices agentes dirigere non valuiſſes. Reprehenſibile denique valde eſſe conſtat, quod ſubintuliſti, dicendo majorem partem epiſcoporum omnium die noctuque, cum aliis fidelibus tuis, contra piratas maritimos invigilare, ob idque epiſcopi impediantur venire: cum militum Chriſti ſit Chriſto ſervire, militum vero ſæculi, ſæculo; ſicut ſcriptum eſt: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus.* Quod ſi ſæculi milites ſæculari militiæ ſtudent, quid ad epiſcopos & milites Chriſti, niſi ut vacent orationi? Sperabamus te, fili cariſſime, in talia non prorumpere, qui, Deo gratias, clarus in cunctis haberis. Aditus autem veniendi ad tantum negotium antiſtitibus illis denegari non debuit. Et ſi forte denegare vellent; quoquomodo, ſi monitis noſtris parere delegiſſent, aditus illis & tranſitus patefieret. Si veniſſent collectis operariis, hoc utique ne fieret melius corrigeremus. Quia illis inde, & nobis hinc Deus in conventu noſtro medius tribuerat, ut & noſtris & veſtris deinceps aditus denegari non poſſet. Nam nec de noſtris melius dicere poſſumus, nec pejus de veſtris, quia quid nobis impediat longum eſt enarrare. Quod ſi intercapedine temporis ad Cluſas pro Deo aliquid toleraſſent, lucrum pro tentationibus & laboribus a Domino magnum recipierent. Sed quia occaſione tranſitus ſuffugiunt, nos licet coacti adhuc hæc gravamina ſuſtinebimus; vos tamen videbitis. Sed intelligi datur eos monitis noſtris non velle parere, propter illud quod in litteris veſtris ſubditur. Dicunt enim poſt aliquanta, ut epiſcopos de regnis veſtris ad ſynodum Romam mittendi neceſſitas non poſtulet. Unde ſi vos fortaſſe aliter dicitis, nos illud dicimus, quod divinitus revelatur, quia cum novitatum mala multiplicari videamus, ſi ex diverſis provinciis fratres in invicem conveniſſent juxta priſcum morem, & nos conſenſu illorum, revelante Domino, quæ decernenda ſunt decernemus, & ipſi neceſſitates ſuas referentes, & nos noſtras exponentes, quæ decreta fuiſſent melius in omnium notitiam facerent pervenire, qui ſemper ſynodalem conventum a nobis aggregari petierant: ſicque fieret, ut ſecundum qualitatem morbi medicina conficeretur, & ad ſananda vulnera longe lateque effunderetur. Salomon quidem verbis noſtris conſentit, cum dicat: *Salus ubi multa conſilia.* An neſcitis nonnullos ex nonnullis provinciis præſules ita feciſſe? Quod facilius ſcire poteſtis, ſi vultis; licet vos ſi vultis minime lateat. Denique tam prudentes, tamque præcipuos, & præclaros, ac quos Deus in caritate vera conjunxit, viros reprehendere nolumus: quin potius ut dilectiſſimos filios paterno amore excolimus, & ut in unitate fidei permaneatis, cunctipotentis clementiam exoramus. Quod ſi qui ex confratribus noſtris epiſcopis talia nobis miſiſſent, habueramus qualiter illos reprehendere & redarguere deberemus, excepto ſi regalem magnitudinem veſtram ſibi impedire dixiſſent, in vobis hoc pendere & corrigi debere videretur. Ecce epiſcopis regnorum veſtrorum impedimentum præparatur ne veniant: Lotharii autem epiſcopis, qui frater iſtius eſt, quid obſiſtit, niſi quia de veſtris ſumant occaſionem, & ſicut veſtri, ita & illius negligentes appareant? Nam inter cetera plurimum nunc in cauſſa ejuſdem Lotharii, de quo ſubinferemus, profuerat ſi veniſſent: quia auditis decretis & inſtitutis lucidius cuncta referrent, ita ut nubilum aliquid minime remaneret. Fortaſſe etenim hæc illorum dilatio, & abſentia magis obfuit in ejus emendatione, quam obſtinatio: quia ſi abſentia & dilatio non eſſet, obſtinatio utique jam ſaltem coacta ceſſaret. Sed his omiſſis, ad veſtra conſulta ſtylum noſtrum reflectamus. Dicitis enim vos præfatum commonuiſſe Lotharium. Sicut in commonitorio nobis a vobis directo legere prævaluiſſemus; & eumdem ſæpe vobis mandaſſe aſſeveratis, quod Romam pergere velit, & per noſtram diſpoſitionem de cauſſa ſui conjugii facere. Sed, * heu! dictis opus non accommodaſtis, quia ſæpius de directione commonitorii mentione facta idem commonitorium abfuit, & nobis fruſtratis nequaquam comparuit. Quod ſi habuiſſemus, certamen veſtrum ſuper his cognoſceremus: ſed cum illud defuerit, neſcimus ſi labor veſter fructuoſus fuit. Ipſe quidem Lotharius nobis, ut vobis, vicibus per imperiales legatos mandavit, quod Romam vellet venire. Cui interdiximus, & omnino interdicimus, ut iter talis qualis nunc eſt non arripiat, eo quod ſancta Romana eccleſia talem reſpuat & contemnat, & in hoc perſeveret, quod late in toto diffuſum eſt orbe. Nam verſo diu lumine per apices veſtros, anhelando præſtolabamur locum attingere, qui nos vel verbo aliquo * modo opis annueret, quo poſſemus aliquam lætitiam præſumere. Sed perſcrutatis omnibus, ac ad calcem uſque relectis, poſt lectionem ipſa quæ inerat lætitia abſceſſit, & nos dolor continuus illico poſſedit, quia in cunctis ſumus fruſtrati, & quod non optabamus, derelicti. Verumtamen quoniam * circa miſſam ſancti Joannis, de quo diximus, Lotharium, diſpoſitum habetis denuo commonere, non moleſte tulimus. Forſitan omnipotens Deus cor ejus ad ſibi placita inclinare dignabitur, & de prævaricatore tandem faciet convertendo dilectum. Si autem ſubdole Theutbergam, ut eam perdat, velle repetere dicitur, ſi ipſa tales elegerit, per quos ſibi ſecuritas certiſſima fiat, ecce bene. Sin autem, idem Lotharius præbeat ſacramentum, quo polliceatur eam digno matrimonio recipere, & ut uxorem legitimam decenter venerari & colere, ac deinceps incolumem conſervare. De pœnitentia autem ejus noſtro judicio reſervantes ſtatuimus, ut ſi prædictæ Theutbergæ captioſe aliqua alia crimina, poſtquam eam a ſe repulit, objicere voluerit, hoc expurgetur ſacramento, ſi ita neceſſitas compulerit. Quod ſi innupta manere decreverit & viro ſuo reconciliari noluerit, ſancimus ut cogatur in amplexus uxorios redire; quia utriuſque ſe ſeparandi non fuit voluntas. Nam ſi utrique in divortio conſenſerint, & Lotharius jam omnino copulam concubitus non repetierit, hoc fieri non prohibemus: quia Dominus de dimittenda uxore

cauſ-

* Edit. Rom. inſerit: *ſaltem de vobiſcum converſantibus, vel &c.*

22 q 8. Reprehenſibile.

1 Tim. 2.

Prov. 11.

* al. *dictis.*

* al. *vox*, H.

* H. *circa* f. H.

cauſſam tantum fornicationis excepit. Igitur ſi Lotharius, quem hactenus converti præſtolati ſumus, & vindictam in eum, ne ſanguis effunderetur, & ne bella excitarentur, propalare diſtulimus, cornu extulerit, & noſtris veſtriſque monitis obedire neglexerit; de cetero talis habendus eſt, qualem illum per epiſtolam noſtram Rhadoaldo dudum epiſcopo, & Joanni epiſcopo miſſam nos habere jam cognoviſtis. Sed, filii dilectiſſimi, & ſingulariter a nobis diligendi, ecce Arſenium venerabilem epiſcopum ad hoc vobiſcum pertractandum, & monitionibus corrigendum, cum apoſtolicis epiſtolis illuc deſtinavimus. Quarum exemplaria, ne authenticæ iſtarum, aut interceptæ, aut a quibus fortaſſe dehoneſtatæ, aut perditæ, aut etiam propter quod vobis dubietas credendi generaretur, pro libitu aliter habitæ fuiſſent, magnitudini veſtræ per hunc gerulum tranſmiſimus. Tunc ſi authenticas ita ſe habere repereritis, aſſenſus veſter eidem Arſenio præbeatur. Sin autem, excepto de Rothado & Albuino, illi vos credere non oportet. Et quidquid illis in partibus actum fuerit, ſub geſtorum inſinuatione nobis, antequam illud per alios cognoſcamus, optime munitum, ut melius laborare poſſimus, dirigere petimus, nequaquam omittite. Sunt & alia quamplurima, quæ vobis nos mandare valde oportuerat: ſed quia tam clariſſimis & prudentiſſimis pauca ſufficiunt, & hic gerulus nobis erat incognitus, atque hoc eum latebat, præter hæc ſcribere deſiimus. Porro de eccleſia Colonienſi, de qua nos conſuluiſtis, decernimus ut ibi conſecretur antiſtes. De Cameracenſi vero, quod ſtatutum habemus, volumus obſervari: videlicet ut ſi tibi electio canonica fuerit, conſecrari debeat in ea epiſcopus. Ad extremum, quod ſilere non poſſumus, quin immo ſuper dictis veſtris obſtupeſcimus, de Sueſſonica ſcilicet eccleſia, de qua, fili mi Carole, quod loquimini, per os alterius loquimini, quam etiam per xxx. circiter annos ab infructuoſa ficulnea * Rothado inutiliter occupatam, excepto ſolo nomine, paſtorali dicitis vacaſſe ſollicitudine: miramur cur tantus rex ſuaſoriis verbis cedit, & non magis nos qualiter de Rothado obediat lætificare procurat. Deſine ergo, fili, & deprecatoria verba pelle a corde, incipeque noſtris monitis parere, ut excellentiſſima gloria veſtra cum exultatione fructificet, & cum gaudio manipulos colligat. Tamen qualiter de illo ſublimitatem veſtram oporteat facere, aliis litteris noſtris liquidius cognoſcere valebitis. Quibus cognitis, credimus, ut quod petimus obtineamus: & quod decrevimus, ratum coram oculis Dei, & coram vobis eſſe videatur. Apud nos namque idem Rothadus fructuoſa ficulnea manet: tamen poſt renovatum judicium ejus, ſi fructuoſa eſt, an infructuoſa, patenter declarabitur, habitis omnibus ſecundum quod de illo ſtatuimus. Hanc autem epiſtolam ideo more ſolito ſcribi non fecimus, quia & legatus veſter ſuſtinere non poterat, & ob feſta paſchalia ſcriniarios noſtros, eo quod debitis vacabant occupationibus, habere ut debuimus non valuimus. Rogamus præterea & expreſſe vos adjuramus, ut quæ ſuperius exarata ſunt, non ſimplicitate ſermonis, ſed ex quanta mœſtitia & compunctione proceſſerint, interiori oculo, non exteriori tantum, attendatis: & omnes neceſſitates noſtras in his conſideretis, dolore patris miſerabiliter moti ut filii cariſſimi. Divina majeſtas ad exaltationem ſanctæ ſuæ eccleſiæ vos conſervet incolumes.

* Rothaldus & ſic ubique infra. H.

XXVIII. AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

De Rothado iterum præcipit, ut Romam mittatur juxta litteras ad ſynodum reſcriptas, & de privilegiis, quæ Hincmarus eccleſiæ ſuæ confirmari poſtulabat, differt aſſenſum.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei Hincmaro archiepiſcopo.

BEatitudinis tuæ lectis apicibus, quia fraternitatem tuam circa ſanctam Romanam ſedem, cui auctore altithrono præſumus, ergaque noſtrum pontificium, in eadem qua ſolita erat * ſiſtere devotione reperimus, lætitia multa repleti, debita omnipotenti Domino gratiarum officia perſolvimus, ſanctitatemque veſtram ad ſedem apoſtolicam, de his quæ ſibi viſa ſunt referentem, ac pro eccleſiæ ſibi commiſſæ neceſſitatibus, atquæ utilitatibus, apoſtolatum noſtrum poſtulantem laudavimus: & nihil eſſe quod fraternitati tuæ denegare oporteret penitus judicantes, ut annueremus petitis confeſtim corde concepimus, menteque deliberavimus. Cumque lectis monumentis geſtorum, quibus cum ceteris coepiſcopis tuis viſa eſt tua quoque venerabilitas ſubſcripſiſſe, invenimus ſanctiſſimum fratrem Rothadum apoſtolicam appellantem ſedem, vobis judicantibus, gradu epiſcopatus dejectum valde doluimus: & cordis noſtri gaudium, quod fratris & coepiſcopi noſtri Odonis adventus fecerat, cognito a veneneratione tua contra ſpem hujuſmodi commiſſo mœror continuus pepulit. Præſertim cum tanta fuerit apud ſedis apoſtolicæ præſules circa reverentiam tuam ex longo jam tempore confidentia, ut ibi præſentia tuæ dilectionis exiſteret, nunquam appellantem aliquem apoſtolicam ſedem, quodvis ſuſtinere detrimentum credere aliquo modo quiviſſemus, etiamſi de hujuſmodi re in ſacris canonibus, quid obſervandum eſſet, nihil prorſus inveniretur. Præcipue cum tantæ ſapientiæ te virum eſſe non neſciremus, tantæque familiaritatis fiduciam apud dilectum filium noſtrum regem Carolum comperiſſemus tuam habere ſanctimoniam, ut ſi qua in illis partibus mala in eccleſia Domini pullularent, per tuæ ſollicitudinis induſtriam reſecare radicitus, meditaremur. Debuerat certe beatitudo tua, cum Rothadum toties examinaveras, ſcribens ſancti Petri memoriam honorare, ejuſque judicium, etiamſi nunquam appellaſſet idem Rothadus, modis omnibus præſtolari. Et ſi id agere noluiſſes, ſaltem poſt appellationem, cathedræ ipſius, qui videbatur ejectus, alterum non ordinaſſes, priuſquam ejus cauſſa juxta ſacros canones in noſtro judicio fuiſſet terminata. Verum de Rothado, viro venerabili, ſecundum induſtam nobis a ſanctis regulis poteſtatem, quæ præcipiunt id obſervandum, quod noſtro qualicumque conſilio viſum extiterit, in epiſtola noſtra, quam ad communes fratres & coepiſcopos noſtros in regno glorioſi regis Caroli cariſſimi filii noſtri conſtitutos tranſmiſimus, inter quos & tua connumerata ſanctitas cernitur, decretum atque definitum a nobis eſſe dignoſcitur. Ad quam fraternitas tua recurrens, quid de te cenſuerimus facile cognoſcere poterit. Cui definitioni noſtræ bene facies attendendo: ne ſi diutius contra interdicta præſumpſerit, canonicis legibus anguſtetur. Privilegia præterea ab apoſtolica ſede veſtræ eccleſiæ confirmanda depoſcitis, qui tamen noſtra privilegia quantum in vobis eſt, infirmare ſatagitis. Portum ſalutiferum ſanctam

* edit: Rom. Perſiſtere.

Romanam ecclesiam appellatis, qui tamen in eo ne aliqui salventur, quantum potestis, satagere procuratis. Quomodo, rogo, privilegia tua stare poterunt, si ita privilegia illa cassentur, per quæ tua privilegia initium sumpsisse noscuntur? aut cujus momenti erunt tua, si pro nihilo nostra pendantur? si namque sal infatuatum fuerit, in quo salietur? Verumtamen sanctitati ac dilectioni tuæ injungimus atque præcipimus, ut lecta sanctionis nostræ pagina, quam per Odonem communem fratrem & coepiscopum beatitudini tuæ, atque ceteris comministris tuis direximus, quæ de sæpe nominato Rothado decrevimus, una cum eis studeas consummatione perficere: quatenus & caritati nostræ & amicititæ atque gratiæ particeps semper inveniaris, & ad amputanda noxia hostium sanctæ Dei ecclesiæ germina, atque ad salubria ferenda, sanctitatem tuam consociam, de cetero familiariter habeamus: sicque demum tanto studeamus, etiam non postulati, contra omnes malevolos tuos, tuæque ecclesiæ adversarios, tibi privilegia promulgando, & arctius inhærendo, fortiter expugnare, quanto senserimus fraternitatem tuam contra beati Petri apostolorum principis, ejusque sedis privilegia nullo argumento, nulla prorsus adinventione anhelare: sed in eorum veneratione, & defensione, atque excusatione, totis viribus, tota intentione velle persistere. De reliquo, frater carissime, hortamur ut dilectissimum filium nostrum Carolum, excellentissimum regem, ad divina præcepta semper erudias, semper accendas, & ut in ea qua cœpit devotione, atque dilectione erga sanctam Romanam ecclesiam, apostolicamque sedem permaneat, studio curioso decertes, solertiaque prudenti semper invigiles. Cetera vero, quæ hujus paginæ tenori inserta non sunt, communis frater & coepiscopus Odo qui de tuæ sanctitatis virtutibus nostrum animum plurimum exhilaravit, viva voce poterit enarrare. Sane postremo ad memoriam tuam reducere volumus, nos ecce jam secundo, ut virum venerabilem Rothadum apostolicæ sedi destinasses, sanctitati tuæ mississe. Quod providendum est, si tertio dilectioni tuæ dirigere pro hoc ipso coacti fuerimus, ne in contemptorem sacrorum canonum diffinitivam ac peremptoriam, quod non optamus, sententiam proferamus. Dextera te supernæ majestatis protegat semper, & ab omnibus adversitatibus illæsum custodire dignetur.

Matt. 9. Luc. 14.

XXIX. AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

Ut Rothadum episcopum Suessionensem dejectum sedi suæ intra dies xxx. restituat, aut Romam cum eodem ad causam dicendum veniat.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei reverentissimo & sanctissimo fratri nostro Hincmaro Rhemorum archiepiscopo.

SAnctitatem vestram, quam semper in virtutum exercitiis conversantem comperimus, & in doctrinis ecclesiasticis proficientem, fama crebrescente didicimus, aliter apostolicam reverentiam præ oculis habere sperabamus, quam frequens dictat opinio. Denique fidelium multorum exinde dolentium auditu veraci cognovimus, quod Rothadus frater & coepiscopus noster ecclesiæ Suessionicæ pro quodam presbytero qui pro facti sui qualitate honoris proprii ante triennium fuerat privatus officio, a vestra sanctitate fuit impetitus, & adhuc, quod nefas est, sedem apostolicam appellans, juxta quod sibi a patribus constat esse permissum, episcopatus etiam absens exspoliatus honore, & in exilium deportatus, hactenus in monasterio retrusus existat. Unde gemimus, valdeque dolemus. Nam cum debuerat honoribus pro sua senectute multiplicibus ampliari, & pro tot laboribus & obsequiis in ecclesia Dei, pariter & principibus mundi, fideliter ac utiliter impensis, majori dignitate frui, & jam tandem sine cujusquam impulsione quietus existere: nunc e contra dehonestatus, & ad injuriam beati Petri apostolorum principis, cujus sedem appellaverat, fame, & siti ac innumeris maceratus miseriis, ac depositus pariter & abjectus existit. Unde valde miramur, ac vehementissime obstupescimus, quomodo luminum vestrorum serenitatem tam repentina potuerit obtenebrare caligo, adeo ut privilegia apostolicæ sedis, quæ intemerata a tota Christi servantur ecclesia, contemplari despexeritis, atque ipsos paternos canones nescimus qua auctoritate disruperitis. Quod omnino inultum manere non patiemur, ut qui prohibita præsumpsit, minime quæ sit censura canonica experiatur. Ita ut omnibus manifestum faciamus, quod nullum fratres nostros aliquo modo patiamur sui sustinere dispendium, neque sanctorum patrum statuta vilescere permittamus. Verum interim Dei summi sanctorumque apostolorum principum Petri & Pauli, & nostra per eos auctoritate, fraternitati vestræ injungimus, ut si nostræ caritatis & communionis, sicut hactenus, voluistis videri participes, jam dictum fratrem nostrum Rothadum episcopio pariter & pristino honoris sui officio restituatis: ita ut tali per omnia decoretur honore, & omnibus ita reddatur integer officiis, qualem illum eo constat fuisse tempore, quando expellendus apostolicæ sedis memoriam fecit. Et ita demum, si qui videntur illius esse calumniatores, cum presbytero illo qui dejectionis ipsius caussa extitit, Romam pariter cum sæpe nominato Rothado, omni remota occasione, indesinenter occurrant. Hoc autem expresse decernimus, ut post xxx. dies, postquam hæc nostra epistola ad vos delata fuerit, aut præfatum virum Rothadum omnino restituatis pristinæ dignitati, aut si juste vos in eum egisse putatis, Romam cum eodem vos, vel vester legatus vestram vicem in omnibus ferens, ut utriusque partis caussam ad liquidum sciamus, adveniat. Quod si præfixos xxx. dies, quæ in hac apostolica auctoritate plena continentur epistola, minime obedire ac perficere studueritis, decernimus ac promulgamus, ut missarum sollemnia tamdiu celebrandi non habeatis licentiam, quamdiu quæ definivimus perducta ad consummationem non fuerint. Qua sententia non solum vos, sed & omnes episcopos obligare decernimus, qui vobis in depositione præfati viri Rothadi consensisse noscuntur. Idipsum vero illos per vos scire præcipimus.

XXX. AD CAROLUM CALVUM REGEM.

Intercedit pro Balduino, & de Rothado indicat quid scripserit ad Hincmarum, & reliquos episcopos: hortaturque illum Romam dirigat. Tum de acrioribus literis suis satisfacit, quibus Carolus fuerat offensus.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei dilecto filio Carolo glorioso regi.

OQuam vera est, fili carissime, illa sententia, quam Salomone attestante de se sapientia profert, cum perhibet dicens: *Per me reges* *Prov.* re-

regnant, & legum conditores justa decernunt! Quod nisi verum esset, nunquam omnino vestra sublimitas tantæ humilitatis poterat decore vestiri. Quod nisi verum esset, nunquam privatarum legum apostolicæ sedis decreta tam facili potuissetis capere mentis intuitu. Nam cum de quodam contra Deum se efferente dicatur: *Ipse rex super universos filios superbiæ*, & vos e diverso summa videamus humilitate præditum, quid nisi vestram regalem excellentiam imitatione filium esse illius poterimus advertere, qui ait: *Discite a me quia mitis sum & humilis corde?* Per sapientiam ergo reges regnant, quia sapientia Patris, juxta apostolum, Christus est, qui est Rex regum, eorum scilicet qui omnes motus corporis, omnesque mentis illicitos appetitus competenti regere moderamine norunt: de quorum numero per divinam gratiam, vos etiam perspicimus & lætamur, & Deo omnipotenti gratias, ex quo regnatis, multiplices exhibemus. Interea noverit dilectio vestra, [1] Balduinum, ut nobis intimastis, qui natam vestram sibi furto in uxorem contra fas sociavit, quem ideo venerandi præsules, ecclesiam Domini in regno vestro gubernantes, vinculis anathematis obligarunt, ad limina apostolorum accessisse, & ut a vinculis solveretur, atque per nos gratiam inveniret, sedem adiisse apostolicam. Nos autem, non solum eum a vinculis minime absolvimus, aut in communione nostra recepimus; sed potius tam præsumptuosam temeritatem detestati sumus, atque vestri pectoris naturalem affectum considerantes doluimus, vestræque mœstitiæ participes effecti, vobis hodieque compatimur. Verum quoniam ad divina sese præsidia contulit, amatorumque vestrorum Petri ac Pauli apostolorum principum, sibimet expetiit affore subsidia, non potuimus omittere, quominus, ut gratiam vestram perciperet, apud piam excellentiam vestram interveniremus. Verum vestram in omnibus præ oculis habentes dilectionem, quamquam sciamus & filiam vestram, si libet, posse vos ei legaliter in uxorem dimittere, & pietatis vestræ clementer gratiam impertiri, non tamen jussa misimus, sed preces obtulimus. Sed quoniam dicit apostolus: *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*, & ab eo prædicta periculosa novissima ecce jam imminent tempora, provideat solers vestra sublimitas, ne ex hoc deterius adhuc forte aliquid oriatur. Et ita vos cauta provisione undique temperate, ut mœror cordis vestri procul abigatur, & circa jam dictum Balduinum usque in finem nequaquam * inexorabilis vel inflexibilis persistatis. Non quo vos hæc dicendo terminos, quos posuere patres nostri, transgredi cupiamus, quos per gratiam Dei immotos perseverare semper optamus: sed quo gloriam vestram ultra quam dici possit diligentes, nullum velimus locum dare occasionem * quærenti. Præcipue cum idem Balduinus divinum postulatit auxilium, & sanctorum Petri ac Pauli, intercessorum vestrorum, quemadmodum prætulimus, ut gratiam plenam a vestra clementia consequeretur, legationem atque interventionem petierit. Non plane immemor, quod ante aliquot annos quidem, qui in hujuscemodi noxam incurrerat, memoriam & sedem adiisset cælestis clavigeri, ejusque vicarii interventu apud piæ memoriæ imperatorem Lotharium, non perdita conjuge, plenissimam indulgentiam simul & gratiam percepisset. Nulli præterea regum grave esse videri debet, (quod tamen cum pace vestra dixerimus) conservo suo debitum centum denariorum dimittere, qui fortasse a summo regum & domino dominorum decem millia talentorum sibi laxari desiderat. Porro dilectio vestra noverit, missse nos ad Hincmarum confratrem nostrum Rhemorum episcopum, & ad ceteros metropolitas atque episcopos regni vestri, ut venerabilem virum Rothadum ab exilio revocarent, Romamque ad ipsius causlam in nostra præsentia examinandam dirigerent. Dignum quippe est, ut quorum judicio in exilium est deportatus, eorum sit communi studio beati Petri memoriæ, sedique ipsius honorifice præsentatus. Ex illis autem præcepimus, ut duo vel tres, aut certe quotquot voluerint, veniant, qui ita in cunctis reliquorum, qui occurrere non potuerint, præsentiam præferant, ut quidquid agendum est, vel experiendum, dum fuerint refricata quæ gesta sunt, ipsorum omnium vice prorsus utantur. Quod si postposito nostro judicio, quæ auctoritate apostolica promulgavimus atque decrevimus, perpere contempserint, Dei omnipotentis, & beatorum apostolorum principum, quorum glorioso agone sancta hæc Romana ecclesia, cui divina dispensatione præsumus, est Domino consecrata, atque sanctorum canonum quorum contemptores propriis scriptis esse liquido demonstrarunt, nec non & nostræ mediocritatis auctoritate, a missarum sollemniis celebrandis sint, quousque diffinitionibus nostris obediant, prorsus extorres: ita sane, si post lectum paginæ sibi a nobis missæ tenorem, infra xxx. dierum spatium, quæ de Rothado viro venerabili agenda sanximus, minime consummare studuerint. Scientes profecto, quoniam si * post hanc in sanctarum regularum & nostro contemptu fuerint diutius conversati, ipsum quidem Rothadum a nobis, apostolicæ sedis more, a damnationis vinculis fore solvendum: atque convocato episcoporum cœtu foveam, quam paravere, semet penitus incidendos. Quamobrem vestram nihilo minus suavissimam pietatem monemus, & quantis possumus viribus exoramus, vel etiam tamquam devoto filio præcipiendo fidenter mandamus, ut jam dictum Rothadum vestro adjutum solatio ad nos usque misericorditer dirigatis: quatenus juxta decreta sanctorum pontificum Romanæ ecclesiæ, atque statuta sacrorum canonum, nostro sit ipsius causa judicio terminata. Nam mihi credite, supra modum in damnatione prælati viri, & noster est animus læsus, & totius ecclesiæ filiorum, ad quorum notitiam pervenit, vehementer offensus. Maxime quod ante & post damnationem suam, sedis apostolicæ idem venerabilis vir appellaverit judicium, nec impetraverit, & per talem præsumptionem summæ sedis videantur privilegia temere violari. Quæ tamen privilegia usque ad mortem, ope freti divina, prædecessorum meorum vestigia sequendo, cassari taliter minime patiemur. Sed & vos, carissime, ut ea quibus potestis cultibus veneremini, summopere incitamus. Nam quomodo putatis, si opportunitas exegerit, ut vestro regno, vestris * nisibus, vestri regni ecclesiis aliquod præstemus solatium, aut contra adversarios protectionis clypeum conferamus, si quantum in regni vestri partibus est, quoniam illa omnino scindi non possunt, ea vos aliquatenus minorari sinatis, quibus usi patres vestri, omne suarum dignitatum incrementum, omnemque gloriam perceperunt? Privilegia namque Romanæ ecclesiæ totius sunt Christi, ut ita dicamus, remedia ecclesiæ catholicæ. Privilegia, inquam, Petri arma sunt contra omnes impetus pravitatum, & munimenta atque documenta Domini sacerdotum, & omnium prorsus qui in sublimitate consistunt, immo cunctorum qui ab eisdem potestatibus diversis afficiuntur incommodis. Turbati autem estis, & multo mœrore af-

[1] Balduinum.

* Forte, *postbac*. H.

* Edit. Rom. *Jussibus*.

re affecti, sicut in scriptis vestræ dilectionis reperimus, eo quod forti vos invectione convenerimus, & duris increpationibus vestram celsitudinem cumulaverimus. Qua de re vestra profecto non debuit usquequaque tristari sublimitas; quoniam etsi nulla erat culpa, sicut adstruere humiliter contenditis, unde vestram oportuerit pietatem durius castigari: tamen discretus pater tunc aliquotiens studet dilectum filium diversis terroribus, vel etiam flagellis competentibus erudire, quando nihil in eo quod reprehendat penitus intuetur. Sic Dominus beatum Job frustra se percussisse perhibet, cum nihil omnino quod tantis verberibus puniri debuisset invenit, sed tamen frustra non percutit, quia hæc, quatenus per patientiam augeantur ei merita, ut discretus pater exercet. Sic nimirum, sic & vos, carissime fili, vestram sublimitatem tacita fortasse cogitatione frustra læsam a nobis querimini. Scimus tamen nos, ex qua radice contra dilectionem vestram hæc virga processerit: quæ utique non ut funditus interimeret, absit, sed quæ ad sempiterni regni gloriam felicius erudiret: scilicet quam paterna disciplina, ut apertius dicamus, ex interni affectus ramo protulit, non quam malitia ex odii radice produxit. Percuteris ergo, immo pulsaris, fili, etiam ubi te cor tuum non reprehendit, ut cautior & sollicitior, atque tutior, in quibus delicturus eras, Deo auctore, valeas inveniri. Itaque, carissime, cum vestræ regiæ potestati ab apostolica sede interdum duriora fuerint missa, non molestе feratis, nec vos a nobis odio habitos esse putetis, quoniam aut manifeste justa sunt nostræ correptionis jacula, aut certe occulta sunt, & aliquam habentia rationem. Quapropter in utroque vestræ salutis semper invenire ne diffidatis antidotum. Nos quippe semper quidem vos in visceribus dilectionis nostræ strictos habuimus, & pro vobis Dei omnipotentis misericordiam imploravimus. Sed postquam frater & coepiscopus noster Odo, pariter & Primus fidelissimus noster, quem ad vestram gloriam miseramus, de vestra vestræque eminentissimæ ac dilectissimæ conjugis devotione erga sedem apostolicam, ac dilectione, quam circa Domini sacerdotes habetis, nobis tot retulerunt præconia, tanto arctius vos diligimus, tanto vestri pro statu regni, & vestra vestrorumque salute, Dominum Jesum Christum instantius deprecamur, tantoque de Northmannorum vobis subacta rabie grates auctori exultantes rependimus; quanto hæc non ad tumorem elationis, nec ad humanæ cupiditatis ardorem profutura, sed ad exaltationem ecclesiarum Dei, & ad libertatem populi Christi, atque ad laudem ipsius credimus incunctanter proficere. Optamus excellentiam vestram in Christo nunc & semper bene valere.

Job. 2.

NOTÆ JACOBI SIRMONDI S. J.

1 *Balduinum, qui natam vestram.* Furtivæ primum, postea legitimæ inter Balduinum & Judith actæ sunt nuptiæ. Hincmarum in eadem epistola apud Flodoardum: *Dominus etiam noster rex, filius vester, huic desponsationi & conjunctioni interesse non voluit: sed missis publicæ rei ministris, sicut vobis promisit, secundum leges sæculi eos uxoria conjunctione adinvicem copulari promisit, & honores Balduino pro vestra solummodo petitione donavit.*

XXXI. AD CAROLUM CALVUM REGEM.

Ut Rothadum honori pristino restitui faciat, tum deinde ad apostolicam sedem, quam appellavit, venire permittat. Indicat etiam quid de ea re Hincmaro scripserit.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei dilecto filio nostro Carolo glorioso regi.

NUnc laudanda est frequens conversatio, & assidua cum ecclesiasticis, & cum sapientibus vestra sedulitas, quam circa utilitatem ecclesiarum Dei, vos habere auditu gratulabundo concepimus, si ejusdem sanctæ ecclesiæ pastorum, cum quibus hanc humilitatem & sollicitudinem salubriter operamini, sub quadam specie justitiæ nullum omnino sublimitas vestra læserit, sicut de uno quodam, Rothado nomine, nunc vos egisse plurimorum relatu didicimus: maxime cum dejiciendus apostolicam sedem, juxta licentiam canonice sibi concessam, appellasse perhibetur. Pro quo, fili carissime, valde gloriam vestram exposcimus, ut præfatum virum in suo episcopio, & omni pristino reddi faciatis honori, & ita demum ad apostolicam sedem, ad quam illum constat appellasse, securum pro nostro amore aditum properandi dare dignemini. Hoc specie tenus cognoscentes, quoniam tunc credimus vos nostrum apostolatum diligere, sicut sæpe profiteri videmini, si Deum & Dominum nostrum timere pariter & amare vos evidenter cognoverimus: nec non & privilegia sanctæ sedis apostolicæ, & statuta patrum illibata servantes, ea vilescere vel destrui a nemine patiamini. Ceterum sciat sublimitas vestra, nos ad confratrem nostrum Hincmarum archiepiscopum misisse, quatenus aut infra xxx. dies, post lectam a nobis sibi missam epistolam, eumdem episcopum pristino gradui restitueret, aut cum idoneo suo legato, si ipse non posset, una cum accusatoribus ejusdem viri, si tamen essent, atque cum presbytero, qui causa dejectionis ejus fuit, Romam veniret. Quod si neutrum ageret post xxx. dies præfixos, nec ipse, nec quilibet episcoporum, qui in depositione præfati episcopi consenserunt, licentiam celebrandi missarum sollemnia penitus haberent, quousque in iis quæ salubriter deceret, nobis sint obedientes, ac pleniter ad effectum consummationis perduxerint.

XXXII. AD EPISCOPOS SYNODI SILVANECTENSIS.

Rescindit acta synodi contra Rothadum: jubet ut ab exilio revocetur, Romamque ad retractandum judicium cum synodi legatis dirigatur. Respondet etiam sub finem de Balduino, & de causa Lotharii ac Theutbergæ.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei reverentissimis confratribus nostris, metropolitanis, episcopis & ceteris diversarum provinciarum ac urbium præsulibus, qui [1] *in Convicinum villam publicam secus civitatem Silvanectis* * *concilii convenistis.*

* L vid illi ex dit

SCriptis dilectæ fraternitatis vestræ susceptis, & inspectis attentius in eis omnis scientiæ & sapientiæ sanctitatis vestræ fluentis, quæ non aliunde in pectora vestra utique nisi ab ipso fonte vitæ poterant emanare, cognita devotione & summi amoris affectu, quem circa hanc sanctam Romanam ecclesiam, apostolicamque sedem vos retinere monstrastis; & quoniam ex amore secundum

dum conſtitutionem majorum, ut eadem ipſa vetba ponamus, non ſolum de omnibus quæ poſſunt aliquam recipere dubitationem, vel quamcumque incurrere quæſtionem; verum de ceteris atque majoribus negotiis eccleſiaſticis exequendis, ad apicem epiſcopatus, id eſt ad magni Petri ſedem debere vos referre cognoſcitis: horum auctori ac omnium bonorum largitori Deo, & Domino noſtro gratiarum multimodas retulimus actiones. Qui ideo in ſancta eccleſia vos rutilantes, tamquam ſplendidas ſtellas verbum vitæ continentes, & morum ac virtutum veſtrarum lumine longe lateque proximos illuſtrantes voluit collocare, ut merito eamdem ſanctam eccleſiam, juxta ipſius magiſterii dictum, cæli nomine, ubi talia nimirum fulgent luminaria, valeamus veraciter appellare. De cetero vero fratres cariſſimi, diſcentes in provinciis veſtris paganorum crebris vos laborare infeſtationibus, inſuper & eccleſias Chriſti in illis partibus conſtitutas ab inteſtinis, id eſt a ſuis, multa incommoda tolerare, plurimum lamentamur, & vobis oppido compatimur, & contriſtamur. Quamvis, dilectiſſimi, non adeo ſuper his contriſtari ac mœroribus affici debeatis, ſcientes quoniam tribulatio, ſecundum apoſtolum, patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero ſpem, ſpes autem non confundetur. Siquidem locus hic eſt afflictionis, hic convallis lacrymarum, donec videamus Deum deorum in Sion. Hic eſt ubi in lacrymis ſeminamus, ut poſtmodum in gaudio metamus. Hic eſt, inquam, Ægyptus, hic eſt fornax ferrea, ubi ſpiritalem Iſraelem diris oportet lateribus fatigari, donec terram promiſſionis ingrediamur, id eſt, donec Dominus, cum ei perfecte placuerimus, in regione vivorum ſe nobis promiſſum oſtendat. Hic opus eſt, ut quæ ad templi ſancti ſtructuram pertinent, ſummi artificis manu & proviſione aptentur: ut cum tunſiones, ſonitus, preſſuræ, ac perſecutiones ſæculi præſentis tranſierint, ſine aliqua tortitudine vel inæqualitate in cæleſti fabrica, tamquam lapides vivi idonei, in omnibus comprobemur. Quapropter hæc ſcientes, dilectiſſimi, ſpei veſtræ ancoram in cæleſti ſtatione figentes, hujus mundi procellas deſpicite: quia protector noſter omnipotens jam non dormit, qui imperat, & mare & venti obediunt ei, ſitque tranquillitas magna. Propterea de Rothadi damnatione apoſtolicæ ſedi referre jure ſtudentes, petiſtis ut noſtra etiam auctoritate rata eſſe probarentur, quæ de eo apud vos in concilio acta fuiſſe perhibuiſtis. Quod agere penitus recuſamus, quoniam nos, ut eadem ad Flavianum ſanct: Leonis dicta ponamus, qui ſacerdotum Domini matura volumus eſſe judicia, nihil poſſumus incognitis rebus cujuſque partis præjudicio diffinire, priuſquam univerſa quæ geſta ſunt veraciter audiamus. Sed fortaſſe dicetis, vos univerſa quæ de eo geſta ſunt nobis per ſcripturæ ſeriem veraciter retuliſſe, & per fratrem & coepiſcopum noſtrum Odonem, qui pene conciliis veſtris ſemper affuerit, cuncta pleniter intimaſſe. Quibus ſcitote nos ſatis credere, & ad cuſtodiam diſciplinæ eccleſiaſticæ conſenſum præbere potuiſſe, niſi excuſationes & defenſiones illius, ſuggeſtorumque ſeries innocentiam ipſius, & veſtram nocentiam demonſtrantium, a vicinis veſtris complurimis apoſtolatui porrectæ apud nos haberentur, & frater coepiſcopus noſter Odo nihil accuſationis publicæ voluerit a nobis interrogatus ei objicere. Quamquam ſi objeciſſet, nihil ad damnationem jam dicti Rothadi proficeret, cum neminem partis illius, qui objectis vel annueret, vel renueret, noſtram conſtaret adiiſſe præſentiam, (nam accuſatores quæcumque voluerint dicunt) & ſciamus juſtum mediatorem non eſſe, qui ſic unam partem audit, ut alteri parti nihil reſervet. Præſertim cum Dominus pro abſente, & non audito, per Moyſem, præcipiat, *jam non maledices*, inquiens, *ſurdo, nec coram cæco pones offendiculum*. Ignorare autem fraternitatem veſtram non patimur, animum noſtrum non mediocriter læſum, eo quod ſecundum geſtorum tenorem, & veſtrarum ſuggeſtionum, quas ad ſedis apoſtolicæ direxiſtis, cognitionem, appellantem eumdem Rothadum apoſtolicam ſedem depoſueritis, ac in monaſterio retruſeritis: quod non niſi in contemptum beati Petri, cujus judicium expetivit, & in contumeliam ſacrorum canonum, & eccleſiaſticarum traditionum præſumptum, ac temere admiſſum minime dubitatur. Inſuper autem, & ad imminutionem apoſtolicæ & ſummæ ſedis privilegiorum, quibus veſtrarum quoque eccleſiarum privilegia firmare depoſcitis, imperatorum leges proponitis, quibus quaſi prohibentibus, adſtruere non habuiſſe appellationis vocem Rothadum nitimini, cum conſtet conſtitutionibus mundanarum legum, & imperatorum, * non omnibus eccleſiaſticis controverſiis utendum eſſe, præſertim cum inveniuntur * eccleſiaſticæ ac canonicæ ſanctioni obviare. Ad quod oſtendendum duorum heroum, Innocentii ſcilicet & Gregorii, ſatis ſufficiunt teſtimonia. Sanctus Innocentius quidem in decretali epiſtola ſua ad Alexandrum Antiochenum epiſcopum, ait: Nam quod ſciſcitatis, inquiens, utrum diviſis imperiali judicio provinciis, ut duæ metropoles fiant, ſic duo metropolitani epiſcopi debeant nominari. Non ergo viſum eſt, ad mobilitatem neceſſitatum mundanarum Dei eccleſiam commutari, honoreſque ac diviſiones perpeti, quas pro ſuis cauſſis faciendas duxerit imperator. Beatus autem Gregorius ſcribens ad Theoctiſtam patriciam, inter cetera: Si enim, inquit, religionis cauſſa conjugia debere diſſolvi dicunt, ſciendum eſt; quia etſi hoc humana conceſſit lex, tamen divina prohibeat. Ecce quemadmodum imperiali judicio non poſſunt eccleſiaſtica jura diſſolvi; ecce qualiter quod lex humana conceſſit, lex divina prohibeat. Non quod imperatorum leges, quibus ſæpe eccleſia circa hæreticos utitur, ſæpe circa tyrannos, atque circa pravos quoſque defenditur, dicamus penitus renuendas: ſed quod eas evangelicis, apoſtolicis, atque canonicis decretis, quibus poſtponendæ ſunt, nullum poſſe inferre præjudicium aſſeramus. Quamquam ſcripſeritis appellationes ejus fruſtratorias, excuſationes ac dilationes fuiſſe tantum querentes, quod quibus argumentis firmetis, præſertim cum annuentibus ſibi canonibus apoſtolicam ſedem appellaſſe ſollemniter videatur, non facile patet. Quippe cum nemo ſciat, ſecundum veritatis atteſtationem, quæ ſunt in homine, niſi ſpiritus ejus qui in ipſo eſt. Quis autem neſciat conſtituta Sardicenſis concilii? quæ præcipiunt poſt aliquot capitulo IV. Si quis epiſcopus judicatus fuerit in aliqua cauſſa, & putaverit ſe bonam cauſſam habere, ut iterum * concilium renovetur, ſi vobis placet, ſancti Petri apoſtoli memoriam honoremus ut ſcribatur ab his qui cauſſam examinarunt, Julio Romano epiſcopo, & ſi judicaverit renovandum eſſe judicium, renovetur, & det judices: ſi autem probaverit talem cauſſam eſſe ut non refricetur, præſertim quæ acta ſunt ſi decreverit, confirmata erunt. Item capit. VIII. Oſius epiſcopus dixit: Placuit autem, ut ſi quis epiſcoporum accuſatus fuerit, & judicaverint congregati epiſcopi regionis ipſius, & de gradu ſuo eum dejecerint, ſi appellaverit qui dejectus eſt, & confugerit ad epiſcopum Romanæ eccleſiæ, & vo-

Levit. 19

Diſt. x Lege imperatorum.

* Forte: *non in omnibus*. H. edit Rom. *Evangeliæ*.

Lib. IX. Epiſt. 39.

Ivo part. 4. cap. 187.

Diſt. x c. 1. §. Non quod

1. *Cor.* 2. c. vr. q. 4. Oſius epiſt.

* Judicium.

voluerit se audiri, si justum putaverit, ut renovetur examen, scribere his ecclesiis dignetur, quæ in finitima & proxima provincia sunt, ut ipsi diligenter omnino requirant, & juxta fidem caritatis diffiniant. Quod si is qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit episcopum Romanum, ut e latere suo presbyterum mittat, erit in potestate episcopi, quid velit, & quid æstimet. Et si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero crediderit episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio judicaverit. Sed sicut in suggestionum vestrarum invenimus scriptis, non habuisse Rothadum appellationis vocem affirmare conamini, eo quod non habuerit bonam causam: cum constet sæpefatum Rothadum usque hodie bonam se habere causam putare, & venerandum concilium, non solum eum qui causam habet, sed & illum qui se bonam causam habere saltem putaverit, sedem apostolicam appellare permiserit, & hujus ab ea renovandum judicium decreverit. Maxime cum juxta constitutionem sanctæ hujus synodi, etiamsi nunquam reclamasset, nunquamque sedis apostolicæ mentionem fecisset, a vobis, qui causam ejus examinastis, memoria sancti Petri honorari debuerat, atque ei perscribi, ut si judicaret renovandum esse judicium, renovaretur, & daret judices. * Verba certe, sicut superius commemoravimus, ex ejusdem concilii sanctione, quod si probata viderentur, statueret. Sed quid mirum sit, hoc in despectu apostolorum principis vos contempsisse, cum ad injuriam sacrorum canonum, & venerabilium Romanorum pontificum decretorum, perpetrasse adhuc pejus inveniamini? scilicet, ut post appellationem & reclamationem Rothadi, in cathedra ipsius alterum * consecrare-tis: cum id manifestissime a sacris regulis constet esse alienum, ut loco depositi omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio episcopi Romani determinata. Sed dicitis, post appellationem apostolicæ sedis illum vocem mutasse, & episcoporum concilium expetisse. Quibus cum pace vestra fatemur, quamvis vestris assertionibus fidem adhibeamus, & ita feciſſe illum, quoniam non est quod possit non credi sanctimonio, veraciter teneamus: tamen qua hoc intentione egerit, * vel quod si interrogetur a nobis, respondere penitus non ignoramus, ut sicut in aliis, & * incertæ rei dubium usque ad utriusque partis examinationem procul dubio remeetur. Præterea fraternitatem vestram non credimus ignorare, ante ad fratrem nostrum Rhemorum episcopum apostolatus nostri nos misisse apices, ut aut sæpefatum Rothadum venerabilem infra xxx. dies post literarum nostrarum sibi missam epistolam pristino gradui restitueret, aut eum cum idoneo suo legato, si ipse venire non posset, una cum accusatoribus ejusdem viri, si tamen essent, atque cum presbytero, qui causa dejectionis ejus fuit, misisset. Quod si neutrum agere voluisset, post xxx. dies præfixos, nec ipse, nec quilibet episcoporum, qui in depositione præfati episcopi consenserant, licentiam missarum sollemnia celebrandi penitus habuissent, quousque quæ salubriter decreta nobis essent, obedienter ac pleniter ad effectum consummationis perducerent. Sed ad scripta vestra tendentes, quæ nunc per fratrem & coepiscopum nostrum Odonem ad sedem apostolicam destinastis, invenimus jam dictum sanctissimum virum judicio ac consensu vestro, & episcopatu privatum, & in monasterio hactenus esse retrusum: insuper & in cathedra ipsius alterum episcopum ordinatum. Quod quam sit execrandum, quamque a nobis nulla penitus patientia tolerandum, dici non prævalet, etiamsi cuncti corporis artus vertantur in linguas. Certe dum suggestiones, relationes, preces, consulta vestræ sanctitatis scriptis atque verbis nostris fuissent auribus inculcata, mox mente concepimus, & pene cuncta ut annueremus atque indulgeremus dispositimus. At ubi injuriam sancti Petri, sedis apostolicæ privilegiorum imminutiones, sacrorum canonum conculcationem perspeximus; nihil potuimus vobis propinare dulcedinis, qui toti nimirum repleti sumus amaritudine. Siquidem e contrario pro tanti contemptus mole digna vos animadversione canonica severitate merito puniremus, nisi apostolica moderatio paullum nos ad magnanimitatem, & vestra dilectio provocasset. Quod autem qualiter in vos competenter & regulariter exerceremus, ipsi nos literis vestris affatim, & manifestissime docuistis, quæ, si opportunitas fuerit, colligi & ostendi facilius possunt. Sane interim apostolica atque canonica auctoritate vobis dumtaxat episcopis, qui in depositione & exilio supradicti Rothadi vel judicium dedistis, vel consensum præbuistis, præcipimus ut eum mox ab exilio revocetis. Et quia secundum indultam sibi a scriptis regulis licentiam, hactenus appellare sedem apostolicam dicitur, Romam illum ad suam causam in nostra apostolica præsentia peragendam ac determinandam destinare, immo dirigere nullo modo postponatis. Dignum quippe est, ut qui vestro omnium judicio in exilium deputatus est, vestro sit e contrario communi studio beati Petri memoriæ, & sedi ejus honorifice præsentatus. Ex vobis vero præcipimus, ut duo, vel tres, aut certe si libet plures mittantur, qui ita cunctis vestrum omnium præsentiam præferant, ut quidquid agendum est, vel experiendum fuerit, refricata quæ acta sunt vestra omnium vice prorsus scisciteutur. Quod si vos occurrere nequiveritis, vicarios vestros mittite: & ita una cum præfato religioso fratre vestro Rothado pariter veniant, in omnibus, sicut superius diximus, ad cuncta exequenda, vel certe experienda quæ ventilata coram nobis extiterint, vicem vestram & personam habentes. Quod si postposito nostro judicio, quod auctoritate apostolica promulgavimus atque decrevimus, occurrere contemnitis, Dei omnipotentis & beatorum Petri & Pauli apostolorum principum, quorum glorioso agone sancta hæc Romana ecclesia, cui divina dispositione præsumus, est Domino consecrata, atque sanctorum canonum, quorum vos contemptores scriptis propriis ostenditis, nec non & nostræ mediocritaris auctoritate a missarum sollemniis celebrandis estote prorsus, quousque nostris diffinitionibus obediatis, extorres: ita sane, ut si post lectum hujus paginæ tenorem, infra xxx. dierum spatium, quæ de Rothado viro venerabili sanximus agenda fore, minime studueritis perficere. Scientes profecto, quoniam si post hæc in sanctarum regularum & * nostrarum contemptum fueritis diutius conversati, ipsum quidem Rothadum a nobis, apostolicæ sedis more, a damnationis vinculo fore solvendum, atque convocato episcoporum cœtu, foveam quam ei parastis, vobis procul dubio præparandam. Vos autem, dilectissimi, nolite nostra decreta molesse ferre: quia sicut beatus Innocentius Macedonibus scribit, grave non oportuit videri pissimis mentibus vestris, cujuscumque retractari judicium: quia veritas exagitata sæpius magis splendescit in luce, & pernicies revocata in judicium gravius & sine pœnitentia condemnatur. Nam fructus divinus justitia recens erit, fratres carissimi, præsertim

* Forte, *Vel certe*. H.

* edit. Rom. *consecraveritis*.

* Locus obscurus.

* Forte, *ob incertæ rei dubium usque*. H.

* Forte, *strum*. H.

Epist. 6.

tim cum nihil nobis amplius sit cum Rothado, A quam cum omnibus Christianis. Verum privilegia sedis nostræ usque ad mortem, divina annuente gratia, vestigia patrum nostrorum sequentes defendemus. Sed & vos illa quatenus illibata, utpote totius ecclesiæ Domini remedia, custodiantur, toto conamine, & omnibus votis operari ac suadere debeatis. Quoniam privilegia sedis apostolicæ tegmina sunt, ut ita dicamus, totius ecclesiæ catholicæ, privilegia, inquam, hujus ecclesiæ munimina sunt circa omnes impetus pravitatum. Nam quod Rothado hodie contigit, unde scitis quod cras cuilibet non eveniat vestrum? Sic apostolus admonet dicens: *Qui putat se stare, videat ne cadat*. Quod si contigerit, ut verbis utamur propheticis, ad cujus, rogo, confugietis auxilium? Hæc quidem de Rothado satis dixisse sufficiat. Ceterum de Balduino, de quo multa jam scripsistis, sciat beatitudo vestra, non nos regulas atque sancta decreta velle corrumpere: sed quia ad limina apostolorum veniens a nobis se petiit adjuvari, quamquam nossemus, quod filius noster Carolus glorioſus rex legaliter posset ei, si vellet, & filiam suam in uxorem dimittere, & misericordiæ suæ gratiam impartiri: tamen non jussa misimus, sed preces obtulimus. Quod textus epistolarum nostrarum, quas ad jam fatum excellentissimum regem, & filiam nostram reginam, ad id obtinendum direximus, vobis satis poterit indicare. Nam pro tam præsumptiosa temeritate ipsius viri, maxime cum consideremus dilectissimi C filii nostri Caroli sublimis regis contritionem cordis, & pectoris naturalem affectum, & nos valde doluimus, & ei tota mentis affectione usque hodie compatimur. Sed vestra fraternitas prævideat, sicut ait apostolus, *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*: & jam, sicut ipsi in vestra pagina testamini, periculosa tempora instant. Ne ergo pejus adhuc aliquid oriatur, intervenientes apud eumdem glorioſissimum regem, filium nostrum carissimum, quo & ipsius cordis mœrorem pellatis, & eidem Balduino non usquequaque inflexibilis perseveret; præcipue quoniam apostolorum auxilia deprecatus est, & divina præsidia requisivit. Nulli etenim regum grave esse videri debet conservo suo debitum centum denariorum dimit-D tere, qui fortasse a summo regum, & Domino dominorum decem millia talentorum sibi dimitti desiderat. Porro quid de Lotharii uxoribus censuerimus, quando & de hoc nostro scripsistis præsulatui, in epistolarum nostrarum, quas per fratres & coepiscopos nostros Rhadoaldum & Joannem in Galliam misimus, poteritis exemplaribus reperire. Quæ videlicet exemplaria una cum commonitorio, quod præfatis fratribus nostris pro hac eadem causa ad Lotharium regem missis dedimus, per fratrem & coepiscopum nostrum Odonem vestræ sanctitati transmisimus. In quibus patenter animadvertere atque scire potestis, nobis omnino non opus esse, ut sententiam, quemadmodum nos hortari voluistis, * melius commute-E mus. Quoniam divina favente gratia, tantum cupimus hujusmodi scelus, secundum creditum nobis cælitus ministerium, ab ecclesiæ facie radicitus amputare; ut si hac vice idem Lotharius monitis salubribus, ac diffinitionibus nostris * prælatis, & epistolis nostris regulariter sibi missis noluerit obedire, nec ad pœnitentiam competenti satisfactione præmissa quantocius repedare a nobis, atque a totius ecclesiæ corpore, canonica atque apostolica sententia efficietur, una cum omnibus fautoribus & communicatoribus suis, penitus alienus. Præcipue vero quoad eum quem perhibetis die natalis Domini super adulteros bene-

dictionem, quæ maledictio potius credenda est, * protulisse. Ne vero simplices quique adulteris aliquatenus cessisse falso nos opinentur, non incongrue nostri super hoc animi votum omnibus fratribus & coepiscopis nostris intimantes, & concionando in ecclesiis vestris publice, cunctis id ad liquidum subditis exponite. De vocandis autem ex singulis provinciis pro congreganda synodo episcopis, unde scripsistis, sciat sanctitas vestra, misisse nos duos e latere in Galliam fratres & coepiscopos nostros, quorum superius memoriam fecimus, qui synodum pro examinanda causa Theutbergæ & Vvaldradæ feminarum convocarent: ubi & binos ex vobis præsules, sicut de aliis regnis, adesse præcepimus. Qui nisi antea reversi B fuerint, & quæ egerint noverimus, nequaquam de concilio faciendo aliquid deliberare concite possumus. Licet postquam a nobis sunt separati, audivimus Lotharium a sede apostolica petitum non expectasse consultum, nimirum quod præviderat suo detestando minime pariturum piaculo. Postquam vero præfati fratres nostri reversi fuerint, & nobis quæ gesserint enarraverint, legatos idoneos ad concilium, quod petitis, convocandum mittere ad locum designatum Deo opitulante curabimus. Omnipotens Deus ad profectum & custodiam sui gregis, super quem vos rectores ponere voluit, & hic illæsam sanctitatem vestram conservare dignetur, & post certaminis coronam in cælesti patria faciat percipere gloriosam.

* in ed. Rom. petiisse.

XXXIII. AD ROTHADUM EPISCOPUM SUESSIONENSEM.

Ut Romam veniat, cum primum ei data fuerit licentia, quod si negetur, sedem apostolicam appellare non cesset.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei reverentissimo & sanctissimo Rothado episcopo.

COgnoscat experientia tua, frater carissime, de tuis tribulationibus multum apostolatum nostrum doluisse, immo dolere. Sed credimus Dei misericordiam tibi proxime affuturam, quæ te & sicut Danielem educat de lacu leonum, & sicut prodigum filium prima induat stola. Quæ autem primum de te Carolo glorioso regi, atque Hincmaro miserimus, nosse te credimus. Nunc autem metropolitani, & ceteri episcopi, qui * circa te sententiam protulerunt, nobis multa sub gestorum serie de te, vel contra te intimaverunt, & ut rata essent quæ contra te promulgaverant, nostro flagitaverunt consensu roborari. Sed nos hæc agere distulimus, immo ut renovaretur concilium & juxta canonum normam causam tuam in nostro judicio terminaremus, præcepimus eis, ut te de monasterio educerent, & sancti Petri memoriæ pariter aut ipsi, aut ipsorum vicarii, tecum venientes honorifice præsentarent. Quod si E post lectam a nobis sibi missam epistolam, infra xxx. dierum spatium, nostram non curassent constitutionem perficere, post xxx. dies, a missarum sollemniis celebrandis, quæ eis fortiter contradiximus, penitus cessarent, quousque nostris diffinitionibus perfectam obedientiam demonstrarent. Unde frater carissime, quoniam causam tuam sine examine dimittere non possumus, ne præjudicium districtioni ecclesiasticæ facere videamur: rursusque quoniam sine præsentia nostra, ne forte injuste lædaris, in aliorum judicio causam tuam discuti ac diffiniri dubitamus, stude quantum potes, ut cum tibi rex & episcopi, quemadmodum statuimus, licentiam dederint Romam

Dan. 6. Luc. 15

* al. contra. H. edit. Rom. contra.

properandi, mox utcumque venire non differas. Quod si huc veniendi non tibi tribuerint facultatem, tu tamen idipsum nobis intimare studeto. Verum quantum audes, quibus potes, & quomodo potes, apostolicam sedem appellare, & hanc adire velle, manifestare ne cesses, si tamen te injuste læsum nosti, & bonam te causſam habere per Dei gratiam arbitraris: quoniam nos, divina clementia solatiante, nullatenus te in finem oblivioni tradi vita comite patiemur. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere. Data IV. Kalendas Maias, indictione XI.

XXXIV. AD ROTHADUM EPISCOPUM SVESSIONENSEM.

Commemorat quam multa pro ipso hactenus in Galliam scripserit, spondetque se ipsi, Romam si veniat, minime defuturum.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, sanctissimo & reverentissimo Rothado Suessionicæ urbis episcopo.

SCiat sanctitas tua, quoniam misimus increpatoriam epistolam pro te, Hincmaro sanctæ Rhemorum ecclesiæ venerabili archiepiscopo, eo quod post appellationem ad sedem apostolicam, in te depositionis intulerit sententiam, quam quidam vir, qui cum Bosone comite Romam venerat, ad te deferre debuit; sed hanc rescripsit nobis ipse Hincmarus reverendus archiepiscopus, quod eam minime viderit. Insuper tam Hincmarus, quam ceteri episcopi, qui ad eamdem synodum convenerant, ubi sententiam depositionis circa te protulerunt, sub gestorum serie quæ de te gesserint in nobis latius intimaverunt, accusationes circa te, & pro se excusationes multiplices protendentes, & per Odonem venerabilem episcopum nostro eas apostolatui verbo tenus indicantes. Per quem tam eisdem archiepiscopis & episcopis generaliter, quam dilecto filio nostro Carolo glorioso regi specialiter rescripsimus increpantes & admonentes pariter & jubentes, ut te de claustris monasterialibus præsentialiter educerent, & nostro aspectui præsentarent. Nunc autem venit Liudo religiosus diaconus secum epistolas jam fati regis & Hincmari ferens, quæ te jussu ipsius regis de monasteriali custodia eductum, & cuidam episcopo familiari tuo commendatum esse fatebantur. Per quem tam Carolo glorioso regi, quam præfato Hincmaro archiepiscopo metropolitano tuo, sicut & prius, direximus, ut quia unam partem sine altera audire non possumus ad renovandum in nostra præsentia judicium, & te honorifice, & aliquos eorum qui te judicaverunt, vel ipsorum vicarios, Romam dirigant. Nunc autem fraternitas tua studeat secum sollicita mente revolvere, quod tibi quasi in ipsis tuis auribus loquimur, ut si quidem conscientia tua reprehendit te, aut forte judicium episcoporum circa te prolatum adm seris, nec te fatigare, nec alios velis. Si vero illi nostro consilio freti, episcopalem tibi reddiderint dignitatem, sicut eis scripsimus, bene. Quod si nostrum consilium parvipendentes hoc agere illi distulerint, & tu in cœpto proprio perseverans ad nos venire elegeris, intrepidus & de Dei misericordia fidens occurre: sciens profecto, quia te Deo auxiliante non deseremus, quoadusque justitia convertatur in judicium, & quæ nunc operta sunt Dominus revelare dignetur. Dabitur autem tibi sine dubitatione ad nos aditus veniendi: quod & nos apostolica auctoritate, & firma censura statuimus, & dilectus filius noster Carolus Christianissimus rex, & nobis devotissimus, pariter, & Hincmarus frater & coepiscopus noster, scriptis suis præsenti tempore te ad nos missuros fore se, firmissime sunt omnibusque modis polliciti.

XXXV. AD CAROLUM CALVUM REGEM.

Hortatur ut Rothado Romam venturo itineris solatia prospiciat.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei dilecto filio Carolo glorioso regi.

CUm vos tantæ humilitatis tantæque devotionis incurvatione, sub potenti manu Dei ad reverentiam præcipuorum ipsius apostolorum flecti conspicimus, impletum videmus quod sanctus Job de Domino loquitur dicens: *Sub quo curvantur qui portant orbem.* Nisi enim vos, qui in regali sublimitate positi estis, tamquam cujusdam ingentis fabricæ bases, vestro sudore mundum quodammodo portassetis, nequaquam Græco sermone βασιλεῖων vocabula sortiremini. Rursusque nisi tanta coram summo Deo vos humiliatione incurvassetis, nequaquam nobis, licet indignis servis ejus, obedientiæ colla tanta facilitate submitteretis. Operatur autem idem ipse Deus in vobis hoc, qui & laudandus est propter hoc, quique prævidit vos, & ad regni gubernacula destinavit, quo auctore vobis felicia arridentia, ut cernimus, tempora, & prosperis prospera, ut audivimus, succedunt. Quapropter ejus misericordiam glorificamus, & quia ignoramus quo hæc in vobis judicio divinitus patrantur, dilectionem vestram instantissime adhortamur, ut memores fragilitatis humanæ nulla vos commoda elevent, nulla secunda dissolvant: sed semper ad vosmetipsos recurrite, & quia nihil est in homine unde se extolli debeat, sedula consideratione perpendite. Si qua ergo cælitus tribuuntur ad votum, largitorem ante oculos vestra revocare solertia non omittat, nec in his quæ temporaliter conceduntur bonis, consistere finem existimet, nec cito defluis delectata felicitatibus, perennis beatitudinis gaudia appetere desinat. Prospera vero mundi occasio vobis sit cælestia præmia requirendi, non fomes ad ima tendendi. Hinc egregius apostolus admonens: *Qui utuntur*, inquit, *hoc mundo, tamquam non utantur*. Tunc enim vos indubitanter ad æternam gloriam pertingere posse confidemus, si in hujus vitæ gloria positos vos humilitatem sectari veraciter senserimus. Scriptum quippe est: *Gloriam præcedit humilitas*: e contrario vero: *Ante ruinam exaltatur cor*. Sed hæc nos ad ædificationem sublimitatis vestræ quam paterno incunctanter affectu diligimus, cursim tetigisse vestra libenter tranquillitas noverit, & eo quo a nobis mittuntur mentis intuitu, vester benignus hæc gratanter suscipiat animus. Ceterum de Rothado venerabili episcopo, de quo apostolatui nostro omittendum non est, iterum iterumque suggerimus, ut omni desita amaritudine, quam circa illum celsitudinis vestræ retinet indignatio, pro amore apostolorum principis, ad cujus sedem, dum anxiaretur cor ejus, clamavit, gratiam illi impartiamini; & placabilem erga eum pietas vestra, gratamque in omnibus se prorsus exhibeat, ita ut cum Romam profecturus erit, vestra illi sufficientia in itinere non desint solatia; sed potius vestris saltem pro nobis ditatus beneficiis, ac fultus subsidiis, ad cœptum pertingere queat sine aliqua difficultate propositum. Porro de his pro quibus apostolatum nostrum consulere merito decrevistis, fra-

Job. 9.

1. Cor. 6.

Prov. 15.

Prov. 16.

fratri & coepiſcopo noſtro Hincmaro, quod nobis tolerabile eſſe videtur, cuſtodiendum ac decernendum mandavimus. Præterea nolumus ignorare veſtram ſagacitatem, quod licet ſemper dilexerimus vos, plurimum tamen amoris cordi noſtro præſentium latores inſeruerunt, qui ſedulis proſecutionibus ſuis tam miranda de vobis noſtris auribus inculcarunt. Unde & omnipotentem Deum merito laudamus, & ad dilectionis veſtræ ardorem magis ac magis cor noſtrum conſequenter succendimus. Optamus gloriam veſtram in Chriſto bene valere.

XXXVI. AD HERMINTRUDEM REGINAM.

Reſpondet ſe cauſſam Rothadi, quod illa in Caroli regis gratiam ſuggerebat, indiſcuſſam relinquere non poſſe.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei Hermintrudi glorioſæ reginæ.

LIteras dilectionis veſtræ, filia cariſſima, ut glorioſum regem Carolum virum veſtrum, noſtrum autem dilectum filium, in cauſſa Rothadi epiſcopi exaudiamus, nos hortantes, ecce nunc ſecundo ſuſcepimus. Pro qua re, mihi crede, multum anxiamur multumque undique coarctamur: quoniam nec nos poſſumus vobis, ut nobiſcum de illo unum ſentiatis, id ipſumque velitis, ſuadere: nec rurſum cauſſa talis eſt, quod ſine offenſione Dei nos valeamus utrumque poſtponere. Verum filia, ut cum caritate veſtra dicam, ſi oporteat obedire Deo magis quam hominibus, ipſa potius judica. Nos autem cauſſam Rothadi in virtute Dei non patiemur, vita comite, indiſcuſſam relinqui, præterquam ſi ante idem venerabilis vir priſtino fuerit honori ac dignitati redditus, quam coram noſtra ſpeciali præſentia, diſcernenda cauſſa ipſius extiterit præſentata. Quis rogo in toto orbe regni veſtri læſus, aut lædendus, clamaret unquam ad ſublimitatem veſtram, cujus vos vocem poſtponeretis, & non magis ultione diſtricta ipſius injurias vindicaretis? & nos quo modo hortari videmini, ut vocem ſanguinis fratris noſtri non exaudiamus? Aut quomodo obturabimus aures ad clamores illius, cum vehementer paveamus, ne noſtra ob hoc fiat oratio execrabilis, clamemuſque, ſicut ſcriptum eſt, & non exaudiamur? Certe pro ſollicitudine, quam circa eccleſiam Dei retinemus univerſam, & pro ſpeciali cura, quam circa cunctos fratres noſtros principaliter habemus, etſi nunquam vocaſſet, a nobis ſumma diligentia quæri, & competenti debuerat ſtudio adjuvari. Quod autem ſcripſiſtis, quia ſi exaudiamus filium noſtrum, non detrimentum, ſed augmentum eccleſiæ noſtræ privilegiis generetur: nos certiſſime credimus, quia privilegia ſanctæ Romanæ eccleſiæ nullum poſſunt ſuſtinere detrimentum, nec plantatio quam cæleſtis pater noſter plantavit eradicari, nec fundamenta, quæ ſummus poſuit architectus, queant quibuslibet & quantuslibet fluctuationibus amoveri. Verumtamen, cariſſima filia, magnum manet periculum, tam eos qui ſua deſidia ea minui aliquo modo ſinunt, quam eos qui ſua præſumptione illa violare contendunt. De exaudiendo vero, vel non exaudiendo filio noſtro Carolo conjuge veſtro, per Liudonem venerabilem, idoneam vobis, ut remur, miſimus rationem. Verum nos quidquid illi admonendo, vel hortando, vel etiam increpando mittimus, ad ejus & dilectorum illius ſalutem, atque ad regni ipſius incolumitatem perficere, non dubitamus, immo Deo auctore omnino confidimus. Incolumem ſerenitatem veſtram divina conſervet majeſtas, filia cariſſima.

XXXVII. AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

Rothadum ab itinere Romano prohibitum fuiſſe indignatur. Jubet ut quamprimum dirigatur, & illius interim loco epiſcopum ordinari vetat. Monet ad extremum, ut Guntharii communionem ipſe atque ejus ſuffraganei caveant.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei Hincmaro archiepiſcopo Rhemorum.

B

AD fraternitatem tuam, epiſtolam dilecto filio Carolo glorioſo regi quæ ſuo nomine titulatur, a te mittendam dirigimus: idcirco apoſtolatus noſtri ſcripto hortamur, ut illam inſtantius prædicto regi deſtinare procures, & pro noſtro amore ſine mora facias præſentari. Miramur præterea & æquanimiter ferre non poſſumus, cur apoſtolica noſtra monita jam totiens pro confratre noſtro Rothado epiſcopo vilipendens, ſpernere non recuſes, de quo non ſolum ter, ſed & quater caritati tuæ, ut recuperaretur, direximus, & ad ultimum ſtatuimus, ut aut honori priſtino redderetur, aut Kalendis Maii iſtius XII. indictionis apoſtolatui noſtro cum legatis tuis præſen-C taretur. Quod non tantum fieri renuiſti, ſed etiam cum ipſe venire vellet, iterque jam cœptum haberet, non eſt permiſſus: ſed potius coactus, retro reverſus eſt. In quo datur intelligi, ut tua fraternitas ad hujus caſum prompta exiſtere poſſit, quando & apoſtolica præceptio ad injuriam beati Petri apoſtoli illis in partibus non obſervatur, & a te ſpernitur ac violatur. Si vero erga apoſtolicam caritatem noſtram benevolentia tua haberetur, ſaltem cur in veniendo idem Rothadus fuerit impeditus, nobis ſignificaſſes. Recognoſce ergo atque conſidera, quia bene agere minime probaris, cum conſtet nos, Domino annuente, prædicti Rothadi cauſſam uſque in finem indiſcuſſam nequaquam dimittere: ſed pro viribus D eo quod ad ſedem apoſtolicam appellavit, ad veri examinis perducere nos velle æquitatem. Tu autem, frater cariſſime, omnem inobedientiam depone, & tam per te, quam per filium noſtrum Carolum glorioſum regem, eumdem epiſcopum, quem a nobis exaudiendum venire jubemus, iterumque præcipimus, ad apoſtolicam beati Petri ſedem, cujus membra eſſe probamini, cum miſſis tuis quantocius dirigere ſtudeas, ſi tuam caritatem in integritate firmiſſimæ petræ deſideras collocare, ubi Chriſtus domum ſuam fundavit. Nam & alterum epiſcopum, qui poſt illum ſedem in ejus dejectione ſuſcepit, ibi non conſecres, donec coram nobis, de eo examinatione præmiſſa, luce clarius cauſſam ejus vera intentione diſcutiamus. E Quoniam, ut ſæpe diximus, repetimus ac tenemus, illum ſine examine non dimittemus. Sed & illud quod fraternitatem tuam cavere oportet, neceſſario intimamus, de Guntharia ſcilicet uno de damnatis, qui contra ſanctorum patrum ſtatuta, contraque noſtri apoſtolatus & ſanctæ ſynodi ſanctionem, ut fama jactitat, juxta præcedentem conſuetudinem de ſacro miniſterio quod ei prohibitum fuerat, attrectare præſumit, & id quod contra eum canonice actum eſt, irreverenter defendere quærit. Nos autem, eo quod ſic definitum cum ſancta ſynodo habemus, nullatenus, ſi ita eſt, ei communicamus, ſed ab omni communione fidelium illum cum ſequacibus, conſentaneis,

neis, fautoribusque ſuis alienum eſſe penitus judicamus. Verumtamen ne illius ſola fæce tu vel ſuffraganei tui epiſcopi, ſicut jam vobis mandavimus, coinquinari valeatis, ſummopere exhortamur, monemuſque atque præcipimus. Nam & qualis ſit idem Guntharius, quantumque ſanctorum patrum exceſſerit regulas, viva voce jubemus omnibus publicare, & ejus præſumptionem palam ad canonicam cenſuram cavendam edicere procurare. Diu ſanctitatis veſtræ fraternitatem ad exaltationem ſanctæ ſuæ eccleſiæ Deus omnipotens ſervet incolumem.

XXXVIII. VEL POTIUS SERMO DE CAUSSA ROTHADI EPISCOPI Sueſſionenſis.

Extat infra in concilio Romano VII. anno 865.

XXXIX. XL. XLI. XLII. XLIII. & XLIV.

Extant infra in concilio Romano VII. anno 865.

XLV. AD FRANCONEM EPISCOPUM TUNGRENSEM.

Accepta ejus profeſſione veniam indulget, quod particeps fuerat ſynodi Metenſis, hortaturque ut Lotharium regem monitis ſuis curare ſtudeat.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, reverentiſſimo & ſanctiſſimo Franconi epiſcopo Tungrenſi.

EXcuſationis tuæ literis per Richardum venerabilem diaconum tuum ſuſceptis, profeſſio ſanctitatis tuæ, qua te in nullo a ſede apoſtolica diſſentire manifeſtas, quamque nobis a te minus quam ab ullis aliis ſperabamus offerendam, nos plurimum exhilaravit. Sed confeſſio nihilo minus in Domino exultare fecit. Eo enim quo veniam petitis, deliquiſſe vos procul dubio demonſtratis. Et revera qualiter ſine delicto evadere poteratis, qui ſedentes in concilio vanitatis, & ſi non favendo, certe tacendo; ſi non ſcribendo, profecto non reſiſtendo, profanis geſtis declaramini conſenſiſſe? Ecce enim Dominus per prophetam dicit: *Iſa. 58* *Quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum.* Ergo quia non annuntiaſti, peccaſti: & quoniam vidiſti & tacuiſti, procul dubio conſenſiſti. Verumtamen poſtquam, vivificante gratia, te fore vivificatum per confeſſionem exeuntem aſpicimus, quem introrſus labe mortuum putabamus, incomparabiliter exultamus, & gratias auctori omnium bonorum immenſas exolvimus. Et hoc jam tibi divinitus non imputari optamus, quod tibi, quomodocumque exceſſeris, remitti a Domino poſtulamus, & quantum in nobis eſt, ex corde tibi ignoſcimus: quod beatum Leonem omnibus qui in Epheſino latrocinio conſentiendo errori deliquerant, amputato totius auctore ſcandali, ſolo videlicet Alexandrino Dioſcoro, peperciſſe non ignoramus. Quid autem mirum, ſi Guntharius quem dicitis uti vetito ſibi officio, apoſtolicam floccipendere ſententiam non metuit, qui divina præcepta totiens parvipendiſſe convincitur. Claret vero, & cunctis manifeſte datur intelligi, etiamſi nulla alia pravitatis ſuæ præſtitiſſet indicia, qualis ante pœnam extitit, qui ſe poſt pœnam talem exhibuit: & quam debite percuſſionem promeruit, qui etiam poſt, unde magis percuti debeat, admittere minime recuſavit. Eo igitur ſuadente, nunc apoſtolicis inſtitutis inobediens erat, quo nuper cæleſtibus oraculis ſemper obviaſſe repertus dicitur: antiquo ſcilicet adverſario, qui ſicut leo rugiens, juxta primum apoſtolum, circuit quærens quem devoret. Sed tamen ad propoſitum redeamus, & votis tuis, quantum poſſumus, Deo præſtante, miſericorditer annuamus. Itaque ſi Theutgualdum epiſcopum, ſicut profiteris, in catalogo epiſcoporum non receperis, quouſque de eo humanius tractemus, & ſi Guntharium, miniſterium ſibi vetitum uſurpantem, non ſolum inter epiſcopos non receperis, ſed nec ipſi, nec fautoribus ejus communicaveris, & ei in ſcelere permanenti epiſcopaliter contradixeris, & ſecundum vires in nullo a conſtitutis & ſententiis ab apoſtolicæ ſedis præſule prolatis deviaveris: ſed de cetero pro fide catholica & correctione fidelium, ac pro conſervandis pontificiis apoſtolicæ ſedis privilegiis nobis conſenſeris, nobiſcum pro viribus decertaveris, fratres quoque & proximos tuos nobiſcum ſapere hortatus fueris, Deus omnipotens interceſſione apoſtolorum principum Petri ac Pauli, vincula omnium peccatorum tuorum abſolvat, & quidquid humanitus, quod in oculis majeſtatis ejus diſplicuit, egiſti, tibi miſeratus indulgeat, & te benedictionis ſuæ gratia replens ad beatitudinem viſionis ſuæ perducat. Ceterum admonemus te, ut ſi vere epiſcopus es, vere te ordines, te * ſerves, in te gloriam regis Lotharii exquiras: ita ut veſtra unanimitas nobis arctius hærens, vulnus ipſius admonendo, blandiendo, ſuadendo, in reliquo autem & brevitatem præſentis temporis exponendo, * pœnas inferni & cæleſtia regna ante oculos proponendo, curetis. Quod agere nullatenus poteſtis, niſi carnem ſuam, quam odio habens * contra apoſtolum a ſe projicit, reciſo membro meretricis, noſtro & veſtro judicio hortatus, etſi non ſponte, ſaltem invitus * receperit. Optamus ſanctitatem tuam in Chriſto bene valere. Data XV. Kalendas Octobris, indictione * XIII.

* edit. Ro *ſalves.*

* edit. Ro *apriendo punat in- ferni.*

* edit. Ro *ipſe Apo- lus a ſe p jicit.*

* edit. Ro *rejecerit.*

Anno C 864.

* Al. XI H.

* edit. Ro XIV.

XLVI. & XLVII. *extant infra in concilio Sueſſionenſi III. anno 866.*

XLVIII. AD THEUTBERGAM REGINAM.

Arguit quod contra ſeipſam tædio victa ſcribat, negatque fieri poſſe quod ſuggerit, ut continentiæ ſtudio conjugium diſſolvat, niſi Lotharius maritus cælibem quoque vitam promittat.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectæ filiæ Teutbergæ glorioſiſſimæ reginæ.

EPiſtolam ſuggeſtionis tuæ præſulatui noſtro deferentibus legatis tuis miſſam ſuſcepimus, & quod nihil ipſa literis, quam quod illi verbis indicaverit, evidenter agnovimus. Verum in utroque obſtupefacti pariter & mirati ſumus, atque tam repente ſtyli & petitionis mutata verba conſiderantes, nihil tale te nobis intimaſſe quoquo tempore recoluimus. Sed quid nobis talia ſcribis & ſuggeris, cum nos te nobis hæc & ſcripturam & ſuggeſturam longe ante præſcierimus? Verum cum ad relationem omnium pene inſignium perſonarum, quæ in Gallicanis & Germanicis regionibus conſiſtunt, mentis inflectimus oculos, multum inter ſe diſtare conſpicimus, quod ipſa nunc dumtaxat ſignificas, & quod illi quotidie propemodum verbis & apicibus innuunt. Omnes enim te irremotam afflictionem, intolerabilem oppreſſionem, nimiamque violentiam pati teſtantur. Tu autem his contraria ſuggerens, nullo cogente, ſponte ac libenter a regia dignitate exui te vel-

velle ac optare fateris, & cetera, quæ illi quidem aliter, tu vero aliter profecuta esse dignosceris. Ita ut omnium assertionibus legitime a Lothario rege admissa, inique deinde accusata, post hæc purgata, deinceps denuo repulsa, postremo decreto nostro jure recepta dicaris: tu autem his omnibus contraria nunc effecta, & tuæ ipsius oblita professionis, nescio quæ frivola fatearis, quæ videlicet nolumus exaggerare, quia nolumus supervacue laborare. Intelleximus tamen eum qui nocuit sanctæ Dei ecclesiæ, nocere adhuc, & qui in sordibus erat, sordescere adhuc. Intelleximus, inquam, jumenta in stercore suo proposuisse putrescere, & cui non sufficit solum adulterium perpetrasse, & falsitatis præstigia ac iniquitatis adinventiones in funiculo vanitatis contraxisse, appposuit ut etiam animas hominum perjurii laqueis irretitas in extremum præcipitaret exitium. Sed quid mirum, si paucorum animabus per perjurium acquisivit interitum, qui in sublimi positus per exemplum suæ mœchiæ tot hominum millia in perditionis chaos demersit? Illud tamen quod VValdradæ perhibes testimonium, dicens eam fuisse legitimam uxorem Lotharii, frustra conaris adstruere, quandoquidem tuo nullo prorsus hinc testimonio quis indigeat: cum magis nos ita sentiamus quod justum est, & ita intelligamus quod æquum existit, ut te etiam reprobata, etiam mortua, Lotharius nullis legibus, nullis sine sui discrimine regulis, VValdradam mœcham in uxorem unquam permitteretur assumere. Utrum ergo VValdrada legitima fuerit aliquando conjux, ecclesia Dei satisfactione tua non eget. Unum tamen scito, quoniam nec nos, nec eadem sancta ecclesia, Deo auctore, qui adulteros judicabit, Lotharium, si VValdradam quandoque resumpserit, etiam te ut prætulimus decedente, dimittet omnibus modis impunitum. Illud vero quod dicis, Romam te velle venire, nobisque passiones & quædam secreta tui pectoris referare; fieri non convenit, quoniam & securitas itineris quam prætendis, nulla est, & quamdiu VValdrada ita Lothario juxta posita est, ab illo quoquam te discedere non permittimus. Dum enim tu discesseris, illa recipi procul dubio creditur, & in longinquitate tua ipsa confestim admittitur. Quod autem sterilis, ut asseris, permanere dignosceris, non hoc corporis infœcunditas, sed viri facit iniquitas: quamvis Deo fœcundante legamus, quoniam *sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata est*. Perhibes etiam, quod matrimonium inter vos non divinitus fuerit ordinatum, & idcirco permanere non possit: quoniam *omnis plantatio, quam non plantavit pater meus cælestis, eradicabitur*. Sed recole quia vineam Deus plantavit, quam expectavit juxta Isaiam ut faceret uvas, fecit autem labruscas, & quæ secundum Jeremiam conversa est in amaritudinem vitis alienæ. Deus ergo plantavit matrimonium vestrum: sed conjugis tui vitio conversum est in amaritudinem: & dum expectatum est ut faceret uvas, fecit, heu! labruscas, vel etiam spinas. Sed hæc quidem ex innumeris epistolæ tuæ sola commemorare libuit. Ceterum quis ignorat hæc te multis pressuris subactam depromere, ac innumeris malis attritam proferre, cum etiam, ut prædiximus, omnes religiosi & clari Galliarum & Germaniæ viri hæc ita se habere frequenti relatione testentur, adeo ut hæc te nobis scripturam fore ante multum temporis agnoverimus? Sed his omissis, hortamur te, ac vehementer admonemus, ut ipsa tibimet manum non inferas, nec mortis fomitem generes. Melius quippe tibi est, ut veritatem loquentem alius te occidat, quam tu te ipsam mendacium dicens interimas. Sta igitur intrepida atque constans, & mortem, quam quoquo modo semel experiri debes, præcipue pro veritate sustinere ne paveas. Quoniam cum Christus sit veritas, quisquis pro veritate moritur, pro Christo procul dubio moritur, pro qua videlicet & Joannes occisus Baptista martyrium sumpsisse dignoscitur. Quod si ille proximi justitiam loquens interficitur: quanto potius tu Dei justitiam loquens, & de veritate tua testificans, nullius mortis formidare debes exitium? Beati enim qui persecutionem patiuntur propter justitiam, non solum alterius, sed & suam. Verum nos hanc confessionem tuam, quam non voluntas, sed vis extorsit, nequaquam pro confessione recipimus: nec permittimus tantum vitium radices extendere, quod nisi evulsum intime fuerit, ad multorum perniciem potest accrescere. Denique si hoc licet, omnes viri possunt, quas jure sortiti sunt feminas, si has odio habuerint, diversis afflictionibus macerare, & quod legitime non fuerint assumptæ, fateri cogere: quin etiam, ut mortale crimen contra se dicant, illatis intolerabilibus pœnis compellere. Quis enim magis nocere valet, quam civilis hostis? vel quis amplius lædere poterit, quam uxorem maritus? Sed nos tales fraudes præcavere debemus, & ne proficiant, in ipso novitatis earum principio detruncare. Nec tamen putamus Lotharium, virum videlicet tuum, in tantam sui perniciem devolvendum, ut vitæ tuæ insidiari quocumque modo consentiat, cum non sibi vel regno suo minus quam tibi, si ad hoc tam immane piaculum dilapsus esset, acquireret omnino dispendium. Siquidem tu, quantum humanus intellectus sufficit invenire, non solum innoxia sæpe comprobata es, verum & ecclesiæ semper auxilium provocasse dignosceris. Insuper & sancti apostolorum principis præsidium refugiumque petisti. Unde sedes apostolica tuam causam cœpit discutere, & speciali quidquid quæstionis emersisset judicio suo reservare proposuit. Quamobrem quisquis contra te agit, non solum ecclesiam Dei graviter lædit, verum etiam sedem apostolicam de cujus judicio non licet retractari, vehementer adversus se commovere convincitur. Sane si tu Romam venire disponis, & licentiam proficiscendi a conjuge tuo adipisci vis; nos e contra multo magis exhortamur, ut suadere modis omnibus eidem viro tuo procures, quatenus prius securitatem tibi certissimam tribuat, qua freta nusquam metuas te per hominem aliquid incidere læsionis. Quod omnino non provenire poterit, nisi VValdrada prius Romam mittatur, & de ea quod conveniens sit diffiniatur; & ita demum talis immunitatis certitudo subsequatur, ut tu nec veniens, nec commorans, nec hinc rediens aliquod patiaris incommodum. Quod si renuit ad repellendam a se siniſtram opinionem agere, cessa, & ne talibus fraudis insidiis acquiescas omnino præcave. Callide quippe tam ille, quam satellites ejus, te decipere moliuntur, & versutæ suæ tergiversationis pedicis supplantare procul dubio machinantur. Porro si amore pudicitiæ, ut asseris, solutionem matrimonii quæris, hanc tibi nullo pacto noveris tribuendam, nisi vir tuus eamdem pudicitiam non ficte sectatus extiterit. Denique ut cum beato Gregorio papa dicatur, si continentiam, quam vir appetit, uxor non sequitur, aut quam uxor appetit, vir recusat, dividi conjugium non licet: quia scriptum est: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*. Optamus gloriam tuam in Christo nunc & semper bene valere, dilectissima

Ivo part. 8. cap. 117.

Lib. 9. Epist. 39.

1. Cor. 7.

ma

Anno Christi 667.

ma filia. Data IX. Kalendas Februarii indictione XV.

XLIX. AD EPISCOPOS IN REGNO LOTHARII CONSTITUTOS

De Vvaldradæ excommunicatione tertio jam scribit: notat illorum desidiam, & referri ad se jubet, an Lotharius cum Theutberga conversetur, & quomodo eam tractet.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei sanctissimis & reverentissimis confratribus nostris, archiepiscopis & episcopis in regno Lotharii regis ecclesiam Dei gubernantibus.

OPtaremus tandem aliquando securi de correctione Lotharii regis effecti, ad alia ecclesiasticarum dispositionum negotia stylum protendere. Sed nec peccata consummata ipsius, quæ mortem generant, utcumque permittunt, nec studium vestrum, quo finem tantum scelus accipiat, ita vigilanter ac episcopaliter adversus id saltem nobiscum decertando fervorem justitiæ demonstrat. Quapropter attonite satis cor vestrum non solum miramur, sed & deflemus. Quis enim non lugeat tantam linguæ desidiam? tam remissas negligentiæ manus? quando inter tot pastorum custodias, nec lupi gregi non parcentis insidiæ præcaventur, nec leonis aditus quærentis quem devoret excluduntur. Et certe cum unumquemque Christianum zelus Dei comedere debeat, multo magis vos eodem zelo uti oportuit, qui ejusdem sanctæ domus, utinam non ad majus periculum vestrum, eminentiorem gradum estis & ordinem consecuti. Sed his prælibatis, ecce tertio nunc vobis omnibus esse Vvaldradam, filiæ nostræ Theutbergæ reginæ inquissimam æmulam, consortio Christianorum & communione privatam nostris epistolis indicamus. Denique postquam imminentia missi nostri, sicut ipsi nostis, Lotharius Vvaldrada repulsa Theutbergæ reginæ conjugi suæ obedienter sese restituit, & præstiti sacramenti satisfactione certissima finem sceleri dedisse merito credi poterat: statutum est, ut tanto fieret ab eodem rege Vvaldrada remotior, quanto antiqui hostis calliditas talibus non deesse convincitur. Statutum est etiam, ut ipsa mulier in Italia interim remorata, nostræ præstolaretur censuræ tenorem: & si hanc Romam venire necessarium duceremus, incunctanter occurreret: quatenus coram nobis consistens, aut se si posset innoxiam exhiberet, aut commissum confessa misericordiam impetraret. At illa in Italiam quidem licet coacta venit: Romam vero mentis obstinatione victa proficisci despexit. Immo tamquam irreprehensibilis conscientiæ retro conversa in provinciam properandi gressum protendit. Quo audito, intelleximus eam flagitium suum nulla velle correctione terminari, nec proprium vulnus ulla desiderare subsequente medela curari. Quapropter sententiam in eam excommunicationis, usque ad correctionem, & idoneam nostram & totius ecclesiæ satisfactionem, protulimus. Nam quantum sit ipsa cunctis severius punienda, in hoc certum est demonstrari, quod rex quidem Lotharius adeo iniquitatem suam agnovit, ut hanc etiam & corrigeret. Ipsa vero nec agnovit, nec confessa est, nec venenum suæ mentis deseruit. Verumtamen ab itinere cœpto reducta, nec percussa doluit, nec attrita voluit recipere disciplinam. Quippe quæ nec reversa est ad percutientem se, nec etiam duriora vulnera sensit. Merito ergo ea inter mortuos reputata: quæ nimirum neque (ut viva vocem prædicantium audit neque in suis &c.) in suis penetralibus occultata, immo jam fœtida jacens, per confessionem foras egreditur. Vobis ejusdem in jam fatam mœcham sententiæ prolatæ notionem duximus nostris literis exaratam denuo destinandam: admonentes videlicet, ut saltem vos & subjectos vestros ab operibus ejus mortuis observaretis, & ut præceptum est, pollutum minime tangeretis. Quamvis easdem literas, ut relatione nonnullorum audivimus, immo ut lucri nullius effectu didicimus recipere fraternitas vestra renuerit, nec in hoc pro quo missæ sunt, vel a nobis excitata vigilare, sive quamlibet operam dare curaverit. Quæ res si veritate minime fulciretur, profecto quantum proficeret, aut non proficeret, pontificio nostro solertia vestra jamdudum * congruo retulisset. At vero cum nil ex hoc nobis retulerit, patenter datur intelligi, nihil hinc studii, ut admonita fuerat, eam penitus habuisse. In quo liquido patet, quid ageretis nullis hortatibus nostris pulsati, qui nullum in ecclesiasticis correctionibus laborem geritis etiam a nobis toties incitati. Sed saltem nunc quod hactenus omisistis incipite, ita ut unusquisque vestrum veraciter dicere cum psalmista valeat: *Nunc cœpi*. Et novissime cum apostolo securus & lætabundus fateri: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, & de cetero reposita est mihi corona justitiæ*. Verum jam fortasse malitia sibi finem imponeret, nisi quidam vestrum magis sua, quam quæ Jesu Christi sunt, quærerent. Quidam sibi peritura seu toxicata beneficia subtrahi metuunt, pro justitia quidam loqui renuunt, favere autem mœchis tota virtute contendunt, ac per hoc æternis beneficiis justo judice decernente privantur. Quamquam meminisse nihilo minus debeant, nos penitus non latere, quantum ipsi favorem mœchis præstiterint: nimirum qui surreptiones suas in profanis gestis nos dudum reperisse non nesciunt. Quibus etsi forte apostolica moderatione ignovimus, qualiter tamen his quibus pepercimus fuerit ignotum recolimus. Denique sic præterita dimisimus, ut futuris congruam adhiberemus cautelam; & sic se nossent illi provisum judicium evasuros, si se scirent in idem flagitium favendo nunquam penitus incursuros. Nunc ergo, quoniam minus sese caute ab eo munierunt, in judicium quod dilatum est inciderunt, quamvis & illis, & his, qui mittere pro impetranda venia contempserunt, valde providendum est, ne a communione nostra, ac per hoc ab universalis ecclesiæ compage ruant, sicque demum de gradibus suis minus in finem, quam volunt, exultent. Præterea si quis, ut fama mentitur, æstimat nos Vvaldradæ in Galliam remeandi licentiam dedisse, vel si qui sunt, ad quorum notitiam epistolæ nostræ propter occultationem earum non pervenerunt, si scire non recusant quæ super hujusmodi negotio nostra fuerit immota semper intentio, Christianum & Vvaltarium comites interrogent, quos Romam, licet non uno eodemque, tamen continuato tempore venientes, non solum ut Lotharius, quatenus a pravitate tandem cessaret, jugiter admoneretur, hortati sumus: verum etiam eis, quia Vvaldrada erat excommunicata multipliciter intimavimus, pro eo scilicet, quia impœnitens permanere proponens, a nobis salutis suæ remedium ad limina veniens apostolorum, ut statutum fuerat, minime postulaverit. In quo considerandum est, quia si idcirco potissimum per nos Vvaldrada mulctata est, quoniam cœptum salutiferum iter non perfecit, quomodo ut retro rediret nostram licentiam habere valuerit, ignoramus. Sed ad vos nunc nobis,

A Anfulli clusa Rom. inseruit

Isa. 1

* Pro grue.

B

C

D

E

Psal.

2. T

bis, fratres cariſſimi, ſermo eſt, & ad veſtræ beatitudinis reverentiam noſter ſtylus dirigitur: quatenus ſi * adeo zelus veſter non accenditur, ut Phinees imitari videatur, videlicet ut quod ille materiali, vos exerceatis gladio ſpirituali, ſaltem Nathan, Eliam, ceteroſque prophetas, qui delinquentes reges ſalubriter corripuerunt, æmulatione ſacerdotali, ſeu paſtorali ſollicitudine revocare non renuat. Nam etſi quondam Elias, infirmitate victus humana, furorem principis fugit, ſed & ſcelera ejus ſæpe redarguit, & impavidus exprobravit. Similiter & iſte beatus paſtor eccleſiæ Petrus, qui prius quidem ad unius mulierculæ vocem, fragilitate ſuperatus & ipſe humana, quod eſt divina geſtum diſpenſatione, dum mori timuit, auctorem vitæ negavit: poſt acceptum ſancti Spiritus donum, cujus partem & vobis ineſſe non immerito credimus, adeo etiam poſt minas, poſt cædes, vires principum preſſit, ut merito in igneis linguis Spiritum ſanctum accepiſſe probetur. Nimirum qui quos replevit ardentes, fecit pariter & loquentes, nec non & flamma divini zeli, atque ſuorum mirabilium verborum facibus corda principum mundi accendentes. Et revera quis infirmabatur, & illi non infirmabantur? quis ſcandalizabatur, & illi non urebantur? Sed ne diutius immoremur, verbis vos ſolum jam nunc ipſius apoſtolorum principis convenire curamus, & quod ille presbyteros alloquens proſecutus eſt, ad vos multo magis pertinere colligite; & quale malum ſit adulterium, vel quid vos maneat, ſi ſtudioſi vel ſi deſides fueritis inventi, ex ſermone illius, qui per B. Clementem recitatur, attendite, ait enim: Et quid in omnibus peccatis adulterio gravius? ſecundum namque in pœnis obtinet locum: quoniam quidem primum habent illi qui aberrant a Deo, etiamſi ſobrie vixerint. Propter quod vos, o presbyteri, eccleſiam excolite, & adornate ſponſam Chriſti ad pudicitiam. Sponſam autem dico omnem eccleſiæ Chriſti congregationem; quæ ſi pudica inventa fuerit a ſponſo ſuo, ingentibus ab eo donis & muneribus honorabitur, & vos, velut miniſtri ſponſæ & amici ſponſi, ingenti gaudio & lætitia perfruemini. Si vero ſponſa hæc reperta fuerit commaculata peccatis, ipſa quidem tamquam indigna extrudetur a regalibus toris: vos autem pœnas dabitis, ſi forte per veſtram negligentiam & deſidiam obrepſerit contagio ſæva peccati. Ecce audiſtis præmium, ſtudioſi; ecce audiſtis diſcrimen veſtrum, inertes. His itaque decurſis, ſanctimoniam veſtram hortamur, & per incomprehenſibilem ſanctam Trinitatem vos omnes pariter obſecramus, ut literis veſtris ſine mora per legatos veſtros idoneos directis nobis veraciter indicetis, ſi ſecundum juramentum præſtitum coram miſſo noſtro, Lotharius cum Theutberga converſetur, aut ſi ita illam tractat, quemadmodum rex legitime ſibi conjunctam debet tractare reginam. Et qui ſint illi qui nullo pacto a nobis diſſidentes, adulteris nullum conſentiunt præſtare favorem. Nec non & hanc epiſtolam noſtram oſtendatis, & excommunicationis Vvaldradæ tenorem manifeſtum facere ſtudeatis. Jam vero qui hæc veſtrum agere, & intimare quæ diximus poſtpoſuerit, ipſe ſe obnoxium & fautorem adulterorum palam oſtendet: & hoc nobis erit ſignum, eum tanto conſenſiſſe facinori, ſi obedire huic inſtituto noſtro neglexerit, ac per hoc, tamquam conventum a nobis & admonitum, ac ſalubri monimini ſatisfacere nolentem, ſed per omnia nobis inobedientem, noſtra ſeu totius eccleſiæ hunc communione conſtituimus eſſe remotum: in promptu videlicet, ſecundum apoſtolum, habentes omnem ulciſci inobedientiam. Sane cui perſonam dirigendi nulla facultas ſuppeditat, ſaltem ſcripta eamdem indicantia mittere minime parvipendat. A qua indulgentia Viridunenſem antiſtitem non inconvenienter excipimus: quem omnino præcipimus non ſolum literas ad nos, verum & perſonam de proprio clero mittere, ſine qualibet mora vel excuſatione, prorſus idoneam. Optamus ſanctitatem veſtram nunc & ſemper in Chriſto bene valere. Data VIII. Kalendas Februarias, indictione XV.

* dit. Rom. Deo

lemens iſt. 2.

. Cor. 10.

L. AD CAROLUM CALVUM REGEM.

Quod Theutbergæ judicium Lotharius retractare, ac per monomachiam decernere velle dicatur. Petit ut illam in regnum ſuum recipiat: tum ut epiſtolas dirigat, quas Lothario eidem, ejuſque epiſcopis ſcribit.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Carolo glorioſo regi.

NUnquam dolorem generat, ſicut ſpes fruſtrata, nunquam æque mentem vulnerat, ut moleſtum nuntium veniens inſperatum. Sed quod dicimus aperiamus. Denique inter alios ſanctæ Dei eccleſiæ religioſos propugnatores, atque veritatis ſtrenuos defenſores, neminem magis ſuper Theutbergæ glorioſæ reginæ contritione ſollicitum, neminem magis ipſius incommoditatibus condoluiſſe, quam veſtræ pietatis affectum, recolimus. Adeo ut in vita fratris ejus cauſſam ipſius ſedi apoſtolicæ retuleritis, & eam largitate munificentiæ veſtræ non pauco tempore ſuſtentaveritis, noſque frequenter ad auxilium illius exhortari ſtudueritis. Quocirca ſedes apoſtolica tantam veſtræ caritatis circa eam intuens abundantiam, quoniam celeri executione, pertinacia perverſitatis obſtante, cauſſam ejus perficere non prævaluit, veſtræ hanc, tamquam Deo contemplante, atque beato ſecum Petro apoſtolorum principe contradente, tuitioni ſeu clementi munitioni commiſit. Nunc autem, ſicut audivimus, Lotharius rex adverſus eamdem Theutbergam rurſus armatus, ut aſſenſum quoque veſtrum huic nefariæ intentioni ſuæ copulare potuiſſet, fœdera vobiſcum iniiſſe dicitur, & quodam regni ſui collato monaſterio, pro perdeuda præfata Theutberga nutum ſibi veſtrum univiſſe, diffuſa longe lateque fama protenditur. Quod ſi, ut multi ferunt, verum eſt, vehementer extitit dolendum & amariſſime deplorandum; videlicet ut a priori conſilio pietatis nunc retro, quod abſit, converſi conſilium detis impietatis, & qui hactenus favorem pæſtabatis æquitati, nunc aſſenſum præbeatis iniquitati. O incomparabile detrimentum! o inenarrabile pii regis compaſſionis diſpendium! Sed abſit hoc a tanto principe, abſit a fidelium cordibus de tanto Chriſti cultore tale quid facile credere, cum potius credendum eſt, eos qui Balaam imitantur merito reprehendere, qui contra eorum vitam, quibus ſe ſimilem fieri etiam moriendo popoſcerat, conſilium præbuit, & cum occaſionem de avaritia reperit, illico oblitus eſt quidquid ſibi de innocentia optavit. Sed quia de præbendo nequitiæ conſenſu veſtro nondum ex toto credere patimur, reſtat ut ad exhortandos vos, quo circa jam fatam reginam pium ac inchoatum opus conſummetis, interim calamum temperemus. Ecce enim veritas dicit: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Ecce de offerente juge ſacrificium beato Job legitur: *Sic faciebat Job cunctis diebus.* Quod B. papa Gregorius

Num. 22.

Matth. 10

Job 1

rius exponens ait: In sacrificio igitur sancta actio, in cunctis autem diebus sacrificii constantia actionis ostenditur. Sed his ita præmissis, excellentiam vestram nolumus ignorare, adeo Lotharium regem Theutbergam conjugem suam diversis afflictionibus subdidisse, & innumeris pressuris
27. q. 2. Scripsit nobis. contra præstita juramenta subegisse, ut nobis coacta nunc scriberet, regia se velle exui dignitate seu copula, & sola privata vita fore contentam desiderare. Cui nos scripsimus non aliter hoc fieri posse, nisi eamdem vitam conjux ejus Lotharius elegerit. Verum, sicut multorum relatu didicimus, ipse Lotharius conventum celebrare dis-
Ivo part. 9. cap. 116. ponit, & eamdem Theutbergam examini proprio * in judicio subjicere meditatur, & si quidem eam
* Al. & judicio. H. præstigiis falsitatis suæ, vel argumentosis ambagibus potuerit exhibere, quasi non fuerit legitima uxor, vult etiam a se penitus sequestrare: sin autem, vult eam tamquam propriam quidem uxorem admittere, sed deinde, tamquam mœchata fuerit, infimulare, atque pro hoc hominem suum & hominem Theutbergæ ad monomachiam impellere, & si homo ipsius reginæ ceciderit, disponit hanc sine dilatione perimere. Quæ quantum sint omni vel divinæ vel sanctorum Patrum legi contraria, magnitudo quidem prudentiæ vestræ dignius jam advertit. Sed & nos hinc aliquid strictim volumus demonstrare, prius asserentes, quia de retroacta controversia Theutberga
VI. q. 4. Quod semel. non debet ulterius ad iteratam responsionem provocari: quoniam quod bene semel diffinitum est, & interpositis juramentis deliberatum, nulla debet iteratione, nisi fortassis ubi fuerit major auctoritas, retractari. Deinde quia ecclesiæ refugium quærens, & ecclesiasticum judicium semper expetens, sæculari non debet submitti judicio. Post hæc vero, cum nos ex utraque parte, id est, tam a Theutberga, quam a Lothario fuerimus provocati judices, nosque amborum controversiam executi simus, ad nullos alios convenit super hoc negotio judices convolare: cum secundum sacros canones, a judicibus, quos communis consensus elegerit, non liceat provocare; & ubi concessa est provocatio, non nisi ubi est major auctoritas, liceat provocare. Itaque cum non sit apostolicæ sedis auctoritate, quæ amborum negotium executa est, usquam major auctoritas, nescimus si alicui liceat de ejus judicare judicio, vel ejus retractare sententiam. Siquidem juxta quod ecclesiastica lex & mos antiquitus observatus indicat, ad illam quidem provocatum, & aliorum ipsam dissolvisse judicium novimus: ab ipsa vero provocatum, vel sententiam ejus quosquam violasse non novimus. Illud vero, quod Lotharius Theutbergam de adulterio criminatur, quis non videat dolo esse plenum & omni iniquitate? Denique si uxor ejus, ut ipse jactat, non est, quid pertinet ad eum de adulterio illi calumniam texere, cum nec mœchari potuerit, si alicujus uxor non extitit? Porro de adulterio si a Lothario accusatur, & si convicta fuerit, ultio præparatur, necesse est ut fateatur uxorem. Quid ergo incassum laborat, anxiatur, & quod sua non fuerit uxor, quibuscumque modis & qualibuscumque argumentis satagit invenire? Necesse inquam est, ut ante omnem controversiam uxorem confiteatur, si hanc ut mœchatam impetendam existimat. Sed de hoc illa coram missi nostri præsentia purgare se voluit, sed ipse non annuit. Monomachiam vero in legem assumi, nusquam præceptum fuisse re-
* edit. Rom. quia perimus: * quam licet quosdam iniisse legerimus,
2. q. 5 Monomachiam. sicut sanctum David & Goliam sacra prodit hi-
2. Reg. 17. storia; nusquam tamen ut pro lege teneatur, alicubi divina sancit auctoritas, cum hoc & hujusmodi sectantes Deum solummodo tentare videantur. His ita prælibatis, dilectionem vestram obnixe deposcimus, ut cura & sollicitudo, atque omne omnino studium, seu auxilium, quod circa eamdem feminam semper fervidum habuistis, nullo tempore frigescat, immo nullo pacto tepescat; sed potius, quantum vires cælitus collatæ ministrant, nullatenus ei nocere quocumque * gemina caritas vestra permittat ingenio, ne si forte quidquam læsionis inciderit, ipsi pro illa in terribili divino judicio cogamini reddere rationem; cujus nos, tamquam Deo, sicuti prædiximus, contemplante, illam vice principis apostolorum, cujus præsidium adscivit, salvandam tuitioni commisimus. Ad extremum vero, & quando jam nulla securitas, & immunitatis ejus, quod gementes dicimus, inveniri poterit remedium, atque imminens sibi certissimo prævidetur interitus, recipite illam ad vos, & quousque de ea quod Dominus revelaverit ordinetur, in regno vestro fovete, ac ei solita pietatis vestræ beneficia ministrate: & ita demum, si quid illi objicitur, auctoritate nostra præveniente, ipsius æmuli prosequantur. Sed notate, quoniam tunc hæc fieri permittimus, cum a prudentia vestra, vel eorum qui nobiscum sapiunt, nulla spes salutis Theutbergæ remanere præscitur. Præterea sive de
35. q. 2. S. de conjug. conjugii fœdere, sive de adulterii crimine judicium sit agitandum, nulla ratio patitur Theutbergam cum Lothario posse legalem inire conflictum, vel legitimum controversiæ subire certamen, nisi prius ad tempus fuerit suæ potestati reddita, & consanguineis propriis libere sociata. Inter quos etiam locus providendus est, in quo nulla sit vis multitudinis formidanda, & non sit difficile testes producere, vel ceteras personas, quæ tam a sanctis canonibus, quam a venerandis Romanis legibus, in hujusmodi controversiis requiruntur. Verum hæc non ut fiant dicimus, quæ sine decreto vel ordinatione nostra fieri non posse supra docuimus: sed ut ostendamus quem legum conflictum Lotharius congredi posse autumat, cum personam, quam in suis penetralibus quotidie fatigat, quotidie conterit, quando vult ad judicium educit, quando vult ad claustra reducit, & cum educta fuerit, nisi ea profiteatur quæ ipse præceperat, quis est qui dicere possit quantis malis introducta submittitur? Propriæ igitur libertati committi, & ab omni oppressione ac potestate ipsius, cum quo initur conflictus, oportet liberari, atque in suis licenter uti, & suspectas personas convenit declinare, quæ se ab objectis ostendere cupit immunem. Sed jam ut, fili carissime, epistolæ finem ponamus, semper vos illud quod de bene operante beato Job supra commemoravimus, recolere semper in causa sæpedictæ reginæ habere præ oculis admonemus: quia frustra laudabile quid geritur, si cunctis diebus quibus vivit, hoc non exequitur operator: atque incassum in stadio currit, qui antequam ad designatum perveniat locum succumbit. Scriptum quippe est: *Væ qui perdiderunt sustinentiam. Vos autem sic currite, ut comprehendatis.* Quæ præterea de VValdrada mœcha & excommunicata decreverimus, vos non latet. Quæ vero, quoniam nobis non annuentibus in Galliam habitatura repedavit, super ea episcopis regni Lotharii scripserimus, in epistola quam eis misimus, potestis agnoscere: cujusque transcriptum exemplar venerandis antistitibus in regno vestro ecclesiam Dei gubernantibus vestra tribui gloria faciat. Præterea rogamus, ut vestra sublimitas sine omni dilatione præsentem, crebro dicti regis Lotharii nomine titulatam, per fidelem ac prudentem virum

* Forte, nuina. H.

Eccles. 2. 2. Cor. 9.

eidem

eidem deſtinare maturet epiſtolam, cujus exemplar ecce dilectioni veſtræ tranſmiſimus. Idipſum etiam vos de illa rogamus agere, quam præſulibus ejus regni tranſmiſimus. Sed ſciendum eſt, quoniam quidam timoris aut favoris cauſſa noſtram ſuſcipere parvipendunt epiſtolam: quidam vero ſuſcipiunt quidem, ſed palam demonſtrare formidant; vel etiam Lothario placere volentes, hanc aliorum viſione pernicioſiſſime privant. Quapropter obnixe precantur, ut per talem eamdem epiſtolam noſtram virum jam deſignatis antiſtitibus veſtra ſapientia mittat, qui prudenter incedens, nullum prorſus eorum prætereat, cui hanc non tradidiſſe quocumque modo clareſcat. Quo caute ac indifferenter acto, qui hanc ſuſceperit, vel non ſuſceperit, per caritatis veſtræ legatum vel literas protinus ac certiſſime, ſed pleniter nobis poſcimus intimari. Nam licet omnes arguendi ſint ob nimiæ ſoporem deſidiæ, multo tamen illi ſeverius increpandi vel percutiendi conſiſtunt, qui toties etiam a nobis moti excitari peſtifero torporis ſomno depreſſi refugiunt. Sed priuſquam veraciter hos agnoſcamus, nihil de his definitivum deliberare prorſus abſentia, ſeu potius ignorantia, juſtitia dictante, permittit. Optamus gloriam veſtram in Chriſto nunc & ſemper bene valere, dilectiſſime fili. Data VIII. Kalendas Februarias, indictione XV.

no Ch.

LI. AD LOTHARIUM REGEM.

Quod Theutberga tædio afflictionum contra ſe ipſam ſcribat, cæterum diſſolvi ejus conjugium non poſſe, niſi Lotharius cælibem quoque vitam ſpondeat.

dit. Rom. ioſiſſimo.

*Lothario * glorioſo regi.*

AUdito, revertente miſſo noſtro, correctionis tuæ ut ita dicamus initio, gratias Deo condignas egimus, & ut tibi quoque grates competibiles referremus, animum præparavimus. Sed, heu! adverſa nuntia venientia hujus intentionis noſtræ propoſito celeriter obviarunt. Quapropter compulſi ſumus mutare vocem, & qui ad gratiarum actiones os aperire diſpoſueramus, in luctus & increpationes * adhuc officium linguæ coacti dirigimus. Siquidem epiſtolam nunc ſuggeſtionis Theutbergæ glorioſæ reginæ miſſam, deferentibus legatis ejus, ſuſcepimus, quam nihil intimare reperimus litteris, niſi quod illi aſſerere videbantur verbis. Verum in utroque obſtupefacti pariter & mirati ſumus: atque tam repente ſtyli & petitionis mutatæ ſenſus perpendentes, nihil tale illam nobis intimaſſe * quoque tempore recoluimus. Siquidem cum ad relationem omnium pene, qui ex Gallicanis & Germanicis regionibus Romam orationis gratia veniunt, vel multorum illic degentium, oculos mentis inflectimus, plurimum diſtare conſpicimus, quod ipſa nunc dumtaxat ſignificat, & quod hi omnes quotidie propemodum verbis & apicibus innuunt: quippe quam inremotam cuncti afflictionem, ac intolerabilem preſſuram, nimiamque violentiam pati teſtantur, quamvis illa contra, ſponte ac libenter a regia dignitate exui ſe velle ac optare fateatur & copula. Quæ illi quidem aliter, hæc vero aliter proſequi cernitur, ita ut omnium aſſertionibus legaliter a te admiſſa, inique deinde accuſata, poſthac judicio, quo tibi & omnibus ſubjectis tuis, nec non & epiſcopis placuit, evidenter purificata, deinde ſecundo repulſa, poſtremo monitis & decreto noſtro, pariter & hortatu filii noſtri excellentis Auguſti, jure recepta dicatur. Ipſa autem his omnibus contraria nunc effecta, & ſuæ ipſius oblita profectionis, neſcimus quæ frivola fateatur: quę videlicet nolumus exaggerare, quia nolumus ſupervacue laborare. Didicimus tamen multorum relatu ac multis indiciis, te ad imitationem eorum converſum, de quibus apoſtolorum princeps dicit: *Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitionem domini noſtri & ſalvatoris Jeſu Chriſti, his rurſus impliciti ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum reverti ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mandato. Contingit enim illis illud veri proverbii, Canis reverſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti.* Didicimus inquam te, qui prolixo tempore in ſcelere permanens, eccleſiæ Dei non modicum nocuiſti, nocere adhuc, & qui in ſordibus eras, ſordeſcere adhuc. Et certe in reverſione legati noſtri te correptum audientes, ultra quam dici valeat exultavimus, & omnipotenti Domino gratias immenſas retulimus: putantes videlicet, de apprehenſis a te honeſtis moribus, tandem aliquando fragrantiam in odorem ſuavitatis ad Dominum dirigi, non fœtorem de iteratæ nequitiæ tuæ colluvione per mundum ultra diſpergi. Sed heu! e contrario, pro ſuavi odore fœtor, non in quo currendum ſit, ſed qui tota velocitate fugiendus exiſtat, ecce hac illacque diffunditur. Siquidem, ut opinamur, tibi non ſufficit ſolum adulterium perpetraſſe, niſi apponas ut etiam animas hominum perjurii laqueis irretitas in extremum demergas interitum. Sed quid mirum, ſi paucorum animabus per perjurium exitium acquiſiſti, quando in tanta ſublimitate poſitus, per exemplum tuæ mœchiæ tot hominum millia in perditionis chaos præcipitaveris? Nam majora facit crimina ſublimitas dignitatum. Illud autem, quod prænominata regina quaſi VValdradæ teſtimonium perhibet, dicens eam fuiſſe tuam uxorem legitimam, aut invita, aut fruſtra conatur adſtruere: quandoquidem illius nullo prorſus hinc teſtimonio quis indigeat. Cum magis nos ita ſentiamus quod juſtum, & ita intelligamus quod æquum eſt, ut etiam Theutberga mortua, tu nullis legibus, nullis regulis unquam VValdradam in uxorem poſſis aut permittaris aſſumere. Utrum ergo VValdrada legitima tua fuerit aliquando conjux, eccleſia Dei ſatisfactione Theutbergæ non eget. Unum tamen ſcimus, quoniam nec nos, nec eadem ſancta eccleſia, auctore Deo, qui adulteros judicabit, te, ſi VValdradam quandocumque reſumpſeris, etiam Theutberga decedente, dimittet modis omnibus impunitum. Illud vero quod dicit Romam ſe velle venire, nobiſque paſſiones & quædam ſecreta ſui pectoris referare, fieri non convenit: quoniam & ſecuritas itineris, quam prætendit, nulla eſt; & quamdiu VValdrada ita tibi juxta poſita eſt, diaboli verſutia non abeſſe convincitur. Dum enim Theutberga diſcedit, VValdrada incunctanter accedit: nimirum quia dum lex repellitur, prævaricatio confeſtim inducitur. Ceterum quis ignorat Theutbergam hæc contra ſe multis preſſuris ſubactam deponere, ac innumeris malis attritam, immo mortis periculum formidantem, quod ſolo Deo cuſtode frequenter evaſit, aſſerere? Cum etiam, ut prædiximus, pene omnes religioſi & clari viri Galliarum & Germaniæ hæc ita ſe habere relatione teſtentur; adeo ut hæc eam, quæ nunc ſcripſit, nobis ſcripturam fore ante multum temporis præſcierimus. Verum nos talem confeſſionem ejus, quam non voluntas ſed vis extorſit, nequaquam pro confeſſione recipimus. Quamobrem quiſquis contra Theutbergam agit,

dit Rom. hoc.

Al. quo . H.

1. Tel. 2.

agit, non ſolum eccleſiam Dei graviter lædit, verum etiam ſedem apoſtolicam, cujus judicium non licet retractare, vehementer adverſus ſe commovere convincitur, quoniam illa ex utraque parte provocata, id eſt tam a te quam a Theutberga, cujus veſtri negotii executrix & * interemptrix effecta eſt. Jam vero ſi eadem Theutberga Romam venire diſponit, & licentiam a te, conjuge videlicet ſuo, proficiſcendi adepta fuerit, ſecuritas eſt ei prorſus certiſſima tribuenda, qua freta nuſquam metuat ſe per hominem aliquid incidere læſionis. Quod omnino non provenire poterit, niſi VValdrada Romam prius mittatur, & de ea quod conveniens ſit diffiniatur: & ita demum talis immunitatis certitudo ſubſequatur, ut ſæpe dicta Theutberga nec veniens, nec commorans, nec rediens, aliquod patiatur incommodum. Quod ſi minime pro repellenda a te ſiniſtra ſuſpicione promiſeris agere, ceſſandum eſt, ne talibus fraudis inſidiis acquieſcamus, omnimodis præcavendum. Tuque ſummo ſtudio præfatam Theutbergam conjugem tuam tamquam propriam carnem fovere ac diligere procurato, & ne illam ſeparari a te ullo pacto conſentias, vigilanter attende. Unde ſi vult a te diſcedere, corripe, immo corrige eam, & a tali intentione per omnia ſatage revocare. Jam vero ſi amore pudicitiæ ſeparationem quærit, & conjugalis connubii ſolutionem efflagitat, certum eſt, apoſtolo prædicante, quoniam mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. Verum ſi & ipſe pudicitiam ſectatus religionis obtentu copulam diſſolvere vis, tantum ne ſimulate fiat, concedimus. Nam licet ſcriptum ſit: *Quod Deum conjunxit, homo non ſeparet*, Deus tamen & non homo ſeparat, quando divini amoris intuitu, ex conſenſu utriuſque conjugis matrimonia diſſolvuntur. Si ergo hoc modo vis, nos grato permittimus animo, celeremque præbemus aſſenſum. Aliter autem fieri mutuam veſtram ſeparationem prohibemus: ſiquidem ſcriptum legimus: *Erunt duo in carne una*, Quod D. Gregorius exponit dicens: Si igitur vir & uxor una caro ſunt, & religionis cauſſa vir dimittit uxorem, vel mulier virum in hoc mundo remanentem, vel fortaſſe ad illicita migrantem, quæ eſt iſta converſio, in qua una eademque caro, & ex parte tranſit ad continentiam, & ex parte remanet in pollutione? Si vero utriſque conveniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accuſare? quando certum eſt, quod omnipotens Dominus, qui minora conceſſit, majora non prohibuit. Porro ſi ſterilitas accuſatur, cogita Saram nonagenariam, Annam quoque ſimul & Eliſabeth: quam tamen ſterilitatem fortaſſe non facit infœcunditas, ſed iniquitas. De aliis poſtremo vitiis, audi quid cæleſtis bibliothecæ cultor dicat Hieronymus. Grave, iniquit, pondus uxorum eſt, ſi excepta cauſſa fornicationis eas dimittere non licet. Quid enim ſi temulenta fuerit, ſi iracunda, ſi malis moribus, ſi luxurioſa, ſi guloſa, ſi vaga, ſi jurgatrix & maledica, tenenda erit iſtiuſmodi? volumus, nolumus, ſuſtinenda eſt. Cum enim eſſemus liberi, voluntate nos ſubjecimus ſervituti, & revera, ut verbis utamur apoſtoli, *alligatus es uxori? noli quærere ſolutionem*. Ergo, glorioſiſſime rex, eſto propria contentus uxore, & præter illius, alterius unquam ne quæras conſortium. Et certe, quantum humanus invenire ſufficit intellectus, eadem crebro memorata mulier non ſolum inſons ſæpe comprobata eſt, verum & eccleſiæ auxilium, atque judicium provocaſſe dignoſcitur. Inſuper & ſancti apoſtolorum principis Petri præſidium expetivit. Unde ſedes apoſtolica cauſſam veſtram per ipſam cœpit diſcutere, & quidquid quæſtionis emerſiſſet, ſpeciali judicio ſuo reſervare propoſuit. Qua de re non putamus te in tantam tui perniciem devolvendum, ut contra noſtras diffinitiones, vel adverſus crebro dictam feminam, beati Petri confugio prorſus innixam, agere quocumque modo conſentias: cum tibi potius, & regno tuo, quam Teutbergæ, ſi ad hoc tam immane piaculum dilapſus fueris, acquiras omnino diſpendium. Igitur conſilium noſtrum accipe, & monita noſtra tamquam affectuoſi patris amplectere, atque ab omni pravitate mentem, linguam, corpuſque refræna, præcipue VValdradæ pellicis tuæ, & dudum a te repudiatæ communionem declinans, & ejus conſortium perpetuæ oblivioni contradens. Excommunicata eſt enim, & uſque ad præſentiam noſtram, ab omni Chriſtianorum contubernio ſequeſtrata, ſicut totus jam novit occidens, & jam jamque quoque per miſſos noſtros minime cum plagis ceteris oriens ignorabit. Quamobrem cavendum eſt, ne cum ea pari mucrone percellaris ſententiæ, ac pro unius * mulieris paſſione, & breviſſimi temporis deſiderio, vinctus & obligatus ad ſulfureos fœtores, & ad perenne traharis exitium. Deterius quippe in populis prælati delinquunt: ac per hoc ipſi crudelius quam ceteri puniuntur. Sed ut manifeſtius vera nos dicere ſcias, B. papam Gregorium audi, qui ait: Scire etenim prælati debent, quia ſi perverſa unquam perpetrant, tot mortibus digni ſunt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla tranſmittunt. Unde neceſſe eſt, ut tanto ſe cautius a culpa cuſtodiant, quanto per prava quæ faciunt non ſoli moriuntur. Hæc autem nos tibi nunc ſcripſiſſe, & quaſi inter nos & te verba noſtra exceſſus tuos corripientia diſcurriſſe ſufficiat. Ceterum præcave, nequando nobis, ſecundum Domini præceptum, duos aut tres teſtes adhibeamus: immo vero, ne hoc eccleſiæ ſanctæ dicamus, &, quod non optamus, de cetero fias cunctis ſicut ethnicus & publicanus.

Porro excellentiam veſtram hortamur, ut hoc exemplar epiſtolæ ad Lotharium miſſæ, quouſque illum noſtris monitis obedire perfecte cognoveritis, apud vos nemine alio ſciente retineatis. Si autem ſuæ obſtinationi non ceſſerit, & quæ ei ad præſens dirigimus, perficere diſtulerit, vel ſi Theutbergam reginam debito honore non retinuerit, veſtra ad omnium notitiam, quæ de eo ſtatuimus, faciat venire ſublimitas, & juxta noſtræ cenſuræ modum ad gloriam veſtram tranſmiſſum huc illucque diſpergat.

* Edit. Rom. *interpetrix*.

1. Cor. 7.

Matt. 19.

Gen. 2. Lib. IX. epiſt. 39.

In Matth. cap. 19.

1. Cor. 7.

B

C

D

Matt. 1

LII. AD CAROLUM REGEM.

Extat infra in concilio Sueſſionenſi III. anno 866.

LIII. AD LUDOVICUM REGEM GERMANIÆ.

E UT Lotharium ad diligendam Theutbergam excitare pergat, & Ingeltrudem ad Boſonem maritum redire compellat.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Ludovico glorioſo regi.

PRecamur amabilem dilectionem veſtram, ut regem Lotharium monere nullo pacto deſiſtatis, ut debitam dilectionem Theutbergæ reginæ uxori ſuæ ſemper impendat: nec ſibi blandiatur, quaſi ſtudeat eam cogere, ut aliquod ſibi crimen impingat, & per hoc valeat illam a ſuo conſortio ſequeſtrare: quoniam hoc nec ipſe legaliter

* Edit. R. *mulierc*.

11. q. 3. cipue.

liter agere prævalet, nec nos talibus prestigiis, A & tam fraudulentę calliditati locum dare permittimus. Sed etiamsi abundante iniquitate, qualibet astutia, potius autem violentia, tale quid machinari potuisset, VValdradam ei mœcham, cujus immundo desiderio ad ista intendit, anhelat, & pervenire dementer affectat, nullus conjugali fœdere permitteret sociari, nisi forte quis omnium legum, nisi cunctarum regularum temerator & infractor inveniri voluisset. Agite igitur circa eum benigne, & quoniam filius germani vestri est, tamquam os vestrum & carnem monere, increpare, immo vero etiam severius corripere, quin & quoquomodo corrigere studeatis, mentis scilicet ejus salutem magis quam corporis anhelantes. Postremo, fili carissime, non vos latere credi- B mus, quot & quantos labores pro refuga illa Bosonis uxore sępe pertulimus, & quoties eam, ut ad justitię tramitem remearet, salubriter admonuerimus: & qualiter etiam non resipiscentem, sed nequitia sua pertinaciter persistentem, gladio anathematis percusserimus. Que nec percussa doluit, nec attrita voluit recipere disciplinam. Vir autem ejus, innocens videlicet, in ejus absentia hinc inde labore non modico fatigatur, quoniam nec ipsi reconciliari absenti prevalet, nec alterius illa vivente consortium ei conjugale conceditur. Qua de re quoniam improbitatem & insolentiam ejusdem viri continuam patimur, volentis scilicet ardenter ad secundum, immo ad illicitum convolare connubium, obnixe dilectio- C nem vestram deposcimus, ut pro revocanda ea omne studium pro Dei amore sumatis, quinimmo & eamdem perditam ac sæpe damnatam feminam lucrari Domino valeatis, ita ut si monitis provocata viam suæ salutis non arripit, saltem pressuris per vestram industriam angustata resipiscat: & quæ ad dominicam cœnam sponte intrare noluit, dum tantum intret, vel compellatur invita. Nam forte de hujusmodi Dominus per prophetam dicit: *Ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inveniet, & sequetur amatores suos, & non apprehendet eos: quæret & non inveniet eos, & dicet, Vadam & revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc.* Quod vene- D randum oraculum si tropice differatur, non parvam utilitatem generat. Verum nunc breviter dicendum est, quoniam si eadem femina, sicut nec debet, nullius communione frueretur, & non exquisitis voluptatibus potiretur, si denique vias suas spinis septas pateretur, si in terrenis desideriis de impossibilitate lassaretur; jam Deum profecto ad mentem reduceret, & ad amorem viri proprii vel invita rediret. Sic ergo pervicax illa & impœnitens anima, quæ diu est adultera conata persistere, sic fortasse, si tamen necessitas ei per vos rerum interim titulatarum imponeretur, fidelis jam decerneret esse conjux, quæ merito ac veraciter deinde dicere posset, *Revertar ad virum meum priorem, quia bene erat mihi tunc magis* E *quam nunc.* Optamus gloriam vestram bene valere, dilectissime fili. Data Nonis Martii, indictione XV.

LIV. [a] AD EPISCOPOS IN REGNO CAROLI CONSTITUTOS

De Ingeltrude Bosonis comitis uxore fugitiva: ut illam excommunicent, si ad virum redire contemnat.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei reverentissimo ac sanctissimo & confratri nostro Hincmaro archiepiscopo, & omnibus archiepiscopis seu episcopis in regno Caroli constitutis.

CAnonica auctoritas hoc omni in loco prædicare non cessat, ut populus divino cultui mancipatus irreprehensibilis existat: quo enim mediante fieri melius potuerit, quam illorum sollicitudine, qui pastorum loco curam dominici gregis susceperunt? Quapropter vestram commonemus fraternitatem, immo & sanctitatem, ut vestram diœcesim non sinatis pollui fornicariis. Ecce jampridem direximus vobis de uxore Bosonis comitis, quæ relicto viro fugit, ut eam revocare feciſſetis viro suo: sed quod occasione mergente minime factum conspicimus; unde forsan vos negligentes, nos judicare possumus: quapropter præcipimus vobis auctoritate apostolica fulti, quatenus eam faciatis reverti ad proprium virum, concessa sibi negligentia, qua in eum deliquit: & si vobis inobediens contempserit repedare, corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi, & societate omnium fidelium citius tam illam, quam ceteros qui ejus facinori favere videbuntur, excommunicare festinetis: ut domus Dei talibus rectoribus dirigatur, quales catholicus ordo delegisse cognoscitur. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere.

ARSENII EPISCOPI HORTENSIS, SEDIS APOTOLICÆ LEGATI, Epistola generalis ad omnes episcopos.

Ingeltrudem Bosonis uxorem excommunicatam & anathematizatam declarat, eamque ab ullo recipi vetat.

Arsenius divino nutu episcopus, missus & apocrisiarius summæ sanctæ catholicæ atque apostolicæ sedis, & beatorum apostolorum principum Petri & Pauli ultimus famulus, & legatus domini Nicolai pontificis & universalis papæ, omnibus archiepiscopis & episcopis, atque omnibus sanctæ ecclesiæ Dei fidelibus, Galliæ, Germaniæ, ac Neustriæ commorantibus.

FRaternitatis vestræ omnium dilectionis jam cognovisse credimus industriam, qualia & quanta nefandissima scelera Engeltrudis quondam Bosonis comitis mulier perpetrasset, & qualiter pro hujusmodi dominus Nicolaus summus pontifex & universalis papa, eam excommunicavit, ac a Christianorum consortio separavit: etiam insuper, quousque dum de peractis malis veram egisset pœnitentiam, anathematis eam vinculo innodavit. Sed cum nos a beatorum principum apostolorum, scilicet Petri & Pauli, fuissemus egressi liminibus, & ab ejus utique sanctimonio directi, fratrum pro pace regumque concordia, ac Galliarum intra properassemus in finibus, sicut & de ceteris curam agentes, prædictam etiam Engeltrudem ad

[a] Hæc LIV. cum sequenti, dictata est in caussa Bosonis & uxoris cujus, dum celebraretur Concilium in villa Tusiaco, inquit MS. Codex. Hard.

ad ſanctæ matris voluimus convocare eccleſiæ ſi-
num. Sed ipſa in ſua feritate * permanens, ne-
quaquam eam ad præfatæ ſanctæ matris eccleſiæ
gremium convocare valuimus. Unde tam in re-
gno Caroli glorioſi regis, quam in Hlotarii, ex-
communicationem atque anathematizationem domni apoſtolici omnibus de ea declarare ſtuduimus. Sed cum ad Hludovici glorioſi regis præſentiam apud VVormatiam reverteremur, tum demum pone nos greſſus eſt movere conata. Sed poſtquam jurejurando conjuraverit, quod ante nos, vel nobiſcum pariter, Romam venire deberet, & ſecundum domni apoſtolici præceptionem de peractis malis pœnitentiam ageret, ſecundum hujus orationis textum promittens: Jurans ego Engeltruda, filia quondam Mattefredi comitis, quæ ſui uxor Boſonis comitis, vobis domino Arſenio epiſcopo, miſſo & apocriſiario ſummæ ſanctæ catholicæ atque apoſtolicæ ſedis, & per vos domino meo Nicolao ſummo pontifici & univerſali papæ, per Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, & hæc ſancta quatuor Chriſti Dei evangelia, quæ ore oſculor, & manibus propriis tango, quia amodo relinquam illam malitiam, quam in prænominato Boſone viro meo exercui, & ut ovis quæ fuit perdita, ad ſanctam atque apoſtolicam ſub eadem obligatione * evertar eccleſiam: & in Italico regno, aut vobiſcum pariter, aut ante vos, quomodo provideritis, ibo, & quidquid domnus apoſtolicus decreverit, juſſerit, vel terminaverit, adimplebo, ac perficere non recuſabo. Deinde nobiſcum uſque ad Danubii tranſitum veniens, ibique ad quempiam conſanguineum caballorum adminiculo ire condixit, & ad Auguſtam ad nos civitatem ad prædicti negotii perfectionem redire pollicebatur. Sed his omnibus relictis non timuit tentare Spiritum ſanctum, & diabolo iſtigante in perjurii laqueum eſt ingreſſa, & a noſtræ ſalubritatis prædicatione pedem retorſit, & a tramite veritatis diſceſſit. Inde obteſtamur per auctoritatem Dei omnipotentis, & beatorum apoſtolorum principum Petri & Pauli, & domni Nicolai ſummi pontificis & univerſalis papæ, ut nullus veſtrum eam in ſua parochia recipiat, ſed eam funditus in omnibus eccleſiis veſtris prædicate excommunicatam, & ab omni communione Chriſtianorum ſequeſtratam & extraneam, inſuper & anathematis vinculo innodatam, & inter impias & ſceleroſas manus damnatam, donec de ſceleroſis factionibus ſuis, atque præfato perjurio, ante domni apoſtolici præſentiam veram accipiat pœnitentiam. Et ſi aliqua falſidica ſcripta, vel etiam verba forte noſtræ abſolutionis protulerit, ei nullatenus credite. Flagitamus caritatem veſtram, ut cum ab uno fuerit perfecta patre, antequam aliquis ejus pellaciſſimæ morbo contaminetur, ad alterum iſtam dirigat epiſtolam.

* Pro, permanens. H

* Pro, revertar.

LV. AD LUDOVICUM REGEM GERMANIÆ.

Conqueritur de Lothario, quod nihil eorum præſtet quæ promiſit. Prohibet ne Romam veniat, priuſquam VValdradam, ut juſſus eſt, eo dirigat. & Theutbergam tractet ut reginam, & Treviris atque Coloniæ legitimi epiſcopi ordinentur. In embolo, de reditibus ſancti Petri.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Ludovico glorioſo regi.

SYllabarum veſtrarum tenore pandiſtis, vos una cum dilecto filio noſtro Carolo glorioſo rege, fratre videlicet veſtro, ad commune colloquium veniſſe: cui quia defuit Lotharius rex, nepos ſcilicet veſter, perhibetis vos ad eum jam dictum fratrem veſtrum Carolum regem, adjuncto ſibi quodam ex epiſcopis regni veſtri, miſiſſe: quatenus, prout vobis per epiſtolas noſtras ad vos directas injunximus, ab illis admoneretur, ut in omnibus juſſionibus noſtris obediens exiſteret: Quod quia tam utpote pii principes juſtitiam diligentes, quam proximi ſalutem per caritatem quærentes, noſtriſque nihilo minus adhortationibus obſecundantes, egiſtis, debitas gratias agimus: quantum tamen lucri efficacia veſtra vel noſtra monita penes eumdem regem Lotharium impetrarint, fateor hactenus non elucet. Sed dicitis eum tam abſentem quam poſtea præſentem, a vobis ipſam admonitionem benigne ſuſcepiſſe, deindeque profeſſum fuiſſe in omnibus ſe noſtris præceptionibus pariturum. Quod quia ſæpe audivimus, non tamen hinc effectum percepimus, ſatis ingemiſcimus, & hujus rei gratia ultra quam dici poſſit affligimur: nimirum qui etiam pro ſua ipſius ſalute quotidie laborantes apud ipſum nihil omnino proficimus, dum quod ſermone dicit, facto non perficit: & præcipue cum verba ejus, ut arborum folia, ſonare quidem poſſint, ſaturare vero, cum ſint ſine fructu, non poſſint. Quamobrem, dum quærimus cui hujuſmodi vir valeat comparari, nullus menti convenientius occurrit, quam ille filius, cui apud Matthæum pater dixiſſe legitur: *Fili, vade hodie, operare in vinea mea:* at ille reſpondens ait: *Eo Domine, & non ivit.* Unde merito figuram Judaici populi exprimit. Ipſe quippe repromittebat Moyſi dicens: *Cuncta quæ locutus eſt Dominus faciemus:* non tamen quæ verbis repromittebat, rerum effectibus adimplebat. Ita, proh dolor! & iſte nepos veſter, ſemper quidem noſtra monita velle audire, ſemper adimplere cupere proteſtatur: non tamen quod ore, quod ſcriptis opportune, importune ſæpiſſime profitetur, operibus exercere vel factis exhibere contendit, & paternis monitis noſtris non tamquam filius obediens paret, ſed tamquam ingratus poſt tergum repedavit. Si quidem in quo aliquando apparuit rex Lotharius nobis obediens? aut quid ab illo exegimus niſi ſalutem ſuam? niſi jurationem quam * læſit eccleſiæ? niſi Theutbergæ reginæ conjugis ejus apud ſanctum Petrum præſidium requirentis ſecuritatem? niſi noſtram etiam poſt tot labores aliquando requiem? Nam hinc inter innumeras alias curas præcipue laboramus, hinc omnimodam de VValdrada mœcha & excommunicata ſuſpicionem adimendam ſæpe decrevimus. Hinc etiam ut novi Treverenſi & Colonienſi eccleſiis antiſtites darentur injunximus: videlicet qui nec per Theutgualdi & Guntharii dudum epiſcoporum, nec per jam fatæ VValdradæ favorem proveherentur, ſed canonice a filiis & de filiis jam nominatarum eccleſiarum electi, ab his qui earumdem eccleſiarum antiſtites ſoliti ſunt conſecrare, regulariter ordinarentur. Sed cum hæc omnia nos opportuna eſſe ac neceſſaria proſpicientes, ipſi regi Lothario crebro mandaſſemus, quo noſtræ inſtitutionis executor effectus, ut hæc conſummarentur annueret, immo ut ſua prorſus executione perpetrarentur inſiſteret, aliquid horum effectum quemlibet accepiſſe nos profecto nondum cognovimus, & tamen ille noſtra ſe velle perficere in omnibus monita profitetur. Denique VValdradam ad nos non ſolum non miſit, ſicut ſæpius illum hortati ſumus; verum etiam Ticinum, dum ad nos tendere crederetur, jam profectam, in Gallias reducere procuravit. Filiam vero noſtram Theutbergam reginam, quæ beati Petri ſe tegmine ſemper muniri popoſcit, non ſolum

Matth. 21

Exod. 19

* Forte, læſit.

lum ſicut reginam ſecundum præſtitum juramentum non tractat: verum etiam nec pro timore Dei, nec pro ſancti Petri reverentia, nec pro conjugali fœdere, nec etiam pro eodem collato juramento, ſaltem in minimis quibuſque negotiis ſuam hanc eſſe participem recognoſcit; quippe quam omni egeſtati, omni opprobrio, omni prorſus abjectioni ſubmittit. Porro de præmemoratis eccleſiis ordinandis non ſolum mandata noſtra contemnit, ſed & ſacrorum canonum præcepta conculcat, dum videlicet eccleſiis non compatitur, ſed has tanto tempore ſine rectore manere permittit. Ecce, fili cariſſime, quomodo Lotharius rex inſtituta noſtra cuſtodit, ecce quomodo verum eſt, quod dicit noſtra ſe velle in omnibus obſervare decreta. Et adhuc ad nos ſe properare velle demonſtrat, cum id ne ſine noſtra licentia præſumeret, nos ei ſæpe diſtrictius injunxerimus & prohibuerimus. Verum quam ob rem Lotharius Romam proficiſci geſtiat, miramur ſi veſtram latere potuit prudentiam. Itaque impleat prius cuncta quæ præmiſimus, totius occaſionis vel ſiniſtræ ſuſpicionis fomitem a ſe procul abjiciat, immo vero a noſtris mentibus amputet, & tunc, ſi ei ſit huc veniendum, a nobis eſt ſollicite providendum. Siquidem etiam ſi cuncta, quæ nos ei ſupra commemoravimus injunxiſſe, penitus adimpleta potuiſſet oſtendere, nec ſic ei contra interdictum noſtrum Romam fuerat properandum: quanto minus nunc, quando toties a nobis admonitus nihil de eis conſummaſſe convincitur? Igitur dilectio veſtra illum nunc venire Romam queſo prohibeat: alioquin mihi credite, ſi contra propoſitum noſtrum forte præſumpſerit, minime eum qua cupit honeſtate vel hic ſuſcipietur, vel hinc profecto regredietur: Nam ſicut mulier Domino fide proximans tangit; turba vero licet tangit, tamen comprimit; ſic: proh dolor! iſto in tempore quidam etſi tangere, etſi approximare videntur, tactus tamen eorum, quia non ex fide, preſſuram gignit, & approximatio turbationem adducit. Ergo neceſſe eſt, ut talem ſe in cunctis exhibeat rex Lotharius, ut nos eum gratanti animo primitus ſuſcipere delectemur, & ita demum venientem expanſis brachiis amplectemur. Quod aliter fieri non poterit, niſi VValdrada Romam, ſicuti cœptum fuerat, dirigatur, ut videlicet nos cauſſam ejus ad finem legitimum perducamus, qui de ipſius prævaricatione ſemel initium judicandi ſuſcepimus: & niſi reginam Theutbergam, ſecundum tenorem juramenti, ab ipſo audiamus rege Lothario conjuge ſuo tractari: videlicet ut talem ſe circa illam mente demonſtret & opere, qualem diligens rex erga dilectam conjugem ſuam ſe debet demonſtrare reginam: & niſi de proprio clero in Agrippinenſi colonia atque Treverenſi eccleſiis epiſcopos ordinari permiſerit, eos ſcilicet, qui nec VValdradæ, nec Guntharii, nec Theutgaldi favore vel eligantur, vel etiam conſecrentur. Hæc ſunt, cariſſime, quæ ſi Lotharius nepos veſter callide non perfecerit, hunc veraciter nos audire nolle procul dubio poterunt indicare, atque ſi ſaluti ejus veſtra caritas conſulit, eum magnopere ſuadeat incitare, & non ejus foris perſtrepentibus verbis facile credat: ſed operum facta, ſecundum perſpicaciſſimam proprii affluentiam ſenſus, conſideret. Dicit enim Joannes apoſtolus: *Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, ſed opere & veritate*. Nam ſi noſſe libet excellentiæ veſtræ, quid ſit unde Lotharius jactat ſe noſtram in omnibus adimplere voluntatem, nos evidenter aperiemus. Videlicet quia nobis, immo Deo noſtro obediens, Theutbergam conjugem ſuam recepit, VValdradam vero, utpote adulteram, merito ſequeſtravit, nec ad illam poſt reverſionem legati noſtri acceſſit. Sed prudentia gloriæ veſtræ jam valet advertere, quid profit ſi ad eam non pedibus corporis, & tamen paſſibus mentis accedit. Quid prodeſt quia forinſecus ab illa ſequeſtratus cernitur, qui tamen ei valde conglutinatus intrinſecus intelligitur? Quid autem proficit dilectæ filiæ noſtræ Theutbergæ reginæ, quia non ex toto ab illa videtur corpore prolongatus, dum tamen eſſe cum ea mente minime probatur annexus? Quid ei proficit conjugalis fœderis, vel regiæ dignitatis nomine ſolo frui, quæ caret omnibus quæ ad perfectæ dilectionis & conſimilis ditionis pertinere videntur inſignia? Nam quis niſi æmula ejus, VValdrada videlicet, quæ non ſolum pro adulterio commiſſo, ſed pro impœnitenti corde vinculis eſt excommunicationis innexa, regni cum Lothario culmina poſſidet, gloria fruitur, jura tenet, & omnia ſuo diſponit arbitrio: Quæ licet a colloquio ejus ſejuncta ſpecie tenus videatur exiſtere, per internuntios tamen, & diverſos ſatellites, tantumdem penes ipſum, vel etiam magis valet, quam ſi legitima conjux haberi quoquo modo potuiſſet. Nam nemo apud regium apicem eſt adjutus, niſi per illam: vix uſquequaque læſus, niſi propter illam, quiſquam eſſe refertur. Illa quippe penes eum gratiam poſcentibus impetrare, ipſa ſola quibus mavult beneficia parare conſuevit. Jam vero ſi ita non eſt ut dicimus; id eſt ſi vel Theutberga regina tantam apud ipſum incommoditatem & dehoneſtatem non patitur, nec VValdrada mœcha gloria tanta non fruitur; quare nobis ſcribens, vel aliis ſatisfaciens, ſicut indicat de VValdrada, quod poſt miſſi noſtri reverſionem non ad eam acceſſerit, ita non de conjuge ſua Theutberga, quod eam ſecundum datorum tenorem juramentorum tractet atque retineat, niſi quia non habeat unde glorietur? nec agit ſic erga eam, ut nobis id veraciter referens gratiarum a nobis inde percipere valeat actiones? dum non ſolum illa nulla munificentia ipſo largiente potitur, verum etiam omnibus opprobriis, & ut prætulimus egeſtate ſumma tabeſcit? Dicite ergo illi vos, cariſſime, & veſtra ſagaci conventione ſuadere contendite, ut quando nobis mittit, ad VValdradam poſt reditum miſſi noſtri contra interdictum noſtrum ſe nullatenus acceſſiſſe, mittat etiam quod Theutbergam uxorem ſuam juxta præſtita juramenta benigne tractet, & ſecundum regiam dignitatem retineat: ita dumtaxat, ut quod mittit veritate fulciri aliis etiam atteſtantibus cognoſcamus. Mittat nihilo minus nobis, quod in præfatis eccleſiis ordine, quem ſupra dictavimus, epiſcopi ſint regulariter ordinati: & tunc perhibenti ſe noſtra velle juſſa perficere credemus, & condignas Deo gratias referemus. Nam quamdiu Theutbergam regio cultu & conjugali dilectione non retinet, & Theutgaldum vel Guntharium eccleſias dudum ſibi cum ſacerdotio ablatas obtinere permiſerit occupatas, licet VValdradam non videat, hi tamen gradus ſunt, * quamvis ad ima mergentes, per quos illum ſenſim ad ipſam tendere prudens quiſque patenter agnoſcit: dum & illos fovet, quos ad pronefas ductores habuiſſe claret, & eam affligit, quam debita correctione præmiſſa Chriſto juvante recepit. Accuſatores autem habere Lotharium, non niſi illum, qui accuſator fratrum in Apocalypſi Joannis appellatur, & opera ejus, quæ & ipſa ejuſdem antiqui hoſtis inſtinctu patrantur, profecto comperimus. Quæ vero Lotharius rex veſter nepos operatur, accuſatore non indigent. Manifeſta quippe, apoſtolo teſte, ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, luxuria, & re-

* Forte, quamvis. H.

Apoc. 12.

1. q. 1. Quæ Lotharius

Galat. 5.

& reliqua. Optamus gloriam vestram nunc & semper bene valere, dilectissime fili. Data III. Calendas Novembris, indictione I.

Anno Chr. 867.

Statuit præterea nobiscum excellentiæ vestræ legatus, ut mediante Majo mense hujus primæ indictionis, pro unius anni reditibus rerum S. Petri in regno vestro sitarum recipiendis, nostros missos direxissemus: cum duorum annorum jam tempora præterierint, ex quo reditus ex illis debuerunt esse collecti, & nos ex eis nihil recepimus. Porro si, sicut per multos & hunc eumdem vestrum legatum cognovimus, Arsenius inde aliquid collegit, licet nobis aliquid non detulerit, de præteritis annis collegit, non de futuris. Unde rogamus gloriam vestram, ut pro mercedis vestræ cumulis, collectis omnibus illis, per vestri culminis viros ad apostolorum limina orationis gratia venientes, antequam de finibus regni vestri foras ea duci jubeatis, nobis significetis, ut his interim in tutissimo a prudentia vestra statuto loco reconditis, si a speciali filio nostro Augusto obtinere potuerimus, ut cum ipsius homine nostrum illuc dirigamus, & ea ut nobis sine aliquo dispendio deferantur, recipiamus, gratiarum actiones Domino rependendæ sunt. Sin autem, missum nostrum Deo opifice destinabimus, qui qualiter in vestro regno sint recondita ac custodita, cum vestro misso prævideat: & his nihilo minus interim in vestro regno bene salvatis, aut nobis renuntiet, aut certe quidquid præviderimus, vel sanxerimus, facere non omittat. Aut si gloria vestra, quæcumque illa fuerint, infra territorium ditionis vestræ, videlicet usque Bononiam aut Ravennam perduci fecerit, tantum ut secura sint, hoc multo amplius utile & gratum habebimus; quoniam & nos deinde modo quo valuerimus, usque Romam ea ferri jubebimus.

LVI. AD LUDOVICUM REGEM GERMANIÆ.

Ut desinat tandem intercedere pro Theutgualdo & Gunthario.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei dilecto filio Ludovico glorioso regi.

EPistolam serenitatis vestræ pro Theutgualdo & Gunthario dudum episcopis nos obnixe precantis accepimus, & quamobrem pro illis tot vestra celsitudo labores assumat, admodum fateor miramur & obstupescimus. Quanta nempe mala nos perpeti, quanta incommoda sustinere sæpe auditis, & liquido nunc cognovistis? nusquam tamen quia causa nostri doluistis apparuit: & quod cum caritate vestra dicimus, sic ecclesiæ matris vestræ semper damna duxistis, tamquam si nihil ad vos inde quoquomodo pertineret, & veluti ejus non esse filii per omnia videremini. Quantos autem sudores, quantaque certamina pro recidendo malo, cujus Guntharius & Theutgualdus auctores & conflatores inventi sunt, pertulimus, immo vero indesinenter perferimus, & ne rediviva iterum radice succrescat, incessabilibus laboribus fatigamur? Nunquam tamen vos in his omnibus concertantes aut collaborantes nobis adhæresce re consensistis. Sed nunc pro reconciliandis Theutgualdo & Gunthario, totius hujus mali fabricatoribus, satagitis, curritis, anxiamini, & nobis crebro id ipsum mittere minime recusatis: quosque nescio quomodo amaricatos appelletis, dum certe illi pene quotidie potum amaritudinis propinare nobis non desinunt: Nam quoties eorum facti memoria inter aliorum dura quæque nobis ingerentium infertur, toties nos absque multi mœroris amaritudine remanere nequimus. Cesset itaque vestræ gloriæ jam nos super hoc pulsare sublimitas, & quod fieri non potest, tandem aliquando prætermittat. Dum enim non possumus adipisci quod volumus, necesse est ut hoc velimus consequi omnino quod possumus & debemus. Nam sedis apostolicæ sententia tanta semper consilii moderatione concipitur, tanta patientiæ maturitate decoquitur, tantaque deliberationis gravitate profertur ut retractatione non egeat, nec immutari necessarium ducat: nisi forte sic prolata sit ut retractari possit, vel immutanda secundum præmissæ tenorem conditionis existat. Theutgualdus igitur & Guntharius hujus sanctæ & apostolicæ sedis sententia perculsi, si patienter egerint, & malorum quorum plantatores fuere, eradicatores extiterint, atque si hæc perfecta in se humilitate, digniſque pœnitentiæ fletibus * abolere studuerint, poterunt utique alia miserationis ecclesiasticæ beneficia præstolari; prioris tamen ministerii, aut cujuscumque sacerdotalis officii dignitatem frustra quidem sperare poterunt, resumere autem in sempiternum non poterunt. Sed quia caritas excellentiæ vestræ pro his dolet, laudamus: quia & nos, sicut ad eorum detrimentum tunc zelo & justitia Dei commoti gementes devenimus; ita & nunc, quoties eorum reminiscimur, toties ingenti cruciatu mentis accendimur, atque de ipsorum discrimine illis valde compatimur & condolemus: Secundum apostolum namque, si quid patitur unum membrum, compatiuntur & omnia membra. Verum si de his, vel de actibus eorum, vel quæ sit penes nos de ipsis fixa sententia, pleniter ut innuitis cognitum vobis fieri cupitis, ad epistolæ tenorem, quam ad venerabiles episcopos regni vestri transmisimus, si placet, industria sublimitatis vestræ recurrat. Optamus gloriam vestram in Christo nunc & semper bene valere, o dilectissime fili. Data III. Kalend. Novembris, indictione I.

* Edit. Rom. *abluere.*

1. Cor. 12.

LVII. AD CAROLUM CALVUM REGEM

Petit ut auxilio sit episcopis ad conventus habendos de negotio quod ipsis demandavit.

COmperiat celsitudo vestra, nos metropolitanos præsules regni vestri ad quædam tractanda ecclesiastica negotia, quorum gloriæ vestræ tenorem ostendi præcepimus, singulos cum suffraganeis suis pariter convenire mandasse: cujus videlicet executionis summam fratri & coepiscopo nostro Hincmaro commisimus. Quapropter rogamus piam dilectionem vestram, ut tanto negotio auxilians, quo facilius iidem fratres nostri convenire valeant, suffragari dignetur: quatenus ipsis vestro solatio potitis, præsens negotium rite tractantibus, vos quoque pro tantæ pietatis studio præmium consequamini. Erit autem eis & aliud post modicum decreto nostro synodice ventilandum: sed ne duplicatus labor eis onerosus existat, interim in hoc operam dare illos oportet, ut videlicet ad alterum libentius ac expeditius, Deo juvante, pertingere possint. Optamus gloriam vestram nunc & semper in Christo bene valere, dilectissime fili. Data IX. Kalendas Novembris, indictione prima.

LVIII. AD EPISCOPOS IN REGNO LUDOVICI CONSTITUTOS.

Reprehendit illos, quod Theutgualdum & Guntharium suis gradibus restitui cupiant. Exponit quam graviter deliquerint, tum in suscipienda Ingeltrude Bosonis conjuge refuga & excommunicata, tum in adstruendo & defendendo Lotharii repudio, & quod propterea merito fuerint depositi. Quare hortatur ut desinant, & ut Lotharium ad exequenda jussa pontificis inflectant.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, reverentissimis & sanctissimis confratribus nostris archiepiscopis & episcopis in regno Ludovici gloriosi regis constitutis.

GAudemus quidem, fratres, & plane vobis non immerito congaudemus, quoniam per caritatem vos Theutgualdo & Gunthario dudum damnatis compati & condolere conspicientes, etiam pro recuperandis his in pristinum dignitatis gradum non modice satagere contemplamur. Sed tristamur, & valde tristamur, carissimi, quia sic pro duorum hominum dejectione satagitis, ut plurimæ multitudini Christianæ plebis per eos læsæ minime consulatis: sic pro duorum hominum restaurando statu pro criminibus manifestis elisо certatis, ut tot fidelium casum, qui eos per præcipitia sunt secuti, nullo modo perpendatis. Sed quid mirum, quando etiam cum essetis vicini locis illis, in quibus Theutgualdus & Guntharius ecclesias Christi sibi commissas videbantur quidem regere, non autem regebant, in quibus etiam licenter, ac sine quavis prohibitione, tam VValdrada, quam Engeltrudis uxor Bosonis, prostitutionis suæ sibi lupanaria quodammodo præparaverant, nec contra insurgentem morbum medicinale ferrum exacuistis, nec ad excitandos sopore noxio oppressos eodem tempore fratres caritatis pedibus cucurristis, sapientissimo Salomone de talibus admonente atque dicente: *Discurre, festina, suscita amicum tuum?* Quod non solum tunc minime vos egisse liquet: verum etiam nec postquam nos erecti sagittas divinæ pharetræ jaculare adversus hujusmodi pronepas longe lateque cepimus, nobis collaborare sollicite procurastis: denique ubi super hoc labor vester apparuit? ubi concurrius, vel ubi sacerdotale studium claruit? quando ascendistis super montem excelsum? quando evangelizastis Sion? quando quasi turba exaltastis vocem? quando annuntiastis cuilibet in hac culpa detento scelera sua? quando ascendistis ex adverso, & opposuistis murum pro domo Domini? quando pro ea latratus dedistis? quando Phinees, ut cessaret quassatio, imitati estis? quando Danielem in puniendis adulteris presbyteris sectati estis? vel quando nobiscum ut castrorum acies ordinati stetistis? quando nobiscum Dominum in choro laudastis? vel quando columbas imitati gregatim contra milvos incedere studuistis? quando cantavimus simul: *Deus in loco sancto suo, Deus qui habitare facit unanimes in domo*: & rursus: *Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum?* in unum scilicet mente magis quam corpore. Quod si nihil horum egistis, nec in nullo nobiscum convenire voluistis: sed sicut laboribus nostris diverso tempore, pro destruendis quæ viri prædicti fabricaverant impensis, minime communicastis, ita & dolorum nostrorum participes fieri recusastis: quid nunc satagitis, & anxiamini, & pro duorum virorum restauratione, innumerorum prævenire vultis fidelium subversionem? An plurium interitum parvipenditis, & duorum virorum casui solummodo condoletis? Et sola quidem illorum vobis ruina gravis, nostra vero & totius ecclesiæ, cui Deo auctore servimus, quotidiana sollicitudo, & pro eradicandis quæ ipsi plantaverunt malis ineffabilis cura & intolerabilis profecto vexatio, levis & contemnenda videtur? Sed nos quæ pertulimus, immo quæ de factorum ipsorum origine quotidie toleramus, non contemnenda ducimus, nec levia possumus æstimare, quorum gravissima nos cernimus, & non vos, pondera bajulare, quamvis & caritatem vestram incommodis nostris cognitis compati minime diffidamus, & jam nunc exposita nequaquam perfunctorie posse credamus.

Ordiamur ergo historiam Theutgualdi & Guntharii, si tamen non tragœdia potius sit dicenda: & ut partim saltem quæ nos experti sumus, de illis vos quoque scire valeatis, quantum epistolæ caventes prolixiorem sermonem cursim differere possumus, texentibus nobis advertite. Igitur cum Engeltrudis, uxor Bosonis comitis, ad Gallias relicto proprio viro cum adultero adultera transmigrasset: & vir ejus eam cum multo labore reducere voluisset, nec tamen aliquo modo potuisset, ecclesiastica cœpit auxilia postulare: ordinemque servans, primam in toto terrarum orbe sedem appellans, ut ecclesiastico decreto eam ab his, qui illam muniebant, erui & sibi reddi præciperet, supplicavit. Unde decessor noster sanctæ memoriæ Benedictus papa, quousque superstes extitit, apud imperatorem & regem ac principes interveniens & concertans, atque episcopis & cunctis fidelibus scribens, ut revocaretur suadere, & auctoritate apostolica jubere non destitit. Cui decedenti, effectu nullo percepto, per Christi gratiam nos in episcopatu subrogati, successimus etiam in labore, cui licet longe meritis impares successimus in honore. Qui ut revocaretur eadem femina, & verbis, & frequentibus literis ad omnes personas in omnes partes missis, ad quas necessitas postulabat, non destitimus agere. Sed & sic minime nobis proficientibus, cœperunt hinc inde a pontificio nostro episcopales literæ destinari, suggerentes videlicet, ut tam morbida ovis, ne totum gregem contaminaret, ecclesiastico judicio de ipso grege dominico pelleretur, maxime quæ tot salubribus monitionum medicamentis sanari minime consensisset. Decretoque & auctoritate præmissa, jussum est Mediolani episcoporum concilium fieri; ad quod ipsa vocata si certo tempore non occurreret, ab ipso sacrato collegio vinculis anathematis vinciretur. Quodque illa statuto tempore non occurrente patratum est, sententiamque in ipsam a synodo auctoritate nostra convocata nos quoque, ut sacri canones præcipiunt, consensu nostro firmavimus. Inter hæc vero, cognoscentes eamdem feminam in regno degere Lotharii regis, non satis habuimus quæ de ipsa gesta femina fuerant: sed ad hanc revocandam prioribus nostris laboribus adhuc quærendi studium apposuimus: reminiscentes videlicet Domini, qui de cælis ideo ad terram descendit, ut quæreret quod perierat, juxta quod a psalmista rogabatur confitente atque dicente: *Erravi sicut ovis quæ perierat, require servum tuum*. Missaque epistola nostra, fratrum & coepiscoporum nostrorum in regno præfati regis constitutorum, & præcipue Theutgualdi atque Guntharii, in quorum diœcesibus eadem perdita libere mulier morabatur, torporem valide redarguimus, & quamobrem inter eos licenter illam degentem minime ad virum proprium redire cogerint, non mediocriter increpavimus: indicantes

et-

etiam hanc a nobis anathematis vinculo innodatam, & ab omni Christiana communione remotam. Sed Theutgaldus atque Guntharius, tunc episcopi, & præcipuum locum & familiaritatem apud principem obtinentes, non solum eam, cum possent, nequaquam ad conjugem proprium reverti suasione fecerunt, aut auctoritate canonica, juxta quod a sede apostolica crebro fuerant adhortati, minime compulerunt; præsertim cum in diœcesibus eorum commorari sæpe commemorata & damnata femina diceretur: verum etiam, ut licite posset omnium frui communione, atque in refuga obstinatione, sine cujusquam contradictione vel impedimento subsistendi, valeret potentum quorumcumque potiri solatiis, hanc absolvere, quantum in ipsis fuit, atque recipere temere præsumpsere. In quo etiamsi sedis apostolicæ judicium a quovis retractandum esset, etiamsi ab inferioribus potiorum sententia solvenda prorsus existeret, quantum Theutgualdus atque Guntharius circa sacros canones, & præcipue Nicænos, qui luculenter innuunt non debere qui abjiciuntur ab aliis recipi, contumaces extiterint, ipsi vos solerter advertite. Sed ne tale quid eos commisisse dubitetis, scitote coram omni ecclesia nostra illos hoc se peregisse confessos.

Conc. Nic. can. 8.

Interea flagitium in Theutbergæ reginæ dejectione, & admissione Vvaldradæ, a rege Lothario perpetratum, horum cœpit adulationis & iniquæ defensionis fomentis crescere, atque latius diffamari. Qua de re hoc nos agnoscentes, quanta potuimus instantia, ne tantum scelus committeretur inhibuimus, & per fideles quosque, nec non & scripta nostra suadere contendimus. Mittit rex Lotharius duos ad nos comites, per quos in scriptis & verbis innuit, episcopos regni sui, cum aliis quibusdam, sibi dare auctoritatem Theutbergam repellendi, & Vvaldradam in matrimonium sortiendi: sed se, ut ordo custodiretur, a nobis hujusmodi potius auctoritatem & judicium petere, atque consilium præstolari. Quo nos audito, missos quidem destinare tam concite nos pro hujusmodi negotio non posse respondimus: missuros tamen eos postea certissime repromisimus, admonentes etiam, nullatenus interim a quoquam de hujusmodi causa quidquam penitus deliberandum. Sed ille horum, Theutgualdi & Guntharii, tunc episcoporum, ut postea claruit, auctoritate fretus, legatos nostros non præstolans, publico festoque nuptiarum ritu celebrato, Vvaldradam sibi jure matrimonii sociavit. Verumtamen missi sedis apostolicæ, qui jam profecti fuerant in Gallias, atque ad Lotharium pervenientes, quod ad illum fuerint missi secundum pollicitationem nostram dixerunt, & quod binos ex regno gloriosissimorum regum, Ludovici scilicet, Caroli majoris & Caroli junioris, convenire secum pariter cum episcopis regni sui faceret, juxta præceptionem nostram ipsi regi suggerere studuerunt: & quod Theutbergam sedem apostolicam appellantem, data idonea a rege Lotharo securitate, eidem conventui adesse præceperimus, verbis asseruerunt. Non enim epistolas, quas ad vos vestrorumque regnorum episcopos miseramus, secum habere poterant: quippe quas sibi ab amicis Lotharii regis jam constabat ablatas. At vero rex Lotharius, horum duorum magisterio usus, nec Theutbergæ reginæ indubitatam de servanda justitia, vel de non inferenda violentia, certitudinem tribuere voluit, nec alios præter regni sui antistites, videlicet quos vel beneficiis, vel minis, jam ad votum suum deflexerat, ad illum conventum, qui penes urbem Metensium congregabatur, penitus expectavit. Sed corruptis, immo & ad favorem suum traductis legatis nostris, quod libuit nullo resistente patravit: factoque conventu, antistites qui convenerant, inter quos præcipuum Theutgualdus, atque Guntharius fastigium retinebant, & eminentiori potestate vigebant, prævenientes, immo sibi usurpantes atque vindicantes judicium nostrum, videlicet quod & reginæ Theutbergæ primum appellatione, ac deinde Lotharii regis petitione permoti, jam nos laturos repromiseramus, inchoatumque tam per missos, quamque per epistolas nostras habere luce clarius videbamur, Theutbergam reginam obnoxiam crediderunt, atque condemnandam in absentia putaverunt. Scriptoque de his, quæ illic pro voto regis iniqua sunt fauce deprompta, quodam profano libello, ea sic censentes illibata persistere, propriis subscriptionibus roboraverunt, Theutgualdo primitus & Gunthario in ipsis subscriptionibus, sicut & in ceteris gestis, præcellentibus, & alios se sequi pestifere compellentibus. Qui mox Romam venturos, ac nobis de his quæ gesserant rationem posituros se per omnia spoponderunt. Tandemque pervenientes nostro sunt conspectui coram omni ecclesia præsentati, & dum ab eis qualiter illa fuerint gesta requireremus, jam memoratum libellum offerentes, perhibuerunt nec plus, nec minus, nec aliter quidquam se gessisse, nisi ut oblatus videbatur continere libellus. Quo accepto, ac coram episcoporum nostrorum cœtu, qui nobiscum aderat, atque coram ipsis, Theutgualdo scilicet & Gunthario, recensito, quam multipliciter hunc reprehendimus, ac per omnia reprehensibilem judicavimus, & quæ in eo gesta legebantur, qualiter inimica justitiæ, Deoque perosa consisterent, audientibus * ipsis elimatius exposuimus. Quamvis nec tunc omnia reprehensionum ejus loca in ipsis profanis gestis inventa sint, nec rursus omnia quæ inventa sunt, nunc ad memoriam nostram valeant repedare: tanta tamen ac talia fuere, ut pro his merito canonicam depositionis Theutgualdum & Guntharium oportere subire sententiam, sancta mecum synodus residens sæpius acclamaret. Qua de re zelo divino, ecce coram Deo dicimus, permoti, nec aliud nisi justum judicium exercere cupientes, communi consensu, cassato primum adulteris favente concilio, quod apud Metensium urbem congregatum fuisse supra commemoravimus, in eos, quod gementes memoramus, depositionis sententiam dedimus, & si juxta præcedentem consuetudinem aliquid de ministerio sacro deinceps forte tetigissent, excommunicavimus. Primo quidem, quia nostris pro Engeltrudi, vel Theutberga, seu Vvaldrada salubrius justis obedire contempserunt. Nam inobedientia tam horrendum malum est, ut idololatriæ merito comparetur, dicente Samuele: *Quasi peccatum ariolandi est repugnare: & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere*. Unde merito apostolus ait: *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam*. Secundo, quia eamdem Engeltrudem a nobis & a synodo abjectam & anathematizatam recipere & absolvere præsumpserunt: & hoc contra canones, & præcipue contra ipsum Nicænum magnum concilium, quod, Hi qui abjiciuntur ab aliis non recipiantur, sanxisse dignoscitur. Sed & beatus papa Gelasius, quod eadem quæ ligavit, & maxime prima sedes, debeat absolvere non semel exponit. Tertio, quia fraudis vel falsitatis rei manifestissime claruerunt, dum epistolæ nostræ, missis nostris pro causa Engeltrudis refugæ transmissæ, atque apud urbem Metensium in jam designato nefando conventu recitatæ, quædam fraude subtraxisse, quædam vero falso addidisse, atque commutasse reperti sunt, talemque illam effece-

* Epit. Episcop

1. Reg.

2. Cor.

fecerint, qualem libitui suo cogruere posse judicaverunt. Quarto, quoniam adulterio detentis non solum pastoraliter non restiterunt, nec ut speculatores venientem gladium annuntiaverunt, verum etiam his consentiendo & favendo, in nequitia persistendi fiduciam tribuerunt, & tantum flagitium tota virtute defendere fine tenus tentaverunt. Unde merito adhæresce re fecit Dominus linguam eorum palato ipsorum: videlicet ut qui linguam facinus arguendi non habuerant, hanc nec ad bona quoque prædicandum saltem habere
49. potuissent, juxta quod alias cantatur: *Peccatori autem dixit Deus*, usque *& cum adulteris portionem tuam ponebas*. Ille quippe cum adulteris portionem suam ponit, qui his vel consentiendo, vel favendo, vel non corripiendo, similis illis sicut vitiis ita & pœnis efficitur: juxta quod & apo-
. 1. stolus hujusmodi scribit: *Quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus*. Quinto quia de negotio unde ab utraque parte, id est, & a Theutberga, & a Lothario, juxta quod jam memoravimus, fuerat appellatum, isti præter auctoritatem nostram id sibi subripientes judicare ac diffinire temere præsumpserunt: & hoc adversus canones; siquidem de appellationibus, quæ apud memoriam sancti Petri fiunt, judicandum Romani præsulis arbitrio & consilio sacræ regulæ commiserunt. Verum isti, beati Petri reverentiam præ oculis non habentes, & judicium quod utraque pars a nobis efflagitavit, & nos exequi cœperamus, temeraria præsumptione diffinierunt, & Theutbergam, etiam ad ecclesiam confugientem, damnatione opprimi censuerunt. Sexto, quia hoc in absentia peregerunt, contra illud quod tropice dicitur: *Ne maledicas surdo*. Surdo quippe maledicit, qui absentem condemnat. Surdus namque quodammodo est, qui in absentia positus quæ sibi objiciuntur non audit. Quamvis absentia ipsa, non studio Theutbergæ, vel conscientia vulnerata, ut isti putant, sed timore regis idoneam illi nolentis tribuere securitatem, & factiosi consilii suspicione, fuerit merito procurata. Septimo, quoniam non solum ipsi subscribentes in profanis gestis, cuncta quæ male compilata fuerant, sine respectu sedis apostolicæ roboraverunt, verum etiam alios subscribere compellentes, eorum omnium prævaricationis auctores effecti sunt, & tot animarum rei constituti sunt, quot, utpote præminentes, in hoc vel verbo vel facto prævaricationis præcipitium demerserunt. Sed si volumus cuncta, quæ ab illis gesta fuisse, tam per oblatum a se libellum, quam per alia indicia, nobis & sanctæ synodo patuerunt, latius scriptis insinuare, facilius charta, quam nobis sermo deficiet. Septem ergo capitula, quæ cautam depositionis Theutgualdi & Guntharii præcipue genuerunt, nos commemorasse sufficiat. Solet namque per septenarium numerum universitas significari. Ceterum quis eorum omnia, quæ sive ante, sive post damnationem, perperam commiserunt, enarrare sufficiat? Qualiter videlicet nos se frustra redarguisse mentiti sunt,
. 5. contra illud quod Deo dicitur: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*. Qualiter primum quidem Theutbergam per electum ab illis judicium purgatam, denuo impetere contra divinam & humanam legem minime formidaverint. Qualiter hanc postea (hoc utraque lege inhibente) sine accusatore damnaverint, qualiter testes quosdam quidem, quibus imperari a rege poterat, contra leges publicas in ejus damnationem, quosdam autem domesticos imperantis admiserint. Qualiter contra reverentiam sacerdotalem, turpia quæque, adversus apostolum, ac criminosa, nec non & nauseam penitus & pudorem omnibus inferentia verba etiam scriptis tradiderint, & palam cunctis ostenderint, cum teste Domino etiam de otioso verbo reddituri sint homines rationem. Vel qualiter jam damnati auribus imperatoris adversus sacras regulas molesti fuerint: vel qualiter ordinationi Dei in beato Petro ecclesiæ Romanæ collatæ restiterint, & contra privilegia sedis ejus capitula obtrectationum conscripserint, & per totum pene occidentale clima disseminaverint: qualiterque per ea, etiam jam pro tanto piaculo perculsi, Lothario in scelere perdurandi robur dari suaserint. Sive qualiter nos tyrannice penes sanctum Petrum positos afflixerint, oppresserint, & quibus potuerunt malis fatigaverint: adeo ut homines eorum adyta sancti Petri violaverint, & in ecclesia ipsius sanguinem fuderint. Qualiter etiam ibidem nobis matutinales hymnos celebrantibus, illi noctu post tribunal ecclesiæ ipsius cum complicibus & fautoribus suis, contra Chalcedonense concilium conjuraverint & conspiraverint, & in ipsis diœceseon nostrarum principalibus locis conventus, & singulorum negotiorum ordinationes, & conciliabula, canonibus id inhibentibus, etiam adversus nos factiose patraverint, & cum nostris quoque suffraganeis tractatus iniquos, & fictiones quasdam texuerint. Postremo qualiter ecclesias dudum sibi commissas, & postea cum sacerdotio perditas, hactenus obtinere occupatas præsumant, & ut tyranni pro suo libitu moderentur. E ce quæ in ecclesia Christi Theutguaidus & Guntharius operati sunt & operantur, præter illa quæ Guntharius specialiter commisit, divinum tangendo ministerium, pro quo a sacris regulis etiam locum habere satisfactionis pemtus interdicitur. Verum in ipso jam suæ prosecutionis exordio, quod penes crebro dictum pernicioſum Metensem conventum habuerunt, talem se gerere animum liquido monstraverunt. Nam sicet postea ibidem missi nostri devtaverint, dicendi tamen principium satis pacifice orsi sunt. Sed hi, quia modicum quid redargutionis contra se sonuisse audierunt, protinus in furorem proruperunt, & verba, quæ nos de illis minime dixeramus, nos dixisse perhibuerunt, seque fautores, plantatores, & rigatores vitiorum appellare asseveraverunt. Et certe nos ea quæ de illis dolenda supra descripsimus, nondum cognita tenebamus, ut de ipsis tunc ista secure fateri possemus: & tamen hi jam, conscientia stimulante, nos astruere garriebant, quæ nos, utpote incognita, minime dicere convenerat. Quid est hoc, nisi quia nobis etiam tacentibus Spiritus sanctus jam quod plantatores & rigatores vitiorum essent, non per aliena, sed per propria ipsorum ora ostendere voluit? & sicut olim per Caipham quod oportebat fieri protulit, ita & per istos, licet non ex se, quod manifestari conveniebat expressit? Quæ tamen isti nos de se loqui penitus
* edit. Rom. *denegarent* denegabant, si vitam eorum moresque cognitos haberemus: hæc videlicet ore suo & labiis propriis asserere procurantes, ut laudatæ vitæ ac morum esse per omnia viderentur. Jam vero si ludibria ipsorum, & scenica vultis acta liquido nosse, gesta præfati Metensis concilii, quod nos tamquam adulteris favens, prostibulum dum cassaremus duximus nuncupandum, quærite & revolvite. Favit sane idem prostibulum adulteris, dum Lothario, Vvaldradæ, & Engeltrudi cuncta pro voto consenserit, & aliis hoc sequentibus adulterandi exempla præbuerit. Ecce pro quibus toties rogatis, ecce pro quibus indefessi fatagitis. Quamvis & nos non mediocriter caritati vestræ congratulemur, cum vos mœrentibus proximis compati conspicimus: quoniam & nos de illis non mo-

Conc. Chalc. can. 28.

dice condolemus, & crebris urgemur pro eis gemitibus. Et revera dolendi sunt, quia dum inter suos caput primitus essent, docentes mendacium facti sunt cauda: ecclesiam videlicet Domini tantis fluctibus immiscere, ac tantis laboribus immittere procurantes. Dolemus ergo illos, dolemus plane & ecclesiam Dei, quæ tot per eos discrimina sustinet. Nam sic per prophetam Samuel
1. Reg. 15. Saulem legitur deplorasse. Quinimmo & Dominus prævidens Jerusalem maxime culpa sacerdotum funditus evertendam, fieviſſe ab evangelista de-
Luc. 9. scribitur. Non autem nos, qui membra sumus, injuriarum nostrarum memores esse volumus, aut talionem, ut ipsi fortitan arbitrantur, eis reddere meditamur. Sed quia ipsi præcipue caput nostrum in repulsione innocentis feminæ, & admis-
b leg. &, sione mœchæ, ad iracundiam provocaverunt, illos plangimus & deflemus. Adeo ut in memoratorum scriptis gestorum ab his interlocutio facta solummodo memoretur, ita ut omittamus alia in eisdem gestis aperte scriptore dicente reperiatur: *Theu gualdus & Guntharius, qui causſam Theutbergæ recognoverant & judicaverant*, & rursus rege Lothario de istis adstruente: *Quidquid in ista causſa feci, horum sanctiſſimorum episcoporum usus sum consilio*. Quin etiam dum in jam dictis fœtidis gestis, inter innumera detestanda, quæ ad confirmationem ipsius facinorosæ mœchæ hinc inde compilare præsumpserunt, episcopi qui convenerant subscribentes, eadem gesta, immo per ea flagitium roborarent, ventum est ad quemdam fratrum & coepiscoporum nostrorum, qui tantum usque ad nostram deliberationem subscripsit eadem esse gesta servanda. Quod cernentes Theutgualdus & Guntharius, arrepto cultello, omne quod antistes providus ad deliberationem nostram servandum esse descripserat, raserunt, nomine solo episcopi relicto, cetera sicut ipsi voluerunt temere perscribentes. Quod nobis idem episcopus intimavit, & id ita gestum esse, in ipsis authenticis gestis luce clarius patet, nam ubi sanum est, evidentissime claret. In tantum quippe ad roborandum flagitium cor & linguam & calamum acuerunt, ut quæ semel vel dicto vel scripto in ejus confirmatione diffinierant, etiam coram nobis omni sua virtute, quousque ceciderunt, defendere niterentur. Verum quid in pluribus immoramur, & eorum gesta peremptoriam illis damnationem inferentia narrare conamur, cum hæc nec lingua loqui, nec ipsa mentis memoria retinere sufficiat? Sed quia fraternitas vestra studet scriptis suis benigne his misericordiam implorare, & restitutis priori statui consolationem his postulat adhiberi, & nos non inconvenienter quod licitum est, & rationabiliter flagitatur, concedere procuramus. Denique si præfati viri, Theutgualdus scilicet & Guntharius, patienter egerint, & malum, quod sui favoris studio perficere passi sunt, radicitus extirpatum exterit; atque si hoc perfecta in se humilitate, dignisque pœnitentiæ fletibus abolere studuerint, quin & pax, quam conturbaverunt, ecclesiæ Christi reddita fuerit: tunc profecto poterunt Dei solius intuitu, & vestræ fraternitatis affectu, alia ministrationis ecclesiæ nostro nutu atque ope freti beneficia promereri: prioris tamen ministerii, vel cujuscumque sacerdotalis officii dignitatem frustra quidem sperare poterunt, resumere autem in perpetuum non poterunt. Cesset itaque vestræ fraternitatis jam nos super hoc pulsare solertia, & quod fieri non potest, tandem aliquando desinat. Nam sedis apostolicæ sententia tanta semper consilii moderatione concipitur, tanta patientiæ maturitate decoquitur, tantaque postmodum deliberationis gravitate profertur, ut retractari non egeat, nec immutari necessarium ducat, nisi forte sic prolata sit, ut retractari possit, vel immutanda secundum præmissæ tenorem conditionis existat. Portent igitur ignominiam de- Eccl. 4
jectionis suæ, quia *est*, teste scriptura, *confusio adducens gloriam*. Sint interim in signum & in portentum omnibus, quos vel ipsi deceperunt, vel quibus audaciam persistendi in nequitia præstiterunt: quatenus & isti tanta confusione respersi, quod ore fatentur, corde quoque teneant & salventur, & illi non bene sibi subrepsum fuisse, ut ad tantum piaculum laberentur, parenter agnoscant. Nam malum adhuc imminet, adhuc fovere non desiit, adhuc libertatis aditum & licentiæ tempus expectat. Probat hoc Vvaldradæ, etiam post adulterii publicum scelus, gloria vigens: atque reginæ Theutbergæ dilectæ filiæ nostræ, etiam post præstita juramenta nec ancillarum qualitati coæquata dejectio. Denique quando Lotharius rex uxorem sibi debitam, sæpe faram scilicet Theutbergam, in præsentia missi nostri resumpsit, duodecim, sicut audistis, illustres comites juramenta sua vice repromittere jussit, se de cetero ita Theutbergam fore retenturum & tractaturum, quemadmodum regem legitimam conjugem suam reginam retinere convenit & tractare. Sed proh dolor! tanto nunc, quod vos forte non latet, hanc submittit opprobrio, tantæque detestationi, tantæque, quod solo dictu grave est, inopiæ subjicit, ut non dicamus aliquem * penes virum ne- * Pro virum
cessitatem patientum adjuvare, verum nec sibi, nec propriis queat homunculis omnino præstare. Sed e contra Vvaldrada, mœcha, & omni communione privata, licet a Lothario solo corpore videatur excluſa, cujus tamen cordi nunquam deesse multis exhibetur indiciis, & cacumen regium, & nocendi vel adjuvandi quos vult omnimodam obtinet potestatem. Ecce fratres, germina, ecce fructus, qui de Theutgualdi & Guntharii facto semine sunt exorti. De quibus tamen si fraternitas vestra veraciter ac utiliter dolet, & aliquod eis vult impertiri suffragium; curet necesse est vulnus, quod ipsi non solum minime ferro justitiæ resecarunt, verum etiam oleo iniquæ adulationis & persuasionis fovendo crescere longe late- Anſul cluſa rui ex Rom.
que fecerunt, nobiscum pariter incidere ac studiose mederi. Quamvis ipsi jam fati viri, ut prætulimus, quantum ad sacerdotium spectat, recipiendi nullam valeant habere hauciam. Si enim quod in his destruximus reædificaremus, prævaricatores a Domino procul dubio constituemur, & quasi de non bene gestis pœnitentiam (agentes in melius sententiam commutasse &c.) commutasse videbimur. Ac per hoc nec isti hujusmodi animadversionem paventes emendabuntur, nec hi qui hactenus inchoatum scelus introrsus retinent, puniendum putabunt; nec ceteri, qui ad hujusmodi possunt relabi flagitium, per hos salubriter eruditi, consultius committere pertimescent, quod tanta viderint dissoluta remissione relaxari. Revertimini ergo fratres ad vos, & redite ad cor, & recognoscite contra vitia ministerium vestrum, ipsum per quem tantum ecclesia Dei scandalum patitur, Lotharium scilicet regem, zelo ferventiori, & majori corripientes & admonentes instantia quo subveniat (sibi subveniat & miseris &c.) & miseris illis, quos pro se juramento constrinxit. Reginam videlicet Anſul cluſa rui ex Rom.
Theutbergam, conjugem suam, juxta tenorem præstiti sacramenti tractans, & se a reatu vice sua jurantium tegens, mittat etiam ad nos Vvaldradam, ut per hoc & ipse securam de cetero vitam ducat, & nos causſa illius tantis ulterius laboribus non subdamur. Non enim justum est, ut legitima tantam apud ipsum incommoditatem ac dehone-

honeſtatem patiatur, & ab adultera gloria dignitatis ejus ſurripiatur. Quod ſi rex Lotharius ita fieri denegat, & ſe veraciter audire ac perficere velle monita noſtra fatetur, quemadmodum nobis dilectus filius noſter Ludovicus rex inclytus ex ipſius aſſertione ſignificavit, quæſumus interrogetur vel a vobis, vel ſtudio veſtræ ſuggeſtionis a jam fato pio rege, quare nobis ſcribens, vel aliis ſatisfaciens, ſicut indicat de Vvaldrada, quod poſt miſſi noſtri reverſionem non ad eam acceſſerit, ita non indicat de conjuge ſua Theutberga, quod eam ſecundum datorum tenore iuramentorum tractet atque retineat. Niſi quia non habet unde glorietur, nec agit ſic erga eam, ut nobis id véraciter referre poſſit, & gratiarum a nobis inde percipere valeat actiones: dum non ſolum illa nulla munificentia ipſo largiente potitur, verum etiam omnibus opprobriis & egeſtate ſumma tabeſcit. Dicatur ergo ei a pio principe, vel a veſtra ſacerdotali ſuadeatur induſtria, ut quando nobis mittit, ad Vvaldradam ſe nequaquam contra interdictum noſtrum accedere, mittat etiam quod & Theutbergam uxorem ſuam juxta præſtita juramenta benigne tractet, & ſecundum regiam dignitatem retineat: ita dumtaxat, ut quod mittit, veritate fulciri aliis etiam atteſtantibus cognoſcamus. Denique quando illa repulſa ipſe rex Lotharius Theutbergam uxorem ſuam reduxit, diffinitum fuiſſe conſtat, ut eadem Vvaldrada in Italiam mitteretur, quatenus utrum Romam necne pervenire debuiſſet, noſtræ cenſuræ decreto * præ ſtolaretur. De his quippe perſonis, quarum ſedes apoſtolica ſpecialiter inchoat agitare negotium, ſicuti nos Lotharii & Theutbergæ regum, atque Vvaldradæ pellicis exequi controverſiam cœpimus, nulli fas eſt alii vel removere, vel aliquid diffinire, niſi forte cui ipſa præceperit. Vvaldrada ergo, quam noſtris hortatibus, noſtriſque decretis, a Lotharii conſtat remotam eſſe lateribus, noſtris quoque ſpecialiter debet, ad congruam eccleſiæ quam læſit ſatisfactionem, ſummitti judiciis. Quod quamdiu Lotharius non egerit, ſicuti nec nobis requies, nec Theutbergæ ſecuritas, ſic nec ipſi poterit tuta pax aut aliqua ineſſe ſalutis fiducia. Tanto igitur ſollicitius ad correctionem illius operam date, tantoque inſtantius non ſolum illum, ut in his nobis obediat, admonete, verum etiam & dilectum filium noſtrum Ludovicum excellentiſſimum regem, quo eum ad audienda noſtra monita ſemper incitet, cohortamini, quanto attentius legitis: *Quia qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, liberabit animam ſuam a morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Non ſolum autem hinc glorioſum regem veſtrum adite, verum etiam ſpecialiter deprecamini, ut admoneat & ſuadeat eidem Lothario, quatenus Romam non niſi purgatus, & quando nos annuerimus, venire præſumat. Nam niſi nobis obediens ſuſpicionum & malæ famæ ſordes diluere primum curaverit, videat ne forte leproſorum more de caſtris dominicis cum maxima confuſione pellatur. Quomodo vero ipſas poſſit ponere ſordes, breviter intimamus: videlicet, ſi Theutbergam uxorem ſuam juxta præſtita juramenta benigne tractet, & ſecundum regiam dignitatem retineat, Vvaldradamque ad nos accelerare compellat, atque in præfatis eccleſiis, ordine quem ei dictavimus, antiſtites ordinare permittat. Nam quamdiu Valdradam ſic manere dimiſerit, ſicut omnibus liquet, Theutbergamque nec regio cultu, nec conjugali dilectione tractaverit, quamdiu etiam Theutgualdum vel Guntharium eccleſias dudum ſibi cum ſacerdotio ablatas obtinere permiſerit occupatas, nec a lepra inuſti criminis, nec a ſordibus peſſimi odoris, id eſt, malæ opinionis, vel ſuſpicionis, liber eſſe poterit, nec puris eccleſiam greſſibus intrare valebit, nec ſacerdotibus Chriſti libera eum vel ſecura tangendi, vel intra caſtra recipiendi profecto quibit eſſe facultas. Ergo laborate in hoc nobiſcum, cariſſimi, decertate pariter, fratres: quia ſicut labor eſt multiplex in terris, ita nos merces copioſa manebit in cælis. Nec dubium eſt, hunc juvenem plurimos habere nunc pro ſua potentia vel dominatu ſibi conſentientes: de quorum omnium profecto converſione ac ſalute omnes ſimul lætabimur, ſi horum princeps, Dei gratia præveniente, communibus noſtris ſudoribus perfectius emundabitur. Præterea noverit ſanctitas veſtra, jam memoratum ſublimiſſimum regem veſtrum pro Theutgualdo & Gunthario ea qua vos nobis affectione ſcripſiſſe, cui quia ſuper hoc brevi ſcripto reſpondimus, ſi plenius noſſe placet, quæ de illis ſit penes nos fixa ſententia, induſtriam ejus ad hujus epiſtolæ, quam fraternitati veſtræ deſtinavimus, tenorem ſcrutandum direximus. Quamobrem agat ſanctimonia veſtra, ut ipſius piis ad legendum obtutibus cum debita reverentia, ſeu celeri diligentia deferatur. Porro ſi aliqui fortaſſe ſunt, qui dicant liberam eſſe VValdradam, & ideo huc proficiſcendi ei non debeat imponi neceſſitas; noverint non eſſe liberam, quæ a peccato ſuperata, ipſius & ancilla addicta eſt: Petro dicente apoſtolo: *A quo enim quis ſuperatur, ejus & ſervus addictus eſt*, & rurſus alibi: *Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*. A quo videlicet iſta nondum liberata, ejus profecto adhuc ancilla credenda, ac per hoc noſtro eſt judicio ſpeciali purganda, cujus decreto iniquitas ejus agitari cœpit, & Chriſto propitio abolitionem percipere. Nam niſi illam nondum a crimine liberam eſſe ſciremus, nequaquam eam pro liberatione, tam ſua quam fautorum ejus, in Italiam venire quoquomodo faceremus: licet eam per miniſtros ſuos poſtea, ne huc perveniret, ſatanas impedierit. Jam vero, ſi juſſa noſtra vel ſanctiones impleverit, ideo ſe putat anciſlam; ergo Lotharius rex ſervus dici debet, qui utcumque noſtra feciſſe mandata dignoſcitur: ergo iſta teneatur pro domina, quæ inobediens permanet, & dominetur Lothario, qui utcumqu noſtris ſtuduit obedire decretis, quod abſurdiſſimum eſt, & omnino nefandum. Verum ſi tanta rex Lotharius intentione VValdradam voluiſſet mœcham ad nos mittere, ad ejus ſcilicet a nobis cauſſam legitime definiendam, quanta voluit legitimam Theutbergam deſtinare conjugem, ac falſa contra ſe extorta ſcelera proferenda; forte jam nobis qualiſcumque pax vel reddita requies haberetur. Atque utinam ſic ſtudeat VValdradam ad nos deſtinare, quæ habet de ſcelere ſuo quod pandat, ſicuti geſtiebat reginam Theutbergam, quæ non quidem habebat quod de crimine panderet, ſed quod de violentia & jugi pœna illata ſibi multipliciter enarraret, & quam injuſtis minis, ut contra ſe falſum crimen coram nobis depromeret, multifarie compellebat. Optamus fraternitatem veſtram in Chriſto nunc & ſemper bene valere. Data pridie Kalendas Novembris, indictione I.

* poſtu-lat. H.

1. Petr. 2. Joan. 8.

b. 5.

LIX. AD ADONEM ARCHIEPISCOPUM VIENNENSEM.

De divortio inter Lotharium regem & uxorem ejus Theutbergam, satisfaciens consultis Adonis.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei reverentissimo & sanctissimo confratri nostro Adoni archiepiscopo.

QUia sanctitatis vestræ pro statu sanctæ Dei ecclesiæ ferventius invigilare constantiam cernimus, & contra delinquentium, immo prævaricatorum & sanctarum legum violatorum, mores & actus per zelum rectitudinis vos erectos consideramus, omnipotenri Deo gratias agimus, & vestram sanctitatem, ut in talibus illo adjuvante proficiat, ea auctoritate, quæ nobis per beatum Petrum principem apostolorum concessa est, modis omnibus commonemus, & quantum illos, sicut in vestris nobis innotuistis literis, prave atque incaute agere conspicitis, tantum illius, freti auxilio divinæ legis, per sacerdotalem & pontificalem auctoritatem, nullius personæ habendo acceptionem, & prædicationis verbo nova & vetera proponendo, ne sanguis eorum de manibus vestris requiratur, hortamur resistatis. Forsitan benignissima ac largiflua omnipotentis Dei clementia a proprio libitu eos revocare dignabitur, & infra gremium dominici gregis vestro studio atque labore recepti, de lucratione fraterna mercedis lucrum recipere mereamini: quia ecce instat tempus, ut ascendatis ex adverso, & opponatis vos pro domo Israel murum, & stetis in prælio in die Domini. *Et post alia.* De capitulis, quibus nos vestra beatitudo consulere studuit, ita rescribere nostra apostolica sollicitudo curavit secundum patrum sanctiones.

I.

Requiritis enim, si dimissa uxore, quam legitime sponsatam quis duxerit, quia nomen malum postmodum ei imposuit, absque decreto generalis synodi, liceat ei aut aliam accipere contra auctoritatem evangelicam, aut illa superstite pro uxore concubinam habere. Quibus nos apostolica auctoritate fulti secundum evangelicam sanctionem omnino resistimus, & nec aliæ uxoris copulam eis qui talia agunt dimissa superstite habere concedimus, neque concubinam habendi licentiam tribuimus.

II.

De eo, si desponsata nesciente sponso corrumpatur, & postmodum dote facta maritali more cum eadem idem sponsus jacuerit; si postmodum * intercepto tempore liceat ei ipsam, quasi prius ab alio corruptam, dimittere, & sic aliam ducere, quasi ista non fuerit uxor, aut concubinam pro ea tenere. Nec hoc consentimus, ut hi qui legitimo nuptiarum fœdere conjunguntur, & unum corpus per aliquod temporis spatium efficiuntur, divortium faciant. Sed quod prius initio conjunctionis corruptæ percipiendo voluntarie tacuerunt, postmodum intercepto tempore sustinendo, & si non voluntarie, inviti custodiant, etiam a concubinis omnimodo se abstineant.

* edit. Rom. *interjecto utrinque*

III.

Si hi qui sacras res ecclesiis datas, & a fidelibus oblatas, quasi a principibus sibi indultas invadunt, vastant, diripiunt, retinere præsumunt, auctoritate episcopali excommunicandi & anathematizandi sint. De his quidem rebus, quæ semel Deo contributæ atque dicatæ sunt, & postea sub

32. q. 2. De rebus quæ semel

A occasione concessionis principum a quibusdam invaduntur (atque diripiuntur) sancimus, ut prius consulto principe, ad resecandam tam præsumptivam factionem, cognoscendum utrum illius sit concessio, an invasoris præsumptio. Quod si principis inordinata fuerit largitio, ipse sit princeps pro emendatione redarguendus: si autem invasoris declaratur præsumptio, usque ad emendationem excommunicationis sit vindicta coercendus. *Et post alia.* Joannem archiepiscopum Ravennatem sciatis paterne ab apostolica sede receptum, & de errore quo accusabatur, sacramento purgatum, ac ut Romanæ sedi dignam reverentiam exhibeat, tam ipse, quam successores ejus, super corpora sanctorum nobis juratum fore. Libellos B quos mandastis nobis dirigendos, quando ad nos iterum miseritis, vestræ sanctitati dirigemus. *Et post alia.* Ut mala, quæ in regno Galliæ fiunt, zelo pietatis corrigantur, & per vos, & per alios confratres nostros, instantissime elaboretis exhortamur, ut fortissime in tot malis præparati resistatis.

* Ivo not. ej Anselm cluſa ſi vi ex Rom.

LX. AD CAROLUM CALVUM REGEM.

Pro Rotberto episcopo Cenomanensi adversus monachos sancti Karilefi.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei Carolo glorioso regi.

C EXcellentiæ vestræ innotescimus, quia Rotbertus sanctæ Cenomanensis ecclesiæ antistes nobis literis suis cognitum, præcipua cordis devotione obsecrans, facere studuit, quod monasterium sancti Karilefi, situm in pago Cenomanico, loco videlicet, qui antiquitus dicebatur Casa Gajani, super fluvium Anisola, ab ejus ditione ac potestate subtractum sit; & quod antecessorum ejus decreto & voluntate ordinabatur, nunc sine ipsius sit consensu sub abbatis constitutum regimine. Unde vestram Deo amabilem magnificentiam his apostolicis monemus atque hortamur apicibus, ut juxta veritatis censuram, sanctæ jam dictæ Cenomanensi ecclesiæ, super hujus rei negotio justiD tiam conservare, & pium devotionis vestræ auxilium impertiri, nulla hominum subdola persuasione prætermittatis: ipsumque monasterium pro Deo, nostræque paternitatis amore, præfato Rotberto episcopo, sicut & antecessoribus ejus jure permansit, deinceps habere, atque salubriter pro ipsius venerabilis loci utilitatibus ordinare, libenti animo permittatis: nullamque potentiæ vestræ vim in hoc aliquatenus patiatur; sed liceat ei habere securiter, quod juste suos semper tenuisse prædecessores privilegio etiam nobis ostenso fatetur. Si vero quispiam monachorum supradicti monasterii sancti Karilefi amplius resistere nititur, ne sub ecclesiæ Cenomanensis potestate jam dicta consistat, & in hac omnes obstinatione perE durant: ipse Robertus episcopus de vicinis episcopis sibi quos voluerit judices eligat, & nostra auctoritate simul convocatis, & ceteris episcopis, qui in diœcesibus sanctæ Turonensis ecclesiæ videntur existere, talis tumultus dissensiones, quæ callido sunt exortæ ingenio, justo sanctorum patrum judicio resecentur, omnisque hujus litis ambiguitas pacifica veritate pellatur: ita sane, ut monasterium priscis fundatum temporibus, cum omnibus sibi jure debito pertinentibus rebus, Deo auxiliante, illibatum sub potestate Cenomanensis ecclesiæ, si justum fuerit, maneat. Quamobrem magnitudinem vestram monemus, ut sicut superius dictum est, justitiam & æquitatem in hoc,

& in

& in ceteris omnibus conſervare, ob recompenſationem futuræ retributionis nulla ſæculi felicitate negligatis. Quod ſi in eodem judicio prædictus epiſcopus Cenomanenſis aliqua neceſſitate compulſus appellaverit ſe de hoc in noſtra præſentia judicium agere, volumus & jubemus tam ipſum epiſcopum, vel legatum ejus, quamque etiam tres de monachis prædicti monaſterii, tempore opportuno ad nos omni prætermiſſa occaſione venire: ut digne apoſtolicæ ſedis examine atque judicio talis utriuſque partis controverſia reſecetur, & ad æquitatis debitæ jus pars juſta ſine protelatione indubitanti fine perveniat. Quod ſi ipſi monachi, noſtra juſſione vocati, venire forte contempſerint, veſtræ poteſtatis properare cogantur imperio, cum quibus & fidelem hominem veſtrum tranſmittere, qui ipſius cauſſæ & contentionis initium experiatur & finem, dignemini.

LXI. AD ROTBERTUM EPISCOPUM CENOMANENSEM.

Narrat quid ipſius cauſſa ſtatuerit de controverſia monaſterii ſancti Karilefi.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei Rotberto Cenomanenſis urbis epiſcopo.

PLane quia ſanctitatem veſtram ad apoſtolicam ſedem conſtat plenas devotione literas deſtinaſſe, multas gratias Deo omnipotenti, vobiſque referimus, eo quod & debitam reverentiam obſervantes, nos in veſtris utilitatibus adjutores quæſiviſtis, & ſanctam omnium terrarum matrem Romanam eccleſiam interventricem ſuppliciter præoptaſtis, quod ita ſe habere luce clarius patet, veſtris animi ſibus conſulere. De illorum monachorum ſancti Karilefi improvida intentione decrevimus, ut ſi venerint, & talia concedi petierint, veſtro ductu amore nec illorum impolitis precibus annuemus, nec auctoritatis noſtræ cenſuram illis in talibus largiemur. Qui ſi voce forte falſidicæ aſſertionis aliquid, quaſi noſtræ inſtitutionis edita decreta, protulerint, donec noſtro demum pontificio cognitum fiat, illis credulitatem exhibeori non volumus: quia ut præfati ſumus, illis in talibus minime aſſenſum præſtabimus, aut talia volentibus facere apoſtolicam licentiam dabimus; excepto ſi talis * ratio non præluceat, pro qua id diffiniri intentio cogat. Glorioſum quoque regem veſtrum Carolum, ejuſque regni epiſcopos, noſtris exhortationibus admonemus, ut noſtra fulti auctoritate, * contra veſtræ eccleſiæ privilegia ſententiam minime inferant, diſcutiant, ac audiri permittant: ſed divina clementia favente juſte decernant, & Cenomanenſis urbis viris, ejuſque præſulibus, ut erat, ipſum monaſterium redderent, ſtatuimus ut veſtri ſub cura regiminis ſubderetur. Hoc illis ſummopere ſtatuentes, ut ſi a vobis judices, qui canonice cauſſam determinent, ex ipſis electi fuerint, veſtræ pareant voluntati: ita ut & judices dentur, & hujus rei intentio æque ventiletur. Quod ſi ob alicujus impedimentum inibi res digeſta non fuerit, præcipimus ut utraque pars, vos ſcilicet aut veſter legatus, & tres ex ipſis monachis, in noſtram ſpecialem præſentiam veniant, ut nobis præſentibus legitimum finem accipiant. Nam & confratrem noſtrum Herardum archiepiſcopum, de his per apoſtolicos apices certum reddidimus, & ut a nobis inſtitutum eſt intimavimus. Unde & eoſdem monachos dignum duximus cotripere, admonere, ut proprio libitui reſiſtere incipiant, & ultra modum mentem non elevent, nec illicita quæque apprehendere præſumant: ſed repreſſa tantæ temeritatis audacia, vobis obedire non differant, & veſtræ eccleſiæ colla ſubmittant.

* ra- / pra- H.

Rom.

LXII. AD UNIVERSOS EPISCOPOS ET PRINCIPES GALLIÆ.

Privilegium libertatis monaſterio ſancti Karilefi confirmatum.

*Nicolaus Romanæ ſedis epiſcopus Galliarum epiſcopis univerſis & * principibus ſempiternam in Deo Patre & Domino noſtro Jeſu Chriſto ſalutem.*

* edit. Rom pontificibus.

REgum corda divinitus inſpirata quando pro religioſis locis ſollicitudinem gerunt, divinitati gratiæ ſunt agendæ, & in omnibus quæ pie religioſeque procurant, eorum voluntati cum omni devotionis alacritate eſt parendum. Orandi denique eſſent, ut de ſanctorum locis pietatis affectum, & ſollicitudinis curam ſuſciperent. Nunc autem ultro ſe ad hæc peragenda præbentes, & illis eſt congratulandum, & quæ juſſerint ſine retractatione perficiendum. Glorioſus itaque rex Francorum Carolus, cælitus animum inſpiratus, inter cetera ſuæ devotionis ſtudia, quæ circa Dei eccleſiam prompta ſemper impendit devotione, curam quoque dignatus eſt aſſumere de monaſterio ſancti Karilefi confeſſoris, quod eſt in pago Cenomanico conſtructum ſuper fluvium Aniſola, in quo a prima ſuæ conditionis die, ex quo beatus confeſſor Chriſti Karilefus * in eo corpore quievit, religioſum monachorum habitavit examen, habuitque libertatis privilegium, & in rerum ſuarum diſpoſitione, & in abbatis de ſemetipſis electione. Verum quia impugnare eccleſiam Chriſti nunquam hoſtis humani generis omittit, ſecuritatem libertatis, quam ex multis jam annis poſſederat, etſi non penitus abſcidit, concuſſit tamen, & convellere conatus eſt, & paucis quidem ante jam annis, & præſentibus quoque, id eſt, ipſius Caroli regis temporibus. Quia vero divina clementia deſerit nunquam in ſe confidentes, principis animum ad hoc movit, ut non ſolum inimici perſuaſio non prævaleret: ſed etiam procurare voluit, ut ſequentibus temporibus libertatis privilegium olim monaſterio illi conceſſum, a nullo deinceps nec everti poſſet, nec violari. Unde dignatus eſt ad nos pius princeps præfatus, & miſſum dirigere ſuum, id eſt, venerabilem Odonem, Bellovacenſem epiſcopum, & literas ſuæ dignationis deſtinare, quibus poſtulavit, ut libertatem illi monaſterio, & ab epiſcopis, & a regibus Francorum conceſſam, noſtra firmaremus auctoritate, & futuris manſuram temporibus roboraremus. Conſiderantes itaque piam eſſe poſtulationem, & ſervorum Dei quieti perneceſſariam, & quæ a paſtoribus eccleſiarum poſtulanda eſſet atque procuranda, ſi minus eam mundi principes procurarent; decernimus apoſtolatus noſtri auctoritate, ut monaſterium ſancti Karilefi confeſſoris, intra Gallias ſitum in pago Cenomanico ſuper fluvium Aniſola, rerum ſuarum habeat liberam in omnibus ſecundum eccleſiæ ipſius utilitatem, & ſervorum Dei compendia, diſpenſationem, ut epiſcopus Cenomanicæ urbis, ſive Rotbertus qui nunc illi ſedi præeſt, ſive ſucceſſores ejus, nullam obtineant in eo monaſterio poſſeſſionis dominationem, neque præfatum monaſterium ad ſuæ urbis inclinare conentur ſubjectionem, ſed abbes ille qui nunc ibi eſt, Engilharius, & fratres ejuſdem monaſterii, domina-

* edit. Rom. *ſuis in corpore, religioſum &c.*

minationis jus secundum ecclesiastica statuta, & præsentibus, & futuris obtineant semper temporibus. Videlicet, ut quidquid oblatum est, vel fuerit deinceps illi cœnobio, vel in auro, vel in argento, vel in agris & famulis, vel in quacumque rerum substantia, nec episcopus Cenomanicus, sive Rotbertus, qui nunc illi urbi præst, sive qui post eum Cenomanicam ecclesiam rexerint, nec ulla alia persona, sive sæcularis, sive ecclesiastica, ullam obtineant vel sibi vindicent portionem: sed maneant omnia in ipsius abbatis, & fratrum ibidem Deo militantium dispensatione: ut quidquid secundum ipsius monasterii utilitatem regulariter & canonice voluerint agere, in eorum situm sit potestate. Neque episcopus ad præfatum monasterium, quasi propriæ potestatis abutens jure, nisi vocatus ab abbate & fratribus accedat, ne sui adventus pressura fratrum quietem perturbet: neque dolos aut machinationes ullas vel abbati, vel fratribus, sive per se, sive per suos, aliquando facere præsumat: quin potius quidquid Dei servis in prædicto monasterio commorantibus, conferre ad ordinis sui conservationem utiliter & modeste & benigne potuerit, id pro Dei amore & sempiternæ remunerationis gratia perficiat. Nec violenter aut callide mali quidquam, aut perturbationis, moliantur in illos, sicut audivimus quosdam facere voluisse, quasi inscriptiones quasdam monstrantes, quibus monasterium suæ civitati possessionis jure subditum fieri conati sunt: quas constat omnino falsas fuisse, quandoquidem privilegia regum, quæ ex antiquorum regum Francorum temporibus olim monasterio illi concessa sunt, hoc destruant, sicut & ipsa testantur, quæ in archivis monasterii ob testimonium sibi concessæ libertatis hodieque servantur. Quod si fortassis contigisset, ut aliquando monasterium illud sub potestate Cenomanici fuisset episcopi, quod rebus ipsis probatur & testimoniis monasterio collatis nunquam fuisse: tamen secundum leges sæculi, post tot jam sæcula & annorum spatia repeti nullatenus jure potuisset, & quod semel acceperat libertatem, jam sub ditione nequaquam mancipari denuo potuisset. In legibus enim habemus, ut omnes quæstiones intra xxx. annos terminum accipiant. De ecclesiasticis autem causis, post quadragesimum annum nulla querela moveri potest, si non intra hoc spatium annorum fuerit mota. Et ecce hoc monasterium a primo rege Francorum Christiano, id est, Clocoveo filioque ejus Childeberto, cum habuerit libertatem, & deinceps ab omnibus regibus, semper manserit liberum, & in rerum suarum dispositionibus, & in abbatis electione; nunc repetitur quasi in propriî juris dominationem; cum si terrena possessio fuisset, & per tot annos possessoris sui dominatione caruisset, nullo modo secundum leges sive mundi, sive ecclesiasticas, antiquus possessor eam sibi vindicare potuisset. At vero, quod est dictu nefas, Christi possessionem, & servorum Dei contubernium, quod terrena potestas liberum esse concessit, episcopalis ambitio in servitutis jus evindicare conatur. Apparet itaque, quisquis hæc perverse molitur, non lucrum requirere quod velit animarum, sed magis dominationis fastum & lucra cupiditatis inhiare. Unde omnibus modis hanc perniciosam reprimentes ambitionem præcipimus, ut Rotbertus episcopus Cenomanicus, & quicumque successor ejus fuerit, nullam in præfato monasterio sibi vindicet ditionis potestatem: sed maneat secundum concessam sibi jam multis annis absolutionem, ab omni episcopali pressura & dominatione remotum. Nullus in eo quidquam vindicet sibi præfatæ civitatis episcopus, neque per se, neque per ministros suos, neque ex clericis, neque ex monachis, neque ex canonicis, neque ex laicis, potestatis jure, aut episcopali fastu, sine voluntate abbatis ipsius loci, & fratrum ibi degentium, præsumat aliquid vel ad ordinandum, vel ad disponendum, vel ad dominandum. Ordinationes vero, quas petierit abbas, vel ipsi fratres, vel ecclesiarum consecrationes, vel altaris benedictionem, chrismatis quoque oleique sanctificationem prout petierint abbas & loci illius habitatores, non moretur præstare: quia munus officii sui episcopus non pro lucri gratia, sed pro creditæ sibi dispensationis ministerio debet impendere: & providentiæ pastoralis extitit, ut creditis sibi ovibus ex amore potius, quam ex potestate, consulere quærat, licet in subjectos utraque secundum tempus sint necessaria: sed amor debet generare solertiam, potestas vero temperanda est amore, ut potius Christi caritas ferveat, quam potestatis rigor insoleſcat: abbatem vero de se eligendi fratres cœnobii sancti Karilesi semper habeant potestatem, neque in ejus electione, episcopi Cenomanici respiciant constitutionem aut dispositionem: sed quemcumque dignum vita, moribus, atque doctrina prospexerint pastorali officio, & sibi utilem & aptum dispensatorem esse, ipsum eligant, regisque in notitiam deferant, ut ejus & concessione & consensu potestatem regiminis accipiat. Neque pro ejus vel ordinatione, vel constitutione, munus aliquod accipiatur, vel detur: quoniam Spiritus sancti donum non debet pretio, sed gratia promereri. Et quoniam multi per pravorum insidias hominum servis sæpe Dei fabricantur doli, decernimus ut ordinatus deponi non possit nisi criminalis eum causa monstraverit reum. Quod si fuerit infamiæ calumniis denotatus, ex regali providentia episcoporum habeatur non minus quam sex conventus, quorum de numero Cenomanicus constituatur episcopus: & eorum judicio secundum canones illius causa discussa, non aliter deponi possit, nisi reus manifestis certisque patuerit indiciis. Non est enim æquum, ut electus & ordinatus ecclesiæ pastor, fortuitu & sine judicio absque ullius manifesta criminis denotatione pellatur. Nullus enim apud leges sæculi damnatur, nisi in criminali causa deprehensus veritatis testimonio patuerit: nullus ecclesiæ qui fuerit ordinibus consecratus, merito deponendus erit, si non certis criminibus apparuerit convictus. Sic itaque abbas, & electus a pluribus, & ordinatus sacerdotali benedictione, nullo modo debet sui ordinis honore privari, nisi manifestis criminibus fuerit denotatus atque convictus. Unde sub hac auctoritate præcipimus, ut abbas cœnobii sancti Karilesi, postquam electus regulariter, atque canonice fuerit * ordinatus, a nullo nec episcoporum, nec regum, nec alia qualibet persona deponi possit, si non criminalis interceſerit causa, pro qua merito secundum regulam sancti Benedicti, & canonum instituta, deponi debeat. Hæc autem constituta volumus omnibus omnino modis inviolabilia præsentibus & futuris temporibus permanere, & a nemine vel regum, vel episcoporum, vel alicujus ordinis violari: Quod si quis constitutionis nostræ parvi ducens decretum, cœnobio sancti Karilesi, vel abbati vel fratribus violentiam fecerit, & vel in ipsis, vel in famulis eorum, vel in omni ipsius monasterii possessione invasor apparuerit, reum se in divino judicio non dubitet apparere, & divinæ censuræ puniendum damnatione. Unde constituimus, ut primum quisquis hoc molitus fuerit, sui honoris dignitate privetur, sive sit sæcularis,

* edit. Rom. & ordinatus

iaris, sive ecclesiastica persona: deinde ab ecclesiasticæ communionis societate fiat alienus, corporis quoque sanguinisque Christi participatione non communicet, donec vel quod inique gessit corrigat, vel digna pœnitentia satisfactionem emendet. Fratres vero ipsius monasterii, si quid horum quæ constituimus violatum esse cognoverint, id est, si abbatis electionem quis eis prohibere molitus fuerit, vel ipsius monasterii possessiones, aut quæ ibi oblata fuerint, suo juri mancipare decreverit, vel ipsum monasterium episcopus Cenomanicus ad civitatis suæ subditionem subjugare tentaverit, licentiam habeant mettopolitanum episcopum Turonensem convenire, & pressuram innotescere suam: & metropolitanus caussa cognita, personam per quam vexantur conveniat, & cui periculo tradita sit, ex præsenti auctoritate relecta edicat, utque emendare velit quæ prave gessit moneat. Quod si non libenter audire, & reatum corrigere suum maluerit, secundum præsentis constitutionis decretum, eum a communione Christianorum, & corporis sanguinisque Christi participatione efficiat alienum, quæcumque fuerit persona, & cujuscumque fuerit dignitatis. Quod si metropolitanus episcopus eorum precibus & acclamationibus adjutorium præstare detrectaverit, licentiam habeant S. Karilesi monasterii fratres apostolicam, id est, Romanam sedem, adire, & necessitudinis suæ caussam ante episcopum, qui tunc fuerit, urbis Romæ deponere, & præsentis edicti constitutionem manifestare: ut Romanus pontifex cognita caussa, justam anathematis condemnationem in reum exerere non moretur: ut monasterium præfatum propriam possit suæ libertatis munitionem habere, & pontificale decretum, regumque immunitates, Romanique pontificis constitutum, inviolabilem perpetuis obtineant temporibus firmitatem.

LXIII. AD EPISC. IN REGNO LOTHARII CONSTITUTOS.

Ut Lothario regi suggerant, ut summoto Hilduino, cui Cameracensem ecclesiam dedit, liberam eligendi episcopi licentiam tribuat.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei reverentissimis & sanctissimis confratribus nostris archiepiscopis & ceteris [1] *episcopis in regno Lotharii constitutis.*

Vide Flodoardum l. 3. cap. 22.

QUotiens de vestræ dilectionis sanctitate ea percipimus auribus, quæ Deo placabilia & grata, nec non & accepta esse creduntur, gaudemus in Domino, & immensi tripudii exultatione lætantes grates ei multimodas reddimus. At vero cum vos torporis desidia audimus languescere, præcepta cælestia, tamquam Lethæis quibusdam papaveribus perceptis, oblivioni mandare, peccata non premere, sed fovere, non eradicare vitia, sed plantare, ea sacri verbi ligone non recidere, sed veluti quarumdam, ut ita dicamus, linguæ adulationum ut crescant aquas effundere, immo quod est scelestius, alienis perversitatibus protegendo ac defendendo favere; contristamur, & tanto abundantia mœroris deficimus, quanto eos, cum quibus putabamus quibuslibet potestatibus ex adverso ascendendo libera pro domo Domini voce contraire, vel etiam virgam correptionis, ac justitiam rigoris extendere, illos videmus se sequentibus in barathrum, & iniquitatum foveam ducatum præstare, eosque, heu pro dolor! cæcis oculis anteire. Verum de hoc tacendum parumper, quousque tempus loquendi veniat, ratum ducimus. Ceterum fidelium certa relatione didicimus, quod glorioſus rex Lotharius filius noster ecclesiam Cameracensem cuidam Hilduino clerico dederit: quæ quidem in regno ipsius consistere dicitur, esse tamen de diœcesi confratris nostri Hincmari Rhemorum archiepiscopi perhibetur. Quo prædictum clericum in multis a sacris canonibus reprehensum judicante, ei ut alium qui dignus inveniri possit, consecrandi a rege, vobis auctoribus utique, qui hunc non corrigitis, facultas adimitur. Unde eadem ecclesia Cameracensis a jam fato Hilduino pervasa, jam ultra decimum mensem, contra sacrorum canonum normam, viduata consistit, jugiterque suis rebus exspoliatur, & quæ celebrari debent divina ministeria, quia episcopali ministerio caret, in ea minime fiunt. Quapropter præcipimus vobis, ut suggeratis filio nostro Lothario glorioso regi, & ei, ut nullum ecclesiæ Cameracensi præjudicium inferat, summopere suadere curetis: quatenus jam fato Hilduino submoto, ex se eligendi juxta sacros canones episcopum, clero & plebi ipsius ecclesiæ licentiam tribuat. Nam si hanc nostram præceptionem apostolicam contempseritis, scitote vos pro inobedientia, & pro consilii pestiferi veneno, quo jam fatum regem sæpe inficitis, a nostra communione penitus submovendos. Præterea epistolam, quam sæpe dicto Hilduino clerico mittimus, a vobis ei dari præcipimus. Quem nisi ex Dei & B. Petri, & nostra auctoritate excommunicaveritis, ut nihil de ecclesia Cameracensi sibi vindicet, nunquamque se in eadem ecclesia ad episcopatum provehi tentet, vel postulet, a communione dominici corporis & sanguinis estote, divina & nostræ mediocritatis sententia, cum eodem longius sequestrati. Siquidem cujus rei gratia ultra decimum mensem, contra sanctarum regularum diffinitionem, Cameracensem ecclesiam sine rectore episcopo de proprio clero electo viduatam permanere permiseritis, nosse procul dubio volumus, & cujus neglectu omissum sit, solerti prorsus examine reperire, & qua quis sit dignus ultionis pœna mulctare, Deo auctore, nulla contenti dilatione studebimus. Optamus fraternitatem vestram in Christo nunc & semper bene valere.

NOTÆ JACOBI SIRMONDI S. J.

1 *Episcopis in regno Lotharii.*) De hac epistola Hincmarus ad Nicolaum scribens apud Flodoardum lib. III. cap. XII. *In epistola vestræ sanctitatis, per Odonem episcopum episcopis in regno Lotharii pro præjudicio Cameracensi ecclesiæ directa, relegi vestram auctoritatem subscriturum, cujus neglectu eadem ecclesia ultra decimum mensem vacaret.* Vacabat autem post mortem Theoderici episcopi, atque hoc tempore ab Hilduino, quem Lotharius immiserat, detinebatur: donec Hilduino tandem pulso, legitimis suffragiis suffectus est Joannes anno DCCCLXVI.

LXIV. AD LOTHARIUM REGEM.

Ut Hilduinum ecclesiæ Cameracensis pervasorem rejiciat, & Hincmarum in ea disponenda privilegio suo uti permittat.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei Lothario glorioso regi.

INter innumera, quæ de te supra modum sinistra execrabiliaque feruntur, unde nos non mediocriter te salvum anima & corpore cupientes tristamur, illud etiam tuis excessibus te adjecisse veraci relatione comperimus, quod sanctæ ecclesiæ Rhemorum, in qua venerabilis confrater noster Hincmarus divina dispensatione archie-

chiepiſcopus præeſt, in regni tui finibus facultates ac prædia conſtituta diripias; & adeo illi diœceſim ſuam * violenti brachio inhibeas; ut eccleſiæ Cameracenſi, quæ ſuo ecce per decem menſium ſpatia eſt deſtituta paſtore, viduata manens, contra venerabilium canonum inſtituta, inibi epiſcopum conſecrandi, aut aliquid juxta ſuum miniſterium diſponendi, nullam omnino poteſtatem habere permittas. Quam cunctis Chriſtianis legibus deteſtandam præſumptionem, a gloria tua, contra eccleſiaſticas inſtitutiones, minime perpetrari optamus, neque aliquo modo patiemur: quoniam ſi regum eſt proprium, rebelles corporis motus rationis imperio refrænare ac regere, debuerat utique excellentia tua in omnium regni tui eccleſiarum defenſione adeſſe, & minime metropolitani Rhemorum jure ſoluto in parochiis regni tui, viduatæ eccleſiæ Hilduinum aliunde conſtituere pervaſorem. Ob hanc rem dilectionem tuam hortamur & monemus, atque apoſtolica auctoritate inhibendo arcemus, ut nullo pacto in his quæ ad Rhemorum ſanctam eccleſiam pertinent, illicitos appetitus extendens, ditioni tuæ ſubmittas, neque eccleſiæ Cameracenſi pervaſorem diutius inhabitare permittas. Quod niſi feceris, & omnia metropolitano Rhemorum non reſtitueris, ut ipſe juxta ſuum illic privilegium diſponere queat: quia jam tanta a te horrenda ac deteſtanda in corpore ſanctæ Dei eccleſiæ commiſſa diutius æquanimiter ferre nequimus, ut ſaltem compulſus reſipiſcere valeas, noveris te citiſſime mucrone eccleſiaſtico feriendum: ita ut ulterius talia in ſancta Dei eccleſia perpetrare formides. Pervaſorem vero Cameracenſis eccleſiæ, Hilduinum nomine, ſcias a corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti communione penitus ſegregatum, & ab omni Chriſtianorum conſortio ſequeſtratum, ſi poſt hanc noſtri apoſtolatus interdictionem remorari tentaverit, quouſque in noſtram præſentiam de his canonice ſatisfacturus occurrat. Optamus gloriam tuam in Chriſto bene valere.

* Pro, *violento*. H.

LXV. AD HILDUINUM CLERICUM.

Ut ab eccleſia Cameracenſi, quam pervaſerat, deinceps abſtineat.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei Hilduino clerico.

CUm noſtri voti deſiderium de omnibus bona cupiat ſemper cognoſcere, multum nos contriſtaverunt, quæ de perverſitatibus tuis, noſtris auribus a veracibus quibuſdam certa ſunt atteſtatione relata. Diceris enim quod contra ſtatuta ſanctorum canonum eccleſiam Cameracenſem invaſeris, & ejus ſanctæ plebis clericos opprimas ac dehoneſtes, bona quæque ipſius diripias, metropolitano, id eſt confratri noſtro Hincmaro Rhemorum archiepiſcopo, nullam debitam ſubjectionem vel obedientiam impendas; ſed abſque libitu ejus, ecce per decem jam menſes viduatam eamdem eccleſiam occupatam detineas; & cetera deteſtanda de tuis temeritatibus noſtræ apoſtolicæ ſollicitudini nuntiantur, quæ quidem nunc flemus: tantum hoc tibi præcipiendo injungimus, ut omnia quæ a prædicta eccleſia ſubtraxiſti, & ea habere dignoſceris, ei reddere ne differas. Et quoniam licet humana quædam poteſtas permittat, divina tamen canonicaque cenſura te in eadem eccleſia epiſcopum conſecrari nequaquam conſentit, immo omnes qui tui ſunt moris atque præſumptionis, a tanta dignitate procul repellit: A maxime cum metropolitano Rhemorum provinciæ, cui ipſa Cameracenſis eccleſia ſubjecta eſt, nullum debeat præjudicium irrogari; præcipimus tibi, ut de eadem eccleſia Cameracenſi nil auferens quantocius abſcedas, ut talis a clero, & a plebe ipſius eccleſiæ eligi, & ab archiepiſcopo Rhemorum conſecrari poſſit, qui in nullo a ſanctis canonibus reprehendatur. Quod ſi præfatæ eccleſiæ quæ tuliſti, præter illa quæ ad victum & potum pertinuerunt, reddere diſtuleris, vel ſi amplius aliquid inde abſtuleris, & ab ejus poteſtate ac regimine te minime ſubduxeris, Dei noſtri, & ſanctorum apoſtolorum atque ſententia auctoritatis noſtræ, ſis vinculis anathematis obligatus, quamdiu hujus noſtræ diffinitionis epiſtolæ B pertinaci animo reluctaveris.

LXVI. AD STEPHANUM COMITEM ARVERNORUM.

Jubet ut Sigonem Arvernenſem epiſcopum eccleſiæ ſuæ dejecto pervaſore reſtituat, & ſynodo legatorum de objectis ſatisfacturus ſe ſiſtat.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei Stephano comiti.

QUæ & quanta contra canonicas & eccleſiaſticas regulas, immo contra naturalia jura pertinaciter egeris, ſedis apoſtolicæ, quæ ubique ex C miniſterio ſibi credito ſpiritaliter præſto eſt, cognitionem omnino non latet. Et licet tanto ſint odio a noſtris mentibus repellenda, ut in te eorum auctoritatem merito mittere in virga cogamur: ut tamen adhuc te reſipiſcere a tantis malis ſperantes, has noſtri apoſtolatus literas tibi dirigimus, ut ſubmiſſa pertinaciæ tuæ cervice, ſanctorum ſacerdotum præceptis pareas, de præteritis pœnitudinem geras, & a futuris te, ne perſeverando in talibus in diaboli laqueos ſempiternos incidas, circumſpecte ac ſolerter cuſtodias. Ceterum quia, quod his nequius extat, contra omne quod Chriſtianæ religioni convenit, dejecto ſanctiſſimo Sigone Arvernenſi epiſcopo, in D locum ejus pervaſorem Adonem clericum ſubſtituiſti; præcipimus tibi auctoritate Dei omnipotentis, beatorumque apoſtolorum principum Petri ac Pauli, ut nullam paſſus moram, ſanctiſſimum Sigonem epiſcopum, dejecto pervaſore, eccleſiæ ſuæ reſtituas, & in omni ſacerdotii dignitate eum manere amodo dimittas. Nam quia nonnulla impudica ac ſceleſtiſſima de te inculcantur, apoſtolica auctoritate ſancimus, ut de his pleniſſime ſatisfacturus, in noſtrorum legatorum præſentia, qui conſtitutæ a nobis ſynodo præeſſe debebunt, in loco præfixo occurrere ſtudeas. Quodque ſi neglexeris, & præſentiam tuam a ſynodico examine defraudare tentaveris, ſcias te præſulatus noſtri auctoritate a vini & carnium partiE cipatione omnino excommunicatum, quoadusque Romæ in noſtra ſpeciali præſentia diſtrictam poſiturus rationem aſſiſtas. Pervaſor vero ſanctæ Arvernenſis eccleſiæ, ſi poſt hanc noſtram definitionem illic remorari tentaverit, & aliquod impedimentum ſanctiſſimo Sigoni epiſcopo facere quacumque argumentatione præſumpſerit, ſciat ſe pari modo non tantum a vini & carnium, verum & a corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti participatione penitus eſſe ſejunctum, quamdiu noſtris juſſionibus obſtinate in præſentiam apoſtolicam venire diſtulerit. Bene vale.

LXVII. AD HERMENTRUDEM REGINAM.

Gratias agit de muneribus ab ea missis.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei Hermentrudi gloriosæ reginæ.

DEvotionem tuam & fidem quam sublimitatem tuam circa beatorum apostolorum reverentiam habere perspicimus agnoscentes, dignas Domino Jesu Christo retulimus gatias. Nam & munerum vestrorum diversis speciebus oblatis non tam censum, quam pium considerantes affectum reginæ Austri industriam tuam prætulimus. Siquidem tanto coram nobis gratius, quam præfatæ reginæ, vestra munera suscepta sunt, quanto illa mortali, tu vero, filia carissima, immortali regi, & ecclesiæ ipsius principibus, qui cum eo feliciter regnant, & vobis intercessionibus suis solatia conferunt, dona non tam corruptibilia, quam semper mansura, & ante Deum jugiter florentia obtuliστis. Et revera, si illius quæ duo tantum minuta in gazophylacium misit, tanto est munus coram Deo acceptum, quantum putas vestra fore grata, quæ plurima contuliστis? immo, quod est majus, temetipsam devotione & fide Domino, ejusque servis, totis affectibus exhibetis? Omnipotens Deus te incolumem custodiat, dilectissima filia.

Luc. 21.

LXVIII. AD HUCBERTUM ABBATEM FRATREM THEUTBERGÆ REGINÆ,

Respondet ejus literis, & quod ipsius causam & sororis in synodo a legatis examinari jusserit.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei Hucberto religioso abbati.

APices defensionis tuæ, per Odonem fratrem & coepiscopum nostrum ad sedem apostolicam missos, libenter accepimus. Quorum etiam tenorem attentius perpendentes, reperimus te conquerentem dura invectione a nobis fuisse conventum, ac contra spem, dum te cum fratre & sorore jugiter proclamantem consolationis epistolas accipere sperares, arguentes te ac corrigentes dure inveneris. Quod utique devotio tua moleste ducere non debuerat: quia patris solers disciplina dilecto filio, etiam minime peccanti, nonnunquam adhibetur: non quo severitate verberum frustra examinetur, sed quo, ne in suspectis facinoribus devolvatur, benevola invectione terreatur. Ac cum dira flagella filius molestissime ferat, eo quod sine culpa percutitur, scit tamen pater, quod blando in pectore modum servaverit disciplinæ, ut ab imminentibus custodiret. Quod cum ita esse * nec omnino sciolus dubitet, animadvertendum est, & summa circumspectione cavendum, ne cum apostolici moderaminis tibi aliquoties dura mittuntur, moleste in aliquo feras: quia aut aperta & vera sunt nostræ correctionis verba, aut occulta & justa sunt, & aliquam habentia rationem. Porro quia innocentiam tuam in sacerdotum examine expetendo, & quotidie proclamando, commendare videris, gratum habemus, & ut ita se veritas habeat, Deum rogitamus. Tamen quia adhuc in acie stare videris, innocentiæ tuæ perseverantiam adhibe, ut unde nunc a nonnullis denotatis, perspecta veritate, postmodum collauderis. Ceterum juxta divinitus

* Al. *nullus omnino*. H.

A nobis creditum ministerium, ut a die qua apostolatui nostro negotium tuum atque sororis relatum est, strenue perstiterimus, nullius sanctæ Dei ecclesiæ filiorum latere notitiam credimus, & quid de fratre tuo egerimus, ipse poterit enarrare. Neque enim in hoc desides negligentesque poterimus vel suspecti haberi, qui ad diversa quoque negotia dirimenda & examinanda, atque ad ultimum juris silentium perducenda, & synodum colligi jussimus, & legatos apostolicæ auctoritatis illuc direximus, quorum censura in collegio fratrum, aut pro culpa canonice puniamini, aut pro innocentia juste a crimine diluamini. Optamus religiositatem tuam in Christo feliciter valere.

LXIX. AD LUDOVICUM ET CAROLUM FILIOS CAROLI CALVI REGIS.

Gratulatur quod in gratiam cum patre redierint, hortatur ne in posterum ab eo divellantur, jubetque ut synodo satisfacturi se sistant.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei [1] *Ludovico & Carolo filiis Caroli gloriosi regis.*

PErvenit ad apostolatus nostri notitiam, quod malorum hominum callida suggestione decepti, a patris gratia, & participatione digressi fueritis. Qua ex re nimo mœrore devicti, dispositum habuimus apostolici moderaminis vobis competenter correctionem dirigere, quæ vos & ab improbis stultisque libitibus refrenaret, & correctos pateruæ gratiæ restitueret. Nunc autem, quia sanctissimus frater & coepiscopus noster Odo veniens, dilectionem vestram paternæ gratiæ pleniter reformatam esse affatus est, grates Domino Deo retulimus. Ideoque devotionem vestram hortantes, sancimus, ut caveatis vos de reliquo a tanti patris unanimitate prorsus divelli, qui vos tamquam evangelicus pater, post perpetratos excessus ad se convertentes, benignus suscepit, stola prima induit, annulumque in manibus, & calceamenta in pedibus tribuit: ita ut sicut erroneus ille filius tandem regressus gratiam promeruit, & paternæ hereditatis sine margine heres extitit, vos quoque studeatis in eo quod probe reversi estis persistere: quatenus & hereditate patria semper fruamini, & a benedictione & gratia, atque communione sanctæ Romanæ ecclesiæ, quæ vos glorioσiores exoptat, nulla penitus negligentia decidatis. Sane in synodo, quæ statuto a nobis loco congreganda est, in qua apostolicæ auctoritatis legatos credimus adfuturos, præsentiam vestram humiliter præsentari jubemus, ut ibi de quibus impetita fuerit, veraci ratione respondeat, & plenissime satisfactura canonicis regulis se submittat. Optamus vos in Christo bene valere.

NOTA JACOBI SIRMONDI S. J.

1 *Ludovico & Carolo.*) Carolo Calvo ex Hermentrude regina filii, ut annales nostri produnt, quatuor fuerunt, Ludovicus, Carolus, Carlomannus & Lotharius. Lotharii puer abbas, & Carolus juvenis rex Aquitanorum, mortui sunt anno DCCCLXVI. Carlomannus etiam clericus ante patrem obiit, ita solus superstes Ludovicus patri successit.

LXX. AD HINCMARUM ET CETEROS EPISCOPOS IN REGNO CAROLI constitutos.

Exponit cauſſas odii & invidiæ Græcorum adverſus eccleſiam Latinam: mittit illorum obiectiones, ut eas refellant, & quæ contra illos invenerint, in urbem tranſmittant.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverentiſſimis & ſanctiſſimis Hincmaro & ceteris confratribus noſtris archiepiſcopis & epiſcopis in regno Caroli glorioſi regis eccleſias conſtitutas regentibus.

OMnium nos portare onera qui gravantur, immo hæc in nobis portare beatiſſimum Petrum, qui nos adminiſtrationis ſuæ protegit ac tuetur hæredes, fraternitas veſtra liquido novit. Verumtamen inter alia quæ nos immenſis laboribus inſerunt, illa nos præcipue commovere videntur, quæ nobis, immo univerſæ occiduæ parti, a Græcorum imperatoribus, Michaele ſcilicet & Baſilio, & ab his qui ſibi parent, nequiter ingeruntur. Hi enim odio & invidia contra nos inflammati, quæ inferius annotabimus, nobis quaſi crimina hæreſeos impingere moliuntur. Odio quidem, quia Photii adulteri & invaſoris eccleſiæ Conſtantinopolitanæ atque neophyti, a depoſitis & anathematizatis factam promotionem non ſolum non approbavimus, ſed & damnavimus: fratris ſcilicet & comminiſtri noſtri Ignatii ejuſdem eccleſiæ patriarchæ dejectionem, utpote a ſubjectis, & ab imperiali potentia factam, nullo ſuſcipientes aſſenſu. Invidia vero, quia regem Bulgarum Michaelem nomine, cum gente ſua, Chriſti fide ſuſcepta, a ſede beati Petri inſtitutores & doctrinam expetiviſſe audierunt. Volentes quippe, nimiumque anhelantes, eoſdem Bulgares a beati Petri ſubjectione ſubducere, ſuoſque imperio ſub prætextu Chriſtianæ religionis caliide ſubjugare, talia de ſancta Romana eccleſia non habente maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, prædicant, quatenus illi, utpote adhuc in fide rudes, hæc audientes, nos quaſi noxios, & diverſarum hæreſeon ſqualoribus reſperſos, vitent, declinent, atque penitus deſerant. Denique cum clamor malorum, quæ in Conſtantinopolitana eccleſia, tam per eoſdem principes, quam per eos qui illis ſive metu, ſive affectu ad votum parent, multiplicatus & conſummatus eſſet, noſtriſque auribus increſcens, immenſum cordi ſuper tanta nequitia dolorem incuteret, etiam ipſis petentibus & obnixe precantibus, ad hanc inquirendam & nobis referendam miſſos noſtros, Rhadoaldum ſcilicet & Zachariam, tunc epiſcopos, Conſtantinopolim deſtinavimus, qui illuc pervenientes, patriarcham Ignatium damnando, & Photium communione ſua firmando, contra interdictum noſtrum factioni conſenſere Græcorum. Cum autem patrato nefando ſcelere Romam reverſi fuiſſent, miſſus eſt etiam ab imperatore Michaele cum ipſis ad nos proprius legatus, nomine Leo a ſecretis. In quorum adventu cognoſcentes tam præfatum Ignatium injuſte depoſitum, quam Photium mœchum irregulariter in ſede Conſtantinopolitana firmatum, moleſtiſſime tulimus, ſcribenteſque noſtram ſummæ auctoritatis epiſtolam, eidem Leoni a ſecretis imperatori per indictionem decimam. hanc deferendam contulimus. Per quam videlicet nos nec illam damnationem, nec talem promotionem, utpote utramque inique patratam, admiſſuros fore prædiximus, & ratione competenti firmavimus. Deinde bis facto concilio, & lectis profanis geſtis, quæ prædictus Leo a ſecretis detulerat, ubi putatæ depoſitionis fratris & coepiſcopi noſtri Ignatii tenor continebatur, inventi ſunt iidem miſſi noſtri tam in damnatione Ignatii, quam in communione Photii, omnino culpabiles. Unde nos eccleſiam noſtram ſine omni volentes macula, ſicut ſemper, ſubſiſtere, ne videlicet in ea, illis impunitis remanentibus, vel tenuis ſubſannandi oriretur occaſio, aut nos eorum pravitati conſenſiſſe videremur, utrumque damnavimus, & excommunicationi ſubmiſimus: damnationem vero Ignatii, vel promotionem Photii, penitus reſpuimus & condemnavimus. Reverſo autem Leone a ſecretis Conſtantinopolim, Michael imperator comperiens per epiſtolam noſtram, quam per ipſum tranſmiſimus, quod nec depoſitionem Ignatii, nec promotionem Photii ſuſcepiſſemus; mox quemdam legatum ſuum, nomine Michaelem protoſpatharium, cum epiſtola injuriis plena ad nos direxit, & ut ſententiam noſtram ad votum ipſius commutaremus, vehementer hortatus eſt. At nos injurias quidem noſtras non curantes, licet circa eccleſiæ injurias non tacuiſſemus, ſcripſimus epiſtolam noſtram, & hanc per indictionem quartamdecimam præfato imperatori per jam nominatum Michaelem protoſpatharium legatum ſuum direximus, tam videlicet a noſtra eccleſia falſas objectiones repellere cupientes, quam ipſum imperatorem cum ſequacibus ſuis ſuper hoc negotio ad rectum juſtitiæ perducere tramitem anhelantes. Sed ut plenius hæc tam ipſi imperatori, quam aliis fidelibus intimari potuiſſent, convocatis quibuſdam e vicinis locis fratribus & coepiſcopis noſtris, de his quod nobis canonice viſum eſt, prædeceſſorum noſtrorum ſecuti veſtigia, decrevimus & ordinavimus, quod etiam ſanctitati veſtræ poſt modicum, Deo favente, plenius intimare diſponimus. Quo rite ſicut arbitramur ordinato, quærere cœpimus opportunitatem, qua freti miſſos apoſtolicæ ſedis etiam adhuc Conſtantinopolim cum exhortatoriis epiſtolis deſtinaremus: qui & pro ſalute ipſorum competentibus eos monitis ædificarent, & quæ fuerit de illis apoſtolicæ ſedis prolata ſententia, manifeſte denuntiarent: juxta quod & magna ſynodus Nicæna de his qui abjiciuntur ſanxiſſe dignoſcitur. Cam. 5
Videbatur enim nobis iter navale ſatis difficile, & propter eorundem Græcorum expertas inſidias valde cavendum. Cum his itaque anxietatibus undique coarctaremur, & ingentibus premeremur anguſtiis, ecce ſubito legati jam fati regis Bulgarum nobis adeſſe nuntiantur. Unde, quis eſt qui dicere poſſit, quanto gaudio, vel quanta exultatione ſimus repleti? eo quod & eorum ſalubrem converſionem per divitias bonitatis Dei cognovimus; & quia illos doctrinam beati Petri apoſtoli, ſeu ſedis ejus, exquiſiſſe comperimus, qui licet longe poſiti corpore, nobis tamen facti ſunt fide præſentes: ſed & quia per eorum regnum facilem ac terrenum miſſis noſtris ad terram Græcorum acceſſum patere perſpeximus. Ordinatis igitur tam quæ Bulgarum gentis congrua fidei rudimentis agnovimus, quam quæ Conſtantinopolim mittere diſpoſuerimus, miſſos quoque noſtros cum legatis jam nominati regis per ipſius tranſituros regionem direximus. Quos imperatores Græcorum non ſolum recipere minime conſenſerunt: verum etiam vehementer adverſus Bulgares animos commoverunt, eo quod per ſuam eos terram tranſire permiſerint: nihil aliud procul dubio innuentes, niſi quod eos, ſi per ſibi ſubjectas regiones tranſiſſent, illis periculis traderent, quibus præfatæ urbis hæretici principes ſæpe ſedis apoſtolicæ legatos,

garos, pro cauſſa fidei vel correctionis eccleſiaſticæ deſtinatos, tradidiſſe leguntur. Præterea cum Bulgarum rege demorantibus, & ad urbem Conſtantinopolitanam eiſdem noſtris accedere miſſis conantibus, iidem imperatores epiſtolam ſuam ipſi regi Bulgarum tranſmiſere: quam ille accipiens nobis per legatos noſtros deferri devota mente decrevit. Accipientibus itaque nobis, & perſcrutantibus eamdem cum aliis ſcriptis epiſtolam, non hanc ſæpe memorati principes dictantes, niſi in lacu blaſphemiæ tinxiſſe calamum, & luto erroris uſi pro atramento fuiſſe proçul dubio patuere. Conantur enim tam noſtram ſpecialiter, quam omnem generaliter, quæ lingua Latina utitur, eccleſiam reprehendere, quod jejunamus in ſabbatis, quod Spiritum ſanctum ex Patre Filioque procedere dicamus, cum ipſi hunc tantum ex Patre procedere fateantur. Dicunt præterea nos abominari nuptias, quia presbyteros ſortiri conjuges prohibemus; & inſimulare tentant, quoniam eoſdem presbyteros chriſmate linire baptizatorum frontes inhibemus: quod tamen chriſma nos ex aqua fluminis conficere fallaciter arbitrantur. Reprehendere nihilo minus moliuntur, eo quod octo hebdomadibus ante paſcha a carnium, & ſeptem hebdomadibus a caſei & ovorum eſu more ſuo non ceſſamus. Mentiuntur quoque nos, ſicuti per alia ipſorum conſcripta indicatur, agnum in paſcha, more Judæorum, ſuper altare pariter cum dominico corpore benedicere & offeire. Quin & reprehendere ſatagunt, quia penes nos clerici barbas radere ſuas non abnuunt, & quia diaconus non ſuſcepto presbyteratus officio apud nos epiſcopus ordinatur; cum ipſi etiam illum, quem patriarcham ſuum nominant, ex laico ſubito tonſuratum ac monachum factum, ſaltu ad epiſcopatus apicem imperiali favore ac brachio provehere, ut ipſi putant, minime formidaverint. Et adhuc, quod eſt gravius & inſanius, a miſſis noſtris, contra omnem regulam, & præter omnem conſuetudinem, libellum fidei, ſi ſe ab illis recipi vellent, exigere moliebantur, in quo tam iſta capitula, quam ea tenentes anathematizarent: nec non & epiſtolas canonicas ab his ei, quem ſuum œcumenicum patriarcham appellant, dandas improbe requirebant. In his igitur, explosis ceteris curis, vos fratres ſummopere convenit deſudare: & quia communia ſunt hæc opprobria quæ univerſali eccleſiæ, in ea dumtaxat parte quæ Latina uti dignoſcitur lingua, ſicut præmulimus, ingeruntur, communiter omnes, qui divino ſacerdotio illuſtrari videmini, decertare debetis, quo paternæ traditiones tantæ derogationi non pateant: ſed quæ pravi quique conſueta contentione tam mentientes quam errantes maculare geſtiunt, manu communis defenſionis ab omni nævo blaſphemiæ funditus eruantur. Ridiculum eſt enim, & ſatis abominabile dedecus, ut temporibus noſtris vel falſo inſimulari ſanctam Dei eccleſiam permittamus, vel eas traditiones, quas antiquitus a patribus noſtris ſuſcepimus, pro libitu ſemper errantium infringi patiamur. Quapropter neceſſe eſt ut eorum conatibus reſiliamus, & falſis illorum jaculis veritatis clypeum opponamus. Quod nos quidem, opitulante ſuperna potentia, prout valemus, agere non omittemus: nec, cum opportunitas cælitus datur, contra illos pro eccleſia Chriſti tacebimus. Sed magnopere convenit, ut & veſtra quoque fraternitas, morem ſecuta majorum, concertans nobis & unanimiter collaborans in talibus inveniatur. Siquidem, niſi mente receſſit, nunquam Heſperiæ regiones (ut de aliis mundi plagis interim taceamus) a ſede B. Petri in hujuſcemodi quæſtionibus diſſonantes inveniæ ſunt. Unde unuſquiſque veſtrum qui metropolitana jura ſortitus eſt, junctis ſibi fratribus & coepiſcopis ſuis qui ſub ſe ſunt, de his diligentem curam ſuſcipiat, & quid invidis eorum detractionibus opponi neceſſe ſit, rimari ſtudeat, & invenire ſummopere geſtiat, atque inventum nobis ocius tranſmittere minime parvipendat: quatenus id nos quoque adverſus eorum veſaniam cum ceteris aſſertionibus noſtris deinde mittere valeamus. Nihil enim in nobis tam viſibilis quam inviſibilis hoſtis, ſicut concordiam, exhorreſcit. Ideoque mutuo ſtudia noſtra provocemus, & contra communes hoſtes, non quaſi hac vel illac palantes, ſed tamquam caſtrorum acies ordinati reperiamur. Sicque fit, ut dum nos veſtram unanimitatem ad communem incitamus conflictum, & vos noſtris certaminibus intereſtis, ut & nos veſtram ſanctimoniam debito mentis affectu diligere fraterneque venerari cernamur, & vos in nullo a capite, id eſt a ſede Petri, diſſidere noſcamini. Quanto autem livore, quantaque vecordia, jam deſignati Græcorum principes, eorumque ſatellites, adverſus nos, pro eo quod ſuis noluimus parere illicitis animoſitatibus, armati ſint, in eo manifeſte datur intelligi, quod aut falſa ſunt, quæ nobis impingere moliuntur, aut certe jam a priſco tempore ſine cujuſquam contradictione in eccleſia Romana, imino in tota occidentali parte, hactenus cuſtodita: & cum floruerint etiam apud ipſos magni doctores eccleſiæ, nullius tamen eorum de his reprehenſionem fecit, niſi hi qui non zelo juſtitiæ fervidi, ſed zelo invidiæ perculſi, eccleſiæ lacerare traditiones anhelant. Præcipue cum de jejunio ſabbati tempore S. Silveſtri confeſſoris Chriſti ſit ſatis diſcuſſum & diſputatum, atque ut celebraretur per omnia definitum, nulluſque poſt hæc auſu temerario contra illud ſtatutum venire, aut ſaltem mutire præſumpſerit: cum potius e diverſo ſedis apoſtolicæ inſtitutio, & eccleſiæ Romanæ ſequens obſervantia, ejuidem ſalutiferi conſtituti executrix fuiſſe hucuſque reperiatur. Præterea de proceſſione Spiritus ſancti quis neſciat illuſtres viros, & præcipue Latinos, nonnulla ſcripſiſſe, quorum fulti auctoritatibus, iſtorum oppido ſane reſpondere poſſemus inſaniæ, ſi vel illis nos reprehedendi, vel nobis eis contentioſa fauce gannientibus rationem reddendi conſuetudo quælibet extitiſſet? Sed quid mirum ſi hoc iſti prætendunt, cum etiam glorientur atque peihibeant. quando de Romana urbe imperatores Conſtantinopolim ſunt translati, tunc & primatum Romanæ ſedis ad Conſtantinopolitanam eccleſiam tranſmigraſſe, & cum dignitatibus regus etiam eccleſiæ Romanæ privilegia translata fuiſſe? Ita ut ejuſdem invaſor eccleſiæ Photius etiam ipſe ſe in ſcriptis ſuis archiepiſcopum atque univerſalem patriarcham appellet. Videte ergo, fratres, ſi hæc eccleſiæ Chriſti non præjudicent: videte ſi tolerabilia valeant æſtimari: conſiderate ſi debeant illi eccleſiæ Romanæ hujuſmodi derogationes vel detractiones ingerere: cum ipſa, ex quo cœpit Chriſtiana religio dilatari, quæ ſemel in Petro patrono ac inſtitutore ſuo ſuſcepit, immutilata tenuerit, & incorrupta per alia climata mundi docuerit: nec apparuerit quiſquam per tot ſaltem ſæculorum curricula, qui ejus traditionibus derogaverit, aut obviare præſumpſerit; licet ut prætulimus in eccleſia crebro magni doctores effulſerint: nec viſa ſit unquam eccleſia, ut non dicam Conſtantinopolitanam, quæ longe poſt inſtituta eſt, cujus hæc doctrinam vel auctoritatem ſecuta ſit, cum ipſa potius

Dist. 19. Ridiculum est.

Innocentius epist. 39 ad Decentium.

alias ecclesias instituerit, atque his nonnullas traditiones contulerit: adeo ut, quemadmodum Bonifacius sedis apostolicæ præsul testatur, institutio universalis nascentis ecclesiæ de beati Petri sumpserit honore principium, in quo regimen ejus & summa consistit. Perpendite ergo, fratres, si hæc utilia sint ecclesiæ Dei, si hæc congrua videantur ejus ordinationibus. Perpendite rogo, si sedis apostolicæ missos a visione sua excludere, vel eos aut epistolas nostras spernere debuerint, & ubi sit aliquando gestum, quæso, memorare contendite, alioquin contra tantum laborare contemptum nobiscum tota virtute curate. Nam si hujusmodi mos in ecclesia Christi fuerit exortus, videlicet ut legati seu litteræ singularum ecclesiarum, vel personarum ab his quibus mittuntur minime suscipiantur, quis locus restet saluti nos penitus ignoramus, præsertim cum per legatorum & epistolarum destinatarum interventionem ad fidem nonnullos conversos, & ab errore multos revocatos, & ad pacem ceteraque correctiones plurimos vel rediisse vel accessisse noscamus. Et certe si hoc licitum esse posset, nullus profecto nobis tranquilliorem vitam ducere valuisset, nimirum quos quotidiana undique veniens, annuente Christo, frequentia non modice reddit sollicitos, nec paucis constituit subinde sudoribus fatigatos. Perpendite nihilo minus, si a legatis nostris libellus exigi debuit, aut quæ hinc exempla præcesserint: cum nec scripto insertum, nec memoriæ commendatum tale quid inveniri credatur. Numquid nos alicujus novitatis inventores extitimus? numquid alia, nisi quæ ad salutem ipsorum, & ad communem ecclesiæ statum pertinebant, transmisimus? numquid nos hæretici aliquando fuimus? Nam licet nos peccatores quidem esse non denegemus, quorumlibet tamen errorum fæce pollutos, Deo gratias, minime recognoscimus, quemadmodum illi, qui nunquam sine schismate, nunquam prorsus ab errore reperiuntur extranei. Libellos autem nos ab illis & exigere & suscipere, non autem illos a nostris requirere solere, consuetudo hucusque custodita demonstrat. Cum enim, Christi munere, propter primatum ecclesiæ Romanæ in beato Petro concessum, nemini sit de sedis apostolicæ judicio judicare, aut illius sententiam retractare permissum: constat nimirum eos ab his nullum jus possidere libellos exigendi, quos habere fas judicandi nullo jubentur canone, nullo probantur exemplo. Potiorum enim est ab inferioribus, non inferiorum a potioribus, violenter exigere rationem, aut extortam elicere satisfactionem. Commendatitias autem epistolas, etiamsi tale quid antiqua consuetudo fieri a nobis efflagitasset, dandas Photio nullo modo mitteremus: quippe quem non litterarum nostrarum communione in ecclesia Constantinopolitana stabiliendum, sed nostræ sententiæ jam mucrone perculsum, ab ea penitus decreveramus tamquam adulterum propellendum. Verum pro his & his similibus causis canonice discutiendis & rite definiendis tam vestram, quam aliorum fratrum & coepiscoporum nostrorum, reverendam ad nos convocare vellemus præsentiam, nisi nos diversæ mundi calamitates, & quotidianæ pressuræ id gerere vetuissent. Sed quæ nobiscum ageretis præsentes, hortamur agite saltem absentes, qui tamen dum intra sinum caritatis, quam latum mandatum psalmista nuncupat, vos circumplectentes semper intuemur quasi præsentes, terrarum profecto spatiis nunquam potestis haberi visibus nostris absentes. Verumtamen si huc * veniendo recusatis laborem arripere, nec jussa terreni principis, nec ulla impedimenta sæculi, pium studium vestrum a communi hac ecclesiastici negotii meditatione, seu necessaria sollicitudine, cohibere quoquomodo valeant. Alioqui vestram ad nos fraternitatem convocandi, & pariter de hujuscemodi quæstionibus tractandi, nobis erit omnino necessitas: ut videlicet juxta pristinam consuetudinem nobiscum in idipsum apud S. Petrum convenientes, communes ecclesiæ contumelias repellamus, qui commune sacerdotii culmen in Christi ecclesia, singuli secundum suorum qualitatem privilegiorum, promeruisse dignoscimur. Præcipue cum non solum propter hujusmodi generalis ecclesiæ negotium, sed etiam pro specialis hujus sedis exorta caussa prædecessores vestri una cum prædecessoribus nostris hic soliti sint non immerito convenire. Nam mirandum quamobrem iidem imperatores ita sæviant, ita commoveantur, ita in convicia nostra prorumpant: cum, si bene gesserunt, eos non nobis conviciari, sed de bono gratias auctori referre, & in se ipsis gloriam habere, & missos vel legationem nostram non respuere, sed utpote suis bene gestis congratulantia libenter admittere, & nobis congrua responsa dirigere, profecto decuerit. Si vero male operati sunt, ut quid non corrigi potius & meliorari satagunt, sed indignantur, anhelant, & in tot contumelias adversus ordinationes Dei & ecclesiæ traditiones insiliunt? Quamvis non tam indignati, quam deterriti fuisse videantur, conscientia namque remordente intellexerunt, pro judicanda canonice sui obligatione nos illas partes misisse. Quamobrem hujuscemodi consilio usi sunt, quo videlicet legati nostri nullatenus admitterentur: scilicet ne per illos, vel de recuperato fratre & coepiscopo nostro Ignatio, vel de damnato Photio invasore, sedis apostolicæ sententia penes se diffamari, nec rursus iidem, tamquam fautores tantæ perversitatis, ac per hoc obligati, manifestius, quia errent, excommunicati, sciri eorum attestatione, aut scriptorum nostrorum serie potuisset. Unde quis non videat, eos idcirco de nobis illa derogationum verba depromere, ut sua quæque pravitatis possent acta contegere; & ideo velle nostra suis præstigiis offuscare, ut sua valeant tenebrarum opera longe lateque clarificare? Nam quis stylus sufficiat exarare, quanta & qualia, priusquam missi nostri illuc directi fuissent, vel etiam post reversionem eorum, tam per legatos, quam per litteras suas, ut de nostris specialiter omittamus, de beati Petri principis apostolorum laudibus, de sedis ejus, vel ecclesiæ Romanæ privilegiis, nobis præconia destinarint? Cum autem eosdem apostolicæ sedis missos in suam nequitiam traduxissent, & instar quarumdam prostituarum libidines suas ipsis convenientibus expleviissent: primo quidem conati sunt nos iteratis laudibus efferentes, & versutis blandisque lenociniis adeuntes, ad suos inflectere pessimos actus, & ut his a se perpetratis nostro consensu firmitatem tribueremus, supra modum hortati sunt & deprecati. At ubi nos, inspiratione divina, quæ acta sunt perperam commissa fuisse comperientes, ea non solum justitia magistra, ut jam diximus, non approbavimus, sed & damnavimus: protinus illi versa sententia plectrum linguæ in derogationes & blasphemias acuerunt, & tamquam suimet obliti, contraria his quæ primitus prosecuti fuerant tractaverunt. Et quia Deo auctore de nobis quid specialiter impeterent non invenerunt, traditionibus paternis divinis testimoniis roboratis detrahere curaverunt, & quod agere majores eorum minime præsumpserunt, isti etiam quæ antiquitas Romana suscepit, cum numerosis hanc sequentibus ecclesiis, generaliter accusare & blasphemare ore polluto

17. q. 4 Nemini est de sedis.

Psal. 118.

* Forte, veniendi. H.

mini-

minime timuerunt. Quin & privilegiis apoſtolicæ A
ſedis, quorum valetudine ſua quoque roborari popoſcerant, quia ſuis malignitatibus non favimus, conviciari & derogare vice tergiverſatoria multifarie ſtuduerunt. Porro autem, quia nos apoſtolicæ ſedis auctoritatem, Deo gratias, non ignorantes, hactenus quodammodo ſingulariter eorum pravitatem, nullo ſolatio veſtro more priſco muniti, conſtantia ſumma repreſſimus, actus ſuos illi non niſi nobis diſciplicere, non niſi nos execrari, fallaciter arbitrantur. Quamobrem fieri poteſt, ut hæc ſua venenoſi graminis ſemina per alias mundi partes diſpergant, & ſimpliciorum piorumque fidelium corda ſuis illicitis votis incurvent. Adeo ut, ſicut ipſi gloriantur, ad Alexandrinum & Hieroſolymitanum patriarchas B
jam miſerint, eos videlicet ut in dejectione Ignatii patriarchæ, & in promotione invaſoris Photii ſibi conſentiant, adhortantes. In quo non nos eorum concordiam, fortaſſe contra ſtatuta ſeu traditiones apoſtolicæ ſedis improvide conglutinatam, Deo adjuvante, pavemus: ſed ne ſuaſionibus illectos pravorum eos ad ſuum ipſorum diſcrimen contingat ab æquitate decidere, condolemus. Sunt quippe diris & continuis Agarenorum preſſuris attriti: ac per hoc evenire valet, ut vel decepti, vel pro ſui relevatione ſibi plurima tribuere ſpondentibus Conſtantinopolitanis principibus, quod & gementes dicimus, aſſentire cogantur. Quapopter venerabilis induſtria veſtra talem ſe de cetero exhibeat neceſſe eſt, ut ſole clarius C
hanc a ſede Petri in nullo diffidere, quin potius cum illa in cunctis ſentire, iidem hoſtes cognoſcant: ita ut præſulatui noſtro ſcripta divinitus inſpirata ſapientia veſtra, reprehendendo, & forti prorſus invectione feriendo tantam eorumdem imperatorum veſaniam, mittat: quæ nos ſuſcipientes, rurſus ea cum aliis aſſertionibus noſtris ad ipſorum quoque dementiam confutandam mittere valeamus. Ita ut cum unum pariter idemque nos hoſtes ſentire cognoverint, nec injurias a ſe nobis illatas ulciſci ſolummodo nos affectare mendaciter adſtruant, nimirum cum adverſus ſe monomachiam aggredi quodammodo nos intuentur, & per hoc quod ſint & alii Chriſti dilectores, & eorum perverſitates odientes, liquido comprehen- D
dant, & ora loquentium iniqua penitus obſtruantur, ita ut Chriſto duce una mente, & ore, ac brachio, quaſi ſtrenui propugnatores, phalanges hoſtium premere ac debellare communi ſtudio reperiamur, eorumque pernicioſam factionem, ipſo auxiliante, ſocia concertatione funditus interrupiſſe comperiamus, & tam inventores mendaciorum, quam fabricatores perverſorum dogmatum, paternis definitionibus, ac veracium aſſertionum clypeis, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti unanimiter triumphare ac ſuperare per omnia dignoſcamur. Optamus fraternitatem veſtram in Chriſto nunc & ſemper bene valere. Tua vero, frater Hincmare, caritas cum epiſtolam legerit, mox ut etiam ad alios archiepiſcopos, qui in re- E
gno filii noſtri Caroli glorioſi regis conſiſtunt, deferatur, ſummopere agere ſtudeat; & ut de his ſinguli in diœceſibus ſuis, una cum ſuffraganeis ſuis, in cujuſcumque regno ſint conſtituti, convenienter tractare, & nobis quæ repererint ſuggerere curent, ecs incitare non negligat. Ita ut eorum omnium, quæ præſentis epiſtolæ circumſtantia continet, tu & ſtrenuus executor illis exiſtas; & apud nos verax & prudens ſcriptorum tuorum
Anno Ch. 867. ſerie relator inveniaris. Datum x. Kalendas Novembris, Indictione prima.

Nota Jacobi Sirmondi S. J.

1 *Omnium nos portare.*) Quod ſub finem hujus epiſtolæ facere jubetur Hincmarus, ut eam ad alios archiepiſcopos deferendam curet, id ab ipſo diligenter præſtitum docet Flodoardus lib. III. cap. XVII. *Quam*, inquit, *epiſtolam Hincmarus ſuſcipiens, in Corbonaco palatio conſiſtenti regi Carolo cum pluribus epiſcopis relegit, & ad alios archiepiſcopos, ſicut in mandato acceperat, dirigere ſtuduit.* Idem etiam ſuffraganeos ſuos, ut Græcorum objectis reſponderent, excitavit, ut Odonem Bellovacenſem, ad quem Hincmari de hoc argumento extat epiſtola IV. Kalendas Januarias hoc anno ſcripta. Reſpondit ergo inter ceteros Odo, & librum a ſe compoſitum Hincmaro miſit, ut Flodoardus idem tradit lib. III. cap. XXIII. catalogum texens epiſtolarum Hincmari ad Odonem. Reſpondit & Æneas Pariſiacenſis epiſcopus, cujus ea de re liber extat in bibliotheca Thuane. * *Unde tibi prologum exhibemus.*

ÆNEAS PARISIACENSIS URBIS EPISCOPUS, quo primus præſedit ſanctus Dionyſius a Paulo apoſtolo Athenienſium conſecratus archiepiſcopus, ſed a ſancto Clemente totius Galliæ conſtitutus apoſtolus pacem & gloriam catholicæ fidei cultoribus.

LEgimus in libro Judicum quod præſcientia divina terræ inclytæ ſemini Abrahæ ob immenſæ fidei laudem repromiſſæ ineſſe reliquias Chananæorum ex parte permiſerit, ſcilicet ut experiretur in eis Iſrael, ne forte otio corporis, ignarus bellorum foret; cujus efficax virtutis Deo præduce dudum regnum egregium cunctis ſæculis prædicabile ſibi armis vindicaverat. Hujus æquitatis lance cæleſtium, terreſtrium & infernorum Dominus ſanctam eccleſiam non habentem maculam aut rugam annulo ſuæ paſſionis ſibi ſollemniter jure regio deſponſatam, hæreticæ pravitatis aſſertionibus laceſſitam victrici laurea experiri voluit; veluti ſtans in acie manus in bella contraheret & ob creberrimam adverſariorum victoriam in amplexu ſui ſponſi condelectans in totius lætitiæ patrato triumpho admodum exultaret: & frequenti concertatione in bella Dei ſui aſſurgens ſcientia repugnandi venuſtata cum decore polleret, ut ſe toxicatis armis adtemptantes potenter repellere addiſceret; ipſi conclamans qui caput galeati contrivit colubri, ac fiducialiter agens, Judica Domine nocentes me, expugna impugnantes me, adprehende arma & ſcutum, & exurge in adjutorium mihi. Igitur multoties devicti hoſtes, cum indigne ac turpiter rediviva audent reparare certamina, in hoc ſegnitia deterioris famæ per ora magnatorum infelicius deteruntur, quo ſubrigi ingeniis fraudum ad ſublimiora geſtiunt, ſed ceu effeminati viribus terga præbentes deformiter ſuccumbunt. Ita ſiquidem venenata pernicies perverſi dogmatis ab initio naſcentis eccleſiæ uſque ad præſens nequiter pullulans ſerpere non deſiſtit, occupare incautos, corrumpere doctrina quietos, more latronis aggredi latenter bene degentes; vera in falſis tranſmutare callide laborans. At ſancta eccleſia jam quaſi ſenio laſſata, cum Moyſe ad Dominum interventrices elevat manus pro ſuis ut vincant, & pulcre Aaron & Hur fatigatas ſuſtinent, ſcilicet novi ac veteris teſtamenti ſeries; teſtimonia ſanctarum defenſionum in promptu feſtina protendit ne forte ſui quos catholice enutriens ad perfectionis culmen evexit, cedant ſpiculis oppugnantium, ſed clypeo veritatis viriliter reſiſtentes, Domino virtutum & regi gloriæ jocundantes proclament: Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt, quia equum & ejus aſcenſorem dejecit in mare. Itaque temporibus glorioſi & orthodoxi Hludovici imperatoris, Græcia quæ ſe matrem verborum, & genitricem philoſophorum, & omnium liberalium artium fautricem appellari contendit, de his ſuper-

Judic. 3.

petitionibus superfluis, quæ & nunc Romanam ecclesiam, immo & omnem gentem Latina lingua utentem consulere temptavit; satisque mirandum in tam vilissimis quæstionibus occupatam longævo ventilans ævo: & perspicue ad liquidum dilucidatis, quæ totius peritiæ ac facundiæ se fore gloriatur auctorem, ut pelagus dialecticæ subtilitatis expostulat, putans se posse veraciter distinguere vera a falsis. Ergo ut intimat apostolus usque ad tertium cælum raptus, si Judæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt; hæret sagacitas de puro fonte potantium. Cur ita hebetudo sensus despicabilia sciscitando summa tenere conantes ignominiose obtenebrat; quos culmen magni intellectus ut illi falso opinantur in gremio amplitudinis suæ velut coruscans amplectitur & fovet. Nempe cum populi orientalium quasi sub scabello Domini specialiter subsidentes cum occidentalibus in fidei documentis disceptare videntur quasi sol pulcherrimus mane in oriente positus inocciduos suæ lucis radios vesperi transmutat in tenebras. Non autem cæli climata deteriores reddunt animos mortalium neque plagæ supernæ pro variarum dementiis sectarum culpandæ, cum oriens & occidens mixtim contineat justos & reprobos. Sed humanitas primo bono condita, & in libero arbitrio potenter stabilita negligendo creatorem & obaudiendo seductorem, de dextris ad lævam promoveri meruit. Exin orbis multiplicatus tramiti devio inhiare cœpit. Nec adeo mirum; ab Asia vel a finibus Europæ, ubi sita Constantinopolis Græciæ metropolis habetur, tantarum fallaciarum oriri discrimina. Si enim revolvantur sanctorum statuta canonum, & ecclesiasticarum discutiatur series historiarum ab illius regni partibus potius, quam sub Romana ditione degentibus, reperientur pullulasse genimina viperarum, id est quamplurimi inventores perversorum dogmatum: veluti fuerant, ut ex multis memoremus aliquos, Arius, Eunomius, Photinus, Marcion, Cherintus, Manichæus, Ebion, Nestorius Constantinopolitanus episcopus, ceteræque pestes dilatatæ hæreseos; quibus non fuit requies omni instantia catholicas dilacerare & oppugnare mentes. Eutychius etiam Constantinopolitanæ urbis episcopus de resurrectione in tantum erravit, ut affirmaret quod corpus nostrum in illa resurrectionis gloria futurum esset impalpabile, ventis aereque subtilius. Sed nos e contra dicimus, sanctaque credulitate firmamus, quod in illa resurrectionis gloria erit corpus nostrum subtile quidem per effectum spiritalis potentiæ, sed palpabile per veritatem naturæ. Nam beatus papa Gregorius quondam in eadem Constantinopolitana urbe positus cum præfato Eutychio de hac re in conspectu Tiberii Constantini imperatoris glorioſum habuit certamen veluti ipse plenius commemorat in XIV. libro moralium Job: sed ita ab eo nobiliter est devictus, ut pellem manus suæ teneret dicens, Confiteor quia omnes in hac carne resurgemus. Quod omnimodis prius negare consueverat. Est autem dictu lamentabile, quia eadem sedes quæ caput levare conatur ad superos, pro rectæ fidei præsulibus, doctrina sedatos rectores olim habuit hæreticos, quos tripartita denotat historia, & sanctorum patrum in canonibus damnat solertia. Non vero in Romana sede Deo rectore tale unquam contigit dedecus, ut aliquis hæresiarches eidem præsideret: quam summus apostolorum princeps sua sessione inlustravit, & fuso sanguine consecravit, cui suas regendas oves Dei filius speciali cura commisit. Nec mirum quia ipsi dictum fuerat, Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam; & tibi dabo claves regni cælorum. Ergo cui propria auctoritate regnum dabat, hujus fidem firmare non poterat? Quem cum Petrum dicit, firmamentum ecclesiæ indicavit. Liberius tamen papa a beato Petro trigesimus septimus quamvis a fidei tramite non deviaret, exilio & minis Ariani principis territus, non virtute qua debuit, perfidis Arianis viriliter repugnavit. His autem qui ab arce totius Christianitatis deviare videntur, novasque adinveniunt quæstiones, recte intonat Paulus ad Galatas, quorum ex Græcia propagatur origo: Miror quod sic tam cito transferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi Jesu in aliud evangelium, quod non est aliud: nisi sunt aliqui qui vos conturbant, & volunt convertere evangelium Christi. Magna etiam auctoritate ingeminat dicens: Sed licet nos aut angelus de cælo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Et consequenter addit sicut prædiximus & nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit. Jure itaque a rectore sanctæ ecclesiæ a via veritatis aberrantibus talia apostolice inferuntur. Hac etiam virga reprehensionis digni habentur. O insensati Galatæ quis vos fascinavit veritati non obedire, ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est crucifixus. Denique cunctis sæculis enorme generatur piaculum, dum ab istis quorum doctrina adornari debuerat ecclesia, florere nitore religionis, & augmentum accipere suæ salvationis, humiliari zelo nequitiæ contenditur. Et a qua omnis macula longe abesse debuerat, ei infligere nituntur, ut non sit a sordibus aliena. Sed quia sanctus dicit apostolus, oportet autem hæreses esse, ut probati manifesti fiant, fallaciarum ludibria quæ ad eam applicare temptavit sanctarum hostis animarum, clypeo redemptoris sui repelli habet, nec patietur divinitas visibilium & invisibilium rerum sacratior & potior vinci a creatura quæ condita fuit angelica, sed ob tumorem superbiæ suæ sponte non alio cogente sceleratior facta incidit in barathrum perpetuæ damnationis, cui nihil placitum, nisi tantum perditio beatorum. Nam cunctorum opifice largiente, sapientiam non vincet malitia, sed victor apparebit in propriis, qui suos semper a primo armavit spiritu talibus documentis. Omnes enim qui volunt pie vivere in Christo Jesu persecutionem patientur. Itaque in præsentiarum jam adfore deprehenditur ætas plena miseriarum, quæ præsentitur amplecti spatium temporis de quo apostolus lamentando præcinit dicens: Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus: & a veritate quidem averrent auditum, ad fabulas autem convertentur. Ecce in promptu hæc prædicta serpere conspicimus, & ideo dum tuba personat belli, necesse est ut arma aptentur in militum membris, ut doctum industria præoccupare nequeat perfidus hostis. Quamvis autem in talibus controversiæ procellis concutiatur Domini exercitus, valde indignum ut animos fortitudine nobilitatos a statu rectitudinis detorqueant hæretica pravitate degeneres. Quanto enim astutia diaboli, cum sæva calliditate accedit atrocior, tanto providentia fortium cautius præmunita debet esse paratior. Admonens siquidem alumnum Timotheum apostolus ne impediretur decipulis malignantium, blande hortatur dicens: Profana autem & inaniloquia devita multum enim proficient ad impietatem, & sermo illorum sicut cancer serpit. Ad Titum etiam ita dicit: Stultas autem quæstiones & genealogias & contentiones & pugnas legis devita; sunt enim inutiles & vanæ: & ut sollicitior redderetur, & san-

ſancto acumine inſtructior eſſet, addit: Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita, ſciens quia ſubverſus eſt qui ejuſmodi eſt, & delinquit proprio judicio condemnatus. Ergo cum ſancto Heliſæo credamus quia plures ſunt nobiſcum, quam cum illis, id eſt utriuſque teſtamenti ſagaciſſimi patres, & pro defenſione veræ fidei avidiſſimi & invictiſſimi bellatores: qui cum robuſtiſſimo Joſue Deum ſupplicare ſtudeant, ut ſtet ſol, id eſt tempus ſanctæ concertationis prolixius clareſcat, donec ſe verus Iſrael ulciſcatur de inimicis ſuis. Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem, dicit apoſtolus, poſtquam unda baptiſmatis & Spiritu ſancto in gratia Chriſti renovati ſumus. Quocirca non cedendum adverſariis, ſed doviriliter reſiſtendum, ut non capiamur illius illecebris; qui de ſupernis ob ſuperbiam ad ima delapſus hoc elaborat niſibus iniquitatis, ut eccleſia quæ eſt filia pacis dilaceretur doctrina fœditatis, & pateat morſibus erroris. Hæc & ſimilia ut præcaveret Timotheus, ſacrarium Spiritus ſancti caritate fervens admonet Paulus. Stultas autem & ſine diſciplina quæſtiones devita, ſciens quia generant lites. Hæc nempe præcavere oportet generaliter cunctos in Chriſtum credentes, maxime eos qui regimen debent habere animarum & eſſe ſpeculum bonorum operum, & ſanctarum forma virtutum. Indeque gemendum bene viventibus, quia unde in ſancta eccleſia decorum eſſet ſplendere honorem gaudii, ab his partibus multis volventibus ſæculis oboriuntur immenſi detrimenta ſcandali. Si enim ferrum ferio acuitur, congruum eſſet ut Græca lingua a vero non diſcreparet, in quo Latina normam catholicæ fidei indiſſelubiliter tenet. Hæ ſunt ergo ſuperfluæ quæſtiones ad ſæcularia potius quam ad ſpiritalia tendentes: quæ non videntur procedere ab experientia magni intellectus, ſed naſci a repletionis exterioris ſenſus. Illud itaque pelagus ut jactatur inſipnis eloquentiæ inſert Romanis auribus quare Spiritum ſanctum a Patre & Filio profiteamur procedere, & non a ſolo Patre. Ruſus quare in ſabbatis jejunium exerreamus, & quare ab officio presbyterorum nuptias arceamus. Addunt etiam, quare presbyteri Latinorum inhibeantur frontes baptizatorum chriſmate linire, cum locus conſignandi in fronte proprie ſit epiſcoporum, & in vertice presbyterorum. Item ſciſcitantur quare a carnium eſu octo hebdomadibus ante paſcha, & ſeptem a caſei & ovorum more ſuo non ceſſamus. Opponunt præterea cur clerici barbas radunt, & quare diaconus nondum ſuſcepto presbyteratus officio in epiſcopum ordinatur, ut mos eſt aliquando Romanis. Conqueruntur etiam de tranſmigratione principatus Romanæ ſedis, quam dicunt factam Conſtantinopoli, unde & eam cum patriarcha ſuo caput dignitatis appellant. Ad ſtultarum cumulum & inertiam ineptiarum garrientes inquirunt, quare chriſma noſtrum, immo Dei, ex aqua fluminis conficiamus, & quare agnum ſimul cum corpore Chriſti & ſanguine in paſcha ſuper altare ponamus & more Judæorum offeramus, cum nullatenus hæc vel aliquis deſipientium unquam crediderit. Quæ duo in tantum videntur indigniſſima, ut ab auditu fidelium ex toto judicentur penitus eſſe extranea. Hæc deliramenta verſutiarum Græcalis induſtria ſupercilioſo ambitu per Romanum ſpargit imperium, & dominicis acibus inſiſtens æſtu calliditatis ſcaturiens contendit laceſſere quietos. At contra repugnant ducibus injuſta molientium agmina ſupernarum virtutum. Quin immo longe portendunt ſcutum ſanctæ repulſionis inluſtrium defenſio patrum, concordia canonum, auctoritas & victoria excellentiſſimorum antiſtitum per Chriſtiani nominis limitem in theoria magnifice vulgatorum verbo ac doctrina cælos contingentium. In hoc forti congreſſu non ferent vexilla tyrones, nec fatigata brachia efferent emeriti ſenes, ſed delecta viribus juventus, id eſt in fide Chriſti perfectiſſimis utentes ſenſibus ex omni parte armis ſacrorum dogmatum munita corpora menteſque ferentes inclyta laceſſient bella, & Domino favente victores exiſtent. Lege autem triumphantis peracto certamine, dum laſſatis quaſi membris refrigerium ſubminiſtrabit Spiritus ſancti afflatus, potiti voto glorioſiſſimi milites, & ob agoniam eximie lætantes ad cælos porrigent conſpicuos vultus, regi regum dominatori ſuo laudis præconia acclamantes, Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio, &: Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ: At vero exhilaratus pater totius eccleſiæ, apoſtolicæ ſcilicet ſedis beatiſſimus pontifex, cum Paulo apoſtolo erigens in excelſis caput, hæc verba protectori Deo ſollemniter perſonabit: Dominus autem mihi adſtitit & confortavit me, ut per me prædicatio adimpleatur, & audiant omnes gentes, & liberatus ſum de ore Leonis. Liberavit me Dominus ab omni opere malo, & ſalvum faciet in regnum ſuum cæleſte, cui ſit gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. *Hactenus illius reſponſionis præfatio: cetera, ut minus modo neceſſaria, prætermimus.* (*Edita ſunt ea in Spicilegio, tomo ſeptimo.*)

APPENDIX I. EPISTOLARUM NICOLAI PAPÆ I.

I. AD CAROLUM REGEM.

Monet eum diligenter procurare, ut Lotharius Ingeltrudem uxorem adulteram Boſonis comitis regno ſuo ejiciat, & ad virum ſuum redire compellat.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei Carolo glorioſo regi ſpiritali filio noſtro.

VEſtram regiam dignitatem concedet de pietatis fonte juſtitiæ diſcretionem haurire. Nemo itaque juſtius operari debet, quam cui commiſſa videtur legum ordinabilitas. Ecce etenim reges regibus * ſuadere ſolent. Sed convenit, ut his quæ ratio docet juſtitiæ, invicem alternent: quæ * autem improbitas, vicaria vice ſubtrahere non ceſſent. Unde veſtram exhortamur regiam magnitudinem, uti corrigatis Hlotharium regem nepotem veſtrum, ne tantum piaculum permittat manere in regno ſuo: hoc eſt non conſentiat fugitivam uxorem Boſonis comitis tam diu remanere, ut non reddatur viro ſuo, remiſſa quidem negligentia, quam ei fecit. Ceterum vos etiam monere volumus, ut ſi in veſtro regno contigerit devenire, ſimiliter peragatis. Quoniam juſſimus omnibus archiepiſcopis ſeu epiſcopis regni veſtri, ut eam, indulta ſibi culpa, ſi noluerit reverti ad ſupradictum virum ſuum, excommunicent a corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ſocietate omnium fidelium; quoniam condecet, ut in regno veſtro tantum malum non oriatur, & ſi ortum fuerit, citius extinguatur. Adeo ut omnes conſentientes malo ipſius, ſupradicta excommunicatione * nodamus. Optamus excellentiam veſtram in Chriſto bene valere.

* favere.

* locus ſubobſcurus.

* nectamus

II. AD

II. AD EPISCOPOS LEGATOS IN FRANCIAM MISSOS.

Mittit ad eos commonitorium pro cauſſa Theutbergæ.

Reverentiſſimis & ſanctiſſimis Rhadoaldo & Joanni epiſcopis.

QUemadmodum ſanctæ Romanæ eccleſiæ fideles eſtis, & apoſtolicæ ſedis columnæ exiſtitis; ita cuſtodientes omnia ſecundum priorem præceptionem noſtram peragere feſtinate, & Metis apoſtolica auctoritate ſynodo evocata, noſtra juſſa perficite. Quod ſi ſynodus epiſcoporum ſe illuc minime collegerit, aut Hlotharius venire diſtulerit, tunc vos ad eum pergere ſtudete, & noſtra juſſa atque inſtituta declarate. Et deinde cum pro cauſſa Balduini ad Carolum perrexeritis, eidem glorioſo regi epiſtolas ſynodicas, & has quas nunc vobis dirigimus, pariter cum commonitorio præſentibus cunctis oſtendite; & non ſolum ei, ſed & omnibus epiſcopis, & univerſis fidelibus hoc notum facientes palam legere & denuntiare ſtudete. Præterea ſcitote a nobis veſtræ ſanctitati duas dirigi epiſtolas vice ablatarum, unam Carolo regi, ſecundam vero uxori. Epiſcopis autem Galliæ & Germaniæ alteram cum hac ipſa ad vos deſtinata mandamus.

COMMONITORIUM NICOLAI PAPÆ LEGATIS SUPRADICTIS DATUM.

Nicolaus Rhadoaldo Portuenſi & Joanni Ficolenſi epiſcopis in commonitorio.

1 LOtharius profitetur VValdradam ſe a patre accepiſſe, & ſororem poſtmodum admiſiſſe Hucberti. Ubi primum diligenti inveſtigatione inquirite, & ſi eumdem glorioſum regem prædictam
31. q. 2. Lotharius rex. VValdradam præmiſſis dotibus, coram teſtibus, ſecundum legem & ritum, quo nuptiæ celebrari ſolent, per omnia inveneritis accepiſſe, & publica manifeſtatione eadem VValdrada in matrimonium ipſius admiſſa eſt; reſtat ut perſcrutemini cur illa repudiata ſit, vel filia Boſonis admiſſa. Sed quia idem glorioſus rex metu Theutbergam admiſiſſe ſe dicit: vos illud evangelicum recolite, quo Dominus: *Nolite*, inquit, *timere eos qui corpus occidunt*: & iterum ait: *Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* In quibus dominicis ſententiis conſiderandum eſt, quod ſi occiſores corporum timendi non ſunt contra juſtitiam hominem impellentes, & lucrum totius mundi non profit homini anima perdita, quanto minus metu unius hominis tantus rex debuit, contra divinum præceptum, in immane præcipitium mergi? In hoc certe ſe magis reprehenſibilem oſtendit, in quo amori mundi amorem Dei poſtpoſuit. Ubi nihil vobis aliud præcipimus, manifeſtatione ſua eodem rege convicto, niſi ut ſecundum canonicam auctoritatem noſtra voce freti, cauſſam illius definiatis. Sin vero minime probatum fuerit, VValdradam uxorem fuiſſe legitimam, neque nuptiis ſecundum morem celebratis, per benedictionem ſcilicet ſacerdotis, filio noſtro Hlothario extitiſſe conjunctam: ſuggerite illi, ut non moleſte ferat legitimam ſibi, ſi ipſa innocens adparuerit, reconciliari uxorem; nec in hoc carnis voci obtemperet, ſed potius divinis præceptis obediens, pudeat eum, immo pertimeſcat, in luxuriæ ſtercore putrefieri, & voluntatem propriam ſequendo ante
Matth. 10. Matth. 6.
A tribunal Chriſti ſtrictam ponere rationem. Præterea vos ſcire volo, quia præfata Theutberga apoſtolicam ſedem bis & ter appellavit, & ſe a præfato rege glorioſo queſta eſt injuſte fuiſſe dejectam, & vi coactam falſum contra ſe compoſuiſſe piaculum. Nam eo tempore ad apoſtolicam ſedem libellum appellationis ſuæ miſit, in quo non quidem adhuc confeſſam, ſed ut contra ſe falſum diceret crimen, cogi ſeſe innotuit. Inſuper ſubjungens, Quod ſi amplius compulſa fuero, ſcitote non veritate, ſed timore mortis, & evadendi ſtudio, quia aliter non poſſum, quod voluerint dicam. Vos autem memores eſtote mei hæc vobis inſinuantis. Unde præcipimus vobis, ut cum eadem Theutberga ad conſtitutam ſynodum ſicut
B ſtatuimus advenerit, cauſſam ejus diligenti examinatione tractetis: & ſi ei objicitur, quod illa crimen ſe aliquod admiſiſſe confeſſa fuiſſet, & contra illa violentiam ſe pertuliſſe proclamaverit, vel ſi inimicos ſibi judices fuiſſe teſtata fuerit; tunc illud renovetis judicium ſecundum æquitatis normam, ut injuſtitiæ mole non opprimatur.

NOTA JACOBI SIRMONDI S. J.

1 *Lotharius rex profitetur.*) Apud Ivonem parte VIII. cap. 334. & apud Gratianum 31. q. 2. duæ voculæ perperam inferuntur, *Lotharius in commonitorio profitetur.* Redundant enim, pertinentque ad titulum epiſtolæ, quo recte in Romana Gratiani editione obſervatum eſt. *In commonitorio* itaque dictum, quod ab aliis *commonitorium*; ut
C *Zoſimus commonitorium preſbyteris & diaconibus qui Ravennæ ſunt*, & illud apud Gregorium in dialogis: *Sabinus Chriſti ſervus commonitorium Pado.*

III. AD UNIVERSOS EPISCOPOS.

Extat infra in Concilio Romano III. anno 863.

EPISTOLA ADVENTII EPISC. METENSIS AD NICOLAUM PAPAM.

Mittit profeſſionem ſuam, qua purgans ſe de cauſſa Lotharii, acquieſcere ſe atque obſequi docet ſtatutis a pontifice in ſynodo Romana proinde veniam & pacem implorat.

Glorioſiſſimo dominici gregis paſtori domino & beatiſſimo Nicolao ſummo & univerſali papæ Adventius humilis Metenſium ſedis epiſcopus, nunc & in æternum valere.

CHriſtus Dominus Deus proprii ſanguinis pretio acquiſito gregi ſolita pietate proſpiciens, vobis ſummi ſacerdotii contulit dignitatem: cui inter plurima ſpiritualium virtutum ornamenta, quibus ſanctam matrem eccleſiam inimitabili ſanctitate condecoratis, ſacra etiam priſcæ auctoritatis dogmata affatim reſplendent: quo Chriſtiana plebs efficaciſſimo tanti patris exemplo feliciter imbuta, vitiorum monſtra devitare, & auxiliante
E Deo æterna poterit præmia comprehendere, immo eccleſiaſtici ordinis diſciplina veſtris temporibus inviolabilis permanere. Unde mea parvitas omneſque divina dignatione mihi crediti, multipliciter congaudentes, magnas omnipotenti Deo gratias referimus, devotis precibus implorantes, ut Deus omnipotens veſtri pontificatus apicem diu incolumem cuſtodire dignetur, ad conſolationem ſanctæ ſuæ eccleſiæ, omniumque fidelium animarum. Quippe cum inter ſæviſſimas paganorum preſſuras, denſiſſimaſque perverſorum Chriſtianorum ſimultates occuparemur, & per capita humilitatis noſtræ dominici ovilis ſollicitudinem gerere optaremus, decreta excellentiſſimi apoſtolatus veſtri

stri nobis directa sunt. Super quibus responsa dignitati majestatis vestræ festinantissime currens præsentialiter dare viva voce desiderarem, nisi longæva senectus me gravidum redderet, & indeficiens corporis ægritudo frequenter atque inopinate spiritum exhalare cogeret. Magnum enim, & quasi totius meriti gaudium obtinerem, si ad limina apostolorum, vestramque desiderabilem & præeminentissimam præsentiam, virium imbecillitas me ire sineret. Sed quia podagrici dolores, & veterani mei artus optata denegant, omnipotenti Deo, & sancto Petro, atque incomparabili clementiæ vestræ magnitudini, meæ parvitatis quantitatem committo, qui vives Dei tenetis, & in reverendissima summi principis cathedra verus apostolus residetis, ut vestris fovear solaminibus. Si enim fallaciter, quasi fautor vitiorum, in conspectu vestræ mansuetudinis diffamatus existo, si non corpore, mente tamen ad vestra sacra vestigia provolutus, humiliter peto ut excusationis meæ causas, nullo mendacii fuco obnubilatas, paternæ pietatis affectu recipere non dedignemini, quas capitulatim misericordiæ vestræ pandere studui.

I.

In catalogo sacerdotum nequaquam recipio Theutgualdum, quondam archiepiscopum, qui depositionis suæ sententiam a vobis prolatam hactenus patienter ferens, juxta præcedentem consuetudinem nihil omnino de sacro ministerio contingere præsumpsit: sed quasi mitissimus vir, incaute et proprio sermone lapsum, atque alterius pertinacissima obstinatione deceptum fatetur: & per humilitatis & obedientiæ viam incedens, a vestra pia largitate locum satisfactionis præstolatur.

II.

Guntharium quondam sacri palatii archicapellanum in episcoporum numero non suspicio, neque ei, vel fautoribus suis communicare præsumo, quoniam vetito usus est officio, & apostolicam floccipendere excommunicationem non metuit.

III.

Causam piissimi regis Hlotharii, in præsentia vestrorum legatorum, præfati quondam primates ecclesiarum, cum aliis archiepiscopis, eorumque coepiscopis, de duabus uxoribus in nostra urbe ventilantes, & magistratus nostri principatum obtinentes, quid de jam dicti nostri principis querela decreverint, vestram non latet sanctitatem. Ego igitur, teste Deo cum angelis & archangelis, arbitratus sum pariter vera manere, quæ plurimorum consulum adstipulatione effabantur. Interea decernentibus tunc temporis præscriptis archiepiscopis, eorumque coepiscopis, solus ego, qui essem meritis & ordinatione novissimus, qui magistrorum auctoritatibus & judiciis resisterem? Et ne forte in aliquo contra decretum Leonis papæ offenderem verebar, qui titulo XXXII. ita scribit: Igitur secundum sanctorum patrum canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos, metropolitanos singularum provinciarum episcopos jus traditæ sibi antiquæ dignitatis intemeratum habere decernimus. Si enim a regulis præstitutis ulla aut licentia, aut præsumptione discesserant, ego penitus nesciebam. Unde & in Antiocheno concilio capite IX. ita scribitur: Per singulas regiones episcopos convenit nosse, metropolitanum episcopum sollicitudinem totius provinciæ gerere: propter quod ad metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant, &c. Sola quippe plurimorum relatione de jam dicta querela, quæ in primordiis gesta sint, aure non oculo percepi: quia episcopus non eram, sed in excubiis templi beati Stephani protomartyris occupatus, novissime in regno domini Hlotharii senioris mei expetitus a clero, & electus a plebe, pastoralis officii curam, Deus novit, non ultro ambiens, sed canonice invitatus accepi. Et multo amplius, si fieri potest, verbis archicapellani, ac ceterorum patrum, qui interfuerunt, credulus extiti, quam mihimetipsi, & si forte in aliquo simpliciter egi, restat ut ad magistrum veritatis recurram. Nunc ergo proferat singularis sapientia vestra normam in hoc facto, & ecce paratus sum obsecundare edictis vestræ auctoritatis, veluti Deo, in cujus persona cuncta profertis. Vestro enim sancto ac salubri consilio usus, jugo me obedientiæ humiliter submitto. Nam quamvis quorumdam levitate contra me tumultum detractionis sentiam, nisi de simplicitate, nullus me in hac re accusare potest. Fidenter enim dico: Ecce in cælo testis meus, & conscius meus in excelsis. Unde vas electionis dicit: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Hinc enim beatus Gregorius papa in epistola Theoctistæ patriciæ directa, ita scribit: In omne, inquit, quod agimus, vel quod extra de nobis dicitur, recurrere ad arcana mentis debemus. Etsi omnes vituperent, liber est, quem conscientia non accusat. 2. Cor. 1. Lib 9. epist. 39.

IV.

Si decretum vestræ auctoritatis, judicio sancti Spiritus, ab omni pastoralis officii regimine præfatos metropolitas exutos definivit, propter excessus sanctionum, & absolutionem anathematis a sede apostolica emisti super Ingeltrudem Bosonis uxorem, sciatis verissime, quia in ejus absolutione nequaquam particeps extiti: & postquam illam vera relatione infausto adulterii genere lauciatam audivi, semper quasi mortiferum venenum abominatus sum. Communionem vero cum excommunicatis nullatenus habere universos moneo, si sacris uti auli fuerint, sicut capitulum concilii Antiocheni quartum ostendit, quod communicantes eis ab ecclesia abjici jubet.

V.

Sectatorem damnatorum, ac seditiosum, vel conjurationis, aut conspirationis reum, me penitus esse denego, faventibusque quibuscumque nequaquam assentire fateor: sed cum capite, id est sancta & venerabili sede beati Petri, cui claves regni cælorum commisit, in qua etiam petra Christus rex æternus sanctam ædificavit ecclesiam, contra quam portæ inferi non prævalebunt, canonice in omnibus me favere profiteor.

VI.

Porro sanctitas vestræ paternitatis inviolabiliter censuit, nullo modo pavendam bonorum admissionem pro temeritatibus & subscriptionibus: atque indulgentiam non esse denegandam, si vobiscum sapere, nostrumque per nosmetipsos, aut per legatos nostros assensum cum scriptis offerre studeremus. Noverit præcellentiæ vestræ sanctitas munificentissima, quod legatus noster, qui jam vobis fatam professionem ostenderet, & multiplicibus verbis enuclearet, ideo tardavit, quia ceteros confratres nostros huc illucque de diversis partibus advocans, vobiscum sentire unanimiter & sapere hortatus sum. Eorumque omnium generaliter unanimitate comperta, quasi præconem legati nostri, in ipso margine præsentis vitæ constitutus, vestræ sanctæ paternitati præmisi, præsentem videlicet literarum portitorem. Nihil in me ambiguum, nihilque damnabile remanere patior, cui viam omnis carnis arripere proprii corporis resolutio pollicetur. Sed in omnipotentis Dei misericordiam valde confido, quod mihi peccatori spatium hujus calamitosæ vitæ concedere debeat, quousque digna satisfactione purgatus, vestræ pa-

ternæ pietatis gratiam petenti redditam intelligam, meque receptum in vestro Deo digno consortio congratuler. Credimus enim, quod favente Deo, & apostolorum omnium principe, qui in eleemosynis, & jejuniis, & furtivis orationibus spiritaliter occupati estis, omnibus viribus divina dispositione prævidere debeatis, ne pro falsidica deceptione viventia in Christi corpore membra moriantur. Igitur si meis lacrymosis precibus vestra misericordia in aliquo flectitur, per sanctam & individuam Trinitatem humiliter deprecor, ut per latorem præsentium litterarum, si amplius esse non potest, saltem de vestra sancta manu naufragio vitæ constitutus illud recipere merear, quod mitis magister vester Christus, quibusdam discipulis hæsitantibus januis diversis apparens, impre-
Joan. 20. catus est dicens: *Pax vobis*. Excellentiam sanctitatis vestræ assiduis votis & precibus diu incolumem vigere humiliter exoramus.

A sicut credit, apud auctoritatem vestram se sentiat adjuvari, nec ipse & sedes ejus in illo modo quolibet, quod absit, dehonoretur: quæ postulatione avi nostri divæ memoriæ Caroli imperatoris honorari ab apostolica sede meruit, ut Engilramnus prædecessor istius, summus capellanus ejus & apocrisiarius apostolicæ sedis in istis regionibus aliquamdiu fieret: & postea deprecatione sanctæ recordationis Pii Augusti domni & genitoris nostri excellenti genio a sede apostolica in præfato patruo nostro Drogone venerando episcopo fuerat honorata, ut una cum prædicto ministerio & imperatoris & apostolicæ sedis, etiam usu pallii potiretur. Nam etsi hic vir venerabilis Adventius, aut principis sui aut magistrorum superstitione a-
B ctus, aut favore a consensu plurimorum attractus, vel alio quolibet modo subreptus, vel interceptus, in aliquo minus quam debuerat providus extitit: quoniam, ut Augustinus dicit, Amat Deus confitentibus parcere, & eos qui semetipsos judicant, non judicare; cessatque divina vindicta, si conversio præcurrat humana: vestri apostolatus mitissima & præstabilis cunctis conversis benignitas, in eo sententiam prædecessoris suis Leonis sequetur, qua dicit: Sedis, inquiens, apostolicæ moderatio hanc temperantiam servat, ut & severius agat cum obduratis, & veniam cupiat præstare correctis: quatenus venia concedatur, si error aboletur. Petimus siquidem, ut istum non modo suum, verum & nostrum legatum, Bettonem religiosum
C monachum, & literarum scientia, bonique ingenii capacitate, Dei gratia, & sedulo studio imbutum, benigne & familiariter recipiatis, quo ea quæ sibi injuncta sunt, mansuetudini vestri apostolatus domestica suggestione valeat enarrare. Deus omnipotens orantem pro nobis sanctitatem vestram ævo longiore conservare in voluntate sua dignetur, sanctissime & reverentissime pater in Domino.

Nota Jacobi Sirmondi S. J.

1 *Adventii Metensis*.) Alteram huic similem scripserat Franco Tungrensis, ut patet ex responso Nicolai epistola XLIII. Scripserant & alii fortasse ex iis qui synodo adfuerant Metensi. Episcopis enim Theutgualdi & Guntharii complicibus venia, si resipiscerent, promissa fuerat in concilio Romano can. III.

EPISTOLA CAROLI CALVI REGIS AD NICOLAUM PAPAM.

Intercedit pro Adventio episcopo, petitque ut in gratiam recipiatur.

Sanctissimo ac reverendissimo patri Nicolao catholicæ & apostolicæ sedis summo pontifici & universali papæ Carolus gratia Dei rex & spiritalis filius vester.

QUia sicut devotio nostra erga sanctam sedem apostolicam & vestri honorem in istis Transalpinis regionibus longe lateque, gratias Deo, cognoscitur, & colendæ cum summi amoris veneratione paternitatis vestræ benignitas erga filiolem nostram dilectionem, non solum nostris benevolis, sed & æmulis, auctore Deo, certis indi-
D ciis, veluti sanctitatem vestram scilicet religionis culmen decet, innotuit: Adventus Metensium venerabilis episcopus, hunc fratrem nomine Bettonem nobis fidelem, ut credimus, in monasterio regni nostri ab infantia regulariter educatum, & nostra munificentia, sicut inter nos convenit, sibi concessum, ad nos misit, petens a nobis vestræ amantissimæ paternitati pro eo literas mitti, quas profuturas, & non modice sibi apud auctoritatem vestram credit suffragari. Mandavit etiam mihi, quod professionem suam subreptionum præteritarum correctionem, & futurarum cautelam continentem, sicut regulæ sanctæ præcipiunt, manu sua subscriptam, vestro apostolatui per hunc fratrem vellet dirigere, quatenus & excessuum veniam,
E & apostolicæ sedis communionem, & vestri apostolici vigoris gratiam valeat obtinere. Unde quoniam venerandus & amantissimus patruus noster Drogo, qui licet in regno fratris nostri Hlotharii quondam imperatoris, post obitum domni & patris nostri degisset, eo quod sedes in partem regni ipsius devenerat, nobis tamen unice dulcissima dilectione, & obnoxia fidelitate conjunctissimus fuit, eumdem venerabilem Adventium nutrivit, & domestica familiaritate habuit, & ipse Adventius nobis fidelis & amicus existit: ac si vestigia sanctissimæ paternitatis vestræ deosculantes, cum omni devotione deposcimus, ut nostra petitione,

IV. AD ADVENTIUM EPISCOPUM METENSEM.

Approbat professionem Adventii, eique veniam & pacem indulget quam optabat.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei reverentissimo & sanctissimo Adventio episcopo Metensi.

EXcusationis tuæ literas per Theudericum religiosum presbyterum tuum suscipientes, quoniam his te in extremitate vitæ positum indicasti, mœror nos continuo ingens obtinuit. Sed professio tua, qua te in nullo a sede apostolica dissentire manifestas, quamque nobis a te minus quam ab aliis sperabamus offerendam, inter mœstitiam merito lætitiam miscuit. Quoniam licet de exteriori homine, cum ipsius privamur fraterno solatio, doleamus: de interiori tamen, quem extinctum putabamus, nunc vero per gratiam Dei vivificatum audimus, incomparabiliter exultamus. Quamvis autem probabilem tua videatur habere excusatio rationem, teque innocentem comprobetur ostendere: sufficeret tamen, etiam si qua præteritorum noxa tenereris excessuum, satisfactio, quam in articulo mortis, sicut ipse fateris, positus, literis datis apostolatui nostro, ut decreveramus, ostendis. Cujus rei testis est latro, qui in cruce pendens, in ipso momento mortis jam jamque constitutus, confessus est, & *Hodie mecum eris* Luc. 23. *in paradiso* a Jesu audire promeruit; & propheta subitaneam gementis salutem demonstrans: *Cum* Isa. 30. *conversus*, inquit, *ingemueris, tunc salvus eris*. Verumtamen potens est Deus misericorditer operari, cundum Septuaginta.

ri, ut qui excusationes tuas, & obedientiæ promissa susciptentes, de immortali vita tua per id fiduciam sumpsimus, percipiamus etiam in hoc temporali cursu, longævitate divinitus tibi concessa, unde & verbi Dei fructibus multipliciter perfruamur, ac per hoc in Domino gloriemur. Quid autem mirum si Guntharius, dudum archiepiscopus, apostolicam floccipendere sententiam non metuit, qui divina præcepta toties parvipendisse convincitur? Claret vero, & cunctis manifeste datur intelligi, etiamsi nulla pravitatis suæ præcessissent indicia, qualis ante pœnam extitit, qui se post pœnam talem exhibuit: & quam debite percussione promeruit, qui etiam post, unde magis percuti debeat, minime admittere recusavit. Eo igitur suadente nunc apostolicis institutis inobediens effectus est, quo nuper cælestibus oraculis semper obviasse repertus est: antiquo videlicet adversario, qui *sicut leo rugiens*, juxta primum apostolum, *circuit quærens quem devoret*. Illud vero quod dicitis, regibus & principibus vos esse subjectos, eo quod dicat apostolus: *Sive regi tamquam præcellenti*, placet. Verumtamen videte, utrum reges isti, & principes quibus vos subjectos esse dicitis, veraciter reges & principes sint. Videte si primum se bene regunt, deinde subditum populum: nam qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? Videte si jure principantur: alioqui potius tyranni credendi sunt, quam reges habendi; quibus magis resistere, & ex adverso ascendere, quam subdi debemus. Alioquin si talibus subditi, & non prælati fuerimus nos, necesse est eorum vitiis faveamus. Ergo regi, quasi præcellenti, virtutibus scilicet, & non vitiis, subditi estote; sed sicut apostolus ait, propter Deum, & non contra Deum. Superfluum autem judico, quod in conventu episcoporum capitula S. Leonis papæ, ac Antiocheni concilii quidam, ut asseris, legerint. Quoniam si sanctus vir metropolitanos singularum provinciarum episcopos jus traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decrevit, privilegia tamen hujus sedis non abstulit, & huic divinitus jura concessa non minuit. Quia sicut ipse scribit ad Anastasium Thessalonicensem, ac per eum ad omnes: Inter beatissimos apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis; & cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut ceteris præemineret. De qua forma episcoporum quoque est orta distinctio, & magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: & rursus quidam in majoribus urbibus constituti, sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem universalis ecclesiæ cura confluere, & nihil usquam a suo capite dissideret. Itidem ipse alibi, ut de componendis atque compositis relatio sibi plena mittatur, præcipit. Rursus si fatetur Antiochenum concilium: Per singulas regiones convenit nosse, metropolitanum episcopum sollicitudinem totius provinciæ gerere, quid præjudicat sedi apostolicæ sollicitudinem habenti non solum unius provinciæ sed & totius ecclesiæ? cum idem concilium magis metropolitas coerceat, refrænet, & arctet, dum eos non amplius quam suarum provinciarum dicat sollicitudinem gerere. Quorum enim quis sollicitudinem gerit, & judicium prætendere necesse est, ut beatus papa Innocentius ad Alexandrum Antiochenum scribens: Quorum enim, inquit, te maxima expectat cura, præcipue tuum debent mereri judicium. Ergo quia totius nos ecclesiæ maxima cura præstolatur, nostrum præcipue debet ecclesia tota procul dubio judicium promereri. Sed tandem ad

1. Pet. 5.

1. Pet. 2.

Leo epist. 88.

Concil. Antioch. can. 9.

Innocent. epist. ac

propositum redeamus, & votis tuis, quantum possumus, Deo præstante, misericorditer annuamus. Itaque si Theutgualdum, dudum episcopum, sicut profiteris, in catalogo episcoporum non recipis, quousque de eo humanius tractemus, & si Guntharium ministerium sibi vetitum usurpantem, non solum inter episcopos non susceperis, sed nec ipsi, nec fautoribus ejus communicaveris, & regi in scelere permanenti episcopaliter contradixeris, & secundum vires in nullo a constitutis & sententiis ab apostolicæ sedis præsule prolatis deviaveris, sed de cetero pro fide catholica & correctione fidelium, ac pro conservandis * pontificis sedis apostolicæ privilegiis nobiscum senseris, nobiscum pro viribus decertaveris, fratres quoque, & proximos tuos nobiscum sapere hortatus fueris, Deus omnipotens, intercessione apostolorum principum Petri ac Pauli, vincula omnium peccatorum absolvat, & quidquid humanitus quod in oculis majestatis ejus displicuit egisti, tibi miseratus indulgeat, & benedictionis suæ gratia replens ad beatitudinem visionis suæ perducat.

* al. Pontificis

V. AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

Confirmatio synodi Suessionensis, anni DCCCLIII. cum privilegio Hincmari archiepiscopi & ecclesiæ Rhemensis.

Nicolaus servus servorum Dei reverentissimo & sanctissimo confratri nostro Hincmaro Rhemorum archiepiscopo.

PAstoralis sollicitudinis cura constringimur, & loci sublimitate, qua nos superna providentia totius domus suæ generalitati præposuit, provocamur, ut apostolatus nostri apex in ea tamquam lapis positus angularis, ad imitationem ipsius, fidelibus quidem & humilibus tutissimum & firmissimum refugium, quo cuncti frangantur tumentes hostium fluctus, exhibeat: his autem qui offendunt verbo, nec credunt in quo & positi sunt, sit lapis offensionis, & petra scandali. Proinde, quia dilectio tua, sequens instituta majorum, ea quæ possunt aliquam recipere quæstionem, ad nos, quasi ad caput & apicem episcopatus, referre * episcopaliter studuit, (quod nos libenter accepimus, quia hinc dilectionem tuam memorem canonum comprobamus) synodum illam, quæ a te & ceteris venerabilibus archiepiscopis atque episcopis in urbe * Suessionum, anno incarnationis dominicæ DCCCLIII. indictione prima v. Kalendas Maii fuerat celebrata, & a decessore nostro beatæ memoriæ Benedicto papa est confirmata, sicut idem sanctæ recordationis pontifex illam confirmavit, ita & nos eam confirmatam, & irrefragabilem, perpetuoque mansuram apostolica auctoritate decernimus, salvo tamen Romanæ sedis in omnibus jussu atque judicio. Præterea quidem & sancimus, ne quilibet ex Rhemorum Durocortorum provincia regionis Belgicæ regulariter subjectus ecclesiæ, te contempto, vel posthabita coepiscoporum ipsius diœceseos provinciali synodo, impune audeat, seu valeat aliena expetere aut expectare judicia, aut alienas contra canones ordinationes suscipere, vel ad alias provincias irregulariter convolare: sed ita ut Nicænorum & ceterorum conciliorum canonicis definitionibus est promulgatum, & beatorum Siricii, Innocentii, Zosimi, Cælestini, Bonifacii, Leonis, Hilari, Gelasii, Gregorii, ac ceterorum Romanæ sedis pontificum constitutionibus est decretum, salvo in omnibus jure apostolicæ sedis,

* specialiter

* Suessorum

velut ab ipso Christo & sacris est cautum canonibus, cuncti sive in prælatione, sive in * subditione debita, ordinem ab ecclesiasticis regulis traditum observantes, metropolitanæ tuæ auctoritati, honeste tamen & canonice præcipienti, obedient, & studiosius obtemperare procurent. Et hoc promulgamus, atque apostolica auctoritate statuimus, ut te, quem primatem ipsius provinciæ sanctæ memoriæ præsules prædecessores nostri, Leo scilicet in largitione usus pallii, & Benedictus privilegio suæ corroborationis, ut & antecessores eorum tuos prædecessores, canonica auctoritate & antiqua consuetudine, pro metropolis ecclesiæ * genio confirmaverunt, & nos primatu beati Petri Dei voce percepto pariter confirmamus. Nullius unquam infestatio contra canonica apostolicaque decreta sive judicia opprimat, aut ab ecclesia tibi commissa virtute vel facultate nudare, aut ante audientiam Romani pontificis, quia nec regulæ hoc permittunt ecclesiasticæ, judicare te vel condemnare præsumat. Quod etsi temerarius quisquam forte præsumpserit, nullius excommunicationis, vel obligationis, seu condemnationis sententia sine decreto Romani pontificis tenearis astrictus. Sed si a quocumque vel undecumque fueris compellatus ut debeas judicari, apostolici papæ judicio te reservari, nostra, immo beati Petri apostoli auctoritate decernimus: nec alterius cujuscumque juri, vel judicio te subjici, excepta potestate sedis Romani pontificis, nec ad alterius primatis provinciæ synodum, nisi ex communi placito, posse convocari mandamus. Ita tamen, si in nullo negotio, apostolicæ Romanæ sedis jussionibus inventus fueris inobediens. Et hoc constituimus, ne quilibet ex provincia metropoli tuæ tibique subjecta, jus secundum ecclesiasticas constitutiones primatui ecclesiæ tuæ & tibi debitum, & secundum sacros canones, & decreta Romanorum pontificum, ex antiqua consuetudine traditum ac constitutum, quoquomodo per contemptum convellere, aut provinciam dividere, aut tibi, vel ecclesiæ tuæ, quamcumque violentiam contra eadem canonica constituta, & decreta Romanorum pontificum, pertinaciter inferre præsumat. Quæ omnia suprascripta violari a quoquam, cum anathematis interpositione, beati apostolorum principis auctoritate, & nostra apostolica sententia prohibemus. Eo dumtaxat tenore & conditione hæc per hujus præcepti decretique paginam tibi omnibus vitæ tuæ diebus habenda concedimus, ad tuæque securitatis quietudinem ac decorem valere disponimus: si tam in præsenti, quam semper, dum tamen in hac vita superstes extiteris, in nullo ab apostolicæ sedis præceptionibus quoquomodo discrepaveris. Quod si a sanctæ Romanæ ecclesiæ constitutis, vel ab ejus præsulum jussionibus, quolibet tempore inventus fueris segregatus, eorumque sive per epistolam, sive per verba, mandatis obedire neglexeris, hujus privilegii atque præcepti tenor nullius momenti penitus judicetur, & cuncta quæ in eo continentur, irrita in perpetuum atque inania prorsus existant. Si quis autem temerario nusu, magna parvave persona, contra hoc nostrum apostolicum decretum agere præsumpserit, sciat se anathematis vinculo esse innodatum, & a regno Dei alienum, & cum omnibus impiis æterni incendii supplicio condemnatum. At vero qui observator extiterit præcepti hujus, gratiam atque misericordiam, vitamque æternam a misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur. Scriptum per manum Zachariæ notarii regionarii, & scrinarii sanctæ Romanæ ecclesiæ in mense Aprili, indictione XI. Bene vale.

* subjectione

* Remensis

Data IV. Kalendas Maii, per manus Tiberii primicerii sanctæ sedis apostolicæ, imperante piissimo domino imperatore Augusto Hludouvico, a Deo coronato, magno, pacifico, imperii anno XIV. indictione XI.

VI. AD MONACHOS S. KARILEFI.

Jubet ut episcopo Cenomanico subesse non detrectent, ad causam coram episcopis, vel coram sede apostolica dicendam se comparent.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei cunctæ congregationi monasterii sancti Karilesi.

Fidelium relatione comperimus, quod modum proprium transgredi cupientes, a jure Cenomanicæ urbis, in cujus diœcesi moramini, vos subtrahere conamini, & sicut nostri apostolatus arbitratu cognoscimus, ad vestri interitus perditionem, in propria voluntate vivendo, animos elevare videmini. Qua de re salutem vestrarum desiderantes animarum, apostolica auctoritate a talibus vos revocare studuimus. Expressiusque jubemus, ut non vos proprius libitus ducat, quo animus erigi prævaleat; sed ad principalem vestram ecclesiam, videlicet Cenomanicam, solito more recurrite; ejusque episcopo obsecundantes, & illam, qua nomine dicimini, vitam implere satagite, & vestri ordinis ministerium prudenter assumite cum sanctitate. Quod si illa vestrarum arcana mentium non penetraverint, tunc in conspectu sanctissimorum episcoporum, qui a Rotberto Cenomanico præsule convocati fuerint, causam edicere procurate, ut quo res ducitur plenius digeratur. Nam si illic inter prædictum Cenomanicum episcopum atque vos regulare judicium datum non fuerit, tunc incunctanter præcipimus, ut ex vobis tres eligantur, qui cum sæpe fato episcopo, vel ejus legato, in nostram apostolicam veniant præsentiam: ut omni repulsa occasione, nostro examini hujus rei gratia appareat, atque canonico calculo finem accipiat. Optamus vos in Christo bene valere.

VII. AD EPISCOPOS IN REGNO CAROLI CALVI CONSTITUTOS.

Ut causam inter episcopum Cenomanicum & monachos sancti Karilefi discutiant.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei omnibus reverentissimis & sanctissimis confratribus archiepiscopis & episcopis in regno Caroli gloriosi regis commorantibus.

Dignum est, ut qui sacerdotali reverentia decorantur, secundum sanctorum patrum censuram, æqui moderaminis lance sic cuncta studeant trutinare, quatenus gregum sibi a Domino creditorum sepia munire non desinant, & debitam curam adhibere nequaquam postponant: ne forte cum segnitia cœperit oboriri, incentori aditus relinquatur, per quem pestifero more in ovile dominicum ingrediens, oves dominicas discerpere, ac morsu ferino incipiat lacerare. Quod utique de vobis, fratres, minime dici volumus, quin commonemus, ut tantæ sollicitudinis operam ad cunctorum subjectorum profectum assumere studeatis, quantum illud audire cupitis, quod Dominus se confitentibus misericorditer repromisit: *Euge*, inquiens, *serve bone & fidelis quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui*. Idcirco sanctitati

Matth.

ve-

vestræ compertum esse volumus, qualiter a primordio constructionis suæ monasterium sancti Karilefi, in Cenomania situm, ejusdem Cenomanicæ urbis juri, ejusque præsulis, subditum fuerit: & juxta canonica instituta, qui ejus diœceseos curæ præerat, ipsius etiam sub regimine ejusdem monasterii congregatio degebat. Sed nunc, ut nostris intonuit auribus, monachi ipsius, regulari auctoritate contempta, zelum paternæ traditionis non ducunt, & modum debitum servare non cupiunt; cum, quod non licet, proprio libitu vivere quærunt, & parochiam, in cujus diœcesi consistunt, jus non tenuisse fatentur. Quapropter apostolicæ auctoritatis apicibus omnium vestrorum reverentiam commonere decrevimus, ut rectitudinis atque justitiæ intercurrente libramine, Dominum præ oculis habentes, hoc extra institutionem sanctorum patrum fieri non sinatis: sed usquequaque causam considerantes, quid rectius, quidve utilius inveneritis, hoc conservantes, atque tenentes, Cenomanicam plebem non patiamini præjudicium sustinere, atque quæ ejus sunt, inconvenienti calculo discernere, ac pertractare: quatenus & vestræ fraternitatis ordo non violetur, & ipsius ecclesiæ præsul sua amittere nequaquam cogatur. Igitur si ab eodem Cenomanico præsule ex vobis, qui hujuscemodi quæstionem discutiant, judices electi fuerint, & alia electio in unum convenerit, tunc si illuc contentionis finis aliqua emergente difficultate dirigi non poterit; jubemus ut utraque pars in nostram specialem veniat præsentiam, ut litis intentio legali coram nostro pontificio sententia ventiletur, declaretur, atque luce clarius finiatur. Omnipotens Dominus mentes & corda vestra ad bene agendum semper inclinet, ut bonis operibus inhærendo, æquitatis atque justitiæ culmine videamini sublimari.

VIII. AD HINCMARUM ARCHIEPISCOP. RHEMENSEM.

Taxat illum quod monachis sancti Karilefi favens Caroli regis animum adversus episcopum Cenomanensem commoverit.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei reverentissimo & sanctissimo confratri nostro Hincmaro Rhemorum archiepiscopo.

RElatu quorumdam audivimus, quod tua fraternitas contra Rotbertum Cenomanicæ urbis episcopum, pro eo quod monasterium sancti Karilefi ad jus ecclesiæ sibi commissæ vindicare velit, non parum sit indignata: ita ut animum dilectissimi filii nostri Caroli glorioſi regis adversus eum commoverit, & in synodo, quæ modo dicitur a sanctitate tua colligi, fertur quod nescio quas insidias, quasi ex alia ratione, illi nitamini præparare, lædere eum magnopere gestientes, quod de tanto viro indignum credere judicavimus. Denique si Rotbertus episcopus petit quod petere debet, impetret: si vero quod non debet postulat, nunquam obtineat: verumtamen ob id nihil sustineat omnimodis læsionis. Quod tua, frater carissime, studeat sanctitas summopere præcavere; ne quod non credimus, injuste, vel obtentu æquitatis, idem antistes a tua lædatur in aliquo reverentia. Sed si crimen illi objicitur, sic de eo examinatio præveniat, ut judicium in illum ex nostræ auctoritatis libramine subsequatur. Nam cum vos suspectos habere videatur, indecorum, immo temerarium est, ut a vestra sanctitate aliquid patiatur discriminis. Sed & devotissimi filii nostri Caroli pii regis animum vestra beatitudo circa jam fatum episcopum placabilem ac mitem reddere nostra vice procuret: quatenus furore deposito, dum Deo auctore mentem suam ad nobis adhuc obediendum, & circa sæpe designatum episcopum benigne regere studuerit, quod vere rex sit omnibus palam detur intelligi, & cunctis manifeste ipsius pietas innotescat. Optamus fraternitatem tuam in Christo bene valere.

IX. AD ROTLANDUM ARCHIEPISCOPUM ARELATENSEM.

Missa cum altera epistola, qua Nicolaus Rotlando vices suas delegabat.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei Rotlando archiepiscopo Arelatensi.

SUsceptis sanctitatis tuæ literis, totius humilitatis dono refertis, cunctarumque virtutum floribus redimitis; multiplices gratiarum cultus omnium bonorum auctori rependimus; tuamque a multis retro temporibus erga sedem apostolicam agnitam devotionem plurimum commendamus, atque ut in hoc salubri proposito perseveret, fraternitatem tuam obnixius adhortamur. Sic enim sanctæ conversationis pedem, quo tendere debeas, perspicacius cognoscere poteris, & supervenientia pravorum jacula prævidere & declinare liberius, revelante Domino, prævalebis, si in apostolicæ sedis petra, more majorum, præsidium tuum locaveris, ejusque fidei doctrinis vel decretis arctius inhærere contenderis: quam ille sua sacravit sessione, quem Dominus ejus Christus ecclesiæ suæ voluit primum & speciale retinere fastigium, quin & cælestis atrii delegit summum constituere janitorem, quod jam beatitudinem tuam strenue persequentem debitis attollimus omnino præconiis non solum in hoc, verum etiam in eo, quod apostolatum nostrum ad perseverantiam cohortaris. In quo enim tam manifeste nostrarum sanctionum & decretorum ostendere te poteris esse custodem, quam in eo, quod nostram quoque soliditatem supra firmam petram fundatam, ut in his perseveret, studiosius animare procuras?

Quod autem deprecatur tua fraternitas, ut scrutemur, quales prædecessores nostri circa prædecessores tuos antiquitus fuerint; & postulas, ut liceat tibi rescripto cognoscere, utrum fidenter crebro literis vel legatis * non audeas frequentare, & quæque congruentia temporibus opportunis suggerere; sciat beatitudo tua, nos bene cognoscere, quod prædecessores mei inter alia honoris beneficia prædecessores tuos adeo dilexerint, ut eis vices suas in illis partibus retinere consenserint, quemadmodum quinta refert sancta & universalis synodus. Tu vero si promissa tuæ dilectionis perfeceris, & nobis consentiendo, contra pravos quosque vel contra molestos nobis hærere contenderis, & a decretis deviare refugeris: noveris te deinde apostolatus nostri clypeo protegendum, & caritatis ac pietatis brachiis modis omnibus complectendum; sanctam quoque ecclesiam divinitus tibi creditam nostra sollicitudine & vigilantia, auctore Deo, peramplius & perfectius augmentandam. Mittere autem nobis legatos vel literas tanto libere debetis, quanto caritas, qua circa sanctitatem tuam flagramus, (quam latum mandatum psalmographus nuncupat) intra sinum amplitudinis suæ omnes recipit, omnes fovet, & pro-

* Lege, *nos audeas*. H.

Synod. V. collat. 7.

protegit proximos ſuos; quia juxta apoſtolum Pau-
1. Cor. 13. lum, *benigna eſt, & omnia ſuffert*. Verum a caritate tua unum hoc neceſſario poſtulamus, ſcilicet ut cum aliquem ad apoſtolicam ſedem miſeris, ſtudeat eum tua monere fraternitas, quatenus in redeundo non uſquequaque feſtinus appareat; eo quod omnium eccleſiarum Dei (ſicut ipſe noſti) cura conſtringimur, & cum undique ad ſedem apoſtolicam multi diverſa quærentes confluant, efficimur tardi ad ſingulos, dum volumus benignitatem & dapſilitatem ſpargere per diverſos. Illud autem valde placuit, unde etiam immenſo tripudio exultavimus, ſcilicet, quoniam ab apoſtolatu noſtro ſciſcitati quid tua ſanctitas ſequi debuiſſet, prudentiſſime decreviſti. Verum quamvis multa ſint quæ tibi mittere poſſemus: interim tamen quæ in alia noſtri apoſtolatus epiſtola beatitudini tuæ intimamus, ſolum tuæ ſolertiæ ſint pervigili cura ſectanda, præcipuoque ſtudio peragenda. Siquidem quæ circa nos, circaque ſedem beati Petri, non eſt aliud ſignum devotionis tuæ, quam polliceris, niſi obtemperantia & conſummatio decretorum & definitionum noſtrarum, qui licet indigni, per abundantiam tamen gratiæ Chriſti, ipſius vicarii ſumus. Data menſe Maii, die 12. indictione XII.

X. AD EPISCOPOS IN REGNO LOTHARII CONSTITUTOS.

Ut Lotharium libere arguant, & adulteram quam habet projicere compellant.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverentiſſimis & ſanctiſſimis confratribus noſtris archiepiſcopis in regno Hlotharii regis eccleſiam Dei gubernantibus.

SÆpe fratres cariſſimi apoſtolatûs noſtri pro cauſſa (ſi tamen cauſſa dicenda erit) regis Lotharii, ſed utinam regis, ſollicitudinem cognoviſtis. Quippe & frequentia ſuper hoc negotio ſcripta noſtra vidiſtis, & in fautoribus ipſius tantum flagitium nos jam vindicaſſe manifeſtiſſime noſtis. Sed, proh dolor! nobis irremotis laboribus deſudantibus, vos licet ſcripto nobiſcum ſentire tenereque profiteamini, utrum tamen laboretis, necne, jam apud virum fatum, & ſi labor veſter aliquid penes illum proficiat, vel cujus culpa ſi non proficit impediatur, nihil nobis omnino ſignificaſtis. Quamobrem datur intelligi hujuſmodi taciturnitate ideo vos uſos, quoniam quidpiam utilitatis, quod intimare valeatis, penitus non habetis. Quapropter obſecro vos per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, ante cujus conſpectum, vel pro legitimis certaminibus coronam, vel pro deſidia, quod abſit, pœnam percipietis, ut tandem aliquando recogitetis miniſterium quod accepiſtis, projiciatis deſidiam, pellatis a vobis ſervilem timorem, reſumatis epiſcopalem libertatem, corripiatis ſpeculatorum & paſtorum officium, & precando, obſecrando, ſuadendo, modo caduca hujus mundi proſpera exponendo, modo in æternum manſura gaudia prædicando, jam nominatum regem frequentius adeatis, & tam ex auctoritate Dei, quam etiam ex noſtri apoſtolatus injuncta vobis præceptione, quouſque, ſi non obedierit hanc quam nunc habet is adulteram mulierem projiciens, finitivam permanſoriamque demus ſuper eam ſententiam, & exhortari eum, & admonere, omni torpore ac metu repulſo, curetis, & ſegnitia vel tædio depoſito, quibus hactenus eratis depreſſi, hunc conſtanter arguere, & decenter corripere ſtudeatis, prænuntiantes pariter & quæ illi ventura ſunt, immo jam imminent, videlicet quia poſt noſtram, ac ſanctæ eccleſiæ in ipſum prolatam manifeſtam ſententiam, nulla cum eo eritis communione potituri. Nam ut e diverſo colligitur, noſtræ communionis cum mœcha ſibi ſociata, & fautoribus ſuis, ipſe jam dudum factus eſt exors: quod in epiſtola & commonitorio Rhadoaldo tunc epiſcopo, & Joanni dederamus epiſcopo, legatione fungentibus in eumdem ipſum Hlotharium, liquido poterit inveniri. Ergo fratres eſtote ut fortiſſimi milites, ut pervigiles paſtores, & venientem lupum a longe inſpicite, ac perituro imminentem gladium enuntiate. Eruite hunc virum, qui ducitur ad mortem, qui trahitur ad interitum liberare ne ceſſetis. Clamate, quaſi tuba exaltate voces veſtras, & annuntiate illi ſcelera ſua, quibus peccat, & peccare facit Iſrael. Quod ſi ille non audierit, ipſe in iniquitate ſua morietur, ſanguis ejus ſuper caput ejus erit, vos autem animas veſtras liberabitis. Tantum ut memores ſemper illius ſententiæ ſitis, quam vobis ex apoſtolo memoriæ commendandam nunc apoſtolatus noſter diffloratam annotat: *Si quis*, inquit, *non obedierit verbo* 2. Theſſ. 3.
noſtro per epiſtolam, hunc notate, & non commiſceamini cum eo. Porro hæc & cetera, quæ huic paginæ inſeruimus, Arſenio ſanctiſſimo epiſcopo, apocriſiario & miſſo apoſtolicæ ſedis, conſiliario noſtro, vobiſcum ſecundum voluntatem Dei exequenda commiſimus: cui & benignitatem veſtram monſtrare, & dignam reverentiam pro amore beati Petri apoſtoli, a cujus ſede profectus eſt, exhibere ſatagite. Optamus fraternitatem ſeu ſanctitatem veſtram in Chriſto bene valere.

XI. AD UNIVERSOS EPISCOPOS.

Iterum admonet de ſententia excommunicationis, quam adverſus Vvaldradam ejuſque complices promulgarat.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverentiſſimis confratribus noſtris archiepiſcopis & epiſcopis per Italiam, Germaniam, Neuſtriam, & Gallias conſtitutis.

DEcreveramus quidem circa VValdradam mœcham, & pertinaciter in impœnitentia permanentem, vindictæ modum minus diſtricte, quam miſericorditer temperare, & juxta quod merebatur, non ita pro tanto ſcelere ſententiam in eam juſtæ punitionis proferre, niſi obſtinato animo perenniter in mœchiæ volutabro permanere propoſuiſſet, & nullis ſacris monitis, nullis noſtris ſeu veſtris tam crebris exhortationibus ſe paratam exhibere. Quia tamen non ſua voluntate factum ſit, Deo qui cor conſiderat, & fidelibus ejus per omnia manet certiſſimum: cum ſua ſponte hactenus, ſi potuiſſet, immo perpetuo in tanto flagitio permanſiſſet, niſi noſtra ſuper hoc abolendo fuiſſet cum virtute ſummi opificis inceſſabilis diligentia, & ſocii ejus, proh nefas! ſcilicet ſecum admittentis quomodocumque inclinatior extitiſſet obedientia. Patet profecto ita eſſe quæ dicimus, cum hactenus culpam ſuam necdum cognoverit, nec confeſſa ſit, juxta quod ſcriptum eſt: *Dic tu iniquitates tuas primus, ut* Iſa. 43.
juſtificeris: nec miſſa nobis, qui cauſſam ipſius exequendam cœpimus, lamentationum legatione veniam poſtulaverit, præmiſſoque pœnitentiæ remedio congruam meruerit indulgentiam, Salomone dicente: *Qui celat delicta, non dirigetur: qui* Prov. 17.
autem confeſſus fuerit, & dimiſerit ea, miſericordiam conſequetur. Poſtremo cum recto itinere nos

Locus eo ruptus.

Ex interp tatione S Paugintæ

illi

illi fuerat adeundum, & ſedis beati Petri ſuffragia requirenda, quatenus juxta quod ſtatutum fuerat, nos de ejus negotio Deo placita conſideratione definiremus: poſtea retro eſt converſa poſt ſatauam, & in provinciam ut principaretur in ea iter reflexit: licet induſtria legati noſtri ad Italiam denuo revocata ſit, & quaſi nihil fuerit operata, unde in Chriſti ſit eccleſia non modicum ſcandalum generatum, gloriam mundi ſectatur, reique publicæ dominatur, ac quod eſt gravius, etiam piis locis atque religioſis perſonis præeſſe dignoſcitur; & a Theutbergæ reginæ cœpta interitus meditatione, ſicut nonnulli teſtantur, minime ceſſat, dum ea nimirum loca repetere affectat, in quibus facilis ipſius ad regem Lotharium, & ejuſdem regis ad eam poſſit eſſe acceſſus. Et ut breviter cuncta complectar, de die in diem, qualiter ad priſtinas voluptates redeat, variis argumentis exquirit. Verumtamen ut cum egregio apoſtolo ſummatim dicamus quod contra eam contraque ejus ſimiles ſæpius replicandum eſt, quia ſecundum duritiam ſuam & cor impœnitens theſaurizat ſibi iram in die iræ: idcirco nos eam, quouſque de factis ſuis eccleſiæ Chriſti, nobiſque præcipue, qui ejus principaliter curam gerimus, quique cauſſam ipſius exequi ac inveſtigare cœpimus, ſatisfecerit, donec etiam omnem a ſe ſiniſtram ſuſpicionem conſilium noſtrum ſuſcipiens adimat, a pretioſi corporis & ſanguinis Domini perceptione, atque ab omnimodo ſanctæ eccleſiæ conſortio ſancti Spiritus, beatorumque apoſtolorum Petri & Pauli judicio, & noſtræ mediocritatis auctoritate, ſecimus cum univerſis complicibus & communicatoribus fautoribuſque ſuis prorſus extorrem. Hanc autem ſententiam IV. Nonas Februarias a nobis promulgatam meminimus, eamque ſcripto vobis deſtinavimus. Sed quia ignoramus utrum ad veſtram notitiam pervenerit, idcirco reverentiæ veſtræ iterato illam pandere procuravimus. Nam dum adhuc negotium pendet, & cœptum bonum perfectionem non habet; immo dum diverſis indiciis datur intelligi, quod anhelitus pravorum ad priora nequitiæ ſemper intendat, procurare magnopere neceſſe eſt, ne noviſſimus error nobis torpentibus pejor priore ſuccedat. Siquidem & fruſtra ſpeculatores dicimur, ſi venientem lupum a longe non cernimus. Fruſtra enim epiſcopi, id eſt, ſuperinſpectores vocamur, ſi futurum exitum per antecedentia ſigna minime contemplamur; præcipue cum jam quod videmus experti ſimus, & futurarum certitudinem præteritarum gignat exhibitio rerum. Unde ſaltem de Theutbergæ reginæ illatis quotidianis inſidiis veſtra caritas doleat, & eximio dominici corporis membro totius mentis affectu compatiatur: & ne labor noſter inanis conſtituatur, ſpiritualia nobiſcum veſtra fraternitas adverſus jam fatam mœcham & communicatores ejus, arma ſuſtollat, & in parochia ſua, ubi plebem dominicam gubernat, vel ubi eam fore contigerit, excommunicatam hanc fautoreſque ſuos viva voce ſubſiſtere, donec noſtro ſpeciali judicio dignæ ſe pœnitentiæ ſubmittat, publice ac audacter aſſeveret. Porro ſi cujuſquam fortaſſis adinventionis intentioniſque fuerit dicere, quod non ſolum illa mulier, ſed & Lotharius rex in hoc deliquiſſet, ideoque ſimili pœnitentia deberet arctari; utrum inſtruendo ſe, an exprobrando nobis, talia loquatur, licet nulli jactanter hæc proferenti nobis neceſſe ſit reſpondere; congruit tamen, ut a cujus auctoritate ſanctio iſta digreditur, in ejus prærogativæ affluentia, quiſquis ille eſt, hujus rei ſolutionem quærat, eo quod auctoritas apoſtolica, ad quam univerſarum cura confluit eccleſiarum, idonea, quibus omnibus conſulat, moderamina ſatis habeat; per quæ & indoctos quoſque diſciplina ſalutis inſtruat, & exprobratoribus diſpenſatorie modum dignæ diſcretionis imponat. Interim vero, quiſquis veſtrum hujus ſanctionis epiſtolam ſuſceperit, ad epiſcopos metropolitanos deſtinare ſummopere ſtudeat, & exemplaria ejus per vicinas regiones diſpergat, & talem ſe in omnibus his exhibeat, ut alterius zelo Phinees iram Domini mitigantis, non in defenſione ſcorti, ſed in ultione ſtupri ſe fervere cunctis oſtendat. Optamus fraternitatem veſtram in Chriſto nunc & ſemper bene valere. Data Idibus Juniis indictione XIV. Anno Chriſti 866.

XII. AD HERARDUM ARCHIEPISCOPUM TURONENSEM.

Extat infra in concilio Sueſſionenſi III. anno 866.

XIII. AD RODULPUM BITURICENSEM ARCHIEPISCOPUM EJUSQUE COEPISCOPOS.

Scribit iterum de Theutgaudo & Guntharío a ſede apoſtolica damnatis, monetque ut ab eorum communione penitus abſtineant.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Rodulfo Bituricenſi archiepiſcopo, ceu omnibus venerabilibus fratribus noſtris epiſcopis diœceſeos tuæ.

NUper, fratres cariſſimi, vobis ſcripta, quibus damnationem Theutgaudi & Guntharii dudum archiepiſcoporum veſtræ notam fecimus ſanctitati, tranſmiſimus: ſed utrum ad vos uſque perlata ſint, penitus ignoramus. Quapropter quæ habentur in ſubditis, vobis mittenda decrevimus; ut quæ ſit apoſtolica cenſura & quam juſte in fautores adulterorum commota noſtra fuerit auctoritas, experientiam veſtram non lateat: quatenus cum apoſtolica ſede de his zelo zelati pro domo Domini ſentiatis, quos etiam ante ſententiam noſtram damnatione dignos nullo modo dubitaveratis. Ipſi quippe, more pſeudoprophetarum, de quibus ſcriptum eſt, quod viderint & prophetaverint falſa, terreno regi, & poſt concupiſcentias ſuas eunti, favere ſtudentes, contempſerunt cæleſtem regem, ante cujus oculos omne verſutiarum patet argumentum, & quaſi aranearum tela omnis callida diſſipatur aſtutia. Inſuper ad majorem ſuæ cumulum damnationis, Ingeltrudem uxorem Boſonis, quæ relicto viro proprio cum adultero adultera in eorum diœceſibus commorabatur, non ſolum ad virum ſuum repedare minime fecerunt, vel ab omni Chriſtianitatis nomine vinculis illam anathematis innodandam ſequeſtraverunt, juxta quod a ſanctæ memoriæ deceſſore noſtro Benedicto papa, & a nobis per multa fuerant jam tempora monitis & terroribus conventi: verum etiam a nobis cum ſuis complicibus & fautoribus jam anathematizatæ, adeo poſt ſibi intimatam ſententiam in ipſam a nobis prolatam, favere conſenſerunt, ut in ſuis illam diœceſibus degere, & eccleſias intrare, & cum fidelibus in locutione, & cibo ac potu communicare permiſerint: immo, ut ipſi coram nobis & ſancta ſynodo ſunt profeſſi, licentiam ei copiamque taliter converſandi tribuerint, & contra ipſos Nicænos canones, quam nos abjecimus ipſi receperint. Quæ nimirum omnia conſtat illis fuiſſe prohibita, ſicut ad præfatos noſtra indicat ſuper hac remiſſa præceptio. Itane fratres debuit tam immane ſine vindicta exilire flagitium? &

de-

debuit apostolica sedes, sollicitudinem habens omnium ecclesiarum Dei, tanti auctores piaculi ad subversionem fidelium immunes deserere? Et ubi erit quod primus ejus sessor tertio a legislatore summo audivit, *Pasce oves meas*, si tanta desidia easdem, nullo zelo accensi, nulla utentes virga, a tam voracibus lupis permiserimus discerpi? cum, licet indigni pro patribus nati filii, vicem ejus agentes, Dei simus gratia constituti in domo ipsius principes super omnem terram? Igitur quia unum damnatorum, Guntharium scilicet, crebrescens fama divulgat imperatoris & regum auribus contra statuta canonica molestiam inferre, & quorumdam fratrum corda fallacibus & suasoriis decipere verbis, contra id quod adversus se actum est, velle impudenti fronte consurgere: nos ei, quia ita est ab apostolatu nostro, & a sancta sede definitum, nullo modo communicavimus: quin potius ab omni eum communione fidelium, & cum participibus & fautoribus suis, Dei auctoritate judicavimus penitus esse alienum. Oportet ergo fraternitatem vestram summopere præcavere, attentiusque fore sollicitam, ne forte, quod absit, homini hærentes perverso, ab illa petra decidatis, super quam verus architectus totius domus suæ voluit fundamenta construere, & auctorem pravitatis sequentes, amittatis communionem ipsius, a quo & episcopatus & apostolatus sumpsit initium: per quem etiam vos, per gratiam Dei, non solum episcopi, verum & Christiani estis effecti. Capiti ergo religionis, id est sanctæ apostolicæ sedi, hærete: caput autem serpentis, pravæ videlicet suggestionis, antequam cor penetret, in prima fronte conterite. Cœpimus enim vobis, dilectissimi, vulpes, sicut quidam nos patrum nostrorum hortatus est, quæ demoliebantur in vineis: videte ne vos dormientes reperiat, & pro depasta vinea sua is, qui in ea vos custodes posuit, desidiam vestram iratus percutiat. Quam rogo validitatem vestra poterunt habere judicia, si nostra quomodolibet infirmantur, de quibus nec retractari licet? vel quod robur concilia vestra obtinere valebunt, si suam perdiderit sedes apostolica firmitatem, sine cujus consensu nulla concilia vel accepta esse leguntur? Aut legite sacros canones, & synodalia gesta revolvite, & videte, quod sedi apostolicæ, non solum quoslibet metropolitanos, quorum causa eidem est sedi semper servanda, verum etiam patriarchas moris fuisse pro emergentium qualitate damnasse, vel etiam absolvisse; jusque semper & fas habuisse de omnibus sacerdotibus judicare: utpote cui facultas est in tota Christi ecclesia leges speciali prærogativa ponere, ac decreta statuere, ac sententias promulgare. Quod vestra reverentia nos non existimet, quia nostra dicimus, in hoc quidquam præter veritatem dicere, cum Dei potius quam nostra sint, beati Petri meritis Romanæ sedi collata: & arbitremur, quod nos hic asserimus, etiam vos nullatenus ignorare, & quæ in præsenti pagina scribimus, vos affatim in archivis vestris recondita possidere. His ita præmissis, stilum nostræ prosecutionis ad fraternitatem vestram reflectimus; quam utique nisi tanto amoris cultu diligeremus, nequaquam tanto affectu ad declinandum a pravis, ad sectandam æquitatem incitaremus. Unde sub divinæ majestatis vos intuitu convenimus, & coram sanctis angelis, & beatis apostolis ejus, merito interdicimus & contestamur, ut sinceritatem communionis vestræ nulla præfatorum, Theutgaudi scilicet & Guntharii, vel faventium illis contagione polluatis, nec societate ipsorum, vel eis communicantium, vestram innocentiam corrumpatis: si tamen nostræ communionis & caritatis participes, sicut nunc usque, inveniri per gratiam Dei desideratis: vel si ipsi resultare, vel minime acquiescere his, quæ a nobis contra se promulgata sunt, forte præsumpserint. Alioqui scitote vos ab apostolicæ sedis communione, gratia, & pace, perpetua nostræ auctoritatis sententia sequestrandos: immo quod illi experti sunt, sicut olim decrevimus, vos quoque fore, quod non optamus, penitus incursuros. Verum ut unum vos nobiscum sapere & velle liquidius ostendatis, hortamur quatenus binos de collegio sacerdotali vestræ sanctitatis legatos, omnium vestrorum vices agentes, circa Kalendas Novembris ad apostolicam sedem destinare curetis: quo temeratorum, semelque damnatorum, & totius mali auctorum, recidiva radicitus amputata præsumptione, sanctæ ecclesiæ ex se bonitas generetur, & divinæ Trinitati debita laus, & gratiarum actionum sempiterna gloria referatur. Amen.*

* Ad hujus epistolæ calcem annotatum fuerat in veteri libro *Hæc recitata est apud Suessionis synodum.*

EPISTOLA LOTHARII REGIS

AD NICOLAUM PAPAM.

Conqueritur quod pontifex nimium de ipso ejus æmulis credat, dolere se significat de Theutgaudi & Guntharii excommunicatione, ceterum purgans se de omnibus, paratum se ostendit coram pontifice adversariorum calumnias refellere.

Domino vere beatissimo & sanctissimo totius sanctæ Dei ecclesiæ summo pontifici & universali papæ Nicolao, Hlotharius divina præveniente clementia rex, summæ felicitatis ac præsentis prosperitatis pacem & gloriam.

POstquam nobis divina dignatio sua gratuita clementia regni gubernacula commisit, more prædecessorum nostrum Christianissimorum regum, semper & in omnibus sublimandam beati Petri apostolorum principis sedem, ut dignum est, reverenter dilexímus, atque instanter, quantum in nobis est, illam exaltare parati sumus, deque vestro tamquam summo spiritalis patris regimine semper salubria haurire cupientes, veritatis voce vobis dictum recolimus: *Petre amas me? pasce oves meas*, & per prophetam: *Ego pascam oves meas, dicit Dominus Deus: quod perierat requiram, & quod abjectum erat reducam, & quod confractum fuerat alligabo, & quod infirmum consolidabo.* Admodum quippe desideramus citius vobis nostram exhibere præsentiam, ut illud veriori experientia implere possitis, quod idem propheta post pauca subintulit: *Et judicabo illas in judicio & justitia.* Revera sereníssimum ac devotissimum circa piam paternitatem vestram nostræ mentis affectum acriter obnubilat, quod æmulorum nostrorum falsidicis vocibus nimium creduli, ultra quam nobis necesse esset, in nostra derogatione sanctissimi apostolatus vestri aurem accommodatis. Præsertim cum nostra mansuetudo promptissima sit omni deroganti vera, & justa ratione resistere, quod & legati vestri, nuper in his partibus directi, vobis intimare poterant si vellent, quia nos data nostris accusatoribus firmitate aditum veniendi concessimus & rationabilem satisfactionem, tamquam in vestra patientia, ex vestro latere directis explere parati fuimus, nihil nostræ regiæ dignitati faventes, sed quasi unus ex vilioribus personis, sacerdotalibus monitis patentes. Hoc totum nostri æmuli sinistra interpretatione intelligentes, exarserunt in concupiscentia regni

Joann. 21. Ezech. 34.

nobis

nobis divina dignatione jure hæreditario conceſſi: non attendentes ſcripturam dicentem: *Domini eſt regnum, & cuicumque voluerit dabit illud:* neque apoſtolum dicentem: *Non eſt poteſtas niſi a Deo.* Illius ergo victrici dextera pro nobis, uti credimus, pugnante, qui novit & diripientem, & eum qui diripitur, parvipendimus eorum fucatas ſimultates: ſolummodo ut veſtri pontificatus ancora, in ſolidiſſimo ſanctæ matris eccleſiæ fundamento fixa, nobis ſimiliter petentibus concedere dignetur quod in mandatis digito Dei ſcriptis legitur: *Juſte judica proximo tuo.* Porro nos in ultimis pene regni noſtri finibus commorantes, & erga infeſtationem paganorum laborioſas excubias ſervantes, diſcurrentium relatione comperimus, Theutgaudum Trevirenſem, & Gunthárium Agrippinenſem, a veſtra auctoritate excommunicatos, atque oris proprii teſtimonio canonice damnatos, quod nos non ſine gravi mœrore haurientes, decrevimus longanimiter ac patienter ferre nuntiata, & ut olim in pluribus actum eſt, reſtitutionis ſpem habere, & pie refricatis ac retractatis omnibus, locum rationabilis miſericordiæ a veſtra largitate præſtolari. Interea accidit nobis noſſe, quod Gunthárius miſſarum ſollemnia antequam ad nos perveniret celebrare non metuit, & juxta præcedentem conſuetudinem epiſcopale chriſma conficere, & Spiritum paracletum tradere præſumpſit, quod nos ſatis ægre tulimus, & ut hoc non fieret, tamquam mortiferum venenum, modis omnibus abominamur. Illo autem ad nos veniente, ejus miſſam audire noluimus, nec in aliquo illi communicare ratum duximus, & juxta veritatis vocem, quaſi ſcandalizantem oculum, a nobis eruere maculam diſponimus, quouſque ſanctiſſimi apoſtolatus veſtri finitivam ſententiam de illo reſcire valeamus. Epiſtolam quoque a veſtra ſanctitate epiſcopis diœceſeos directam illi tranſmiſimus, ut ibidem canonicas atque apoſtolicas ſanctiones liquido cognoſcens, videat quid in poſterum illi agendum ſit. De cetero veraciter ac ſinceriter veſtra paternitas noverit, quod Theutgaudus ſimpliciſſimus atque innocentiſſimus vir, veſtram humiliter ferens cenſuram, in nullo de ſacro miniſterio contingere præſumpſit, magis eligens dehonorationem præſentialiter in oculis hominum pati, quam per inobedientiam ab illius membris ſecerni, qui caput eſt humilium, ſuiſque diſcipulis ait: *Diſcite a me quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.* Ipſe enim, qui ſuperbis reſiſtit, & gratiam præſtat humilibus, poterit illum, ſi innocens eſt, de ſupernis miſericorditer reſpicere. Enimvero legatis noſtris Theutgaudo & Gunthario, nihil tale aliquid in ſua legatione fari præcipimus, unde damnationis notam incurrerent. Sed nec de Ingeltrude uxore Boſonis aliquod præjudicium ferre debemus aut volumus: quam nos, comperto quod anathematis vinculo eſſet innodata, Gunthario, quia tunc in ſua parochia erat, commendavimus, monentes, ut de illa ſuum miniſterium faceret, immo illam ex omnibus regni noſtri finibus eliminandam cenſuimus. Legati enim veſtri illam poſtmodum requirentes, atque in medio ſtatuentes, nos ignoramus quem finem cauſſæ ipſius impoſuerint. Epiſcopi vero diœceſeos Trevirenſis metropolis, & Agrippinæ Coloniæ, nec complices damnatorum, nec fautores vitiorum, nec in aliquo apoſtolicorum decretorum contemptores, vel canonicorum dogmatum violatores eſſe probabuntur, ſed ſanæ atque catholicæ fidei ac veri Dei cultores. Igitur propter Deum, ſanctam & individuam Trinitatem, humiliter petimus, ut facile criminoſos ad cauſſationem noſtram nullatenus admittatis: neque, ut apoſtolus docet, omni ſpiritui credatis, ſed probate ſi ex Deo ſit: quia parati ſumus, ſi ratio dictaverit, per noſmetipſos polire, quod æmulorum invidia fingit alienam. Omnipotens Deus ſanctiſſimum præſulatus veſtri apicem æquitatis lance moderatum diu incolumen cuſtodiat. Amen.

XIV. AD CLERICOS IN CONCILIO SUESSIONENSI RESTITUTOS.

Extat in concilio Sueſſionenſi III. anno 866.

XV. AD * AQUITANOS.

* *Binius edidit*: Ad duces Aquitaniæ.

Ut res eccleſiarum, quas injuſte quoquomodo retinent, ſine mora reddant, ac deinceps ab iiſdem abſtineant.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis omnibus nobilibus atque primoribus, ſeu cunctis Aquitaniæ habitatoribus.

SOllicitudinis, quam pro univerſis eccleſiis dominicis ſuſtinemus, neceſſitas nos compellit de omnium fidelium ſtatu impigram gerere providentiam. Quapropter de vobis etiam ſolertem curam circumferentes, audimus quoſdam veſtrorum, quod non optabamus, ita contra Deum efferri, ut eccleſias ejus & diverſa pia loca deprædari non timeant, & res eis pertinentes diſtrahere non recuſent. Quæ res valde nos contriſtavit, & ultra quam dici poſſit menti noſtræ mœſtitiam generavit. Et ideo, fili cariſſimi, curæ nobis fuit, ut his vos noſtri pontificatus hortaremur affatibus, ut ſaluti veſtræ providentes ſolerter a tanta crudelitate ceſſetis, quinimmo quæ violenter aut quoquomodo ſine lege tuliſtis, reddentes tantum corrigere curetis. Nam quamvis Domini ſit terra, & plenitudo ejus, illæ tamen res, quæ a piis principibus, atque fidelibus quibuſque hominibus, ſacratis locis collatæ ſunt, ſpecialiter eſſe Domini ſine cunctatione creduntur, dum divinis cultibus dicatæ, ac Deo famulantium uſibus exiſtere deputatæ cernuntur. Unde in Deum procul dubio committunt, & ipſi præjudicium inferre probantur, quicumque has uſurpare, & ſibi non legitime vindicare non metuunt. Nimirum quoniam cum a piis quibuſque locis res auferunt, Deo militantium ſtipendia ſubtrahunt: & dum ſubſidium divino cultui jugiter famulantibus adimunt, laudes dominicas quodammodo ab ipſis hominum faucibus abſtrahunt. Quamobrem vos rogamus, ut ab iſta tyrannide remoti, ſua ſingulis Deo ſacratis locis ſine dilatione reddatis: ita ut nihil ex his apud vos retineatis, niſi quæ forte per propriam voluntatem rectorum quorumdam ſacrorum locorum legaliter acquiſiſtis. Ita ut etiam illa ſub omni integritate reſtituatis, quæ ſimplicitate vel deſidia faciente rectorum venerabilium locorum, de ſalariis, quæ ſunt ſemper in uſu & jure perenni ſacratis locis collata, vos conſtat ordine non bono tuliſſe, & hactenus contra Dei leges illa poſſidere probamini. Similiter autem & de his hortamur a vobis fieri, quæ reges quomodocumque a ſanctis locis aliquo tempore abſtulerunt, & vobis in beneficium contulerunt. Quod juſtum non fuit, nec eſt: & quiſquis hæc ſibi vindicat, Deum inde ſine dubio habebit judicem & ultorem. Quoniam ſi qualeſcumque rapaces & violenti, niſi corrigantur, ſi non humano nunc, certe quandoque divino judicio diſtrictiſſime punientur: qua putatis pœna mulctandi ſunt, qui contra Deum ipſum

rapinam & violentiam perpetrare manifestissime comprobantur? Denique prædecessores vestri, antiqui principes, adhuc & moderni, non solum minime a piis Domino dicatis locis diripiebant, verum etiam ex suis propriis innumera conferebant: adeo ut eadem sancta loca eorum sumptibus cum Dei auxilio dedicata sint, & eorum opibus ampliata, quos si in largitionibus imitari non vultis, saltem quæ Dei sunt ipsius violenter auferre nolite. Si enim qui de palatio regis aliquid præsumit, non evadit legaliter impunitus, quanto minus qui ab ædibus Dei, qui est rex regum, & Dominus dominantium, ea quæ ipsius sunt violenter usurpat, ejus valebit effugere non subsequente correctione judicium, vel sine pœna poterit exilire? Itaque quoniam horrendum est incidere in manus Dei viventis, admonemus vos & hortamur, & tamquam divina præsentia protestamur, ut res ecclesiarum, quas injuste retinetis, eisdem sanctis locis sine procurata mora reddatis: & deinceps nec eas, nec alias a piis locis surripere præsumatis. Si quis autem vestrum nos audire contempserit, & quæ salubriter suadere vobis nitimur, obedienter perficere, ac sine dilationis studio minime observare curaverit, omnipotentis Dei, & beatorum apostolorum principum Petri & Pauli auctoritate, quos in nobis contemnit, simul per eos & nostræ mediocritatis sententia, venerandi corporis & pretiosi sanguinis Domini nostri Jesu Christi communione penitus privatus existat. Si autem resipuerit, & his quæ per hujus epistolæ textum dicimus obedire studuerit, & communionem Christi mysteriorum, & beatitudinis gratiam, & salutem consequatur æternam. Optamus vos in Christo bene valere. Data mense Decembri, indict. XV.

XVI. AD CAROLUM REGEM.

Ut curet a Lothario restitui ea quæ a Helletrude sorore sua Berengarii vidua abstulerat.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei dilecto filio Carolo glorioso regi.

Literis scilicet suis de Helletrude Berengarii comitis quondam relicta nobis pernotuit, Hlotharii videlicet regis pressuris annihilatam, ejusdemque præjudicia fore perpessam, apostolatui nostro hæc atque alia suggessit, quo eidem Hlothario apostolicis exinde mitteremus literis monita, & vobis, dilectissime fili, fratrique vestro Hludouvico excellentissimo regi nostram dirigeremus epistolam: quatenus vobis succurrentibus atque foventibus ipsa procul dubio vidua ad perfectam de suis rebus perveniret justitiam: quoniam non solum prædia a genitore suo Hlothario imperatore per præceptum largita sustulit, sed etiam proprietates ejus a parentibus suis sibi præfatæ Helletrudi dimissas colludiose surripuit, eisdemque sanctæ Dei ecclesiæ infideles Nortmannos paganos beneficiali more sane donavit. Nos vero jam dicto Hlothario nepoti vestro apostolicas literas mittere nequivimus: quia pro nefariis & illicitis negotiis ab illo abolendis, vobis plane auditis, excommunicatum habemus. Sed excellentiæ vestræ, ineffabili dilectione colendæ, poscendo dilectissime fili, dirigimus, ut pro reverentia apostolorum principum, ad quos quasi refugium faciens, rogavit illa scriptis justitiam, & pro eo quod jure agnationis, sive majoris natu, vos a talibus illum decet coercere illicitis, super his per vestrum missum, aut epistolam, tam ex nostra sanctione jubendo, quam ex vestra parte rogando, seu legum auctoritate monendo, jam sæpedicto regi mittere studeatis. Et si vos forte, una cum fratre vestro Hludouvico glorioso rege conjuncti, eumdem nepotem vestrum quæque pro caussa sororis suæ, ut credimus, fueritis allocuturi, quæsumus affatim, ut hujus crebro fatæ viduæ Helletrudis caussam, tam de propriis quam de beneficiis per testamentum a jam dicto Hlothario Augusto quondam concessis, nulla officiente ratione usque ad finem perducatis: ut cum, Deo favente, a priore nævo fuerit correctus, illius feminæ caussas restituat, & ut ne adjiciat iniquitatem super iniquitatem in regno suo, sed faciat justitiam suam abundanter. Quoniam quidem regum examina decet omnibus subvenire, præcipue viduis, quarum judex Christus est. Itaque hujus instar epistolæ epistolam de hac caussa nunc ceu vobis, haud secus Hludovico fratri vestro direximus. Dolemus oppido pro talibus, eminentissime rex, prædia Christi fidelium quoquomodo tollentibus, & Christi regis infidelibus beneficiali more donantibus. Interea rogamus, ut quidquid perfectionis consulta super his vestra percecerit excellentia, scriptis per singula apostolatui nostro non dedignetur vestra intimare regalis magnitudo. Excellentiam vestram nunc & semper bene valere optamus in Christo.

XVII. AD * RIVOLADRUM EPISCOPUM.

* *Bis.* Rondardum

De pœnitentia imposita VVimaro, qui tres filius suos peremerat.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei reverentissimo & sanctissimo Rivoladro episcopo.

Dominici gregis curam cælesti dogmate plenam ita convenit episcopis observare, quatenus pro suscepti ovilis neglectu aliquod periculum non incurrant. Undique etenim venientes admodum plurimi suorum facinorum proditores, quantum dolorem inferant pectori nostro, plus singultu reminiscimur, quam calamo scribi queat. Inter quos videlicet istum VVimarum ad apostolorum limina festinasse cognoscite, & pœnitentiæ modum pro perpetrato trium filiorum suorum homicidio sibi impositum manifestasse. Quorum quædam temperavimus, eo quod suffragia apostolorum principis nutritoris nostri postulare devote festinavit. Nam eumdem ad beati archangeli oraculum ire volentem instantia temporis revocavit: atque constitutionis sibi impositæ modum continentem epistolam vestræ sanctitati deferendam apostolica sollicitudo transmisit. In ea igitur, hoc est in ista, ita statutum est, ut triennio ante fores ecclesiæ pro peccatis suis oraturus consistat, & deinde inter auditores permaneat quadriennio: ut septem annorum curricula absque communione dominici corporis & sanguinis ducat, ita quidem ut omnibus diebus vitæ suæ carnem non manducet; & in isto septennio vinum non sumat, nisi diebus dominicis & festivitatum: abinde quinquennio, tribus diebus per septimanam a vino abstineat, ut duodecim annis quantitas pœnitentiæ extendatur. Liceat itaque illi uxorem propriam non deserere, ne forte incidat in adulterium, & pro occasione unius delicti præcipitetur fragilitate carnis in pejus. Concessimus enim ei calceatum ad vos pervenire, ac deinde triennio discalceatum ire debere, & vestimentis secundum qualitatem temporis & aeris temperiem indui, atque lacte perfrui. Ceterum vero ita actus ipsius discernentes, per omnia considerate, atque dispo-

disponite, quatenus & evangelica misericordia in illo cognoscatur. Attamen permittimus eum caseum sumere, atque possessionem suam habere, & post septimum annum usque ad diem mortis perseveret in jam dicta pœnitentia, atque arma, nisi contra paganos, non ferat. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere.

XVIII. AD HINCMARUM RHEMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Non studio, sed ex necessitate vel ignorantia peccantes absolvendos esse.

Nicolaus Rhemorum archiepiscopo.

EXcellentissimus rex Carolus apostolatum nostrum consuluit, quid agendum sit de his, qui communicant cum his, qui cum Ingeltrude sæpe damnata communicant femina, quoniam eos cum excommunicatis & fautoribus simul prius vinculo anathemati retineri constat adstrictos. Quapropter nunc beatitudini tuæ injungimus, ut super hoc nostra auctoritate freta, curam de his sumere audeat. Et quia docta divinitus sanctitas tua valde novit aliud esse ex necessitate, aliud ex ignorantia, atque aliud quod ex studio delinquitur, istudque posterius duobus prioribus strictius esse puniendum, idcirco solerter invigilet, & cauta discretione singulorum mores dijudicet, quatenus hi, qui ex necessitate, vel ignorantia delinquunt, auctoritate nostra per te absolvantur, si tamen ipsa eorum ignorantia vel necessitas vera, & non simulata, vel non ex voluntate processerit, qualiter bene nosti. Plerique sunt qui possunt quidem, sed nolunt recta nosse; unde psalmista de hujusmodi: Noluerunt, inquit, intelligere, ut bene agerent. Illos autem qui studio suo obligantur, & contemptu interdicta nostra postponunt, nonnisi digna satisfactione præveniente, volumus a te prorsus absolvi.

XIX. AD RODULFUM * ARCHIEPISCOPUM BITURICENSEM.

* Hanc & sequentes edidit primus omnium Joannes Cordesius atque ex eo Binius & Sirmondus.

Respondet ejus literis & consultis.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei reverentissimo confratri nostro Rodulfo sanctæ Bituricensis ecclesiæ archiepiscopo.

* sanctitudinis.

SUsceptis *beatitudinis tuæ literis, humilitatis dono refertis, cunctarumque virtutum floribus redimitis, multiplices gratiarum cultus omnium bonorum auctori rependimus, tuamque a multis retro temporibus erga sedem apostolicam agnitam devotionem plurimum collaudamus, atque ut in hoc salubri proposito perseveres, fraternitatem tuam obnixius adhortamur. Sic enim & sanctæ conversationis pedem quo tendere debeas, perspicacius prænoscere poteris & supervenientia pravorum jacula prævidere & declinare liberius revelante Domino prævalebis, si in apostolicæ sedis petra more majorum præsidium tuum locaveris, ejusque fidei, doctrinæ, vel decretis, arctius inhærere contenderis, quam ille sua sacravit sessione, quem Dominus Jesus Christus ecclesiæ suæ primum & speciale retinere fastigium, quin & cælestis atrii delegit summum constituere janitorem. Igitur de quo loquimur, beato videlicet Petro, quamvis solito nunc angustius ecclesiasticis simus occupati negotiis, & ob id respondere tuis spatiosius nequeamus consultibus, tamen sancto tuo satisfacere desiderio cupientes, aliqua ex his inspirante Deo cursim exponere non omittimus.

I.

A chorepiscopis asseris multas esse in regionibus vestris ordinationes presbyterorum & diaconorum effectas, quos quidam episcoporum deponunt, quidam vero denuo consecrant. Nos vero dicimus, nec innocentes oportere percelli, nec ullas debere fieri reordinationes, vel iteratas consecrationes. Ad formam enim Septuaginta chorepiscopi facti sunt, quos quis dubitet episcoporum habuisse officia? Sed quia sacri canones vetant, ne omnes sibi omnia vindicent, ac per hoc dignitas episcoporum ad chorepiscopos suos videatur transferri, fiatque vilior honor episcopi, decernimus nihil in hoc præter regulas ulterius fieri.

II.

9 q. 3. Conquestus.

(Conquestus est apostolatui nostro frater noster Sigebodus archiepiscopus Narbonensis, quod clericos suos eo invito ad judicium tuum venire compellas, & de rebus ad ecclesiam suam pertinentibus, eo inconsulto, quasi jure patriarchatus tui disponas: cum hoc neque antiquitas, cui sancti patres sanxerunt reverentiam, habeat, & auctoritas sanctorum canonum penitus interdicat, nisi forte pro caussis, quæ apud se terminari non possunt, ad te quasi ad patriarcham suum provocaverint per appellationes, vel si episcopus suus decesserit, res ecclesiæ suæ judicio tuo dispensare voluerint.) Primates enim, vel patriarchas, nihil privilegii habere præ ceteris episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt, & prisca consuetudo illis antiquitus contulit, diffinimus: ita ut secundum Nicænas regulas sua privilegia serventur ecclesiis, præterquam si apostolica sedes aliquam ecclesiam, vel rectorem ipsius, quolibet speciali privilegio decreverit honorare.

Decretum LXXIV. Nicolai.

Decr. L. ejusdem.

III.

Distinct. 23. Præterea.

Præterea scisciteris, utrum solis presbyteris, an & diaconibus debeant, cum ordinantur, manus chrismatis liquore perungi. Quod in sancta hac Romana, cui Deo auctore deservimus, ecclesia neutris agitur. Sed & quia sit a novæ legis ministris actum, nusquam, nisi nos fallat oblivio, legimus. Ergo ad beati Innocentii papæ canonica decreta sanctitatem tuam transmittimus: & quæ tibi sint in consecrationibus & ordinationibus observanda, principia paginæ ad Decentium Eugubinum episcopum missæ te affatim edocebunt.

IV.

Decr. LII. Nicolai.

De his vero qui pro criminibus pœnitentiam gerunt, & ad cingulum militiæ revertuntur, constat eos contra sacras regulas agere. Verum quia crimina non æqualia sunt, perhibesque alios horum propter nimiam hebetudinem in desperationem adisse, alios ob hoc ad paganos fugisse, tibi hoc committimus decernendum, nimirum qui loca & tempus regionis illius, modumque culpæ, nec non & pœnitentiam, & gemitus hominum ad confessionem venientium, præsens positus inspicere vales.

V.

30. q. 1. De his qui.

De his qui filiastros suos ad confirmationem coram episcopis tenent, id est, qui filios uxoris suæ de viro priori, dum chrismantur ab episcopis, super se sustinent, si inscitia sicut asseris fit, licet sit peccatum, tamen non usque ad separationem conjugii puniendum. Lugeant tamen, & digna pœnitentia hoc diluentes, Domino dicant: Delicta ignorantiæ meæ ne memineris.

VI.

33. q. 2. Interfectores.

Interfectores suarum conjugum, cum non addis adulterarum, vel aliquid hujusmodi, quid aliud, nisi homicidæ habendi sunt, ac per hoc ad pœnitentiam redigendi? quibus conjugium penitus denegatur, exceptis adolescentibus, de quibus est beati

Leonis vigesimaquinta decretalium regula, immo indulgentia observanda.

VII.

De consecr. D. 3. Porro. Porro, *Gloria in excelsis Deo*, ab episcopis in cœna domini inter missarum sollemnia more nostro dicenda est. Pallio vero apostolico eadem die uti illis solis est licitum, quibus solis ab apostolica sede permissum.

Hæc quidem inter tanta ecclesiasticorum negotia positi, vix saltim summatim fraternitati tuæ mittenda decerpsimus. Quæ nisi incomparabilis dilectio vestra nos memorata vehementius coarctasset, nunc respondere consultibus vestris, innumeris impediti necessitatibus, parumper omitteremus. Verum a caritate tua unum hoc necessario postulamus: scilicet ut cum aliquem forte ad apostolicam sedem miseris, studeat eum tua fraternitas monere, quatenus in redeundo non usquequaque festinus appareat: eo quod omnium Dei ovium, sicut ipse nosti, cura constringimur; & cum undique ad sedem apostolicam multi diversa quærentes confluant, efficimur tardi ad singulos, dum volumus benignitatem, & dapsilitatem nostram spargere per diversos. Sane quæ in alia apostolatus epistola beatitudini tuæ intimamus, solum tuæ solertiæ sint pervigili cura sectanda, præcipuoque studio peragenda. Siquidem circa nos, circaque sedem beati Petri, non est aliud signum devotionis tuæ quod polliceris, nisi obtemperantia, & consummatio decretorum, & diffinitionum nostrarum, qui licet indigni, per abundantiam tamen gratiæ Christi ipsius vicarii sumus. Præterea epistolam alteram sanctitati tuæ delatam, Hincmaro, & ceteris confratribus nostris archiepiscopis, in regno Caroli filii nostri glorioſi regis ecclesiam Domini gubernantibus, destinare tua sine mora studeat beatitudo. Optamus sanctitatem tuam nunc & semper bene valere,

XX. AD EGILONEM ARCHIEPISCOPUM SENONENSEM.

Pallium novo archiepiscopo concedit, tametsi non probare se dicat, quod ex aliena ecclesia & monasterio assumptus sit.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei Egiloni Senonensi episcopo.

PAstoralis curæ pondera te humiliter subterfugere voluisse laudamus: sed rursus ad hæc portanda humeros mentis obedienter incurvasse nihilo minus approbamus. Impletum est enim in te duorum factum, Jeremiæ scilicet & Isaiæ illustrium prophetarum. Quorum unus ad prædicationem populi volente Domino mittere, de infirmitate sua pavescens refugit: *A, a, a*, inquiens, *Domine Deus nescio loqui, quia puer ego sum*. Alter vero de Dei misericordia præsumens, quærenti quem esset missurus, respondit dicens: *Ecce ego, mitte me*. Quod ergo venire ad tanti culminis onus renisus es, humilitatis quidem solum fuit indicium: quia vero pervenire consensisti, ejusdem extitit humilitatis ejus & comitis obedientiæ plenitudo. Quæ res una cum sanctitatis tuæ præconio pontificium nostrum, licet difficulter, ut tamen ad confirmationem tui pallium mitterem, inclinavit. Perhibes enim te non de Senonensi ecclesia extitisse, sed de quodam monasterio ad episcopatum ejusdem ecclesiæ perveniſſe. Quod nos ubicumque fiat, cum fit, malefice ferimus, & graviter omnimodis ducimus, pro conculcatione scilicet sacrorum canonum, & aspernatione clericorum, qui crescentes in sua ecclesia, & virtutibus operam, & bonis moribus honestatem ac sapientiæ studiis diligentiam impendisse per singularum ætatum incrementa probantur. Quid autem suffragatur consensus episcoporum, ubi non pro regulis paternis, sed contra regulas adunatur: Tum quippe alter de altera eligendus est ecclesia, cum de civitatis ipsius clericis, cui est episcopus ordinandus, nullus dignus potuerit inveniri. Quod evenire in tam ampla diœcesi nec nos credimus, nec prædecessores nostros apostolicæ sedis præsules credidisse reperimus. Cujuscumque itaque sit sanctitatis dono quilibet præditus, alienos non debet labores præripere: quippe cui jubetur nihil eorum quæ proximi sunt aliquo modo concupiscere. Eo enim ipso quo quisque alteri pertinentia jura subripit, sanctitatis gratiam perdit. Nam quæ sanctitas vindicat mercedem alteri debitam? quæ sanctitas alterius sibimet fructus usurpat? Unde etiam, quia super hac parte ad sacras regulas patrum minus quam oportuit est respectum, saltem ad evangelicas fuisset paginas properatum, in quibus legitur, quia cum milites quid facturi essent Joannem Baptistam interrogarent, protinus ab eo inter alia, ut contenti essent stipendiis suis audiere præceptum. Ubi considerandum est, si militibus sæculi, ut suis sint stipendiis contenti a Joanne plusquam propheta jubetur, quanta pœna puniendi sunt milites Christi, qui quoquomodo in stipendia obrepunt aliena. Verum quid opus est nos hæc affatim exaggerare, quæ sanctitas tua nos cogit interim dissimulare? Porro cum ad te tuosque compatriotas & consacerdotes in regionibus illis constitutos, ubi peculiarius habetur ista temeritas, literas apostolatus nostri patrios vobis canones rememorantes, & hinc vos communiter admonentes, Deo duce destinaverimus, oportebit utique a vobis, vel a quoquam, nihil tale de cetero fieri: alioquin præsumptorem, & circa sancta decreta contumacem eorumdem involvi decretorum jure sententiis. Tuum præterea, frater carissime, propositum observa: & qui diu in monasterio moratus es, a pristino voto divertere noli. Quod enim diu in humili habitu custodisti, profecto indecens est si nunc in potiori positus dimiseris ordine, hoc ipsum sancta quoque scriptura, venerandisque decretis pleniter edocentibus. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere.

Jerem. 1.

Isa. 6.

Luc. 3.

XXI. AD CAROLUM CALVUM REGEM.

Non probat abusum qui invaluerat, ut episcopi ex alienis ecclesiis assumerentur: Egiloni tamen ad Senonensem ecclesiam postulato pallium mittit.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei dilectissimo filio Carolo regi.

CUm acceptæ dilectionis vestræ legeremus epistolæ textum & per eum in Senonensi metropoli delegatum antistitem miris vos præferre laudibus comperissemus; non solum de illo, verum etiam & de vobis ingenti sumus exultatione referti. De illo quidem, quoniam talem hunc fama prædicat, qualem * debere episcopum apostolus indicat, qui scribens illum oportere testimonium habere bonum, & ab his qui foris sunt prædicat. De vobis autem, quoniam, Deo gratias, semper ea quæ meliora sunt diligitis: semper quæ pretiosiora sunt, Domino Deo a cunctis offerri desideratis. Sed quamvis hæc nos valde lætificent, multum tamen contristant, quia idem venerabilis vir non de ipsa ecclesia, sed ' de quodam monasterio fuisse perhibetur. Denique

1. Tim. 3.

* Forte, debere esse. H

cum

cum ergo monachos eadem profecto regula, quæ circa clericos qui provehendi sunt, conversanda sit; indecorum tamen, quin potius illicitum est, in aliena stipendia quemquam obrepere, & ex transverso venientem in castra, inter quæ non militavit, ducatum arripere; beatissimo apostolicæ sedis præsule Cælestino præcipiente, atque dicente: (Tunc alter de altera eligatur ecclesia, si de civitatis ipsius clericis, cui episcopus est ordinandus, nullus dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri. Primum enim illi reprobandi sunt, ut aliqui de alienis ecclesiis merito præferantur. Habeat unusquisque suæ fructum militiæ in ecclesia, in qua suam per omnia transegit ætatem, in aliena stipendia minime alter obrepat; nec aliis debitam alter audeat vindicare mercedem.) In quibus verbis perspicacitas dilectionis vestræ prudenter attendat, quoniam aut de ecclesiæ Senonensis clericis, qui ordinaretur nullus dignus inventus est, quod eveniſſe non credimus, maxime cum sit metropolis, & clericorum numerositate non careat: aut certe his jure minime reprobatis, aliunde qui eis irregulariter præponeretur electus est, & qui aliorum fructum laborum comederet adinventus. Nimirum cum reverendæ memoriæ decessor hujus tantis a vobis præconiis efferatur, ut nullum in eadem ecclesia, cui non modico tempore præfuit, qui ei canonice subrogari posset, relinqueret, prorsus incredibile judicatur. Cum ergo familiarius in regionibus vestris sit hæc temeritas, & sacrorum super hoc canonum violatio dilatata, necesse est nostram sollicitudinem pro hac amputanda specialius impendere diligentiam. Quapropter dilectionem vestram, cujus opera non partim, sed ex toto, placere summo arbitro cupimus, obnixe deposcimus, ut sic zelum justitiæ habeat, ut hunc secundum scientiam teneat: sic oculos ex una parte vigilanter aperiat, ut ex altera parte nihilo minus videat. Illi vero qui in sacrarium provehuntur, sic de collatis sibi donis cœlitus gratias referant, ut non sicut Pharisæus in alterius derogationem temere linguas exacuant: Periculosum est enim, taliter omnes ecclesiæ ministros spernere, & eis improvisum, & non optatum præponere. Quod quia crebro præsumptum esse nonnullis querimoniis ex hoc gementium didicimus, vos merito diligentes, ut ad tantam transgressionem neminem impellatis expoſcimus. Alioquin nos sanctarum minime regularum immemores, nec segnes executores admodum existentes, adversus temerarios succinctis lumbis illas defendere procurabimus, & auxiliante Christo nobis, & ecclesiæ consulentes ipsius, de cetero æquanimiter violatores earum nullo modo sustinebimus. Usquequo tamen eamdem prævaricationem incipiamus generalis decreti nostri ligone de regionibus vestris radicitus extirpare, parcendum huic fratri jam & coepiscopo nostro prævidimus. Unde & pallium juxta consuetudinem antecessorum suorum utendum ei secundum postulationem vestram direximus. Sed petimus, ut sicut nos vos audientes id ei concessimus, ita pietas vestra pro eo quod poscimus ipsi largiri munifica dapsilitate dignetur: res videlicet, & quæque ab ecclesia Senonensi ablata quoquomodo dignoscuntur, quatenus sicut idem per nos concesso tanto munere exterius decoratur, ita quoque de redditis ecclesiæ sibi commissæ per clementiam vestram interius gratuletur. Quod pietatis opus vobis suadere cupimus etiam circa reliquas regni vestri ecclesias exercendum. Scilicet ut nec hoc innumeris mirificisque actionibus vestris deesse bonum pacto quolibet agnoscatur. Nam quantum sit detestandum, res a piis regibus, & devotis hominibus, Deo donatas permissu vestro subtrahi, & mundialibus usibus deputare, quia epistolaris locutionis modum excessimus, vestræ sapientiæ subtiliter considerandum relinquimus.

Decret. 18.

Nota Jacobi Sirmondi S. J.

1 *De quodam monasterio.*) Flaviniaco. * Chronicum manuscriptum. *Anno* DCCCLXIV. *translatum est corpus sanctæ Reginæ virginis & martyris apud Flavinıacum præsidente loco Egilo abbate, postmodum Senonensi archiepiscopo.* ° Diœcesis Augustodunensis.

XXII. AD SALOMONEM REGEM BRITTONUM.

De renovando ejectorum episcoporum examine apud archiepiscopum Turonensem, vel apud sedem apostolicam: & de jure metropolitani apud Britannos.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei [1] *Salomoni regi Brittonum.*

BEnedictus Deus & Pater Domini [1] mei Jesu Christi qui per magnæ misericordiæ suæ gratiam adeo tuæ cor sublimitatis illustrare dignatus est, ut merito pro sapientiæ tuæ fulgore ubi habitas, non jam occidens, sed oriens habeatur. Ortus enim est in vobis sol justitiæ, quod ipse Christus est, & infidelitatis tenebræ defecerunt. Sed rogamus eumdem omnipotentem Deum, ut sicuti rectæ fidei agnitionem pie concessit, ita quoque bonæ operationis benignus largiatur effectum. [2] De cetero sciat prudentia tua, nos de ejectis & in locis illorum aliis subrogatis episcopis, diligenter in archivis sanctæ Romanæ, cui magna omnipotentis Dei miseratione deservimus, ecclesiæ requisisse, & multo aliter in exemplaribus epistolarum, quæ a decessoribus meis, beatæ videlicet memoriæ Leone ac Benedicto pontificibus, atque a me, Nomenoio, & tibi, nec non archiepiscopo Turonico [3] datæ sunt, papam Leonem Nomenoio consilium vel auctoritatem deponendi episcopos tribuisse, quippe quem constat multifarie multisque modis, ne hoc ab aliis quam a certo episcoporum numero fieret, præcepisse. Nam Nomenoio consulenti quid de Spiritus sancti gratiam venumdantibus oporteret fieri, respondit nihil inquiens præter quod sancti canones super his præcipiunt, ipsas regulas apicibus suis interserens. Nam qualiter, & a quot, vel a quibus sanxit episcopos condemnari, scribens eodem tempore Britannicæ regionis episcopis evidenter inter cetera, ut eadem ipsa verba ponamus, decrevit, æque præcipiens ut omnia sint in conciliis episcoporum. Nam nullam damnationem episcoporum esse unquam censemus, [4] nisi aut ante legitimum numerum episcoporum, qui sit per XII. episcopos, aut certe probata sententia per LXXII. idoneos testes, qui tales sint, qui & accusare possint, & prius ad sacra Christi quatuor evangelia sacramenta præstent, quod nil falsum depromant, sicut nobis beatus Silvester, & sancta Romana tenere videtur ecclesia. Quam secutus decessor meus

1 Contulit hanc Epistolam Harduinus cum MS. archivi Turonensis, unde sequentes varias lectiones adnotavit. MS. *nostri*. 2 MS. *De cetero, fili, scias* &c. 3 Lege ex MS. *Turonico, & regni tui episcopis missa sunt, inveniſſe, quam tu in literis tuis perhibes, quamvis nec discat in apicibus tuis, sanctæ recordationis Papam Leonem* &c. 4 MS. *nisi in anse*.

meus, ſanctæ memoriæ Benedictus, quia contra A decesſoris ſui decretum, non ab epiſcopis, ſed a laicis, epiſcopos in regione tua cognoverat eſſe dejectos, multa mœſtitia & indignatione repletus, ſcripſit quod nulla ratio ſineret epiſcopos a ſedibus ſuis pelli, quos duodenarius numerus non ejeciſſet. Quorum veſtigia & ego quoque ſecutus eadem cenſui, immo & cenſeo, nec ullam poſſe epiſcopos ſui honoris ſuſtinere jacturam, quos non conſtat fuiſſe a XII. epiſcopis, præſente primamque ſententiam metropolitano epiſcopo obtinente, cum examinarent auditos. Qui etſi crimen aliquod confeſſi eſſe dicuntur, poteſt credi quod vi vel formidine faſſi tantum, & non confeſſi fuerit quod non fecerant, quia videbant laicos & ſæculares quoſque una cum rege contra ſe B conſpirantes, quod nec ſaltem audierant. Siquidem qui ore tantum, & non corde profert quod dicit, non confitetur, ſed loquitur: quamvis non videatur juſta confeſſio, quæ non legitimo provocatur examine. De Gislardo autem & [1] Actardo epiſcopis, * de quibus ſcripſiſti, multo aliter, quam tua referebat epiſtola, in ſcrinio noſtro reperimus. Licet non bene faciat Actardus, quia denuo conſecrat quos Gislardus in eo gradu dignoſcitur ordinaſſe: tamen Actardus invenitur ante Gislardum epiſcopatus officium ſuſcepiſſe. Denique ſanctiſſimus Leo papa Nomenoio ſcribens, inter cetera præcipuum virum Actardum appellat, & hunc ſanum ſapere, & ſanum docere, vivere ac permanere denuntiat: Gislardum vero tam- C quam prædicti Actardi ſedulum invaſorem denotat. His ergo ac hujuſmodi controverſiis, ac difficultatibus enumeratis, & ita repertis, habitis, ac compertis, non poſſumus a regula ſanctorum patrum, [2] aut a ſedis hujus inſtitutionibus indebite declinare. Sed ſi vis Dei omnipotentis benedictionem percipere, vel ſi veraciter noſtra conſequi præcepta deſideras, conſilium meum accipe, & quod tibi per hanc paginam indico libenter attende. Hortamur enim gloriam tuam, & cum æquivoco tuo ſapientiſſimo Salomone dilectionem tuam admonemus, dicente: *Audi fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ*. Hæc quippe ſunt præcepta Dei patris tui, & hæc eſt lex eccleſiæ matris tuæ. Videlicet ut omnes epiſcopos regni tui ad Turonenſem archiepiſcopum mittere non detrectes, ipſiuſque judicium poſtulare non dedigneris. Ipſe enim eſt metropolitanus, omneſque epiſcopi regni tui ejus ſuffraganei ſunt, ſicut conſcriptiones prædeceſſorum meorum evidenter oſtendunt, qui prædeceſſores tuos, quia illos ab ipſius cura ſubtraxerant, forti invectione corripere ſtuduerunt: quamvis nec noſtra ſcripta ſuper hac re miſſa deeſſe videantur. Cumque coram præſignato Turonenſis eccleſiæ præſule, & integro numero collegarum, id eſt XII. epiſcoporum celebrato conventu, fue- E rint ejecti epiſcopi regulariter examinati, apparueritque quod canonice fuerint ejecti, ipſis in ſua dejectione manentibus, quicumque in locis eorum conſecrati ſunt, poterunt utique epiſcopatus honore potiri. Quod ſi ejecti epiſcopi inſontes fuerint declarati, his amotis qui illis ſubrogati ſunt, eccleſias ſuas ipſi recipiant. Nam cum anteceſſores mei [3] præſules ejectionem eorum epiſcoporum, qui ab eccleſiis ſuis expulſi ſunt, non [4] admiſerint, nec approbaverint, nec ipſos, qui eis ſubrogati ſunt, viventibus illis, legitimos epiſcopos dixerunt. Sane ſi forte ad Turonenſem archiepiſcopum mittere dedignaris, ſtude duos epiſcopos de expulſis, & duos de ſubrogatis, una cum gloriæ tuæ legato, ad apoſtolicam ſedem beati Petri tranſmittere, ubi digna examinatione præmiſſa, qui legitimi epiſcopi ſint appareat, & ſuas eccleſias irregulariter non amittant. Nihil enim aliud eſt quod in præſenti negotio penitus diffiniri poſſit. Quia vero magna quis ſit metropolitanus apud Britannos contentio eſt, licet nulla memoria ſit, vos in veſtra regione ullam habuiſſe [5] metropolitanam eccleſiam, tamen ſi libet, poſtquam Deus inter vos pacem & dilectum filium noſtrum Carolum glorioſum conſtituet, facile hoc poteritis advertere. Quod ſi [6] adeo contentioſius agendum creditis, ad noſtrum apoſtolatum deſtinare contendite: quatenus noſtro libramine, quæ fuerit apud vos antiquitus archiepiſcopalis eccleſia, luce clarius innoteſcat, & deinceps omni ambiguitate reciſa, quem ſequi epiſcopi veſtri debeant, incunctanter agnoſcant. Neque enim eccleſias Domini [7] per diſcordiam regum diviſiones aliquas pati vel damna neceſſe eſt: cum quantum ex ſe eſt pacem, quam prædicant, ſervare ſtudeant invicem, & in omnes. His ita prælibatis, per nos tuam ſcire volumus excellentiam, quia ſi noſtris paternis monitis obedieris, & tam de jure metropolitani, quam de renovatione examinis ejectorum epiſcoporum nos audire ſtudueris, erit pax & concordia & omnis legitimus ordo in regno tuo. Quod ſi nos tantum interrogare & non auſcultare decreveris, ſcandala, & diſcordia & omnis confuſio non deerunt tibi in vita tua. Porro legatos tuos, quos ad noſtrum pontificium deſtinaſti, dilectioni tuæ commendare curamus: quorum prudentiam & fidem circa vos conſiderantes, plurimum in Domino gratulati ſumus. Deus omnipotens gloriam tuam, & claram conjugem tuam, cum nobilibus natis, atque cum omnibus qui ſub tuo regimine ſunt, omni gaudio & omni benedictione pie circumdet.

* Nannetenſibus.

Prov. 1.

3. q. 6. Hæc quippe: ubi hæc epiſtola Joanni Papæ tribuitur.

Nota Jacobi Sirmondi S. J.

1 Salomoni Regi Brittonum.) Tertio & ultimo, ut eſt apud Gratianum 3. qu. 6. *Hæc quippe eſt*. Sed male ibidem Joanni papæ tribuit hanc epiſtolam, cum ſit Nicolai. Profert & Hincmarus Laudunenſis in priori defenſione ſua locum, ex altera ejuſdem argumenti ad Salomonem eumdem epiſtola Hadriani papæ non edita: *Sed & præſens*, inquit, *domnus papa Hadrianus hæc ex epiſtola nuper ad Salomonem ducem Britannorum deſtinata ſui ſuorumque officii non immemor mandavit*: Sacerdotes vero vobis vicinarum diœceſeon ſuper ſe alios deplorant ſuperpoſitos ſacerdotes Britanicos, ſi tamen ſacerdotes, & non magis pervaſores & ſacrilegos tales dixerimus. Qui etiam, ſi quædam habent negotia, non ad concilia epiſcoporum occurrere permittuntur, ſed contra ſacros canones, & venerabiles leges, ad ſæcularium tribunalia pertrahuntur, nec ſuſcipiunt epiſcopale inſtitutum, ſed illatum contra regulas populare incurrunt judicium. & ipſis morte præventis, rapitur ſi quod remanſerat ſubſidium. Judicantur etiam epiſcopi a lectoribus & laicis hominibus quos non oportuit niſi canonicis legibus, & metropolitanis aut nobis præſentibus, ſaltem examinari, dicente Domino per prophetam: *Nolite tangere chriſtos meos, & in prophetis meis nolite malignari*; & iterum: *Qui vos tangit, quaſi qui tangat pupillam oculi mei*

Pſal. 104. *Zach.* 2.

SCRI-

1 MS. *Attardo*, & ſic ubique. 2 MS. *ut a ſedis tuæ inſtitutionibus quoque indebite &c.*
3 MS. *Romani præſules.* 4 MS. *admiſerunt, nec approbaverunt.* 5 MS. *metropolim.*
6 MS. *ideo.* 7 MS. *per diſcordium Regum diviſiones aliqua pati damna.*

* edidit R. P. Sirmondus ex codice Floriacensi post præfationem ad librum de tribus quæstionibus ejusdem abbatis: extat quoque in nupera editione epistolarum ordine 210. rum notis Baluzii.

SCRIPTUM * SERVATI LUPI ABBATIS FERRARIENSIS.

Ad Nicolaum papam nomine Vvenilonis archiepiscopi Senonensis ejusque coepiscoporum. De Herimanno episcopo Nivernensi.

SUggerimus mansuetissimæ paternitati vestræ, in nostra diœcesi, in oppido, quod Nevernum dicitur, esse quemdam episcopali officio præditum nomine *Herimannum*, qui frequenter admonitus & diu expectatus ut revalesceret, implere non sufficit ipsum officium mente non integra. Dicitur autem Melchiades papa decrevisse, ne quis unquam pontifex sine consensu papæ Romani deponeretur. Unde supplicamus, ut statuta illius integra, sicut penes vos habentur, nobis dirigere dignemini; ut hinc dictis ipsius confirmati, aut sicut beatus Gregorius doctor fecit de Ariminensi episcopo incommodo simili laborante, sequamur, aut sicut sanctus Gellasius docet, removendus sit mente percussus. Quo verum absque dubietate sciamus, expetimus & expectamus vestrum judicium, ne in temeritatis calumniam aliquatenus incidamus, sed vestro instanti moderamine, veritatis & rectitudinis tramitem nullatenus deseramus.

XXIII. AD VVENILONEM ARCHIEPISCOPUM SENONENSEM ET COEPISCOPOS EJUS.

De Herimanni episcopi Nivernensis infirmitate.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei reverentissimis ac sanctissimis confratribus nostris, [1] VVenilони Senonensi archiepiscopo, & coepiscopis ejus.

EPistolam sanctitatis vestræ, qua apostolatus nostri super caussa Herimanni episcopi non iminerito expetere studuistis responsum, vel qua more universalis ecclesiæ auctoritatis nostræ esflagitare institutionem curastis, accipimus. Sed antequam ad consulta vestra mentis oculum inclinemus, parumper in laudibus vestris stylum operæ pretium duximus immorandum: qui quo vobis eundum, quove in rebus dubiis, atque in magnis ecclesiasticis negotiis esset accelerandum, serenitatis visibus prævidistis, humilibusque devotionis vestræ palsibus cucurristis. Contra illos nimirum, qui beatissimi apostolorum principis Petri ejusque successorum luculentissimam doctrinam sedemque spernentes, quem Dei Filius in sancta ecclesia sua, tamquam luminare majus in cælo constituit, veluti quidam scorpiones palantes incedunt in meridie, & cum adhuc dies est, occidit eis sol. Revera ii & per scientiam Dei more Balaam apertos habent oculos: cadunt tamen, quia obcæcati instar ipsius avaritia, quo gressum tendere possint justitiæ non aspiciunt: sed per abrupta & avia incedentes, dum caput sequi refugiunt, in vasta præcipitia demerguntur. Vos autem, fratres carissimi, qui sancto utique Spiritu revelante, apostolicæ sedis auctoritatem sensu capere, & ad splendorem luminis ejus jam incedere laudabiliter inchoastis, cum illa usque in finem sapere, cum ilia semper ambulare studete, ab illa deviare nefas judicate, ab ejus discrepare sensu ne ad modicum quidem momentum consentiatis. Quos illa recipit & vos quoque recipite, & quos illa respuit, abigere ipsi licut ipsa mementote. Non enim illa respuit, nisi membra quæ sibi non hærent, nec a se recidit, nisi quos in scandalum multis positos comprehendit. Non A inquam recidit vel eruit a se, nisi membrum quod sanis membris in offensionem & perniciem noscitur extitisse. Verum ad propositum redeamus. Suggerit sanctitas vestra, Herimannum episcopum morbum incurrisse, quo diu impeditus est episcopale recte implere officium. Sensus enim, ut vestra ipsa verba ponamus, aliquoties integritate privatus, quædam insano simillima admittebat. Atque subinfertis, quod ad provinciales synodos evocatus venire distulerit. Ubi attente considerandum est, quoniam hoc ipsum quo venitur ad synodum, sacerdotale officium est: & cum dixeritis illum sacerdotale non potuisse implere recte officium, sensusque integritatem amisisse, miramur reverentiam vestram eum venire ad synodum coegisse: præsertim cum ipsi testemini insano hunc simílem, & in eadem adhuc infirmitate manere: quem, si ita gravatur, magis convenerat sanctimonium vestrum sublevare, quam pondus ejus ponderi superaddere, caritatemque in eo confirmare potius, quam ei pietatis viscera obserare. Indicatis autem, illum super quibusdam excessibus fuisse frequenter accusatum. Pro quibus, quia ex parte ipsius persona deest, nos uni parti ad alterius discrimen credere procul dubio non possumus, quamvis nec usque adhuc qui fuerint illi excessus dixeritis, nec utrum sana erat mente idem antiltes, nec ne, cum ipsos excessus perpetrabat, evidenter ostenderitis: satiusque arbitramur, quamlibet interim infirmitatem ad pœnam peccati, quam ad ipsum pertinere peccatum, cui magis consulendum sit, & compatiendum, quam puniendum, vel aliquo modo feriendum. Admonitio præterea, vel conventio beatitudinis vestræ, quam ei feciste vos perhibetis, valde placet: si tamen ex caritate non ficta, sed ex simplici mentis oculo prodiit id, quod suave & dulce in auribus nostris sonuit: vel si coram summi arbitri oculis ita placuit, quemadmodum ante hominum visus, quod placere sit satis abundeque conspicitur. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere.

14. III. Quæst. 9. *Indicas Herimannum*. Ubi Epistola hæc scripta dicitur Galloni Senonensi. H.

NOTA JACOBI SIRMONDI S. J.

1 *Vvenilоni Senonensi.*) Pro Vveniloni Senonensi, mendose *Gallioni Senensi* apud Gratianum legitur 3. q. 9. *Indicas Herimannum*. De Herimanno autem episcopo Nivernensi, ejusque infirmitate, superius dictum in synodo Suessionensi II. & Vermeriensi II.

XXIV. AD HINCMARUM ARCHIEPISCOP. RHEMENSEM.

Edidit Sirmondus. cum qq. aliis sup. editis.

Pœnitentia injuncta illi qui monachum presbyterum occiderat.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, reverentissimo & sanctissimo confratri nostro Hincmaro archiepiscopo.

QUibus gemitibus, quantisque lacrymis filiorum discrimina paternus affectus condolere soleat, verum etiam oporteat, vestram satis novimus experiri prudentiam. Quapropter insulatum vestri ardoris, ecclesiastico lacte nutriti, & ad solidos prædicationis profectus perducti, volumus nosse quod iste Eriath ad apostolorum limina confugerit, indulgentiam postulando super ea quam incurrit homicidii noxam. Ferebat se utique quemdam presbyterum atque monachum nihil eum morte dignum occidisse: unde & humiliter ostendebat se pœnitentiæ velle colla submittere. Ideoque nos ei injunximus, ut duodecim annorum meta terminum pœnitentiæ sibi injunctæ

junctæ includeret. Quorum tribus prioribus, ante fores ecclesiæ lugendo, singultus edendo, misericordiam a Domino consequi festinare procuret. Quarto deinde, atque quinto, inter auditores omnipotentem exorare studeat, absque corporis & sanguinis Domini suscepione. Resiguis præterea septem annorum curriculis, communionem dominici sacramenti suscipere liceat celeberrimis festivitatum diebus, oblationes quidem nullatenus offerendo. Verumtamen omnibus prædictis temporibus, excepto festivitatum diebus, & resurrectione dominica, continue quadragesimali more usque ad vesperam jejunus perseveret. Et si alicubi opportunus habuerit iter, nullo vehiculo deducatur, sed pedestri itinere utatur. Usque ad mortem denique pœnitentiæ ejus quantitas extendi debuerat: sed devotionem ejus fidei considerantes, sive quia ad suffragia apostolorum festinaverit, humanius cum illo peregimus. Interea hortamur vos, ut reverentissimo Hilmerado episcopo, suffraganeo vestro, præcipiatis quatenus permittat monachos monasterii sui sub monastico habitu quiete degere, & pœnitentiæ fructus exercere. Hos itaque apostolatus nostri apices suscipientes, ita spiritali oculo vitam futuram pœnitentiæ ipsius discutite, & catholica pietate manu discretionis quæ oportuerit perpendentes, sic cum illo peragatis, quatenus & canonica auctoritas observetur, & ovis dominica raptoris vulnere sauciata nullo neglectu perdatur, sed examine divini judicii ad dexteram Christi remuneranda inveniatur. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere.

Nota Iacobi Sirmondi S. J.

1 *Quibus gemitibus.*) Flodoardus lib. III. cap. XXIII. Hincmari ad diversos episcopos epistolas enumerans: *Hilmerado*, inquit, *Ambianensi, pro quodam monacho, qui presbyterum & monachum in monasterio sancti Richarii occidit: pro quo domnus papa Nicolaus literas eidem domno Hincmaro direxerat pœnitentiæ tenorem continentes.*

FRAGMENTA QUÆDAM ALIARUM EPISTOLARUM Nicolai papæ.

Ex epistola ad Huntfridum Morienſem episcopum.

In persecutionibus episcopus ecclesiam suam non deserat.

9. q. 1. Scisciteris. Sciscitaris itaque per Guldagarium presbyterum, utrum cum a Nortmannis de episcopio depellaris, debeas de cetero in monasterio conversari. In quo scias, carissime frater, quod si pernicioſum est proretam in tranquillitate navim deserere, quanto magis in fluctibus: Ubi non dicimus, quod persecutorum non fugiamus, maxime paganorum, insidias, cum ad tempus sæviunt, & ob multitudinem delictorum nostrorum nocendi facultatem divinitus assequuntur: præsertim cum eis prodire ultro non debeamus; & multos prophetas & apostolos, ipsum quoque Dominum hujusmodi fugisse insecutores, luce clarius constet. Sed quod præcipue nos, qui tamquam arietes ducatum gregibus præbemus, immo qui & horum pastores sumus, Deo auctore cum eis in periculis pro viribus persistere pro certo conveniat. Et cum tranquillitas divina fuerit pietate, sopitaque furentium infestatio, mox gregem perquirere, & in unum colligere, & ejus animos cælestis patriæ pace potissimum securitate prædicata sursum erigere debemus. Et tamdiu super eorum cautela oportet nos esse sollicitos, ut si Dei judicio præsentis temporis commoda fortassis amittunt, futuræ vitæ se sperent gaudia absque ambiguitate percipere sempiterna.

Ex epistola ad Herardum Turonenſem archiepiscopum.

Restituendus est, quem neque convictum, neque confessum constat esse ejectum.

Notum sit tuæ fraternitati, quod iste presbyter, nomine Christophorus de sua angustia ad nostram clementiam lacrymabiliter sit conquestus, dicens se falsis criminibus impetitum, & ab ecclesia sua non convictum, neque confessum, irrationabiliter fuisse ejectum. Nam, ut ipse refert, tua diligentia per tres vices inquisitione facta, nulla in se, neque de fornicationis crimine, neque de homicidii consensione, de quibus impetebatur, reperiri potuit culpa: nisi quia suæ paupertatis causa, quæ petebantur, aut consentire noluit, aut implere non potuit: quæ suus tamen æmulus ultroneus egit, qui injuste illius ecclesiam præripuit. Idcirco magnopere monemus reverentiam tuam, ut etiam quæ, te forte ignorante, Gieziaca cupiditate peracta esse videntur, tuæ fraternitatis censura celeri emendatione corrigantur. Scilicet restituendo ecclesiæ propriæ jam dictum sacerdotem, atque ei reddendo tua pietate pristinum quem perdidit honorem, & nullatenus canonica instituta alicujus temeritate contemni permittas, quia facientem & consentientem par pœna perstringit. 9. q. 1. Notum sit.

Ex epistola ad Adonem Viennenſem archiepiscopum.

Subdiacono uxorem ducere non licet.

De illo clerico, Alberico nomine, quem per ordines ecclesiasticos usque ad subdiaconatum caste vixisse dicitis, cur vestra auctoritate uxorem duxerit miramur, eo quod nulli unquam, exceptis illis, quibus ecclesiastica regula habere permittit, uxorem ducendi licentiam damus. Dist. 32. De illo.

Nicolaus papa * .... * Ludovico imperatori.

Non aliorum, sed primatis sui judicio quisque se subjiciat.

Denique Suffredus, si tale in se crimen noverat, quo recte posset episcopatu privari, vel infirmitate se sentiebat forsitan prægravari, quæ impeditus nullis possit proximis sua prælatione prodesse, primatis sui debuerat, & non aliorum diœceseos antistitum, præstolari judicium. Quod si quælibet ambiguitas, vel aliqua fortasse super ejus examinatione, vel episcopatus abrenuntiatione oborta fuisset contentio, ex more ad sedem apostolicam referri convenerat, & nostra in his omnibus debuerunt cuncti decreta penitus expectare. Quod quia omissum hactenus dolemus, dilectissimam mihi gloriam vestram vehementer efflagito, ut jam dictus Suffredus episcopus proprio restituatur episcopio, & si aliquid reprehensione dignum gessit, postea vel correctione, vel digna animadversione diffiniatur. 6. q. 3. Denique.

Ex epistola ad Frotarium Burdigalenſem archiepiscopum.

Invasoribus rerum ecclesiasticarum quæ pœnitentia sit imponenda.

De viro nefando, Burgando nomine, qui rabie insana commotus, diabolicis se irretire laqueis non dubitavit, atque gentilium more per abrupta itinera, & compita insidians, vobis in ecclesiæ vestræ villa una cum clericis vestris manentibus, & populum salubribus instruere dogmatum monitis decertantibus, paneque spiritualis verbi vacua hominum corda reficientibus, atque laudabile propriæ salutis desiderium habentibus sancta apostolorum Petri & Pauli limina visitare, collectis malitiæ suæ sequacibus, & iniquitatis complicibus, nefarias invasiones, & depræ dationes violentas inferre dæmoniaco ausu præsumpsit: &, ut epistolæ 22. q. 2. De viro nefando.

læ veſtræ textus eloquitur, ſacrum altare, ſacraque dominici corporis & ſanguinis vaſa, inſuper & ſanctum chriſma pollutis arripere manibus, quaſi vilia & ad communem uſum apta præſumpſit; dilectio nos vera conſuluit, ſi ipſe, vel qui cum eo tam impio & iniquo ſcelere fuerunt, ad pœnitentiam quandoque gratia tacti divina venire voluerint, quo eos pœnitentiæ vinculo conſtringatis, noſtræ inſtitutionis cenſuram expoſcere curaſtis. De quibus, ſi tamen ita eſt, jubemus cum ad pœnitentiam reverti acceleraverint, uno anno extra eccleſiam Dei conſiſtere, cujus ſacratiſſima vaſa extra ritum fide Chriſtianæ diripienda auferre non dubitaverint. Secundo vero anno, ante fores eccleſiæ ſine communione maneant. Tertio vero anno, eccleſiam Dei ingrediantur, & inter audientes adſtent ſine oblatione: non manducantes carnem, neque bibentes vinum, præter natalis & reſurrectionis dominicæ dies. Quarto præterea anno, ſi his prioribus tribus annis fructuoſus fuerit pœnitentiæ labor, communioni fidelium reſtituantur, totaque mentis intentione ſpondentes talia ſe ulterius nunquam facturos, corpus & ſanguinem Domini ſuſcipere mereantur: & uſque ad ſeptimum annum, tribus in hebdomada diebus, ſine eſu carnium & vini potatione maneant pœnitentes.

Ex epiſtola ad Carolum regem.

De Joanne Scoto, quod in quibuſdam bene non ſenſerit.

Relatum eſt apoſtolatui noſtro, quod opus beati Dionyſii Areopagitæ, quod de divinis nominibus, vel cæleſtibus ordinibus, Græco deſcripſit eloquio, quidam vir Joannes, genere Scotus, nuper in Latinum tranſtulerit. Quod juxta morem nobis mitti, & noſtro debuit judicio approbari: præſertim cum idem Joannes, licet multæ ſcientiæ eſſe prædicetur, olim non ſane ſapere in quibuſdam frequenti rumore diceretur. Itaque quod hactenus omiſſum eſt, veſtra induſtria ſuppleat, & nobis præfatum opus ſine ulla cunctatione mittat: quatenus dum a noſtri apoſtolatus judicio fuerit approbatum, ab omnibus incunctanter noſtra auctoritate acceptius habeatur.

RESPONSA NICOLAI PAPÆ I. AD CONSULTA BULGARORUM.

AD conſulta veſtra non multa reſpondenda ſunt, nec duximus per ſingula diutius immorari, qui Deo auctore non ſolum libros divinæ legis, verum etiam & miſſos noſtros idoneos, qui vos, prout tempus & ratio dictaverit, de ſingulis inſtruant, ad patriam veſtram, & ad glorioſum regem veſtrum dilectum filium noſtrum deſtinavimus, quibus & libros quos prævidimus neceſſarios * illis nunc eſſe, commiſimus.

I.

Igitur optime ac laudabiliter in prima quæſtionum veſtrarum fronte regem veſtrum legem Chriſtianam petere perhibetis: quæ ſi latius explicari tentatur, innumeri ſcribendi ſunt libri: ſed ut compendio, in quibus præcipue conſtet, oſtendatur, ſciendum eſt, quia in fide, & bonis operibus lex Chriſtianorum ſubſiſtit. Nam fides prima eſt omnium virtutum in converſatione credentium. Unde & prima die lux eſſe dicitur, cum a Deo *Fiat lux* dictum fuiſſe deſcribitur, id eſt, illuminatio credulitatis appareat. Siquidem & propter hanc Chriſtus in terram deſcendit: opus autem bonum nihilo minus a Chriſtiano exigitur, quemadmodum in lege noſtra ſcriptum eſt: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Sic etiam ſcriptum eſt: *Sicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt.* Hæc eſt lex Chriſtiana, hæc eſt, quam quiſque legitime cuſtodiens omnino ſalvabitur.

II.

Ita diligere debet homo eum qui ſe ſuſcipit ex ſacro fonte, ſicut patrem; quinimmo quanto præſtantior eſt ſpiritus carne, quod illud ſpiritale eſt patrocinium, & ſecundum Deum adoptio, tanto magis ſpiritalis pater in omnibus eſt a ſpiritali filio diligendus. Marcus enim evangeliſta Petri diſcipulus, & ex ſacro fuit ejus baptiſmate filius quem niſi dilexiſſet ut patrem, ei non in omnibus obediſſet ut filius: nulla vero inter eos & filios eorum conſanguinitas eſt, quoniam ſpiritus ea quæ ſanguinis ſunt neſcit: *Caro enim*, ſecundum apoſtolum, *concupiſcit adverſus ſpiritum: & ſpiritus adverſus carnem; hæc enim invicem adverſantur.* Eſt tamen alia inter eos gratuita & ſancta communio, quæ non eſt dicenda conſanguinitas, ſed potius habenda ſpiritalis proximitas. Unde inter eos non arbitramur eſſe quodlibet poſſe conjugale connubium; quando quidem nec inter eos qui natura, & eos qui adoptione filii ſunt, venerandæ Romanæ leges matrimonium contrahi permittunt. Siquidem primus inſtitutionum liber, cum de nuptiis loqueretur, inter cetera: Inter eas, inquit, perſonas, quæ parentum liberorumve locum inter ſe obtinent, nuptiæ contrahi non poſſunt, veluti inter patrem & filiam, vel avum & neptem, vel matrem & filium, vel aviam & nepotem, & uſque ad infinitum: & ſi tales perſonæ inter ſe cojerint, nefarias atque inceſtas nuptias contraxiſſe dicantur: & hæc adeo ſunt, ut quamvis per adoptionem parentum, liberorumve loco ſibi eſſe cœperint, non poſſint inter ſe matrimonio jungi. Itaque eam quæ mihi per adoptionem filia, aut neptis eſſe cœperit, non potero uxorem ducere: & infra: Si quis per adoptionem ſoror eſſe cœperit, quamdiu quidem conſtat adoptio, ſane inter me & eam nuptiæ conſiſtere non poſſunt. Si ergo inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio jungit, quanto potius a carnali oportet inter ſe contubernio ceſſare, quos per cæleſte ſacramentum regeneratio ſancti Spiritus vincit? Longe igitur congruentius filius patris mei, vel frater meus appellatur is, quem gratia divina, quam quem humana voluntas, ut filius ejus, vel frater meus eſſet, elegit; prudentiuſque ab alterna corporis commixtione ſecernimur: quoniam Spiritus ſanctus ſua nos caritate coadunavit, quam ſi vel carnalis neceſſitudo, vel invicem nos mutabile cujuſdam corruptibilis hominis arbitrium copulaſſet.

III.

Conſuetudinem quam Græcos in nuptialibus contubernis habere dicitis, commemorare, prolixitatem ſtyli vitantes, carptim morem, quem ſancta Romana ſuſcepit antiquitus, & hactenus in hujuſmodi conjunctionibus tenet eccleſia, vobis monſtrare ſtudebimus. Noſtrates ſiquidem tam mares, quam feminæ, non ligaturam auream, vel argenteam, aut ex quolibet metallo compoſitam, quando nuptilia fœdera contrahunt, in capitibus deferunt: ſed poſt ſponſalia, quæ futurarum ſunt nuptiarum promiſſa fœdera, quæque conſenſu eorum qui hæc contrahunt, & eorum in quorum poteſtate ſunt, celebrantur, & poſtquam arrhis ſponſam ſibi ſponſus per digitum fidei a ſe annulo inſignitum deſponderit, dotemque utrique placitam ſponſus ei cum ſcripto pactum hoc continente coram invitatis ab utraque parte tradiderit, aut mox aut apto tempore, ne videlicet ante tempus lege definitum tale quid fieri præſumatur, ambo ad nuptilia fœdera perducuntur. Et pri-

De compatribus

Hieron. de viris illuſtr.

Galat. 5.

Inſt. de nupt. §. Ergo non.

De ſponſ.

primum quidem in ecclesia Domini cum oblationibus quas offerre debent Deo per sacerdotis manum statuuntur, sicque demum benedictionem, & velamen cæleste suscipiunt, ad exemplum videlicet quo Dominus primos homines in paradiso collocans benedixit eis dicens: *Crescite & multiplicamini*, &c. Siquidem & Tobias antequam conjugem convenisset, oratione cum ea Dominum orasse describitur. Verumtamen velamen illud non suscipit, qui ad secundas nuptias migrat. Post hæc autem de ecclesia egressi coronas in capitibus gestant, quæ semper in ecclesia ipsa sunt solitæ reservari. Et ita festis nuptialibus celebratis, ad ducendam individuam vitam Domino disponente de cetero diriguntur. Hæc sunt jura nuptiarum, hæc sunt præter alia quæ nunc ad memoriam * non occurrunt pacta conjugiorum solemnia: peccatum autem esse, si hæc cuncta in nuptiali fœdere non interveniant, non dicimus, quemadmodum Græcos vos astruere dicitis, præsertim cum tanta soleat arctare quosdam rerum inopia, ut ad hæc præparanda nullum his suffragetur auxilium; ac per hoc sufficiat secundum leges solus eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur. Qui consensus si solus in nuptiis forte defuerit, cetera omnia etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur, Joanne Chrysostomo magno doctore testante, qui ait: Matrimonium non facit coitus, sed voluntas. Jam vero scisitamini, si muliere propria defuncta possit vir alteram ducere, scitote per omnia posse, Paulo egregio prædicatore consilium dante, qui dicit: *Dico autem non nuptis, & viduis, bonum est illis, si sic maneant, sicut & ego: quod si se non continent, nubant*: & iterum: *Mulier*, inquit, *alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat: tantum in Domino*. Quod enim de muliere sanxit, & de viro intelligendum est, quia e contra sæpe sancta scriptura de viro loquitur; sed & de muliere nihilo minus dicere subintelligitur. Ecce enim dicimus: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum*, &c. & iterum: *Beatus vir, qui timet Dominum*, ubi non solum virum, sed & feminam, quæ non abiit in consilio impiorum, & quæ timet Dominum beatam esse non immerito credimus.

Genes. 1. Tob. 8. * Forte, nobis occurrunt. H. Hom. 12. in Matth. 1. Cor. 7. Psal. 1. Psal. 111.

IV.

Quot temporibus vel diebus in circuitu sit anni a carnibus abstinendum, nunc vobis qui rudes estis, & in fide quodammodo parvuli, superflue ducimus exponendum: verum interim in diebus jejuniorum, in quibus per abstinentiam & lamentum pœnitentiæ præcipue Domino supplicandum est, modis omnibus est a carnibus abstinendum. Quoniam licet omnibus orare & abstinere conveniat, jejuniorum tamen temporibus amplius abstinentiæ inservire oportet, videlicet, ut qui se sciverit illicita perpetrasse, secundum sacra decretalia in his etiam a licitis se quibusdam abstineat, quadragesimali videlicet tempore, quod est ante pascha, jejunio post pentecostem, jejunio ante solemnitatem assumptionis sanctæ Dei genitricis, & semper virginis dominæ nostræ Mariæ, nec non jejunio ante natalis Domini nostri Jesu Christi festivitatem: quæ jejunia sancta Romana suscepit antiquitus & tenet ecclesia. In sexta vero feria omnis hebdomadæ, & in cunctis vigiliis insignium festivitatum a carnium esu cessandum & jejuniis incumbendum, ut veraciter cum psalmographo dici valeat: *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia*. Si quis vero vestrum aliis voluerit forte diebus a carnibus abstinere, non sunt prohibendi: quoniam quanto quis hic in lacrymis magis seminaverit, tanto amplius in gaudio messurus est in vita æterna. Nos tamen vobis, qui, ut prætulimus, adhuc rudes estis, & lacte tamquam parvuli nutriendi, non grave potuimus jugum donec ad solidum cibum veniatis imponere. Verum sicut hoc interim cavemus, ita ut prohibita non contingatis modis omnibus admonemus: protoplasti quippe solum pomum gustando vetitum de paradisi amœnitate propulsi sunt.

Psal. 29.

V.

Quarta feria quamvis e ceteris diebus præter sextam feriam sit amplius mœroribus operandum, pro eo quod Dominus ipso jam die in corde terræ, id est, Judæ traditoris, quodammodo sepultus erat, dum hunc ipse morti tradere meditabatur: tamen si vestrum quis eodem die vult, potest omnino carnes comedere, nisi forte sibi aut a sacerdote esset interdictum, quoniam scriptum est: *Melius obedientia, quam sacrificium*; aut ipsam feriam inter dies jejuniorum evenire contigerit: quoniam Jonathas indictum a patre jejunium modicum mellis gustando violans, ad occidendum ab ipso parte quæsitus est: aut certe ipse se voto ipso die carnes non comesturum constrinxerit: quoniam scriptum est: *Vovete, & reddite Domino Deo vestro*. Sexta vero feria passionem dominicam, & apostolorum mœstitiam recolentes, ab omnium carnium epulis, & pinguedine gustus noster arcendus est, præter si nativitas Domini & epiphaniorum ejus, aut festivitas beatæ matris Domini & intemeratæ virginis Mariæ, seu apostolorum principum Petri & Pauli, atque sancti Joannis Baptistæ, ceu beati Joannis evangelistæ, nec non & clavigeri cæli germani, Andreæ scilicet apostoli, quin etiam & beati Stephani protomartyris ipso die fortassis evenire contigerit. Nam quod sancta ecclesia, ut fidelis anima in festivitate eorum jejunia, vel abstinentias, quæ non sunt perpetuo voto propositæ, solvere debeat, Dominus testatur in evangelio, dicens: *Mulier cum parit, tristitiam habet; cum autem peperit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum*: mulierem dicit sanctam ecclesiam. Sicut enim mulier nato in hunc mundum homine lætatur, ita ecclesia in vitam futuram fidelium populo migrante digna exultatione repletur; pro qua ejus nativitate multum laborans & gemens in præsenti quasi parturiens dolet: nec novum debet cuiquam videri, si natus dicitur qui ex hac vita migraverit: quomodo enim usitato more dicitur nasci, quando quis ex utero materno procedens in hanc lucem exit; sic quoque jure natus appellari potest quilibet ab hujus sæculi tenebris ad lumen pertingens viventium: pro qua ergo re apte consuetudine tenetur ecclesiastica, ut sollemnes beatorum martyrum, vel confessorum Christi dies, quibus de hoc mundo ad regionem migravere vivorum, nuncupentur natales, sed & eorum sollemnia non funebria tamquam morientium, sed utpote in vera vita nascentium natalitia vocitentur. Ergo si tunc nati sunt utique Deo, cui omnia vivunt, in cujus manu justorum animæ positæ sunt, quando visi sunt oculis insipientium mori, mulier sancta jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum, id est in lucem æternam: quod si de ejus nativitate lætatur, non jejuniis, non abstinentiis, non denique ullis debet ipso vacare die mœroribus. Quamvis in hac valle lacrymarum semper lugendum sit, & donec perveniatur ad illam angelorum festivitatem, semper mœroribus insistendum: quoniam etsi hic sollemnitas agitur, non tamen continua, sed momentanea est, quæ vix aliquando sine dolore perficitur.

1. Reg. 15. Psal. 75. Joan. 16.

VI.

VI.

De superstitionibus. Porro dicitis, quod affirment Græci dicentes, quod nullo modo in quarta & sexta feria balneari debeatis, de quo id nos e contra consulentibus respondemus, quod beatus papa Gregorius, & Anglorum gentis apostolus Romanis de dominico die sermone quodam habito prædicasse legitur: Epist. lib. II. epist. 3. Etenim ad me perlatum est, vobis a perversis hominibus esse prædicatum, ut dominico die nullus debeat lavari, & quidem si pro luxu animi, atque voluptate quis lavari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus: si autem pro necessitate corporis, hoc nec dominico die prohibemus; scriptum quippe est: *Nemo carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam*: & rursus scriptum, Ephes. 8. Rom. 13. *Carnis curam ne feceritis in concupiscentiis*. Qui igitur carnis curam in concupiscentiis fieri prohibet, profecto in necessitatibus concedit. Nam si dominico die corpus lavare peccatum est, lavari ergo die eodem nec facies debet. Si autem hoc in corporis parte conceditur, cur hoc exigente necessitate toto corpori negetur? Itaque quod hic præsul eximius, & suavissimus doctor in dominico die, qui ceteris diebus venerabilior est, concessit: nos quoque in quarta & sexta feria non negamus, hanc videlicet discretionem servantes, ut si quidem pro luxu animi, atque voluptate quis lavari appetat, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedamus. Si autem pro necessitate corporis, hoc nec quarta, nec sexta feria prohibeamus.

VII.

De veneratione reliquiarum. Scisitamini præterea, si liceat crucem Domini cum reliquiis mundo sive immundo hanc habenti osculari, vel portare; quod ei qui mundus est, omnino licet; nam in osculo quid nisi amor, quo quisque circa ea flagrat, innuitur? in deportatione vero ejus quid nisi mortificatio carnis, vel compassio proximorum exprimitur? siquidem hanc & dominus bajulare præcepit, sed in mente; verum & cum corpore gestatur, ut & mente gestari debeat facilius admonetur; crux quippe a cruciatu dicitur, & ut præfatus exponit antistes, S. Greg. hom. 19. in Lucam. duobus modis crucem Domini bajulamus, cum aut per abstinentiam carnem afficimus, aut per compassionem proximi, necessitatem illius nostram putamus. Igitur crucem Domini, passionem ejus venerantes, osculamini; & pro ejus amore, si necessitas exigit, eadem cogitatione armamini; portate eam, sed cum summa reverentia & corpore & corde mundissimo, ita ut a mente vestra nunquam decidat, id est, ut & per abstinentiam carnem semper afficiatis, & per compassionem necessitatem proximorum, vestram putetis. Qui enim dolorem exhibet in aliena necessitate, crucem portat in mente. Immundum autem hanc portare nullo pacto permittimus; scriptum quippe est, *Mundamini qui fertis vasa Domini*. Nullum vero Domini vas sacratius est cruce dominica, quæ ipsum portare Dominum meruit. Osculari autem eam immundo non licet: quoniam eo ipso quod immundus est, ipse testis est, quam mortificationem carnis non diligat; ergo quam non amat nec osculetur, ne forte de eo dicatur quod de reprobis a Domino per prophetam increpatorie dicitur: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*: & psalmista: *Dilexere*, inquit, *eum in ore suo, & in lingua sua mentiti sunt*. De reliquiis vero sanctorum eadem dicimus, quorum corpora templa & vasa fuere suntque Dei, quibusque ad omnia bona opera tamquam organis sanctus usus est, quando voluit, Spiritus.

Isaiæ 52.

Isaiæ 29. Matth. 15. Psal. 77.

VIII.

De eodem. Ergo præmissa digna reverentia, si munditia mentis & corporis comitatur, etiam quadragesimali tempore, de quo speciali consultatione percunctati estis, crucem Domini & portare & superiori regula custodita licet cum libuerit osculari; sed & tunc maxime, atque ibi, quando & ubi antiqui hostis vel pugnæ vel insidiæ præcipue formidantur.

IX.

De perceptione corporis & sanguinis Christi. Corpori & sanguini dominico quotidie in quadragesima majori si deberetis communicare consulitis: quod ut fiat, Dominum omnipotentem suppliciter exoramus, & vos omnes vehementissime exhortamur, si tamen mens in affectu peccandi non sit, vel si hanc non de criminalibus peccatis conscientia impœnitens, vel non reconciliata fortassis accuset, vel si fratri discordanti quis vestrum suo vitio reconciliatus minus existat. Nam quem de horum aliquo conscientia mordet, gravari tanto munere potius quam remedium consequi quodlibet arbitramur: *Judicium enim sibi*, secundum 1. Cor. 11. apostolum, *manducat & bibit*. Verum de hoc, & de his qui ecclesiam quidem intrant, nec tamen facta oblatione communicant, sacri canones forte sufficienter enunciant, qui antistiti vestro sunt, qui Deo vobis auctore per mediocritatem nostram ordinandus est, tribuendi, & ab eo sacerdotibus, qui claves tenent scientiæ, dumtaxat aperiendi, & vobis nihilominus, in quibus opus est & minime prohibetur, insinuandi. Interim tantum quadragesima, quam mos ecclesiæ majorem appellat, omni est die servato superiori tenore communicandum. Quoniam semper est orationi vacandum, & sacrificiis fidelium concurrendum, & illud propheticum, quo dicitur: *In die jejunii vestri invenitur voluntas vestra*, jugiter ad memoriam revocandum. Si enim ex consensu conjugatorum etiam alio forte mundo corpore tempore vacatur orationi, quanto potius isto, quo Deo etiam carnis nostræ decimas damus, quo ipsum in abstinentia Dominum imitamur, quo non solum illicita, verum etiam multa a nobis quoque licita merito resecamus, omni est voluptati renuntiandum? & ut licenter orationi vacetur, castitati mentis & corporis incumbendum?

Consuetudo ecclesiæ Romanæ quotidie communicandi in quadragesima.

Isa. 58.

X.

De diebus quibus ab operibus servilibus est cessandum. Nosse cupitis, si liceat alicui sabbato, vel dominico laborationem aliquam exercere. De hoc sæpe memoratus sanctus papa Gregorius Romanos alloquens ait: Pervenit ad me quosdam perversi spiritus homines prava inter vos aliqua, & sanctæ fidei adversa seminasse, ita ut die sabbati aliquid operari prohiberent. Quos quid aliud nisi antichristi prædicatores dixerim? qui veniens diem sabbatum atque dominicum ab omni faciet opere custodiri: quia enim mori se & resurgere simulat, haberi in veneratione vult diem dominicum; & quia judaizare populum compellit, ut exteriorem legis ritum revocet, & sibi Judæorum perfidiam subdat, coli vult sabbatum. Hoc enim quod per prophetam dicitur: *Ne inferatis onera per portas vestras die sabbati*, tamdiu teneri potuit, quamdiu legem licuit juxta literam custodiri. At postquam gratia omnipotentis Dei Domini nostri Jesu Christi apparuit, præcepta legis, quæ per figuram dicta sunt, juxta literam servari non possunt. Nam si quis dicit hoc de sabbato esse servandum, dicat necesse est etiam carnalia sacrificia persolvenda; dicat præceptum quoque de circumcisione corporis adhuc usque retinendum. Sed contra se Paulum apostolum audiat dicentem: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest*. Nos itaque quod de sabbato dictum est spiritaliter accepimus, spi-

S. Greg. Ep. lib. 11. ep. 3.

Jer. 17.

Tit. 2.

Galat. 5

ritaliter tenemus. Sabbatum enim requies dicitur: verum autem sabbatum ipsum redemptorem nostrum Jesum Christum Dominum habemus; & qui lucem fidei ejus cognoscit, si peccatum concupiscentiæ ad mentem per oculos trahit, in die sabbati onera per portas introducit. Non ergo in die sabbati onera per portas introducimus, si in redemptoris nostri gratia constituti pondera peccati ad animam per sensus corporeos non trahamus. Nam idem Dominus ac redemptor noster multa in die sabbati legitur operasse, ita ut Judæos reprehenderet dicens: *Luc. 14.* *Quis vestrum bovem, aut asinum suum non solvit in die sabbati, & ducit adaquare?* Si ergo ipsa per se veritas non custodiri juxta literam sabbatum præcepit, quisquis otium sabbati secundum legis literam custodit, cui alteri nisi ipsi veritati contradicit? dominico vero die a labore terreno cessandum est, atque omni modo orationibus insistendum; ut quod negligenter per sex dies agitur, per diem resurrectionis dominicæ precibus expietur.

XI.

De diebus festis. In quorum apostolorum vel martyrum seu confessorum, atque virginum diebus festis a labore terreno recedere debeatis, inquiritis. In sollemnitatibus utique beatæ Mariæ virginis, & sanctorum duodecim apostolorum, ac evangelistarum, atque præcursoris Domini Joannis, & sancti Stephani primi martyris, nec non & in eorum sanctorum natalitiis, quorum apud vos, Deo favente, memoria celebris, & dies festivus habebitur. Sane sciendum est, quoniam idcirco in diebus festis ab opere mundano cessandum est, ut liberius ad ecclesiam ire, psalmis & hymnis & canticis spiritalibus insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis sanctorum communicare, ad imitationem eorum assurgere, eloquiis divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat Christianus. Quæ omnia si quis negligens, orationi tantum vacare * voluerit, & ad ceteras mundi vanitates licitos labores converterit, melius illi fuerat ipso die beati apostoli Pauli præceptis obaudiens laborare manibus suis, ut haberet unde tribueret necessitatem patientibus, quemadmodum ipse, qui licet Dominum ordinasse dicat, ut qui evangelium annuntiaret, de evangelio viveret, non tamen usus est hac potestate, sed manibus suis laborabat, ne quem eorum quibus evangelium prædicabat gravaret.

* Forte, noluerit. H.

1. Cor. 4.

XII.

De eodem. Quod interrogatis, utrum liceat in festivitatibus sanctorum judicium peragi, & utrum eadem die debeat homo, si dignus fuerit, ad mortem judicari? sciendum quoniam in his festivitatibus, in quibus superius ab omni opere mundano cessandum esse monstravimus, multo magis a sæcularibus negotiis, & adhuc a mortibus abstinendum fore decernimus: quoniam quamvis utrumque fortasse sine culpa valeat exerceri, quando tamen his quæ Dei sunt, arctius homo debet hærere, quæ mundi sunt a se convenit penitus resecare: præcipue cum eo die ad militiam divinam accedens homo, implicari non debeat negotiis sæcularibus: & ob reverentiam tantæ sollemnitatis non oporteat in medium deferri, nisi unde omnibus gaudium, pax & spiritalis lætitia generetur. Verum his prælibatis, quibus diebus præter hos nulla sint judicia sæcularia exercenda, lex vos affatim edocebit.

2. Tim. 2.

XIII.

Inter quæstiones vero & consulta leges vos mundanas postulare perhibetis; de qua re nos codices A quos necessarios vobis ad præsens esse considerare potuissemus, libenti mitteremus animo, si quem penes vos esse comperissemus, qui hos vobis interpretari potuisset: si quos autem de mundana lege libros missis nostris dedimus, cum reversi fuerint, nolumus ibi relinqui, ne forte quislibet eos vobis perverse interpretetur, aut falsitate qualibet violet.

XIV.

De quodam qui fingit esse presbyterum. Præterea indicatis, quod quidam Græcus mentiens fateretur se presbyterum esse, cum non esset, ac per hoc plurimos in vestra patria baptizasset. Cum ergo vos inspiratione Dei cognovissetis, quod non esset presbyter, judicaveritis, ut amitteret aures & nares, & acerrimis verberibus cæderetur, & ex vestra patria pelleretur. Ecce impletum est in vobis, ignoscite nobis, quod de quibusdam apostolus clamat, quod habent zelum Dei, sed non secundum scientiam, nam licet ille male fecerit, si mentitus est, vos tamen in hoc zelum quidem pium, sed minus cautum habuistis: quoniam quamvis ipse se sacerdotem esse simulaverit, simulatio tamen ejus salutem plurimis contulit. Siquidem diversi fuere qui diverso modo Christum, sed non propter Christum annuntiabant: sed sive occasione, sive quomodocumque hunc annuntiarent, * hos tantum non prohibebat apostolus, qui solum ut Christus annuntiaretur, plurimum satagebat: quia enim Christus ordinaverat, ut qui evangelium annuntiaret, de evangelio viveret, si multi idcirco Christum prædicabant, ut commoda terrena acquirerent, ergo non erat Christus in causa, sed avaritia: rursus quia multi evangelii prædicatores a fidelibus magnis honoribus efferebantur, nonnulli ideo Christum prædicabant, ut similia & ipsi perciperent: ergo non erat Christus in voto, sed invidia. Sed nemo istorum prohibitus est, quominus per hos Christus annuntiaretur, nimirum cum Judas inter ceteros apostolos a Domino missus, & miracula fecerit, & Christum annuntiaverit, & in nomine ejus multos baptizaverit. Itaque ut sedis apostolicæ præsul scribit Anastasius, non quæritur quis, vel qualis prædicet, sed quem prædicet.

* Forte, hos tamen non. H.

Anast. II. epistola ad Anastas. imp.

XV.

De baptizatis ab eo qui finxit se presbyterum. Porro interrogatis, utrum homines illi qui hoc ab illo baptisma receperunt, Christiani sint, an iterum baptizari debeant. Sed si in nomine summæ ac individuæ Trinitatis baptizati fuere, Christiani profecto sunt, & eos a quocumque Christiano baptizati sunt, iterato baptizare non convenit; quoniam, ut jam nominatus Anastasius apostolicus pontifex ad coæquivocum suum scribit Augustum; & baptismum, quod procul sit ab ecclesia, sive ab adultero, vel a fure fuerit datum, ad percipientem munus pervenit illibatum; quia vox illa quæ sonuit per columbam, omnem maculam humanæ pollutionis excludit, qua declaratur, ac dicitur: *Joan. 1.* *Hic est qui baptizat.* Si igitur quamvis baptismum ad adultero, vel fure datum fuerit, ad percipientem tamen munus pervenit illibatum; quam ob rem non illibatum, & sine ulla iteratione subsistat, quod quilibet mundanus homo tribuit, & nescimus qua intentione se presbyterum fingens? & certe Acacius Constantinopolitanus quondam episcopus, se sacerdotem fingebat, cum fuerit a Felice papa Romano damnatus: sed quid jam dictus de eo præsul Anastasius dicat, audiamus, ait enim inter alia: Cum sibi sacerdotis nomen Acacius videlicet vindicaverit condemnatus, in ipsius vertice superbiæ tumor inflictus est, quia non populus, qui ministeriis donum ipsius sitiebat, exclusus est: sed anima sola, quæ peccaverat, justo judicio proprie erat obnoxia:

In epist. Anastas. imp.

xia: quod itaque numerosa scripturarum testatur instructio, & revera quia secundum famosissimum apostolum *neque qui plantat*, id est, catechizat; *neque irrigat*, id est, baptizat, *est aliquid*; *sed qui incrementum dat Deus*. Et ideo malus bona ministrando non aliis, sed sibi detrimenti cumulum ingerit, ac per hoc certum est, quia quos ille Græcus baptizavit, nulla portio læsionis attingit, propter illud: *Hic est qui baptizat*, id est Christus, & iterum: *Deus incrementum dat*, subauditur, & non homo.

XVI.

Vos qui sic personam illam judicastis, investigatis, si debeatis hinc pœnitentiam agere: utique denique omne peccatum pœnitentia, quæ non nisi Dei gratia comitante proficit, diluitur. Nam Dominus primum Petrum respexit, & tunc Petrus ad lacrymas sese convertit. Peccatum autem vos in illum hominem perpetrasse manifestum est. Primo quidem, quoniam quantum nos comprehendere possumus, nondum clare patuit eumdem hominem non esse presbyterum, & scriptum est; *Nolite judicare ante tempus*. Secundo, quoniam etsi se finxit esse quod non erat, non tamen fecit quod factum Deo vel fidelibus ejus non placeat: præcipue cum in ea gente, in qua usque ad illud tempus nulla recta fides, nulla vera religio colebatur, sibimet ostium multos lucrandi divinitus videret apertum, & ille forsitan anhelaret plurimos ad tantum donum perducere, in quo se Deum senserat misericorditer adjuvare. Denique si David esse se furiosum finxit, ut suam tantum salutem operari potuisset, quam noxam contraxit, qui tot hominum multitudinem quoquomodo de potestate diaboli, & æternæ perditionis abstraxit? maxime cum se sacerdotem simulaverit, non tamen in baptizando egit quod præter sacerdotem in tam evidenti necessitate agere nullum oportet: presbyterum vero, ut opinamur, idcirco se finxit esse; quoniam jam senserat vobis fuisse suasum, quod baptizandi ministerium non nisi presbyteris tantum esset indultum. Tertio, quoniam etsi in ista simulatione valde fuit culpabilis, in tot hominibus conversis satis extitit laudabilis. Quarto, quia etsi pœna dignus erat, non tamen debuisset modum ultionis excedere, nec in unum hominem tot, & tam crudelia detrimenta congerere: cum dimissis ei naribus, & auribus propriis, sufficeret ad pœnam illi repulsio a patria vestra, quam cum detruncatione membrorum judicantibus vobis expertus est.

XVII.

Igitur referentes, qualiter divina clementia Christianam religionem perceperitis, qualiterque populum vestrum baptizari omnem feceritis: qualiter autem illi postquam baptizari fuere, insurrexerint unanimiter cum magna ferocitate contra vos, dicentes, non bonam vos eis legem tradidisse, volentes etiam vos occidere, & regem alium constituere, & qualiter vos divina cooperante potentia adversus eos præparati, a maximo usque ad modicum superaveritis, & manibus vestris detentos habueritis, qualiterque omnes primates eorum, atque majores cum omni prole sua gladio fuerint interempti; mediocres vero, seu minores nihil mali pertulerint, de his nosse desideratis qui vita privati sunt, utrum ex illis peccatum habeatis, quod utique sine peccato evasum non est; nec sine culpa vestra fieri potuit, ut proles, quæ in consilio parentum non fuit, nec adversus vos arma sustuliisse probatur, innocens cum nocentibus trucidaretur. Nam hinc psalmista, postquam dixerat: *Non sedi in consilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo: odivi congregationes malignorum, & cum impiis non sedebo:* paullo post deprecans Dominum ait: *Ne perdas cum impiis animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam.* Hinc Dominus per Ezechielem prophetam perhibet dicens: *Ut anima patris, ita & anima filii mea est: anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Et post pauca de patre dicit: *Quod si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui quæ fecit, timuerit, & non fecerit simile eis, super montem non comederit, & oculos suos non levaverit ad idola domus Israel, & uxorem proximi sui non violaverit, & virum non contristaverit, pignus non retinuerit, & rapinam non rapuerit, panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit vestimento, a pauperis injuria averterit manum suam, usuram & superabundantiam non acceperit, judicia mea fecerit, in præceptis meis ambulaverit, hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vita vivet: pater ejus quia calumniatus est, & vim fecit fratri, & malum operatus est in medio populi sui, ecce mortuus est in iniquitate sua, & dicitis, Quare non portavit filius iniquitatem patris? Videlicet quia filius & judicium & justitiam operatus est, omnia præcepta mea custodivit, & fecit illa, vita vivet. Anima quæ peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii.* Quamvis & de parentibus qui comprehensi sunt, mitius agere debueritis, scilicet ut pro Dei amore, qui eos in manus vestras tradiderat, vitam illis reservaretis, quatenus in oratione dominica Deo prompte dicere valeretis: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Sed etsi illos reservare potuistis, qui bellando interiere, & minime vivere permisistis, nec salvare voluistis, non consulte prorsus egistis: scriptum quippe est: *Judicium erit sine misericordia illi qui non fecerit misericordiam.* Et per supra nominatum prophetam Dominus: *Numquid*, ait, *voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur a viis suis, & vivat?* Verum quia zelo Christianæ religionis, & ignorantia potius quam alio vitio deliquistis, pœnitentia subsequente per Christi gratiam indulgentiam de his & misericordiam consequimini.

XVIII.

De apostatis.

Scire vos velle significatis, quid de his qui legem Christianam respuunt agere debeatis: in quo notandum est, quoniam omnis homo sicut per alterius culpam, id est, Adæ, contraxit unde purgatione per aquam baptismatis egeat; ita cum ad fidem promittendam ad regenerationis occurrit undam, alium eligit quodammodo patrem, spiritualem videlicet, a quo susceptus instruatur, & omni custodia muniatur, & tamquam depositum quoddam lectori ecclesiæ repræsentetur. Præterea qui fidem respuit quam promisit, ab illo a quo susceptus est, & qui fidei ejus interventor extitit, debet per omnia revocari. Jam vero si non audierit eum quem ipse pro se dederat vadem, dicendum est ecclesiæ, a qua majori studio ad ovile proprium ovem reduci convenit quæ erravit; & ut ad viam veritatis, quæ Christus est, redeat, modis omnibus revocari; siquidem ab ea tamquam a matre, tamquam a magistra suadendum est illi quatenus videat: quoniam apostatam spiritum imitatus est, de quo scriptum est, quod in veritate non steterit. Consideret etiam quod Petrus princeps apostolorum clamat: *Si enim refugientes, inquiens, coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, & salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus: melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. Contigit enim*

De studio susceptoris ex baptismo.

Joan. 8.

2. Pet. 2

Prov. 26. Matth. 28

enim eis illud proverbii: Canis reversus ad vomitum suum, & sus lota in volutabro luti. Porro si nec ecclesiam audierit, sit omnibus revera sicut ethnicus, id est gentilis, ac per hoc jam merito per potestates exteras tamquam extraneus opprimatur. Denique certum est, quoniam sæpe Deus concitat potestates adversus abnegatores Christi, adversus desertores baptismi: & idcirco nemo miretur, quia Deus concitat, ut ponant cervices, & humiliati redeant ad ecclesiam: quia & Agar cum discessisset a domina sua occurrit ei angelus, & dixit ei: *Quid est, Agar ancilla Saræ? Revertere ad dominam tuam.* Ad hoc ergo qui hujusmodi est affligitur, ut revertatur, atque utinam revertatur, quia cum fratribus hæreditatem promissam recipiet: nam nisi moverentur potestates Christianæ adversus hujusmodi; quomodo rationem redderent de imperio suo Deo? quippe cum pertineat hoc ad reges sæculi Christianos, ut temporibus suis pecatam & sine diminutione velint servari matrem suam ecclesiam, unde spiritaliter nati sunt. Siquidem Nabuchodonosor rex, qui statuam suam erexerat, & ad eam adorandam omnes coegerat, laudibus trium puerorum de igne liberatorum commotus dixisse legitur: *Et ego ponam decretum omnibus tribubus & linguis in omni terra; & quicumque dixerit blasphemiam in Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, in interitum erunt, & domus eorum in perditionem.* Si ergo sic sævit rex barbarus, ne blasphemetur Deus Israel, quia potuit tres pueros de igne temporali liberare; quanto potius sævire debent reges Christiani, quia Christus abnegatur & irridetur, a quo non tres pueri tantum, sed & orbis terrarum cum ipsis regibus a perpetuis ignibus liberatur? Nam qui illis mentiri, vel esse infideles convincuntur, aut vix aut nunquam ab eis vivere profecto sinuntur: & quomodo non indignentur, & sæviant, quando vident Christum, qui est rex regum, & dominus dominantium, ab hominibus abnegari, illudi, & ei fidem promissam non custodiri? Zelentur itaque zelo Dei, quia seipsos per Christum recolunt liberatos a gehenna magis quam ille qui attendit tres pueros ereptos a flamma.

Genes. 16. — De officio regis Christiani. — *Dan. 3.*

XIX.

Quid jure de his faciendum sit, qui ad occidendum regem insurrexerint, venerandæ leges, quas scripto mittemus, vos affatim edocebunt. Verumtamen hoc in arbitrio regis manet, qui non semel tantum, sed & septuagies septies debet peccatum dimittere, juxta quod Dominus in evangelio sancto Petro mandavit: *Nam cui plus dimittitur, plus diligit*; & quemadmodum evangelium docet, rex decem millia talenta, id est, multa, & immania peccata servo non dimitteret, si ipse conservo suo centum denarios, id est, minora dimittere noluisset.

Matth. 18. — *Luc. 7.* — *Matth. 18.*

XX.

Quid de homine libero judicandum sit, qui de patria sua fuga lapsus fuerit, si comprehendatur? nihil utique, nisi quod leges decernunt. Verumtamen multos sanctorum de patria sua exisse, & in alia celebrius veneratos fuisse, sacræ produnt historiæ; sed aliis non existentibus cautis ob solum exitum nunquam culpabiles judicatos extitisse, ni fallor, inveni, præsertim cum Abrahæ patri nostro divina voce dicatur: *Egredere de terra, & de cognatione tua*: & nonnulli patrum nostrorum exules per plurimos annos in terra non sua habitaverint; alioquin liber non est, si de patria sua quis non audet egredi. Porro si liber est, & jure nullius conditionis nexibus tenetur obstrictus, non fugit, sed exit de patria sua, quemadmodum & Abrahæ, non Fuge, sed Exi de terra tua dicitur; quod quia fecit obediens, nemine judicante pœnam quamlibet * protulit.

De his qui ex patria exeunt. — *Gen. 12.* — * Forte *penalis*.

XXI.

Si servus a domino fugiens recesserit, si comprehensus fuerit, ignoscendum est ei; alias autem legum scita non transcendantur in eo. Verumtamen semper illud apostoli Pauli præ oculis habeatur salubris admonitionis dicentis: *Domini quod justum est & æquum servis præstate, scientes quoniam & vos dominum habetis in cælo:* & alibi, cum servis ut obedierent dominis carnalibus præcepisset, adjunxit: *Scientes*, inquiens, *quod unusquisque vestrum quodcumque fecerit bonum, hoc consequetur a Domino, sive servus, sive liber*; *& vos domini eadem facite ad illos remittentes minas, scientes quia & vester & eorum dominus in cælis est, & personarum acceptio non est apud Dominum.*

De servis fugitivis. — *Coloss. 4.* — *Ephes. 6.*

XXII.

Circa hos qui, quando ad pugnam contra hostes proceditis, fugam arripiunt, si non misericorditer præveniat compassio, saltem legum temperetur severitas.

XXIII.

De his quibus jussum est contra hostes progredi, & jussioni parere contemnunt, eadem suademus.

XXIV.

Quid parricida, id est, qui patrem vel matrem occidit, vel etiam qui fratrem, aut sororem interficit, pati debeat, leges indicant; porro si ad ecclesiam confugerit, id quod episcopus loci, vel sacerdos, qui ab illo constitutus est, providerit, agendum decernimus.

De parricidis.

XXV.

Consuetudinis esse patriæ vestræ perhibetis, semper custodes inter patriam vestram, & aliorum juxta terminos invigilare: & si servus, aut liber per eamdem custodiam quocumque modo fugerit, sine omni intermissione custodes pro ea interimuntur, deinde percontamini, quid nos inde judicemus; & de hoc in legibus est requirendum. Verumtamen absit a mentibus vestris, ut tam impie jam judicetis, qui tam pium Deum & Dominum agnovistis: præsertim cum magis oporteat, ut sicut hactenus ad mortem facile quosque pertraxistis, ita deinceps non ad mortem, sed ad vitam quos potestis nihilominus perducatis. Ita ut quemadmodum beatus apostolus Paulus prius persecutor, & contumeliosus, & spirans minarum & cædis in discipulos Domini, posteaquam misericordiam consecutus est, divina revelatione conversus, non solum minime cuilibet mortis pœnam intulit, verum etiam anathema esse optabat pro fratribus, & libentissime impendere, & superimendi paratus erat pro animabus fidelium: ita & vos postquam electione Dei vocati, & lumine ipsius illuminati estis, non jam sicut prius mortibus inhiare, sed omnes ad vitam tam corporis, quam animæ debetis omni occasione inventa proculdubio revocare, & sicut vos Christus de morte perenni, qua detinebamini, ad vitam æternam reduxit, ita ipsi non solum innoxios quosque, verum etiam & noxios a mortis exitio satagite cunctos eruere, secundum illud sapientissimi Salomonis: *Erue eos qui ducuntur ad mortem; & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses.*

De custodibus finium. — *Act. 9.* — *Rom. 9.* — *2. Cor. 12.* — *Prov. 14.*

XXVI.

De his qui proximum, id est, consanguineum suum, ut est frater, consobrinus, aut nepos, trucidaverint, venerandæ leges proprium robur obtineant. Sed si ad ecclesiam convolaverint, mortis quidem legibus eruantur: pœnitentiæ vero, quam antistes loci, vel presbyter consideraverit, absque dubio submittantur: *Nolo*, inquit Dominus, *mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat.*

De his qui consanguineos occidunt. — *Ezech. 18.*

XXVII.

homicl.

XXVII.

De his qui ſocium ſuum morti tradiderint, id ipſum quod ſupra decernimus.

adulte-

XXVIII.

De his qui ad uxorem alterius comprehenſus fuerit, quid judicandum ſit, lectis legibus reperietis. Jam vero ſi ad eccleſiam adulter confugerit, judicandum ab epiſcopo fore decernimus, quod ſacros conſtat diffiniſſe canones, vel ſanctos apoſtolicæ ſedis præſules clarum eſt ſtatuiſſe.

inceſtuo-

XXIX.

Similiter & de eo cenſemus, qui ad proximam ſanguinis ſuis ingreditur; verum hujus tanti piaculi lepram melius ad ſacerdotis conſiderationem, & judicium profecto dirigimus.

XXX.

De eo qui nolens hominem interfecerit, id ſtatuimus, quod ſacræ regulæ ſtatuant, quas epiſcopum veſtrum apud ſe penes vos poſitum præmanibus oportet ſemper habere.

furibus.

XXXI.

Circa fures animalium ſi non miſericordia, ſaltem legum edicta ſerventur.

XXXII.

Similiter de his qui virum aut feminam rapuerint, permittimus.

XXXIII.

cruce in o nili feranda.

Quando prælium inire ſoliti eratis, indicatis vos hactenus in ſigno militari caudam equi portaſſe, & ſciſcitamini, quid nunc vice illius portare debeatis; quid aliud utique, niſi ſignum ſanctæ crucis? Ipſum eſt enim quo Moyſes mare diviſit, & Amalec interfecit, quo Gedeon Madianitas ſuperavit; & Chriſtus Dominus noſter diabolum, qui habebat mortis imperium, non ſolum ſuperavit, ſed & proſtravit; ipſum eſt ſignum quod portamus in frontibus noſtris: ipſo a cunctis defendimur hoſtibus, & ab omnibus munimur incurſionibus. Hoc eſt ſignum fidei, & ingens horror diaboli, quo Chriſtiani principes in neceſſitatibus ſuis ſemper utuntur, & reges veram religionem ſectantes ſæpe celebres Chriſto propitio triumphos de hoſtibus operantur. Sed ut manifeſtius ſciatis, quid pro illa equina cauda in ſignum debeatis militare convenientius, cum in apparatum belli proceditis, portare; pauca de Conſtantini actibus memoranda ducimus, qui piiſſimus Romanorum extitit imperator, & Chriſtianitatis famoſiſſimus omnium propagator. Ille quippe cum adverſus Maxentium urbis Romæ tyrannum exercitum duceret, erat quidem jam tunc Chriſtianæ religionis fautor, nondum tamen, ut eſt ſollemne noſtris initiari, ſignum dominicæ paſſionis acceperat. Cum igitur multa ſecum de inſtantis prælii neceſſitate pervolvens iter ageret, utique ad cælum ſæpius * elevaret, & inde ſibi divinum precaretur auxilium; vidit per ſoporem ad orientis partem in cælo ſignum crucis igneo fulgore rutilare; cumque tanto viſu fuiſſet exterritus, ac novo perturbaretur aſpectu, aſtare ſibi vidit angelos dicentes: Conſtantine in hoc vince: tum vero lætus redditus, & de victoria jam ſecurus, ſignum crucis, quod in cælo viderat, in ſua fronte deſignat, & hoc in militaria vexilla transformat, ac labarum, quem dicunt, in ſpeciem dominicæ crucis exaptat; & ita armis, & vexillis religionis inſtructus adverſus impiorum arma proficiſcitur, & ſine cruore Romani populi, ut ipſe Deum precabatur, Maxentio in flumen demerſo, de tyranno mirifice triumphavit.

XXXIV.

Præterea conſulitis, ſi debeatis, quando nuntius venerit ut ad præliandum pergatur, mox proficiſci: an ſit aliqua dies, in qua non oporteat ad præliandum exire? in quo reſpondemus, Non eſt ulla dies in quibuſcumque negotiis incipiendis, vel exercendis penitus obſervanda, præter (ſi nimia non urgeat neceſſitas) ſupra memoratos dies celeberrimos, & omnibus venerabiles Chriſtianis; non quo vel in his tale quid fieri proibeatur, cum non ſit in diebus ſpes noſtra ponenda, nec a diebus, ſed a Deo ſolo vivo & vero ſalus omnis penitus expectanda: ſed quo, ſi inevitabilis neceſſitas non eſt, vacandum eſt in his ſolito ſtudioſius orationi, & tantæ feſtivitatis myſteria frequentanda; nam cum Hebræi quondam ſabbatum obſervantes noluiſſent contra hoſtes ſuos die ſabbatorum arma ſuſtollere, & Deus omnipotens quod in ſe tantum, & non in obſervantia diebus ſpes eſſet & fortitudo locanda, voluiſſet oſtendere; occiſi ſunt ex iis mille viri, ita ut ſuperſtites pœnitentia ducti invicem dicerent: *Si omnes fecerimus ſicut fratres noſtri fecere, & non pugnaverimus adverſus gentes pro animabus noſtris, & juſtificationibus noſtris, citius diſperdent nos a terra.* 1. Macb. 2.

De dierum obſervatione.

XXXV.

Refertis quod ſoliti fueritis, quando in prælium progrediebamini, dies & horas obſervare, & incantationes, & joca, & carmina, & nonnulla auguria exercere; & inſtrui deſideratis, quid nunc vobis agendum ſit: de quo nos neceſſario vos inſtrueremur, niſi ſuper hoc vos divinitus inſtructos contueremur: ſuper divinum enim fundamentum nos ædificare quidquam non poſſumus. Igitur cum in prælium proficiſci diſponitis, quod ipſi commemoraſtis, agere in Dei nomine non omittere, id eſt, ad eccleſias ire, orationes peragere, peccantibus indulgere, miſſarum ſollemniis intereſſe, oblationes offerre, confeſſionem delictorum ſacerdotibus facere, reconciliationem & communionem percipere, carceres aperire, vincula diſſolvere, & ſervos & præcipue confractos & debiles, atque captivos libertati donare, ac indigentibus elemoſynas erogare: quatenus impleatur quod apoſtolus admonet dicens: *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jeſu.* Nam illa, quæ commemoraſtis, id eſt, diei & horæ obſervationes, incantationes, joca, & inqua carmina, atque auguria, pompæ ac operationes diaboli ſunt, quibus, Deo gratias, jam in baptiſmate abrenuntiaſtis, & hæc cum vetere homine & actibus ejus quando novum induiſtis, omnino depoſuiſtis. Coloſſ. 3.

De ſuperſtitionibus.

De vera præparatione ad bellum.

XXXVI.

Si die dominico vel ceteris feſtis diebus, quando neceſſitas urget, liceat ambulare, vel ad bellandum procedere? ex trigeſimo quarto capitulo harum reſponſionum noſtrarum poteſtis advertere.

XXXVII.

Libros quos vobis ad præſens neceſſarios eſſe conſideramus, ſicut poſcitis, animo gratanti concedimus & plures Deo largiente præſtare deſideramus.

XXXVIII.

Dicitis quod quando in caſtris eſtis, orationem perfectam, & congruam facere nequeatis, ac per hoc exponi cupitis quid agere debeatis: unde nos contra ſuademus, ut quanto plus hoſtes ſæviunt, & neceſſitas vel tribulatio incumbit, tanto inſtantius orationi operam detis. Nam patres noſtri plus orando, quam pugnando victores fuere, & voti compotes plus precibus, quam prælii extiterunt: Denique Moyſes orabat, & Joſue pugnabat, ſed plus ille vincebat orando, quam iſte pugnando; aptius ergo ab armis, quam ab oratione vacandum eſt.

De precibus in bello non omittendis.

XXXIX.

XXXIX.

De impedimento affinitatis & consanguinitatis.

De consanguinate generationum exquiritis, ut quibus utique feminis jungi debeatis, liquide cognoscatis; verum quod leges hinc sanciunt jam meminimus, & denuo memorare summatim operæ pretium ducimus, ajunt enim: Ergo non omnes nobis uxores ducere licet: nam quarumdam nuptiis abstinere debemus, inter eas enim personas quæ parentum, liberorumve locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt, veluti inter patrem & filiam, vel avum & neptem, matrem & filium, aviam & nepotem, & usque ad infinitum, inter eas quoque personas quæ ex transverso gradu cognationis junguntur, est quædam similis observatio, sed non tanta. Sacri vero canones, & præcipue Zachariæ summi præsulis decreta quid hinc promulgent, episcopo vestro vobis explorandum relinquimus.

XL.

De his, qui ad bellum præparati non sunt.

Consuetudinem patriæ vestræ perhibetis inesse, ut priusquam ad pugnam progrediamini, mittatur a dominatione vestra fidelissimus & prudentissimus vir, qui cuncta arma & caballos, & quæ necessaria pugnæ existunt, consideret; & apud quem inutiliter præparata inventa fuerint, capite punitur: nunc autem nosse cupitis, quid nos hinc fieri decernamus. Sed hæc nos cuncta vobis ad spiritalis apparatus armaturam convertete suademus, & tantæ severitatis rigorem ad pietatis exercitium inclinare monemus; ita ut sicut hactenus illa præparatio armorum & equorum diligenter inquirebatur, utrum bene apta esset contra visibiles hostes; ita nunc studiose investigetur, ut arma spiritalia, id est, bona opera singuli præparata possideant adversus principes, & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus: porro equus animus intelligitur, quia nimirum sicut homo portatur equo, sic & regitur animo, optime ergo, qui arma contra hostes præparata non habet, perit; quia ut scriptum est, *Maledictus vir qui facit opus Dei negligenter*. De equo vero, qui imparatus est animo, bene per psalmistam dicitur: *Falsus equus ad salutem, in abundantia autem virtutis ejus non erit salvus*. Nisi enim falsus esset, imparatus non esset; equo contra de præparato dicitur: *Equus paratur ad diem belli, Dominus autem salutem tribuit*. Sic itaque quod hactenus carnaliter observastis, & arma quæ forsitan ab inopibus hæc præparare non valentibus crudeliter exegistis, jam nunc spiritaliter veneramini; & hæc magnos & parvos præparare pie & indesinenter hortamini.

Ephes. 6.
Jerem. 48.
Psal. 32.
Prov. 21.

XLI.

De infidelibus vi ad fidem non cogendis, & de eorum communione vitanda.

De iis autem qui Christianitatis bonum suscipere renuunt, & idolis immolant, vel genua curvant, nihil aliud scribere possumus vobis, nisi ut eos ad fidem rectam monitis, exhortationibus, & ratione illos potius quam vi, quod vane sapiant convincatis: opera manuum suarum, & insensibilia elementa, cum sint homines intellectu habiles, adorantes, immo dæmoniis suam cervicem flectentes & immolantes. Nam, ut apostolus docet: *Scimus quoniam nihil est idolum, sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant*. Jam vero si vos non audierint, cum eis nec cibum sumere, nec ullam penitus communionem habere: sed eos tamquam alienos, atque pollutos a vestris obsequiis & familiaritate removere debetis, ut tali forte confusione conpuncti convertantur inspirante Deo ad ipsum qui est verus & non falsus Deus, creator & non creatus, non factus, sed factor omnium: nam ut Dominus præcipit, de domo illius qui non credit, non solum cibum, verum etiam nec pulverem in pedibus debet educere Christianus in tantum ut discipuli nescientes quod acciderat, molestе tulerint, quod Petrus princeps eorum ad Cornelium ingressus fuerat, quem ipse Deo præcipiente primum ex gentibus fecerat Christianum: nulla igitur cum his qui non credunt, idolaque adorant, miscenda communio est. Porro illis violentia, ut credant, nullatenus inferenda est. Nam omne quod ex voto non est, bonum esse non potest; scriptum est enim: *Voluntarie sacrificabo tibi*, & rursus: *Voluntaria*, inquit, *oris mei beneplacita fac Domine*, & iterum: *Et ex voluntate mea confitebor illi*; ultronea quippe Deus obsequia, & exhiberi tantum ab ultroneis præcipit: nam si vim inferre voluisset, nullus omnipotentiæ illius resistere potuisset. Jam vero si quæritis, quid de hujusmodi perfidis judicandum sit, apostolum Paulum audite, qui cum Corinthiis scriberet, ait: *Quid enim mihi de his qui foris sunt judicare? nonne de his qui intus sunt vos judicatis? nam eos qui foris sunt, Deus judicabit. Auferte malum ex vobis ipsis;* ac si diceret: De his qui extra religionem nostram sunt nihil ego judico, sed eos Dei judicio reservo, qui judicaturus est omnem carnem. Verumtamen auferte malum ex vobisipsis, ne videlicet vobiscum morans ut cancer serpat: aut certe dum a fidelibus sibi communicari conspicit, suæ quoque vanitati communicari putet. ac per hoc veraciorem & sanctiorem suam sectam, quam nostram existimet religionem. Propter conscientiam ergo magnopere idola colentium cavenda est omnino communio: nam qui idololatris communicat, ipsis idolis, immo dæmoniis communicare videtur: *Omnes enim dii gentium dæmonia*, & apostolus dicens: *Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo*; adjecit: *Nolo*, inquit, *vos socios fieri dæmoniorum*.

Psal. 53.
Psal. 118.
Psal. 27.
1. Cor. 5.
Psal. 95.
1. Cor. 10.

XLII.

De consuetudine edendi apud gentem.

Asseritis quod rex vester cum ad manducandum in sedili, sicut mos est, ad mensam sederit, nemo ad convescendum etiam, neque uxor ejus cum eo discumbat, vobis procul in sellis residentibus, & in terra manducantibus; & idcirco quid vobis hinc præcipiamus, nosse desideretis. Unde nos quia non contra fidem quod agitur est; licet bonos mores satis impugnet, non tam præcipientes, quam suadentes hortamur, ut ad Christianæ religionis cultores principes attendatis, & humilitatis eorum considerantes fastigium, deponatis ex vobis omne ad nihil utile supercilium: legerunt enim illi in evangelio, dicente Domino: *Discite a me quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris*. Nam antiqui reges, quorum multi sanctorum consortium meruere, ac ideo veraciter reges dicti sunt, quoniam sancti reperti sunt, cum amicis, quinimmo cum servis suis convivati fuisse memorantur; quin potius ipse rex regum, & Dominus dominantium, redemptor noster, non solum cum servis & amicis suis, apostolicis scilicet recubuisse, verum etiam cum publicanis & peccatoribus & recubuisse, & manducasse describitur.

Matth. 11.

XLIII.

De animalibus mundis & immundis.

Quæ animalia, seu volatilia liceat manducare, quantum existimo Dominus evidenter ostendit, cum post diluvium animalia cuncta Noe tribuit & filiis ejus edenda, dicens: *Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt, & omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum quasi olera virentia*, & demonstratis cælitus beato Petro in illo disco, quamvis hoc altius intelligendum sit, cunctis animantibus, dicitur: *Macta, & manduca*. Itaque omne animal, cujus cibus minime corpori nocivus

Gen. 9.
Act. 10.

Matth. 10.

vus esse probatur, & societas hoc in cibum admittit humana, comedi non prohibetur: nam ideo, ut sanctus & facundissimus doctor scribit Augustinus, morticinum ad escam usus hominum non admisit, eo quod non occisorum sed mortuorum animalium morbida caro est, nec apta ad salutem corporis, cujus caussa sumimus alimentum. Porro eorum opinionem, qui quidpiam in cibis immundum esse perhibent, per se Dominus destruit dicens: *Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem*: & Apostolo Petro divinitus dicitur: *Quod Deus sanctificavit, ut commune, (vel immundum) ne dixeris*: & coapostolus ejus Paulus scribens: *Omnia*, inquit, *munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum*. Verumtamen ne forte quilibet ex veteri vobis testamento quædam prohibita velint animalia demonstrare, atque ab eorum vos edulio coercere; notandum est, inter illa quæ prohibita sunt, etiam porcum connumerari; de qua re præfatus sanctus Augustinus de ceteris interim tacens, scribens etiam hujus animalis meminit dicens: Testamento veteri, ubi quidam cibi carnium prohibentur, cur non sit contraria ista sententia, qua dicit apostolus: *Omnia munda mundis, & omnis creatura Dei bona est*, si possunt, intelligant hoc apostolum de ipsis dixisse naturis; illis autem literas propter quasdam præfigurationes tempori congruentes animalia quædam non natura, sed significatione immunda dixisse. Itaque verbi gratia, si de porco & agno requiratur, utrumque natura mundum est; quia *omnis creatura Dei bona est*: quadam vero significatione agnus mundus, porcus immundus est; tamquam si stultum & sapientem diceres: utrumque hoc verbum natura vocis, & literarum, & syllabarum quibus constat, utique mundum est; significatione autem unum horum verbum, quod dicitur stultum, immundum dici potest, non natura sui, sed quoniam quiddam immundum significat: & fortasse quod est in rerum figuris porcus, hoc est in rerum genere stultus; & tam illud animal, quam istæ duæ syllabæ, quod dicitur stultum, quiddam unum idemque significat: immundum quippe illud animal in lege positum est, eo quod non ruminet; non autem hoc ejus vitium, sed natura est. Sunt autem homines, qui per hoc animal significantur, immundi proprio vitio, non natura; qui cum libenter audiant verba sapientiæ, postea de his omnino non cogitant: quod enim utile audieris, velut intestino memoriæ tamquam ad os cogitationis, recordandi dulcedine volvere; quid est aliud, quam spiritaliter quodammodo ruminare? quod qui non faciunt, illorum animalium genere figurantur. Unde & ipsa a talibus carnibus abstinentia, tale vitium nos cavere præmonuit. Cum enim de hac munditia ruminandi alio loco ita scriptum est: *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis, vir autem stultus glutit illum*. Has autem similitudines rerum in locutionibus & observationibus figuratis propter quærendi & comparandi exercitationem rationales mentes utiliter & suaviter noverit: sed priori populo multa talia non tantum audienda, verum etiam observanda præcepta sunt. Tempus enim erat, quo non tantum dictis, sed etiam factis prophetari oporteret, & ea quæ posteriori tempore fuerant revelanda, quibus per Christum, atque in Christo revelatis, fidei gentium onera observationum non sunt impositа, prophetiæ tamen auctoritas commendata.

XLIV.

Nulla ratio sit in quadragesimali tempore venationibus uti: venantes enim nihil præter carnes captant, ut ergo nihil carnale sectari videamini, decenter a carnibus captandis in quadragesimali præcipue tempore vobis est abstinendum; quanto enim jejunii tempore arctius est divinis cultibus insistendum, tanto est in cunctis mundi nocivis oblectamentis longius recedendum; præsertim cum neminem nisi reproborum venationes exercuisse sacra designet historia. De non venando in quadragesima.

XLV.

A nobis scire cupitis si in quadragesimali tempore judicia sint exercenda, & ad mortem aliquis addicendus, in quo nos noveritis eadem de quadragesimali tempore super hac responsione consultatione, quæ diebus festis nos duodecimo harum responsionum nostrarum capitulo jam respondisse dignoscimur.

XLVI.

Jam vero si quadragesimali tempore liceat, si necessitas exigit, vel si non exigit ulla necessitas, ad bella procedere, non vobis est necessarium exponendum, cum ex priorum propositionum solutionibus quid vos conveniat agere, etiam nobis tacentibus, jam ipsi colligitis. Bellorum quippe ac prælиorum certamina, nec non omnium jurgiorum initia diabolicæ fraude sunt artis profecto reperta, & dilatandi regni cupidus, vel iræ, vel invidiæ, vel alius cujuspiam vitii dilector tantum his intendere, seu delectari convincitur. Et ideo, si nulla urgeat necessitas, non solum quadragesimali tempore, sed omni est prælиis abstinendum. Si autem inevitabilis urget opportunitas, nec quadragesimali est tempore pro defensione tam sua, quam patriæ, seu legum paternarum, bellorum procul dubio præparationi parcendum; ne videlicet Deum videatur homo tentare, si habet quod faciat, & suæ ac aliorum saluti consulere non procurat, & sanctæ religionis detrimenta non præcavet. Porro muri Jerico filiis Israel, qui sabbatum jam observandum susceperant, etiam sabbato urbem circumeuntibus & tubis clangentibus ad terram protracti sunt. De bello tempore quadragesimæ. *Jos. 6.*

XLVII.

Consulitis si liceat in quadragesimali tempore jocis vacare; quod non solum in quadragesimali, verum etiam in nullo tempore licitum est Christianis; sed quia vobis, qui in montem nondum ascendere tamquam infirmi potestis, ut inde sublimia mandata Dei percipiatis, sed in campestribus, quemadmodum filii quondam Israel, positis estis, ut saltem ibi plana, & minora quæque præcepta sumatis, necdum possumus suadere, ut omni tempore jocis abstineatis, & quadragesima, ac jejunii tempore, quando peramplius & instantius orationi & abstinentiæ, & omnimodæ pœnitentiæ sicut longe superius exposuimus, vacare debetis, non solum jocis, verum etiam ab omni vaniloquio, & scurrilitate, quæ ad rem non pertinent, atque ab ipso otioso verbo, ut in evangelio Dominus dicit: *Quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem*: si de otioso, quanto magis de noxio & criminoso? nulla ergo vos voluptatum, & jocorum, & maxime in tempore jejuniorum, vanitas seducere valeat; non enim lamenta cum jocis conveniunt, & fallax, ac deceptrix lætitia, veraces lacrymas producere nescit in proximo: præterea est judex, qui dixit: *Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis*; hinc Salomon ait: *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat*; hinc iterum dicit: *Risum reputavi errorem, & gaudio dixi: Quid frustra deciperis?* Hinc rursus ait: *Cor sapientium, ubi tristitia est; & cor stultorum, ubi lætitia*: gratum namque Deo sacrificium est afflictio contra pec- De jocis in quadragesima interdictis. *Matth. 12. Luc. 6. Prov. 14. Eccl. 2. Ibidem.*

Psal. 50. catum, Psalmista testante, qui ait: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.*

XLVIII.

Nuptiæ in quadragesima fieri prohibentur. Unde nec uxorem ducere, nec convivia facere in quadragesimali tempore convenire posse nullatenus arbitramur. Iterum quid hinc sacri canones dicant episcopo vestro docente scietis.

XLIX.

De dote. Præterea scicitamini, si licet exhibere vobis quemadmodum prius in dotem conjugibus vestris aurum, argentum, boves, equos, *&c.* quod quia nullum peccatum est & leges hoc connivent, & nos ut fiat minime prohibemus; & non solum hoc, verum etiam quidquid ante baptismum egistis, & nunc quoque vobis agere profecto conceditur.* Nam piscatorem Petrum, Matthæum vero teloniarium scimus, & post conversionem suam Petrus ad piscationem rediit, Matthæus vero ad telonii negotium non resedit, quia & aliud est victum per piscationem quærere: aliud telonii lucris pecunias augere. Sunt enim pleraque negotia, quæ sine peccato exhiberi aut vix, aut nullatenus possunt, ad illa ergo tantum, quæ ad peccatum implicant, necesse est ut post conversionem animus non recurrat: quod vero quisque ante conversionem sine peccato exercuit, hoc eum post conversionem repetere non est culpa.

* S. Gregorius hom. 24. in evangelia.

L.

De abstinentia conjugatorum in quadragesima. Quid de eo, qui de quadragesimali tempore cum uxore sua coierit, sit judicandum, episcopi vestri, & sacerdotis qui ab eo constituetur, arbitrio considerandum, ac diffiniendum committimus, qui singulorum mores agnoscere poterunt; & uniuscujusque vestrum causas libratis personis, ac temporibus discernere, seu moderari debebunt. Porro cum ea eodem tempore sine aliqua contaminatione dormire omnino liceret, si ignis, & palea sine læsione communionem aliquam habuissent, vel si diabolicæ fraudis astutiæ nescirentur: nam ubi masculus cum femina pariter conversantur, difficile est insidias hostis antiqui deesse, quę nimirum non defuere, ubi solitaria fratris & sororis, Amnonis scilicet & Thamar, extitit parvissimo spatio commoratio.

2. *Reg.* 13.

LI.

De polygamia. Si liceat uno tempore habere duas uxores exquiritis, quod si non licet, scire cupitis, apud quem inventum fuerit, quid exinde facere debeatis. Duas tempore uno habere uxores, nec ipsa origo humanæ conditionis admittit, nec lex Christianorum ulla permittit. Nam Deus, qui fecit hominem, ab initio masculum unum fecit & unam feminam tantum, cui potuit utique si vellet duas uxores tribuere, sed noluit; scriptum quippe est: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ*, non dixit, uxoribus, & iterum: *Erunt duo in carne una*, masculus scilicet & femina in carne una, & non tres aut plures. Itaque apud quem uno tempore duæ uxores inveniuntur, iterim priori retenta posteriorem cogatur amittere: insuper & pœnitentiam quam loci sacerdos * prævideri, compellatur suscipere. Denique hoc tam immane scelus est, ut homicidii quidem peccatum, quod Cain in Abel fratrem suum commisit, septima generatione cataclysmo vindicatum fuerit; adulterii autem flagitium, quod Lamech omnium primus in duabus uxoribus perpetravit, non nisi sanguine Christi abolitum extiterit, qui septima & septuagesima generatione secundum evangelium luxerit in mundum.

Gen. 2.

Ibidem.

præceperit. Ut cap. 78. *consideravit.* H.

Gen. 4.

LII.

Si nosse desideratis quid de his qui quemlibet eunuchizant judicandum sit, paginas legum revolvite.

LIII.

Consulitis si licet super mensam, in qua sacerdos, aut diaconus deest, vexillum sanctæ crucis imprimere & comedere: quod procul dubio licet, nam omnibus datum est, ut & omnia nostra hoc signo debeamus ab insidiis munire diaboli, & ab ejus omnibus impugnationibus in Christi nomine triumphare: supereſt tantum, ut cum potior adest, inferior hoc sibi nisi jussus non audeat arrogare: quoniam *Non est discipulus super magistrum*, & iterum præcipit apostolus dicens: *Honore invicem prævenientes.*

De heredi ctione me æ.

Matth. 10.

Rom. 12.

LIV.

De humi tate quam postulat or tio.

Dicitis quod Græci fateantur quod in ecclesia qui non constrictis ad pectus manibus steterit, maximum habeat peccatum: hoc ut fieret præceptum fuisse nusquam, ni fallimur, invenitur, ac per hoc, nisi fiat, peccatum non est: nam quidam faciunt hoc, quidam illud, nunc isti hoc genus humilitatis, nunc illud ostentant: nisi forte qui pertinaciter recusat facere, quod omnes viderit facientes. Verum & hoc, & multa in diversis locis alia humilitatis indicio fiunt, & hoc, cum fit, non nisi humilitatis gratia fit, & revera scriptum est: *Oratio humiliantium se nubes penetrabit*, proinde sive hoc, sive aliud quid humilitatis excogitare potest homo, non est reprehendendus, quia secundum evangelium, *qui se humiliat, exaltabitur.* Si enim quis ante principem mortalem veniens cum omni reverentia & timore stat, loquitur, & incedit, quanto potius eum qui ante Deum, qui est æternus, terribilis, & excelsus, accesserit, cum omni pavore ac tremore non solum stare convenit, sed & quasi servum semetipsum in conspectu ejus humiliter præsentare, & quia quorumdam in evangelio reproborum ligari manus, & pedes præcipiuntur, quid aliud isti agunt qui manus suas coram Domino ligant, nisi Deo quodammodo dicunt, Domine ne manus meas ligari præcipias, ut mittar in tenebras exteriores: quoniam jam ego eas ligavi, & ecce ad flagella paratus sum? Hinc etiam pectus percutimus signantes videlicet, quod nequiter egimus, displicere nobis, ac ideo antequam Deus feriat, id nos in nobis ipsis ferire, & antequam ultio extrema veniat, commissum pœnitentia digna punire.

Psalm. 50.

Luc. 18.

Matth. 2

Quid in cleſia G corum, nus ad stus con stringere guificet.

Quid in stra pe percutere

LV.

Jam vero quod asseritis, Græcos vos prohibere communionem suscipere sine cingulis, quibus sacræ scripturæ testimoniis hoc prohibere jure probentur, nos penitus ignoramus, nisi forte illo quo Dominus præcipit dicens: *Sint lumbi vestri præcincti.* Verum hoc sancti evangelii testimonium non per litteram, sed per spiritum oportet impleri. Nam si ad hoc istud præceptum est ut taliter servaretur, cur non fiunt pariter quæ sequuntur, ut *lucernæ ardentes?* & sicut agnum comedentibus jubetur, ut baculum in manibus teneant? habent suum ista mysterium, & intelligentibus ita clara sunt, ut ea magis, qua decet, significatione serventur. Nam in lumborum præcinctione castitas, in baculo regimen pastorale, in lucernis ardentibus bonorum splendor operum, de quibus dicitur: *Sic opera vestra luceant*, indicatur. Rudes ergo fidelium mentes, ut sanctus & egregius propugnator ecclesiæ papa Cælestinus scribit cujus hæc summatim verba mutuati sumus, ad talia non debemus inducere, docendi enim sunt potius, quam illudendi, nec imponenda eorum oculis, sed mentibus infundenda præcepta sunt.

Luc. 12.

Exod. 18.

Matth. 5.

In epist.

LVI.

De oratio & jejunio

Nosse vos velle asseveratis, si liceat omnibus ve-

vestris præcipue tempore siccitatis, ad pluviam postulandam jejunium & orationem facere, vobis quidem hoc agere licet: quoniam jejunium & oratio magnæ * virtutes sunt, & ad has jugiter faciendas vestra multum valet hortatio; sed congruentius est si hæc per episcoporum dispositionem fiant: ipsi namque sunt qui ligandi, solvendique potestatem accipiunt, ad horum vocem populi Dei castra moventur, & requiescunt: sine his tamquam sine capite fore videmini, & quasi oves errantes, & non habentes pastorem incedetis. Siquidem in talibus prisco tempore, quod nunc quoque sancta tenet ecclesia, sacerdotum præcedebat institutio, & omnis penitus ordinatio, & tunc reliquæ plebis subsequebatur assensus, ac per hoc ordine debito custodito, & unanimitate servata, Deo largiente voti præstabatur effectus.

Forte, *rtutis*. H.

LVII.

Græcos vetare perhibetis eunuchos animalia vestra mactare, ita ut eum qui ex animalibus ab illis occisis comederit, grave commisisse peccatum affirment. Sed nobis valde absonum est, & adhuc frivolum sonat, quod dicitur. Porro quia ratiocinationem ista dicentium non audimus, nihil interim de assertione ipsorum nondum plene cognita decernere diffinitive valemus. Unum tamen scimus, quoniam si eunuchi præcepta Dei custodierint, ad regnum cælestе percipiendum nihil eis obesse membrorum poterit detruncatio, cum secundum apostolum in resurrectione omnes occurramus in virum perfectum, & per prophetam Dominus, si ejus mandata observaverint, eunuchis nonnulla læta promittat. Siquidem & ille eunuchus Æthiops a sancto Luca evangelista pro virtute & integritate vir appellatur dum dicit: *Et ecce vir Æthiops eunuchus potens Candacis reginæ.*

De superstitionibus.

phes. 4.

a. 56.

ct. 8.

LVIII.

Utrum velato an nudato capite mulier in ecclesia stare debeat, apostolus docet: *Mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum; unum est enim ac si decalvetur, nam si non velatur mulier, tondeatur; si vero turpe est mulieri tonderi aut decalvari, velet caput suum*, & iterum: *Ideo*, inquit, *debet mulier velamen habere super caput propter angelos*; id est, sacerdotes, & rursus ait: *Vos ipsi judicate, decet mulierem non velatam orare Dominum? nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi: mulier vero si comam, gloria est illi? quoniam capilli pro velamine ei dati sunt.*

Mulieres velato capite rare in ecclesia debeant. *Cor.* 11.

LIX.

Quod de femoralibus scisitamini, supervacuum esse putamus; nos enim non exteriorem cultum vestium vestrarum, sed interioris hominis mores in vobis mutari desideramus, nec quid induatis præter Christum, *quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis*; sed quomodo in fide, ac bonis operibus proficiatis inquirimus. Verum quia simpliciter de his interrogatis, verentes videlicet ne vobis in peccatum imputetur, si præter aliorum consuetudinem quid saltem in minimis agitis Christianorum: ne quid desiderio vestro subtrahere videamur, dicimus, quoniam in libris nostris jussa sunt femoralia fieri, non ut his mulieres uterentur, sed viri: nunc autem, ut quemadmodum a veteri ad novum transistis hominem, ita de priori consuetudine ad morem nostrum per omnia transeatis facite; sin autem, quod placet agite. Nam sive vos, sive feminæ vestræ, sive deponatis, sive induatis femoralia, nec saluti officit, nec ad virtutum vestrarum proficit incrementum. Sane quoniam diximus jussa fuisse femoralia fieri, notandum est, quia nos spiritualiter induimur femoralibus, cum carnis libidinem per abstinentiam coarctamus: nam illa loca femoralibus constringuntur, in quibus luxuriæ sedes esse noscuntur, quamobrem fortasse primi homines post peccatum in membris suis illicitos sentientes motus ad arboris ficulneæ folia concurrentes sibi perizomata texuerunt; sed hæc spiritualia sunt, quæ hactenus portare non poteratis, *sed necdum*, ut cum apostolo dicam, *poteratis*; *adhuc enim estis carnales*; & ideo hinc perpauca diximus, cum plura Deo donante dicere valeremus.

De femoralibus. *alat.* 3. *Gen.* 3. 1. *Cor.* 3.

LX.

Consulentibus vobis si liceat absque jejuniorum tempore quantulumcumque valde mane comedere: Respondemus, quoniam neminem patrum nostrorum ante horam diei tertiam manducasse, nec sancta ecclesia ante horam hanc traditionem sumendi cibum accepisse recolimus, vel monumentis quibuscumque reperimus: e contrario vero quosdam eorum usque ad vesperum, alios autem usque ad nonam horam diei: porro alios usque ad sextam invenimus jejunasse: nullum autem mane cibi quantulumcumque sumpsisse comperimus, cum potius *Væ* dictum qui mane comedunt fuisse legerimus. Quamobrem ab isto maledicto vos alienos esse desiderantes hortamur, ut ante horam diei tertiam nullum omnino corporalem cibum etiam in ipsis insignibus sollemnitatibus omnino sumatis: nam quæ sollemnitas potest esse pentecoste sublimior, in qua Spiritus sanctus super apostolos descendit, ac per hoc homines meruerunt in se suscipere Dominum? In ista nempe festivitate sancti apostoli cum aliis nonnullis hora diei tertia reperiuntur fuisse jejuni, cum repletos Spiritu sancto, & loquentes omnium gentium linguis quibusdam incredulis audientibus, & obstupescentibus, & quod musto essent repleti ii, qui simul aderant falso dicentibus: Petrus apostolorum princeps responderit, dicens: *Non enim, sicut vos æstimatis, ebrii sunt isti, cum sit hora diei tertia*, ubi notandum, quod non solum apostoli, sed & omnes qui cum ipsis erant, id est, centum viginti viri, super quos Spiritus sanctus cecidit, hora diei tertia jejuni reperiantur. Simul etiam notandum, quod non dixerit beatus Petrus simpliciter: *Non, sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt*, sed addiderit: *cum sit hora diei tertia*; ac si patenter diceret; ipsi liquido nostis, quod non sit istis consuetudini ante horam diei tertiam jejunium solvere, quamobrem frustra illos ebrios esse putatis. Imitamini itaque hos, ut Spiritus sanctus, & si non tardius, saltem hora tertia diei vos jejunos inveniens, sicut istos, vos quoque inspiratione suæ gratiæ repleat.

De hora sumendi cibum. *Isa.* 5. *Act.* 2.

LXI.

De cetero scire vos velle significatis, quot vicibus laicalis persona per unumquemque diem orationem facere debeat, in quo scire vos convenit, neminem exceptum esse ab eo, quod Dominus in evangelio dicit: *Oportet semper orare*, & *non deficere*, & apostolus: *Sine intermissione orate*; quod saniissime præfato sancto Augustino docente, sic accipitur, ut nullo die intermittantur certa tempora orandi; quæ autem sint hæc certa tempora orandi, quæ nullo die prætermitti debeant, quærite & invenietis.

De assiduitate orationis. *Joan.* 18. 1. *Thess.* 5.

LXII.

Refertis quod lapis inventus sit apud vos antequam Christianitatem susceperitis, de quo si quisquam ob aliquam infirmitatem quid accipit, soleat aliquoties remedium corpori suo præbere: aliquoties vero sine profectu remanere; quod utique etiam de illo lapide, qui nunquam sumentibus quotidie certum est evenire videlicet, ut alii

De superstitionibus.

quidem ab ægritudine ſua remedium ſanitatis recipiant, alii vero infirmitate tabeſcant. Quamobrem nos tamquam * erroris vobis conſulentibus utrum de cetero ſit agendum an reſpuendum, reſpondemus, & decernimus, quatenus omnis ejuſdem lapidis ſumptus penitus prohibeatur, & omnimodis refutetur, & in ſolo illo lapide Domino noſtro Jeſu Chriſto, quem reprobavere ædificantes, hic factus eſt in caput anguli, ſpes totius ſalutis humanæ ponatur, & tamquam a fortiſſimo recuperandæ fortitudinis noſtræ remedium expectetur, ad quem vos accedere, & in eo fiduciam omnem locare beatiſſimus primus apoſtolorum Petrus per epiſtolam ſuam hortatur, dicens: *Ad quem accedentes lapidem vivum ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum & honorificatum; & ipſi tamquam lapides vivi ſuperædificamini in domum ſpiritalem.*

* Vox illa, *erroris*, aut eſt corrupta, aut ſuperflua. *Hard. Matth.* 21.

1. Petr. 2.

LXIII.

De abſtinentia conjugatorum in dominico die.

Conſulitis præterea, ſi liceat viro dominico nocturno, vel diurno tempore cum uxore ſua conjungi, aut dormire, quibus reſpondemus: quoniam ſi dominico die ab opere mundano ceſſandum eſt, ſicut ſupra docuimus, quanto potius a voluptate carnali, & omnimoda corporis pollutione cavendum? præſertim cum dominici diei nomen, quod nihil eodem die præter quæ Domini ſunt Chriſtianus agere debeat, liquido manifeſtet. Porro idipſum eſt de nocturno ipſius diei quod de diurno tempore ſentiendum. Unus eſt enim dies, qui tam diurno, quam nocturno ſpatio conſtat, viginti quatuor horas habens. Nam niſi tam abſentia quam præſentia ſolis unus exiſteret dies, nequaquam ſcriptura diceret: *Factum eſt veſpere & mane dies unus*: jam vero ſi dormiendum ſimpliciter eodem ſit tempore cum uxore propria, quinquageſimo harum reſponſionum noſtrarum capitulo quod ſenſimus, curſim jam intimavimus. Porro, ut verbis utar apoſtoli, *hoc ad utilitatem veſtram dico, non ut laqueum vobis injiciam, ſed ad id quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi.*

Gen. 1.

2. Cor. 7.

LXIV.

De abſtinentia conjugatorum poſt partum.

Epiſt. lib. 12. epiſt. 31.

Quot diebus viro, poſtquam mulier filium genuerit, ab ea ſit abſtinendum, non adinventionibus noſtris, ſed verbis beatæ memoriæ Gregorii Romani pontificis, & Anglorum gentis apoſtoli declaratur, qui Auguſtino epiſcopo, quem in Saxoniam ipſe direxerat, ſcribens inter cetera dixit: Ad ejus vero, (id eſt mulieris) concubitum vir ſuus accedere non debet, quoadusque proles quæ gignitur, ablactetur. Prava autem in conjugatorum moribus conſuetudo ſurrexit, ut mulieres filios quos gignunt, nutrire contemnant, eoſque aliis mulieribus nutriendos tradant; quod videlicet ſola cauſſa incontinentiæ videtur inventum, qui dum ſe continere nolunt, deſpiciunt lactare quos gignunt.

LXV.

De ſacra communione a jejunis percipienda, & de ſanguinis fluxum patientibus non arcendis.

Tunc recte non licet cuilibet communionem Chriſti percipere, quando gulæ deditus non invenitur jejunus, adeo ut myſticam menſam parvipendens prius cibi laici ſumptu jejunium ſolviſſe videatur, Chriſtique venerandum corpus ac pretioſum ſanguinem a ceteris non diſcernens alimentis non præpoſuiſſe omni humanæ refectioni, ſed poſtpoſuiſſe noſcatur. Remedium quippe ſalutiferum eſt corpus Chriſti contra peccatum, & qui hoc ante omnem eſcam veneranter non ſumit *. Et certe quotidie medicos vacuis viſceribus ſua cernimus pocula propinare: & ſi hoc pro ſanitate corporis agitur, quanto potius eſt pro animæ ſalute patrandum? Ceterum quamobrem non debeat is, cui ſanguis ex ore vel naribus profluxerit, corpus ac ſanguinem Chriſti percipere, regula nulla docet. Nam quod invitus quis patitur, in culpam ei non debet imputari, ac per hoc nec a participatione tanti remedii coerceri: novimus namque, quia mulier quæ fluxum patiebatur ſanguinis, poſt tergum Domini humiliter veniens veſtimenti ejus fimbriam tetigit, atque ab ea ſtatim infirmitas receſſit. Si itaque mulier hæc in fluxu ſanguinis poſita veſtimenti dominici tactu non judicatur indigna, immo ipſius Domini, nam ipſe dixit: *Tetigit me aliquis*; cur ei qui ſanguinis ex ore vel naribus fluorem ſuſtinet, non liceat ſalutifera Chriſti ſacramenta percipere?

* huius loci pars altera deeſt.

Matth.

LXVI.

De ſuperſtitionibus. * Forte, quod. H

Græcos prohibere vos aſſeritis cum ligatura lintei quam in capite geſtatis, eccleſiam intrare; * quos nos quoque ſimiliter non abs re forſitan inhibemus: nam ſæpe memoratus, ac ſemper memorandus apoſtolus Paulus ait: *Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput ſuum.* Et iterum: *Vir quidem non debet velare caput, quoniam imago & gloria eſt Dei*; quod enim de velamine dici, etiam de ligaturæ volumine debet, credimus, obſervari.

1. Cor. 1

LXVII.

De jurejurando.

Perhibetis vos conſuetudinem habuiſſe, quotieſcumque aliquem jurejurando pro qualibet re diſponebatis obligare, ſpatham in medium afferre, & per eam juramentum agebatur: nunc autem per quos jurare debeatis a nobis juberi depoſcitis. Sed nos ante omnia non ſolum per ſpatham, verum etiam per aliam omnino conditam ſpeciem jurari judicamus indignum. Per quem enim quis jurat, profecto & diligit & veneratur, ſed & fiduciam ſuam ei firma ſtabilitate commendat: quamobrem per Deum jurandum eſt, qui ab hominibus diligendus & venerandus, & in quo omnis ſpes & fiducia eſt locanda, & a quo præcunctis creaturis eſt ſemper auxilium expectandum, nam cum a Domino per cælum, terram, caput & Jeruſalem non jurare jubetur, nil niſi ut per creaturam juretur, procul dubio inhibetur. Quod autem per Dei nomen jurare præcipiamur, ipſo jubente didicimus. Sane poſſumus per eas dumtaxat creaturas jurare, quæ divinis ſunt cultibus deputatæ, ut eſt templum & altare, in quibus qui jurat, jurat in ipſis, & qui habitat in ipſis, & ſi quæ ſunt talia. Quapropter jure per evangelium jurandum eſt, in quo quidquid continetur, nihil niſi Dei, qui in eo ſcribitur, & legitur eſſe, profecto dignoſcitur: ipſum eſt enim lex noſtra, ipſum teſtamentum noſtrum, quod legifer & teſtator Dominus & redemptor noſter electis ſuis diſpoſuit, & ſi hoc amamus per ipſum etiam juramus; etenim omnis vera qui dicit, per eum jurat quem amat; nos ergo ſi per evangelium juramus, & teſtatorem, & ipſum teſtamentum diligere comprobamur, & ab ejus mandatis nos nolle recedere procul dubio ſignificamus.

LXVIII.

De purgatione poſt partum.

Requiſiſtis poſt quot dies mulier poſſit eccleſiam intrare poſtquam genuerit: in quo nos prædeceſſoris noſtri beati Gregorii papæ veſtigia ſequentes, eadem quæ ipſe decernimus, qui pro nova gente ſicut nos modo inſtruenda ſcribens, inter alia dixit; Si mulier hora eadem qua genuerit, actura gratias intret eccleſiam, nullo peccati pondere gravatur: voluptas enim carnis, non dolor in culpa eſt; in carnis autem commixtione voluptas eſt; nam in prolis prolatione gemitus, unde & ipſi primæ omnium matri dicitur: *In*

S. Gregor. epiſt. lib. 11. epiſt. 31.

do-

doloribus paries: si ergo enixam mulierem intrare ecclesiam prohibemus, ipsam ei pœnam in culpam deputamus. *Can. 3.*

LXIX.

De tempore conferendi baptismum. Quot vicibus per totum annum baptismata celebrari debeant, vel si eodem die licitum sit carnes comedi, vel quot in consequentibus ab his sit abstinendum, requiritis. Insignia igitur anni sive sollemnia tempora, quibus baptismata celebrantur, secundum canones, duo sunt, paschæ scilicet & pentecostes. Verum circa vos nulla sunt in baptizando tempora penitus observanda; quemadmodum nec erga eos qui mortis vicinæ periculum metuentes tanto lavacro purgari desiderant: a carnibus autem ipso die iis qui sabbato sancto, vel sabbato pentecostes baptizati fuerint, abstinere procul dubio convenit: consequentibus vero septem diebus, qui a veteribus dies azymorum dicebantur, & diei resurrectionis dominicæ * convincti rite celebrantur, si quisquam quandocumque carnibus vesci affectat, multo magis edere carnes oportet.

* conjuncti.

LXX.

De presbytero uxorem habente: 28. dist. c. Consul. *Matth. 5.* Consulendum decernitis, utrum presbyterum uxorem habentem debeatis sustentare & honorare, an a vobis projicere: quo respondemus, quoniam licet ipsi valde reprehensibiles sint, vos tamen Dominum imitari convenit, *qui solem suum, ut evangelium testatur, oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos*. Dejicere vero eum a vobis ideo non debetis, quoniam nec Judam Dominus, cum esset mendax discipulus, de numero apostolorum dejecit. Verum de presbyteris qualescumque sint, vobis, qui laici estis, nec judicandum est, nec de vita ipsorum quidpiam investigandum, sed episcoporum judicio quidquid est, per omnia reservandum.

LXXI.

De malis sacerdotibus sacramenta ministrantibus. Scisitantibus vobis, si a sacerdote, qui sive comprehensus est in adulterio, sive de hoc fama sola respersus est, debeatis communionem suscipere, necne: respondemus, non potest aliquis quantumcumque pollutus sit, sacramenta divina polluere, quæ purgatoria cunctarum remedia contagionum existunt. Nec potest solis radius per cloacas & latrinas transiens aliquid exinde contaminationis attrahere: proinde qualiscumque sacerdos sit, quæ sancta sunt coinquinare non potest; idcirco ab eo usquequo episcoporum judicio reprobetur, communio percipienda est: quoniam mali bona ministrando se tantummodo lædunt: & cerea fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, aliis vero lumen in tenebris administrat, & unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet. Sumite igitur intrepide ab omni sacerdote Christi mysteria, quoniam omnia in fide purgantur. Fides est enim, quæ vincit hunc mundum, & quia non dantis, sed accipientis sit, docente sancto Hieronymo, ad credendum in omni anima baptismum esse perfectum, & in omni sacerdote corpus Christi esse perfectum, qui rursus sacræ scripturæ concordans ait: Priusquam audias, ne judicaveris quemquam atque ante probationem accusationis iliatæ, neminem a tua communione suspendas, quia non statim qui accusatur, reus est; sed qui convincitur, criminosus.

LXXII.

De episcopo illis ordinando. Requisistis si liceat in vobis patriarcham ordinari, sed de hoc nihil diffinitive respondere possumus, priusquam legati nostri, quos vobiscum mittimus, reversi fuerint, & nobis, quæ inter vos multitudo sit & unanimitas Christianorum, renuntient. Nam interim episcopum habetote, & cum incremento divinæ gratiæ Christianitas ibi fuerit dilatata, & episcopi per singulas ecclesias ordinati, tunc eligendus est inter eos unus, qui si non patriarcha, certe archiepiscopus appellandus sit; ad quem omnes concurrant, & cujus consilium in causis majoribus præstolentur; idipsum etiam apostolicis regulis præcipientibus, ac dicentibus: Episcopos gentium singularum scire convenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput existiment & nihil amplius præter ejus conscientiam gerant *&c.* *Can. apost. 34.*

LXXIII.

Episcopus a Romano pontifice primitus ordinandus. A quo autem sit patriarcha ordinandus interrogatis, & idcirco scitote, quia in loco ubi nunquam patriarcha vel archiepiscopus constitutus est, a majori est primitus instituendus: quoniam secundum apostolum minus a majori benedicitur, deinde vero accepta licentia, & pallii usu ordinat ipse sibi deinceps episcopos, qui successorem suum valeant ordinare. Vos tamen sive patriarcham, sive archiepiscopum, sive episcopum vobis ordinari postuletis, a nemine nunc velle congruentius, quam a pontifice sedis beati Petri, a quo & episcopatus & apostolatus sumpsit initium, hunc ordinari valetis, in quo hic est ordo servandus, ut videlicet a sedis apostolicæ præsule sit nunc vobis episcopus consecrandus, qui, si Christi plebs ipso præstante crescit, archiepiscopatus privilegia per nos accipiat; & ita demum episcopos sibi constituat, qui ei decedenti successorem eligant: & propter longitudinem itineris non jam huc consecrandus qui electus est veniat: sed hunc episcopi, qui ab obeunte archiepiscopo consecrati sunt, simul congregati constituant: sane interim in throno non sedentem, & præter corpus Christi non consecrantem, priusquam pallium a sede Romana percipiat, sicuti Galliarum omnes, & Germaniæ, & aliarum regionum archiepiscopi agere comprobantur, *Hebr. 7.*

LXXIV.

Omni loco orandum. Scisitamini si cœpta oratione nuntius venerit de hostibus, ac ideo ipsam orationem consummare nequiveritis, quid vobis agendum sit? Quid aliud utique, nisi ut bonum, quod cœpistis, quocumque vos perrexisse contigerit, perficiatis? nam non est Christianis unus locus orationis, sicut Judæis erat Hierosolymis; & veluti Samaritanis in monte Garizim, sed in omnibus locis, quemadmodum & apostolus ait: *Volo ergo viros orare in omni loco levantes puras manus*. Præterea qui in bono opere perseveraverit in finem, hic salvus erit; præcipue eo tempore, quando contra inimicorum itur incursus; & oratione, sicut jam supra diximus, magis quam armis expectari debet ab hoste triumphus. *1. Tim. 2.*

LXXV.

Judicium pœnitentiæ, quod postulatis, episcopi nostri quos in patriam vestram misimus, in scriptis secum utique deferent; aut certe episcopus, qui in vobis ordinabitur, hoc cum oportuerit, exhibebit; nam sæculares tale quid habere non convenit, nimirum quibus per id quemquam judicandi ministerium nullum tribuitur.

LXXVI.

Similiter & de codice ad faciendas missas asserimus.

LXXVII.

De superstitionibus. Refertis quod Græcorum quibusdam codicem accipientibus in manibus clausum, unus ex eis accipiens parvissimam particulam ligni, hanc intra ipsum codicem condat, & si undecumque aliqua vertitur ambiguitas: per hoc affirment scire se posse quod cupiunt. Vos vero consulitis, si sit hoc tenendum, an respuendum, utique respuendum; scriptum est enim: *Beatus vir cujus est nomen* *Psal. 39.*

nen Domini spes ejus: & non respexit in vanitates, & insanias falsas.

LXXVIII.

De pœnitentibus recipiendis.

Enarratis quod populus ille qui propter Christianam religionem ad occidendum vos insurrexere, pœnitentiam agere voluerit, & sacerdotes illi, qui inter vos advenæ sunt, hanc recipere recusarint: nunc autem requiritis, quid de eis agendum sit. Si quemadmodum asseritis, sponte pœnitentiam agere volunt, non sunt prohibendi, sed per omnia pœnitentiæ submittendi, quam episcopus, vel presbyter ordinatus ab illo consideraverit: Nam non suscipere pœnitentes, non est catholicorum, sed Novatianorum.

LXXIX.

De superstitionibus.

Perhibentes quod moris sit apud vos infirmis ligaturam quamdam ob sanitatem recipiendam ferre pendentem sub gutture, requiritis, si hoc agi nos de cetero jubeamus; quod non solum agi non jubemus, verum etiam ne fiat, modis omnibus inhibemus: hujusmodi quippe ligaturæ, phylacteria dæmonicis sunt inventa versutiis, & animarum hominum esse vincula comprobantur, ac ideo his utentes anathemate apostolica decreta perculsos ab ecclesia pelli præcipiunt.

LXXX.

De pace ineunda.

Cum generatione, quæ pacem vobiscum habere quærit, quomodo ad alterutrum pacem firmare, & custodire debeatis, inquiritis. Quæcumque gens vobis pacem offerre voluerit, vos nolite renuere, scriptum quippe est: *Pacem sequimini cum omnibus*. Et rursus: *Cum omnibus hominibus pacem habentes*: ubi *omnibus* sonat, nemo a mutua pace prorsus excipitur. Quomodo vero ipsa sit pax cum hujusmodi firmanda, vel custodienda, nisi gentis, cum qua pax ineunda est, mores & verba prænoscantur, facile diffinire non possumus.

Hebr. 12.

Rom. 12.

Verumtamen quia est laudabilis pax, est & pernicioſa, providendum est, ut in omni pacto Christus præponatur, ita ut lege ipsius, & præcipue fide illæsa persistente, fœdus, quod invicem pangitur, permaneat incorruptum: quam autem pacem sectari debeatis, Dominus manifestat, cum dicit: *Pacem meam do vobis*, cum eo igitur qui pacem Christi non habet, nec nos communionis habere pacem debemus; sed nec cum illo qui pacem idcirco postulat, ut liberius nociva committat.

Joan. 14.

LXXXI.

De pactis.

Percontati estis, si cum generatione, quæ Christiana est, fœdus interposito ex utraque parte jurejurando feceritis, & post hæc illi pactum dirumpere, & super vos insurgere voluerint; utrum & vos adire contra eos audeatis, an aliud quid agere debeatis. Verum omnis est necessitas toleranda, magis quam a nobis quælibet iniquitas perperranda: proinde fœdus quod pangitis, nulla est occasione violandum, nisi forte in confirmandi fœderis ipsius articulo interpositum est, quatenus hic una pars id foret observatura, si pars hoc altera nulla tergiversatione violasset; siquidem a Christiano genus omne mendacii summopere declinandum est propter illud, quod a Deo dicitur: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*. Et iterum: *Os quod mentitur, occidit animam*. Et apostolus: *Nolite*, ait. *mentiri invicem*. Jam vero si illi postposito juramento, diruptoque fœdere contra vos insurrexerint, quid vos oporteat agere, episcopus vester a vobis inquisitus respondeat, qui juxta positus & circumstantiam rerum, & temporum qualitatem, & mores personarum, & justitiam partium clare cognoscens, quod congruentius & salubrius esse perspexerit, tunc facilius poterit indicare, & quid agi conveniat cuncta prænoscens vobis pleniter intimare. Verum nos interim rebus incognitis satius admonemus, ut semper rogetis ea quæ pacis sunt.

Psal. 5.
Sap. 1.
Coloss. 3.

LXXXII.

De eodem.

Cum paganis autem quod sit Christiano pactum faciendum, apostolus indicat, qui nullam communionem luci ad tenebras, Christi ad Belial, fideli cum infideli dat intelligi debere prorsus existere. Verum si eo fidelis animo pactum cum infideli constituit, ut eum ad cultum veri Dei possit attrahere, non est prohibendum: quandoquidem apostolus etiam matrimonium, quod ex fideli constat & infideli, non inhibet permanendum; & Moyses cognatum suum ad Dei veri notitiam trahere volens, ejus societatem non aspernatur, sed comitatui suo ducem fore summopere deprecatur. Inveniuntur autem nonnulli sanctorum & fidelium cum alienigenis & infidelibus pacta & amicitiæ fœdera contraxisse diversa: sed eos non tamquam infidelitatem eorum, & superstitionem approbantes coluisse, sed tamquam in angarias diversis usibus implicasse & præcipue in terrenis eos quæstibus & servilibus occupasse.

1. Cor. 6.

2. Cor.

LXXXIII.

De judiciis criminalibus.

Si liceat vobis de criminalibus peccatis aliquem judicare consulitis: sed si nemo voluisset peccare, nemo debuisset aliquem judicare; at postquam peccatur, profecto & judicatur. *Scimus* enim, ut secundum apostolum dicamus, *quia justo lex non est posita, sed injustis, & non subditis, & impiis, & peccatoribus, sceleratis, patricidis, & matricidis, homicidis, fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, perjuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, quæ est secundum evangelium gloriæ beati Dei*: non autem vobis licet clericos judicare, cum vos magis ab ipsis conveniat judicari.

1. Tim. 1.

LXXXIV.

De eo qui falso aliquem accusat.

Requirendum a nobis ducitis, quid de eo judicandum sit, qui quemlibet falso criminatus fuerit, & postmodum accusator fallax apparuerit. De hoc quamvis venerandæ leges abunde quod justum est innuant; nos tamen potius cum apostolo vos ad misericordiæ viscera quam se Deus super sacrificium velle testatur, semper convenit exhortari; siquidem ipse cum gentes, quarum magister erat, doceret, non ad austeritatem legis, sed potius eas ad misericordiæ viscera provocabat dicens: *Induite vos ergo sicut electi Dei sancti & dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, & donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut & Dominus donavit vobis, ita & vos.*

Coloss. 3.

LXXXV.

Ergo similiter & circa eum, de quo scisciteamini, qui mortiferum quid homini dederit ad bibendum, vos ad misericordiam exhortamur, sicut & Dominus jubet, dicens: *Dimittite, & dimittetur vobis.*

Luc. 6.

LXXXVI.

De tormentis.

Si fur vel latro deprehensus fuerit, & negaverit quod ei impingitur; asseritis apud vos, quod judex caput ejus verberibus tundat, & aliis stimulis ferreis, donec veritatem depromat, ipsius latera pungat; quam rem nec divina lex, nec humana prorsus admittit, cum non invita, sed spontanea debeat esse confessio, nec sit violenter elicienda, sed voluntarie proferenda: denique, si contigerit vos etiam illis pœnis illatis, nihil de his, quæ passo in crimen objiciuntur, penitus invenire, nonne saltem tunc erubescitis, & quam impie judicetis agnoscitis? Similiter autem si homo

mo criminatus talia passus sustinere non valens dixerit, se perpetrasse quod non perpetravit; ad quem, rogo, tantæ impietatis magnitudo revolvitur, nisi ad eum qui hunc talia cogit mendaciter confiteri? quamvis non confiteri noscatur, sed loqui; qui hoc ore profert, quod corde non tenet. Relinquite itaque talia, & quæ hactenus insipientes exercuistis, medullitus execramini, quem enim fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Porro cum liber homo crimine fuerit appetitus, nisi jam pridem repertus est alicujus sceleris reus, aut tribus testibus convictus pœnæ succumbit, aut si convinci non potuerit, ad evangelium sacrum, quod sibi objicitur, minime commisisse jurans absolvitur; & deinceps huic negotio finis imponitur, quemadmodum crebro dictus apostolus doctor gentium attestatur: *Omnis*, inquiens, *controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum*.

ebr. 6.

LXXXVII.

De non cogendis viris monasterium ingredi.

Utrum si mulierem viduam nolentem vitam monasticam suscipere, quis monacham fecerit, peccatum committat, inquiritis: sed in hoc sciendum est, quoniam aliæ sunt virtutes, sine quibus ad vitam ingredi non possumus, aliæ vero sunt, quæ non nisi ab sponsore requiruntur; sine humilitate quippe, castitate & eleemosynis, & orationibus nullus ad vitam ingredi valet, & ista sunt cum his similibus, quæ requiruntur ab homine. Monachicum autem habitum induere, ac vitam remotam ducere, nonnisi a spondente divinitus exiguntur. Unde quisquis vim intulerit alicui, ut monasticum habitum, & vitam remotiorem, quam non optavit, nec elegit, assumat; hic tanquam violentus peccatum evadere non valet: & quoniam quod agitur, ex accipientis voto non venit, nec accipiens religiosum habitum inde mercedem habet, nec inferens crudelitatis suæ judicio carebit.

LXXXVIII.

Pro quibus mortuis non orandum.

Pro parentibus vestris, de quibus consulitis, qui infideles mortui sunt, propter peccatum incrudelitatis orare non licet, secundum illud Joannis apostoli dicentis: *Est peccatum ad mortem, non dico ut oretur pro eo*, peccatum quippe ad mortem est in eodem peccato morientibus.

Joan. 5.

LXXXIX.

De primitiis.

Fruges novas & rerum offerre primitias etiam veteribus moris erat, quod pene in ipso initio mundi Abel & Cain egisse legimus.

XC.

De superstitionibus.

Animalia sive volatilia, si sine ferro mactentur, & solo ictu hominis percussa moriantur, si liceat comedi scisscitamini. De hoc sanctus Augustinus contra Faustum Manichæum pleniter scripsit, de cujus verbis nos modicum quid nunc propter prolixitatem tangimus: Ubi, inquit, ecclesia gentium talis effecta est, ut in ea nullus Israelita carnalis appareat: quis jam hoc Christianus observat, ut turdos, vel minutiores aviculas, non attingat, nisi quarum sanguis effusus est, aut leporem non edat, si manu a cervice percussus nullo cruento vulnere occisus est; & qui forte pauci adhuc tangere ista formidant, a ceteris irridentur, ita omnium animos in hac retinuit illa sententia Veritatis: *Non quod intrat in os vestrum vos coinquinat, sed quod exit*.

Matth. 15.

XCI.

De vitanda communicatione infidelium.

Neque quod Christianus persequitur, & a pagano percutitur & occiditur animal, neque quod paganus persequitur, Christianus occidit, a Christiano comedendum est; ne videlicet fidelis cum infideli saltem in modico communicasse videatur: *quæ enim pars fideli cum infideli?* & rursus propter

2. Cor. 6.

propter conscientiam non fidelis utique, sed infidelis gloriantis scilicet se, quod sibi a Christiano fuerit communicatum, ac per hoc autumantis, eo quod non fuerit a fideli spretus, quod vanitas erroris sui a Christiano extiterit approbata.

XCII.

De patriarchis.

Desideratis nosse, quot sint veraciter patriarchæ. Veraciter illi habendi sunt patriarchæ, qui sedes apostolicas per successiones pontificum obtinent, id est, qui illis præsunt ecclesiis, quas apostoli instituisse probantur, Romanam videlicet, & Alexandrinam, & Antiochenam. Romanam, quam sanctorum principes apostolorum Petrus ac Paulus & prædicatione sua instituerunt, & pro Christi amore fuso proprio sanguine sacraverunt. Alexandrinam, quam evangelista Marcus discipulus & de baptismate Petri filius a Petro missus instituit, & Domino Christo cruore dicavit. Antiochenam, in qua conventu magno sanctorum facto, primum fideles dicti sunt Christiani, & quam beatus Petrus priusquam Romam veniret, per annos aliquot gubernavit. Constantinopolitanus autem & Jerosolymitanus antistites, licet dicantur patriarchæ, non tantæ tamen auctoritatis, quantæ superiores existunt. Nam Constantinopolitanam ecclesiam nec apostolorum quisquam instituit, nec Nicæna synodus, quæ cunctis synodis celebrior & venerabilior est, ejus mentionem aliquam fecit: sed solum, quia Constantinopolis nova Roma dicta est, favore principum potius, quam ratione patriarcha ejus pontifex appellatus est. Hierosolymitanus autem præsul, licet & ipse patriarcha dicatur, & secundum antiquam consuetudinem, ac Nicænam synodum honorandus sit; salva tamen metropoli propria dignitate: sed & in eadem sancta & magna synodo nequaquam Jerosolymitanus, sed Æliæ episcopus dicitur. Nam vera Jerusalem tantum in cælis est, quæ est mater nostra; illa vero Jerusalem terrestris, secundum quod Dominus prædixit, adeo funditus ab Ælio Hadriano imperatore Romano destructa est, ut in ea nec lapis super lapidem sit derelictus, & ab eodem Ælio Hadriano in alio est loco constructa; ita ut locus dominicæ crucis extra portam, nunc intra cernatur, & a prædicto Ælio Hadriano urbs illa Ælia vocitetur.

XCIII.

Secundus patriarcha Alexandrinus.

Porro quis patriarcharum secundus sit a Romano consulitis; sed juxta quod sancta Romana tenet ecclesia, & Nicæni canones innuunt, & sancti præsules Romanorum defendunt, & ipsa ratio docet, Alexandrinus patriarcharum a Romano papa secundus est.

XCIV.

Græcos dicere perhibetis, quod in illorum patria chrisma oriatur, & ab illis per totum mundum tribuatur: & ideo nosse desideratis, si verum sit: sed jam credimus, quod vestra solertia quam verum non sit animadvertit.

XCV.

De his qui ad ecclesiam confugiunt.

Quid de his agendum decernimus, qui pro quibuscumque culpis ad ecclesiam fugiunt, requiritis: sed quamvis ea sacri canones, quæ leges mundanæ sanciunt, custodienda flagitent, & leges circa quosdam immisericordes appareant: nos tamen qui non spiritum hujus mundi suscepimus, si quispiam ad ecclesiam fugerit, non illum nisi sua voluerit sponte, ab ea dicimus educendum. Denique si quondam latrones diversorum criminum rei ad asylum templum Romuli fugientes indemnitatem consequebantur; quanto potius hi qui ad templum Christi confugium faciunt, delictorum remissionem suorum adipisci debent, & jam sibi

sibi a suspecto juramento præstito omni pristinæ securitati restitui.

XCVI.

Quidquid mulier tua contra te cogitaverit, aut fecerit, vel si te accusaverit, non est, excepta causa fornicationis, rejicienda, vel odio prorsus habenda; quæ est, apostolo præcipiente, sicut a Christo ecclesia, diligenda; quanto autem hæreticorum ore Christus & accusatur, & in gentibus blasphematur, sed hos interim perversa prædicantes tolerat, & resipiscentes a misericordiæ gremio non repellit.

Matth. 5. *Ephes. 5.*

XCVII.

De servis, *Ephes. 6.*

Similiter & de servo, qui Dominum suum apud principes accusat, custodiendum est, cui secundum apostolum a Domino suo etiam minæ sunt remittendæ. Sed quid de servo dicimus, quando Dominus generaliter omnibus, & de omnibus præcipit: *Dimitte*, inquiens, *& dimittetur vobis?* & apostolus: *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat.* Ubi enim *alicui* interposuit, etiam servum comprehendit. Jam si non omnes comprehendisse dicis, audi, quod sequitur; *sed semper quod bonum est sectamini invicem in omnes.*

Luc. 6. *1. Thess. 5.*

XCVIII.

De eo qui seipsum occidit.

Si sit sepeliendus, qui seipsum occidit, vel si sit pro eo sacrificium offerendum, requiritis. Sepeliendus est quidem, ne viventium odoratui molestiam ingerat: non tamen est, ut aliis pavor incutiatur, solito cum obsequiis more ad sepulcra ferendus: sed & ii qui sunt qui ejus sepulturæ studio humanitatis obsequuntur; sibi non illi qui sui extitit homicida, præstare videntur. Sacrificium vero pro eo non est offerendum, qui non solum ad mortem usque peccavit, sed & mortis sibimet interitum propinavit. Quis enim magis peccatum ad mortem facit, pro quo Joannes apostolus dicit non orandum, quam is qui Judam imitatus sui ipsius homicida fuisse magistro diabolo comprobatur.

1. Joan. 5.

XCIX.

De sepultura. S. Greg. lib. 4. dialog. c. 50.

Si est Christianus intra ecclesiam sepeliendus, inquiritis. Hanc sanctus papa Gregorius quæstionem absolvit, dicens; Cum gravia peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis, si in ecclesiis sepeliantur; quod eorum proximi quoties ad eadem sacra loca conveniunt, suorum, quorum sepulcra aspiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt. Nam quos peccata gravia deprimunt, non ad absolutionem potius, quam ad majorem damnationis cumulum eorum corpora in ecclesiis ponuntur.

C.

Qui in prælio defunctus fuerit, utrum reportandus ad propria sit, si parentes ejus, aut socii ejus voluerint, ex præcedente capitulo potestis colligere. Siquidem idcirco, si voluerint propinqui, ad propria reportandus est mortuus, ut ejus tumulum intuentes proximi recordentur ipsius, & pro eo Domino preces fundant. Nam & sanctum Joseph tale quid de ossibus suis obiturum mandasse, sacra prodit historia.

Exod 13.

CI.

De eleemosynis erogandis. *Matth. 5* *Galat*

Quibus eleemosyna eroganda, investigatis; quod Dominus in evangelio manifeste demonstrat dicens: *Omni petenti te da;* & iterum patrem memorans ait: *Qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos:* & apostolus: *Dum*, inquit, *tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei*, id est, Christianos. Verumtamen est in eleemosyna facienda quidam ordo discretionis observandus, quem nos pleniter exponere studio nunc brevitatis omittimus. Sed quidnam hoc nomen

Galat 6.

signet, primitus indicemus: eleemosyna quippe Græce, Latine misericordia dicitur, & certe scriptum est: *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Ergo primum sibi debet homo præ ceteris eleemosynam facere: siquidem omnem regulam bene agendi a se debet homo incipere, placens scilicet Deo per munditiam mentis & corporis, ac per hoc sibi tribuens illum panem vivum, qui de cælo descendit. Deinde vero eleemosyna exhibenda est propinquis egestatem patientibus, sicut scriptum est: *Carnem tuam ne despexeris*: nam & ipsa natura docet nos de hoc: & quod ipse propinquo meo non exhibuero, quando extraneus exhibebit? deinde autem his maxime misericordia præstanda est, qui petere confunduntur. Sane notandum est; quia sunt nonnulli quibus nil conferri debet, sicut scriptum est: *Da bono, & ne receperis peccatorem:* & rursum: *Ne dederis impio*: & iterum: *Panem tuum & vinum super sepulturam justi constitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus.* Panem enim & vinum suum peccatoribus præbet, qui iniquis subsidia, pro eo quod iniqui sunt, impendit; qui vero indigenti etiam peccatori panem suum, non quia peccator, sed quia homo est, tribuit; nimirum non peccatorem, sed justum nutrit, qui in illo non culpam, sed naturam diligit: unde & nonnulli hujus mundi divites, cum fame crucientur Christi pauperes, effusis largitatibus nutriunt histriones.

Eccl. 30. *Isa. 58.* *Eccl. 12.* *Tob. 4.*

CII.

Non esse inferendam Pagano violentiam ut Christianus fiat, supra docuimus.

CIII.

De libris profanis, quos a Saracenis vos abstulisse, ac apud vos habere perhibetis, quid faciendum sit, inquiritis: qui nimirum non sunt reservandi; *Corrumpunt* enim, sicut scriptum est, *mores bonos colloquia mala*; sed utpote noxii & blasphemi igni tradendi.

De libris profanis. *1. Cor. 15.*

CIV.

De baptizatis a Paganis non rebaptizandis. De Conf. D. 4. c. 1. quodam. Ambros. lib. 2. de Spiritu sancto c. *Act. 2. & 8.*

A quodam Judæo, nescitis utrum Christiano, an Pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid de his sit agendum consulitis. Hi profecto si in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actibus apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut sanctus exponit Ambrosius,) constat eos non esse denuo baptizandos: sed primum utrum Christianus, an Paganus ipse Judæus extiterit, vel si postmodum factus fuerit Christianus, investigandum est, quamvis non prætereundum esse credamus, quid beatus de baptismo dicat Augustinus: Jam satis, inquit, ostendimus ad baptismum, qui verbis evangelicis consecratur, non pertinere cujusquam vel dantis vel accipientis errorem, sive de Patre, sive de Filio, sive de Spiritu sancto aliter sentiat, quam doctrina cælestis insinuat: & iterum: Sunt etiam quidam ex eo numero, qui adhuc nequiter vivant, aut etiam in hæresibus, vel in gentilium superstitionibus jaceant, & tamen etiam illic novit Dominus qui sunt ejus. Namque in illa ineffabili præscientia multi qui foris videntur intus sunt: & alio loco: Et jam corde tardiores, quantum existimo, intelligunt baptismum Christi nulla perversitate hominis sive dantis sive accipientis posse violari: & rursus: Potest tamen, ait, tradere separatus, sicut potest habere separatus, sed quam perniciose tradere; ille autem cui tradit, potest salubriter accipere, si ipse non separatus accipiat.

CV.

Consulentibus & instrui poscentibus vobis, quid de eo faciendum sit, qui super præcepta apostolica se efferens prædicare tentaverit, unus ex eis,

id

id est, Paulus respondet, & instruit dicens: *Sed licet nos, aut angelus de cælo evangelizet vobis præter quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Verumtamen cum hoc fit, non est passim nec a vobis, qui laici estis, temere judicandum, in multis enim offendimus omnes.

CVI.

Postremo deprecamini nos suppliciter, ut vobis quemadmodum ceteris gentibus veram & perfectam Christianitatem non habentem maculam aut rugam largiamur, asserentes quod in patriam vestram multi ex diversis locis Christiani advenerint, qui prout voluntas eorum existit, multa & varia loquuntur, id est, Græci, Armeni, & ex ceteris locis: quapropter juberi poscitis, utrum omnibus his secundum varios sensus eorum obedire, an quid facere debeatis. Verum nos in his non sumus sufficientes, sed sufficientia nostra ex Deo est: & beatus Petrus, qui in sede sua vivit, & præsidet, dat quærentibus fidei veritatem. Nam & sancta Romana ecclesia semper sine macula fuit, & sine ruga, nimirum quia ille hanc instituit, cujus fidei confessio divinitus extitit approbata, ad quam videlicet Christianitatis fidem, licet ejus mysteria consummate nullus intelligere valeat, vobis insinuandam, inspirante Deo, ecce scripta nostra, & missos ac diversos codices in patriam vestram destinavimus; & quousque radices roboris consequamini, vos rigare nullo modo desistemus, & quousque ad solidum perfectionis cibum perveniatis, vos saltem lacte potare nunquam penitus omittemus: nam gaudium meum, & corona mea vos estis in Domino. De his autem quos in patriam vestram de diversis locis advenisse perhibetis varia & diversa docentes, multa vobis jam scripsimus, & nunc scribere aliqua doctoris gentium suffragantibus sanctis eloquiis procuramus, qui inter Corinthios tales esse formidans, ajebat: *Timeo enim ne forte cum venero, non quales volo inveniam vos, & ego inveniar a vobis qualem non vultis, ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones in vobis sint.* Verumtamen quantum ad fidem rectam pertinet non curamus qui prædicent; sed quem prædicent: ipse quippe scripsit: *Quidam*, inquiens, *quidem & propter invidiam, & contentionem, quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant, quidam ex caritate, scientes quoniam in defensionem evangelii positus sum. Quidam autem ex contentione Christum annuntiant non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. Quid enim mihi est? dum omni modo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur, & in hoc gaudeo & gaudebo*: sed & qui hæc dixit, audite quid alibi dicat: *profana autem & inaniloquia devita; multa enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum ut cancer serpit.* Verumtamen in his omnibus aderit misericordia Dei missis nostris, & futuro episcopo vestro, qui vos instruant, & quid agere debeatis, abundanter erudiant: sed & illi sive nunc, sive post hæc semper in rebus dubiis & negotiis majoribus sedem totius ecclesiæ more consulent apostolicam, & ab illa instructi in quibus oportet, instituent, & quæ Dei sunt sedula prædicatione docebunt.

Hæc quidem suggestionibus sive quæstionibus vestris, prout Dominus dedit, respondimus, non quantum potuimus, sed quantum sufficere posse prævidimus. Cum autem episcopum Deo concedente per præsulatus nostri ministerium habueritis: ille vos docebit omnia, quæ ad officium suum pertinent, & si quæ sunt quæ non capiet, ab apostolicæ sedis auctoritate suscipiet. Deus autem qui in vobis salutem maximam operatus est, hanc perficiat, consolidet, & usque in finem stabiliat & corroboret. Amen.

DECRETA SEU RESCRIPTA

NICOLAI PAPÆ I.

Ex Gratiani volumine in unum collecta per Joannem Cochlæum, & in viginti titulos dispartita.

De constitutionibus ecclesiæ. Tit. I.

I.

IMperiali judicio non possunt jura ecclesiastica dissolvi: nec possunt imperatorum leges evangelicis & apostolicis, atque canonicis decretis, quibus postponendæ sunt, inferre præjudicium. Dist. 10. c. 1 Episcop's in concil. apud Con. vs. congre.

II.

Ridiculum est, & satis abominabile dedecus, ut traditiones, quas antiquitus a patribus suscepimus, infringi patiamur. Dist. 12. Ridiculum.

De consuetudine. Tit. II.

I.

Mala consuetudo non minus quam perniciosa corruptela abjicienda & vitanda est. Dist. 8. d. Mala.

II.

Nihil obsunt saluti credentium diversæ pro loco & tempore constitutiones vel consuetudines, si illis canonica non obsistat auctoritas. Dist. 12 Scit. Mich. imp.

III.

Illi qui ante nos fuerunt, providam in ecclesiis consuetudinem tradiderunt, hodieque in Romana ecclesia (quæ magistra est omnium ecclesiarum) imprætermisse servatur, ita ut nullus sacerdos, majore suo non innuente consacerdote, cujuslibet rei benedictionem dare nitatur. Sed & anterior stans ad pronuntiandam aliquam lectionem, benedictionem quidem postulat, sed ei quilibet inferior non audet benedicere: quia in epistola ad Hebræos legimus, quod minor a majore benedicitur. Dist. 21. Denique. Hebr. 7.

De judiciis. Tit. III.

I.

Inferior sedes potiorem absolvere, aut judicio ligare non potest, nec propriis diffinitionibus subjugare. Ibid. c. Inferior.

II.

Filios circa spiritualem patrem, ut discipulos erga magistrum, ita sobrios ac devotos esse decet, ut nulla penitus temeritate ad eorum vitam dijudicandam, nec saltem tenuiter reprehendendam, prosiliant.

III.

Non potest quisquam rite ab his qui inferioris ordinis vel dignitatis sunt, judicialibus submitti diffinitionibus. Unde factum est, ut in concilio episcoporum nullus in Marcellinum papam, qui tempore Diocletiani & Maximiani Augustorum idolis compulsus sacrificaverat, sed postea insignis martyr effectus est, sententiam proferre ausus fuerit, dum ei sæpissime omnes dicerent: Tuo ore judica causam tuam, non nostro judicio. Et iterum: Noli audiri in nostro judicio, sed collige in sinu tuo causam tuam, &c. Ib. c. Nunc au.

IV.

Acephalum liquet esse concilium, ubi de tanta persona agitur, & majorum non expectatur sententia, cum & in causa clericorum inferioris gradus, solius episcopi sui judicium tantummodo * postulandum sit. Ib. c. seq. * al præstolandum

V.

Ibid. c. seq. In tantum hanc præsumptionem sancti patres apud Chalcedonem detestati sunt, ut Dioscorum Alexandrinum antistitem inter cetera idcirco potissimum sine ulla restitutione damnaverint, quod ponens in cælum os suum, lingua ejus transeunte super terram, excommunicationem in sanctum Leonem papam dictavit.

VI.

2. q. 3. c. 2. Carolo regi Francorum. Omnes leges tam ecclesiasticæ quam vulgares & publicæ præcipiunt, ut omnia sibi ablata restituantur ei, qui suis est rebus exspoliatus.

VII.

3. q. 5. c. 2. Mich. imp. Quod suspecti & inimici judices esse non debeant, & ipsa ratio dictat, & plurimis probatur exemplis. Nam quid gratius & amabilius dare quis inimico potest, quam si ei ad impetendum commiserit, quem lædere forte voluerit.

VIII.

3. q 9. Revera. Revera justus mediator non est, qui uno litigante, & altero absente, amborum emergentes lites decidere non formidat.

IX.

dicans. Ibid. c. Judicans. Indicas Hermannum episcopum super quibusdam frequenter fuisse accusatum: pro quibus, quia ex parte ipsius persona deest, nos uni parti ad discrimen alterius credere procul dubio non possumus.

X.

Ibid. c. 6. Si forte. Necesse est secundum sacrarum scripturarum documentum, ac secundum justitiæ tramitem, & accusatum & accusatorem simul adesse, & unam partem, quantacumque & qualicumque prædita sit auctoritate, sic prorsus audiri, ut alteri parti nullum præjudicium irrogetur.

XI.

4. q. 1. c. 2. Michael. imp. Hæreticis non licet accusationes contra orthodoxos episcopos pro ecclesiasticis facere negotiis. Hæreticos autem dicimus, tam eos qui olim ab ecclesia projecti sunt, quam qui post hoc a nobis anathematizati sunt. Præter hos autem & eos, qui fidem sanam negant vel simulant confiteri.

XII.

9 q. 4. c. Fi. Contra ritum ecclesiasticum, contraque venerandas leges producitur accusator vel testis de imperialibus ædibus, & cui imperari potest, ad falsum dicendum testimonium adhibetur; fiunt suspecti, judices: & lupi, custodes.

XIII.

6. q. 4. Quod bene Carolo regi Francorum. Quod bene semel diffinitum est, & interpositis juramentis deliberatum, nulla debet iteratione (nisi fortassis ubi fuerit major auctoritas) retractari.

XIV.

24. q. 1. Ait. Mich. imp. August. Ait Cælestinus papa, orientalibus episcopis scribens: Si quis ab episcopo Nestorio, vel ab aliis qui eum sequuntur, ex quo talia prædicare cœperunt, vel excommunicatus vel exutus est seu antistitis seu clerici dignitate, in nostra hunc communione durasse & durare manifestum est. Nec judicamus eum esse remotum, quia non poterat quemquam ejus removere sententia, qui jam se præbuerat ipse removendum.

XV.

23. q. 2. Historia. Carolo regi Francorum. Historia ecclesiastica ab Eusebio Cæsareensi episcopo confecta, de muliere quadam quæ de castitate a marito accusabatur, ait: Præceptum est ab imperatore, lege lata, ut primo permitteretur ei rem familiarem libere diutius ordinare, tunc demum responderet objectis. Hoc omnes leges tam ecclesiasticæ quam vulgares publicæque præcipiunt. Si autem de mulieribus & sæcularibus viris hæc constituta sunt, multo magis ecclesiasticis hominibus & sacerdotibus sunt concessa.

XVI.

Ibid. c Sive Eidem. Sive de conjugii fœdere sive de adulterii crimine judicium agitandum sit, nulla ratio patitur Theutbergam cum Lothario posse inire certamen, nisi prius ad tempus fuerit reddita suæ potestati, & consanguineis propriis libere sociata. Itaque etiam locus providendus est, in quo nulla vis multitudinis formidetur, ne sit difficile testes producere vel ceteras personas, quæ tam a sanctis canonibus, quam a venerandis Romanis legibus in hujusmodi controversiis requiruntur.

De Romana ecclesia & sede apostolica. Tit. IV.

I.

Dist. 22. Mediolan situs. Omnes, sive patriarchæ cujuslibet apicem, sive metropolis primatus, aut episcopatuum cathedras, vel ecclesiarum cujuscumque ordinis dignitatem instituit Romana ecclesia. Illam vero solus ipse fundavit, & supra petram fidei mox nascentis erexit, qui beato Petro, æternæ vitæ clavigero, terreni simul & cælestis imperii jura commisit. *Matth.* 1

II.

Dist 79. c &c. Si q pecunia. In concil præsidens Si quis pecunia, vel gratia humana, aut populari seu militari tumultu, apostolicæ sedi sine concordi & canonica electione cardinalium ejus ecclesiæ ac deinde sequentium clericorum religiosorum inthronizatur, non papa vel apostolicus, sed apostaticus habeatur. Liceatque cardinalibus & aliis clericis Deum timentibus, & laicis, invasorem illum anathematizare, & humano auxilio a sede apostolica pellere.

III.

Dist. 97. c Ludov. i Licet nunquam apostolicæ sedis modus fuerit absque signatis apicibus undecumque legationem susci pere, nos tamen sublimitatem vestram in nobilissimo viro ac strenuo legato vestro honorantes, ejusque gravitatem & eloquiorum illius veridicas cognoscentes assertiones, nihilo minus eum absque epistola vestra suscepimus.

IV.

1. q. 1. Et q. 3. c. principal Mich i Per principalem beatorum apostolorum Petri & Pauli dextram, & potestatem, & jus habemus, non solum in monachos, verum etiam in quoslibet clericos de quacumque diœcesi, cum necesse fuerit, atque ecclesiasticis exigentibus opportunitatibus, invitare.

V.

3. q. 6. Ar ta Rheme archiepis po. Arguta sapientia tua materiam depositionis adversus Rothadum assumpsit, & ab itinere apostolicæ sedis removit, & continuatim apostolicam sedem appellantem damnavit, & carcerali custodiæ mancipavit. Privilegia tamen apostolicæ sedis vos oblivioni tradere nullo modo debuistis, quibus venerandi canones judicia totius ecclesiæ ad hanc deferri jubent.

VI.

6. q. 3 Pa Mich. i Patet profecto sedis apostolicæ (cujus auctoritate majus non est) judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Nec de ejus judicio canones unquam præceperunt judicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cujus potius sequenda decreta mandaverunt.

VII.

15. q 6. Epiſcopis Gallia. Auctoritatem venerabilium prædecessorum nostrorum secuti, & nominatim beatissimi papæ & martyris Alexandri, quinti a beato Petro, ab omnibus juramentis & cujuscumque obligationibus, quibus illi sese coacti violentia impiorum obligaverunt, absolvimus, & ne illa serventur, vetuimus, tam archiepiscopum Trevirensem, quam ejus præpositum, & omnes qui tunc temporis capti se illis quoquomodo obligaverunt. Neque ul-

lam

lam eos proinde infamiam vel calumniam, aut a suis bonis sequestrationem unquam auctore Deo & sanctis apostolis & nostris prædecessoribus, sustinere permittimus, sicut per prophetam Dominus dicit: *Dissolve colligationes impietatis, &c.*

VIII.

Nemini est de sedis apostolicæ judicio judicare, aut illius sententiam retractare permissum, videlicet propter Romanæ ecclesiæ primatum Christi munere in beato Petro apostolo divinitus collatum.

IX.

Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, vel decreta pro catholica fide vel ecclesiastica disciplina, pro correctione imminentium vel futurorum malorum, a sedis apostolicæ præsule salubriter promulgata contempserit, anathema sit.

X.

Sententiam Romanæ sedis non negamus posse in melius commutari, cum aut surreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione ætatum vel temporum seu gravium necessitatum, dispensatione quædam ordinare decreverit: quoniam & egregium Paulum apostolum dispensatorie legimus quædam fecisse, quæ postea reprobasse legitur. Quod tamen observandum est, quando illa Romana videlicet ecclesia discretissima consideratione fieri delegerit: non quando ipsa quæ bene sunt diffinita retractare voluerit.

XI.

Ecclesia, id est, catholicorum collectio, quomodo sine apostolicæ sedis institutu nutu, quando juxta sacra decreta, nec ipsa debet absque præceptione papæ basilica noviter construi, quæ ipsam catholicorum intra semet amplecti catervam dignoscitur.

De decretis Romanorum pontificum. Tit. V.

I.

Quod a sedis apostolicæ rectoribus plena auctoritate sancitur, nullius consuetudinis occasione removeatur.

II.

Si Romanorum pontificum decreto ceterorum opuscula tractatorum approbantur vel reprobantur, ita ut quod vere sedes apostolica probavit, hodie teneatur acceptum: & quod illa repulit, hactenus ineffieax habeatur: quanto potius ea quæ ipsa pro catholica fide, pro sanis dogmatibus, pro variis & multifariis ecclesiæ necessitatibus & fidelium * moribus diverso tempore scripsit, omni honore debent præferri, & ab omnibus prorsus in quibuslibet necessitatibus vel opportunitatibus, discretione vel dispensatione magistra, reverenter assumi, *&c.*

III.

Si decreta Romanorum pontificum non habetis, de neglectu atque incuria estis redarguendi: si vero habetis & non observatis, de temeritate estis corripiendi & increpandi.

De Imperatoribus. Tit. VI.

I.

Imperator suis reipublicæ quotidianis administrationibus debet esse contentus, non usurpare quæ sacerdotibus Domini solum conveniunt.

II.

Ubi legistis, imperatores antecessores vestros synodalibus conventibus interfuisse, nisi forte in quibusdam ubi de fide tractatum est, quæ universalis est, quæ omnium communis, quæ non solum ad clericos, verum etiam ad laicos & ad omnes omnino pertinet Christianos?

III.

Denique hi, quibus tantum humanis rebus, non divinis præesse permissum est, quomodo de his, per quos divina ministrantur, judicare præsumant, penitus ignoramus. Ibid. c. seq. Denique. Eidem.

IV.

Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, idem rex & pontifex, actibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit, ut Christiani imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent, & pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur; quatenus spiritualis actio a carnalibus distaret incursibus, & Deo militans minime se negotiis sæcularibus implicaret: ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset sæcularibus negotiis implicatus. Ibid. c. Cum ad verum Eidem.

V.

Satis evidenter ostenditur, a sæculari potestate nec solvi prorsus nec ligari pontificem, quem constat a pio principe Constantino Deum appellatum, cum nec posse Deum ab hominibus judicari manifestum est. Ibid. c. seq. Satis. Eidem.

VI.

Non quales sacerdotes Domini sint, sed quid de Domino loquantur, est vobis magnopere prævidendum. Nec in vicariis beati Petri apostoli vobis est attendendum quid sint, sed quid pro correctione ecclesiarum, quid pro salute vestra satagant. Nec enim illos dicetis inferiores scribis & pharisæis sedentibus super cathedram Mosis, de quibus Dominus præcepit, dicens: *Quæcumque dixerint vobis, facite*, &c. 2. q. 1. Non quales. Eidem. *Matth.* 23.

De regibus. Tit. VII.

I.

Relatum est nobis quod quicumque ad episcopatum in regno tuo provehendus est, nonnisi faventem tibi permittas eligi. Idcirco apostolica auctoritate, sub divini judicii obtestatione, injungimus tibi, ut in Trevirensi urbe & Agrippina Colonia nullum eligi patiaris, antequam relatum super hoc nostro apostolatui fiat. Dist. 63. Porro. Lothario regi.

II.

Quæ Lotharius rex nepos vester fecit, accusatione non indigent. *Manifesta* enim *sunt*, teste apostolo, *opera carnis, fornicatio, immunditia*, &c. In manifestis enim calliditate accusantium non opprimitur reus, nec tergiversatione proprium crimen celatur, cum culpa sub oculis omnium sponte se ingerat; atque ideo in talibus judiciarius ordo non requiritur. 2. q. 1. Quæ Lotharius. Carolo regi Francorum. *Galat.* 5.

III.

Scelus quod Lotharius rex (si tamen rex veraciter dici possit, qui nullo salubri regimine corporis appetitus refrænat, sed lubrica enervatione magis illicitis ejus motibus cedit) in duabus scilicet feminis Theutberga & VValdrada commisit, omnibus manifestum est: sed dudum episcopos Theutgaudum & Gunthariam, in tali facto cum habuisse tutores atque fautores, pene totus orbis undique ad limina seu sedem confluens apostolicam referebat. Igitur decernente nobiscum sancta synodo in præsentia depositi, & ab officio sacerdotali excommunicati, atque a regimine episcopatus alienati indubitanter existunt. Ibid. c. 6. Episcopis per Galliam, Italiam, & Germaniam constitutis.

IV.

Præcipue VValdradæ pellicis tuæ, & dudum a te repudiatæ, communionem declina. Excommunicata est enim, & usque ad præsentiam nostram ab omni contubernio Christianorum sequestrata. 11. q. 3. Præcipue. Lotharii regi

Excommunicata est, ne cum ea pari mucrone per-
cellaris sententiæ, ac pro unius mulierculæ pas-
sione vinctus & obligatus ad perenne trahatis e-
xitium.

V.

Ibid. c. Ita corporis. Eidem.

Ita corporis tui motibus cedere consensisti, &
relaxatis voluptatum habenis temetipsum in la-
cum miseriæ & in lutum fœcis prohibitum dejeci-
sti, ut qui positus fueras in gubernatione popula-
rum, effectus sis ruina multorum. Probat hoc
Theutgaudi & Guntharii dudum episcoporum le-
gitimus casus, qui pro eo quod te minime com-
petenter erudierint, quinimmo, quia prævarica-
tionem tuam argumentis suis tegere, & sub qua-
dam justitiæ specie fucatis quibusdam exquisitis
adinventionibus æquitatem obruere studuerunt,
nostra sunt apostolica depositi auctoritate, & ab
omni episcopatus regimine regulariter sequestrati.

VI.

Ibid. Excel-lentissimus. Hincmaio Rhemorum archiepisco-po.

Excellentissimus rex Carolus apostolatum no-
strum consuluit, quid agendum sit de his qui cum
Ingeltrude sæpe damnata communicant femina:
quoniam eam cum communicatoribus suis & fau-
toribus pari vinculo anathematis constat esse astri-
ctam. Quapropter nunc beatitudini tuæ injungi-
mus, ut super hoc nostra auctoritate fretus cu-
ram de his sumere studeas. Et quia docta divini-
tus sanctitas tua valde novit, aliud esse ex neces-
sitate, aliud ex ignorantia, atque aliud quod de
studio delinquitur, istudque posterius duobus prio-
ribus districtius esse puniendum: idcirco solerter
invigilet, & cauta districtione singulorum modos
dijudicet: quatenus qui ex necessitate aut ignoran-
tia delinquunt, auctoritate nostra per te absolvan-
tur. Illos autem qui studio suo obligantur, & con-
temptu interdicta nostra postponunt, nonnisi di-
gna satisfactique præveniente volumus a te pror-
sus absolvi.

VII.

76 q. 3. An non. Lothario regi. *Gen. 6.*

An non districta ultione feriendus es, qui in
duabus uxoribus adulterium Lamech & flagitium
imitatus esse dignosceris? quod Dominus nonnisi
post septuaginta septem generationes suo salutifero
adventu delevit, cum Cain fratricidium septima
generatione aquis abolitum sit cataclysmi, id est,
diluvii.

De patriarchis & archiepiscopis. Tit. VIII.

I.

Dist. 63. Episcopos. Joanni Ravennati archiepisc. 3 q. 6 Hæc quippe Salomoni regi Britonum

Episcopos per Æmiliam non consecres, nisi post
electionem vel consensum cleri & populi.

II.

Hæc ordinatio Dei patris tui, & hæc est lex
ecclesiæ matris tuæ, videlicet, ut omnes episco-
pos regni tui ad Turonensem archiepiscopum mit-
tere non detrectes, ipsiusque judicium postulare
non dedigneris. Ipse est enim metropolitanus, &
omnes episcopi regni tui suffraganei ejus sunt, si-
cut conscriptiones prædecessorum meorum eviden-
ter ostendunt. Neque enim ecclesias Dei per di-
scordias regum divisionis aliqua damna pati ne-
cesse est, cum (quantum ex se est) pacem quam
prædicant, servare studeant in invicem & in omnes.

III.

9 q. 3. Conquestus. Bituricensi archiepisco-po.

Conquestus est apostolatui nostro frater noster
Sigebodus archiepiscopus Narbonensis, quod cleri-
cos suos, eo invito, ad judicium tuum venire
compellas, & de rebus ad ecclesiam suam perti-
nentibus, eo inconsulto, quasi jure patriarchatus
tui disponas: cum hoc neque antiquitas (cui san-
cti patres sanxerunt reverentiam) habeat, & au-
ctoritas sanctorum canonum penitus interdicat,
nisi forte pro causis, quæ apud se terminari non
possunt, ad te quasi ad patriarcham suum pro-
vocaverint per appellationes, vel si episcopus suus
decesserit, res ecclesiæ suæ judicio tuo dispensare
voluerint. Primates enim vel patriarchas nihil
privilegii habere præ ceteris episcopis, nisi quan-
tum sacri canones concedunt, & prisca consuetu-
do illis antiquitus contulit, diffinimus.

IV.

11. q. 1. Theutgaudum. Omnib. episcop. Galliæ Germa.

Theutgaudum Trevirensem primatem Belgicæ
provinciæ, & Guntharium Agrippinæ Coloniæ ar-
chiepiscopos, nunc coram nobis & sancta synodo
sub gestorum insinuatione, qualiter causam Lo-
tharii regis & duarum mulierum ejus, Theutber-
gæ scilicet & Vvaldradæ, recognoverint & judi-
caverint, scriptum super hoc propriis manibus ro-
boratum offerentes, & sententiam quam a sede
apostolica in Ingeltrudem uxorem Bosonis, san-
ctissimus frater noster archiepiscopus Mediolanen-
sis Thado & ceteri coepiscopi nostri petiverunt
emittendam, & nos divino succensi zelo, sub
anathematis attestatione canonice protuleramus,
publice se viva voce violasse confitentes: in quibus
omnibus invenimus eos apostolicas atque canoni-
cas sanctiones in pluribus excessisse, & æquitatis
normam nequiter temerasse: ab omni judicamus
sacerdotii officio manere penitus alienos. Et ideo
sancti Spiritus judicio, & beati Petri per nos au-
ctoritate, episcopatus exutos regimine consistere
diffinimus.

De sacris ordinibus Tit. IX.

I.

Dist. Præterea Rodulf turicen chiepis

Quæ in consecrationibus & ordinibus observan-
da sint, beati Innocentii papæ canonica decreta,
præsertim principia paginæ ad Decentium Eugu-
binum episcopum emissæ, affatim edocebunt.

II.

1. quæ Statuit c. 2.

Simoniaci simoniace ordinati vel ordinatores,
secundum ecclesiasticos canones, a proprio gradu
decidant. Simoniaci quoque simoniace a non si-
moniacis ordinati, similiter ab officio male accepto
removeantur. Simoniacos autem non simoniace a
simoniacis ordinatos, misericorditer per manus
impositionem pro temporis necessitate in officio
concedimus permanere.

De episcopis. Tit. X.

I.

Dist. Altino chiepis Januen

Episcopi ab omni bestiarum vel volucrum vena-
tione penitus alieni existere, & ab immoderata
filiarum suarum familiaritate, unde mala oriatur
fama, abstinere debent. Nullum enim sanctum
(ut ait beatus Hieronymus) venatorem legimus.

II.

D. 43. Mich 2. Cor.

Episcopis dispensatio cælestis seminis injuncta
est. Væ si non sparserint, væ si tacuerint, sicut
vas electionis formidat & clamat.

III.

6. quæ Denique

Si quælibet ambiguitas vel aliqua fortasse super
Suffredi examinatione vel episcopatus abrenuntia-
tione oborta fuisset contentio, ex more ad sedem
apostolicam referri convenerat, & nostra his om-
nibus debuerunt cuncti decreta penitus expectare.
Quod quia omissum est hactenus, dolemus. Di-
lectissimi igitur gloriam vestram vehementer ef-
flagito, ut jam dictus Suffredus episcopus proprio
restituatur episcopio: & hic, si aliquid reprehen-
sione dignum gessit, postea vel correctione vel di-
gna animadversione diffinietur.

IV.

7. q. 1. Pontifices vivo la

Pontifices qui aliqua occupantur infirmitate vel
ægritudine, abjiciendi non sunt: nec alii in

loco

loco eorum consecrandi sunt, nisi ex hac sue- A rint luce subtracti. Quod si de ministerio sibi concesso conqueruntur, quæ licita sunt sacerdotes expleant. In his vero quæ his præsumere non licet, vicinorum usque ad recipiendam sanitatem episcoporum auxilia subrogentur.

V.

Episcopos vero, qui dominici gregis suscipiunt curam atque sollicitudinem, ab administratione eorum discedere non oportet, ut accepti talenti pulcritudo non delcatur, sed certamen eorum salubriter augeatur, & tuplicetur fructus.

VI.

Scisciatis, utrum cum a Nortmannis de episcopio depellatis, debeas de cetero in monasterio conversari. In quo scias carissime frater, quod si B pernicioſum est proretam in tranquillitate navim deserere, quanto magis in fluctibus? Ubi non dicimus, quod persecutorum non fugiamus, maximeque paganorum, insidias, cum ad tempus sæviunt, & ob multitudinem delictorum nostrorum nocendi facultatem divinitus assequuntur, præsertim cum eis prodire ultro non debeamus, & multos prophetas & apostolos, ipsum quoque Dominum hujusmodi fugisse insecutores, luce clarius constet: sed quod præcipue nos, qui tamquam arietes ducatum gregibus præbemus, immo qui & horum pastores sumus, Deo auctore, cum eis in periculis pro viribus persistere pro certo conveniat. Et cum tranquillitas reddita divina fuerit pietate, sopitaque furentium infestatio, mox gre- C gem perquirere, & in unum colligere, & ejus animos cælestis patriæ pace potissimum securitate prædicata sursum erigere debemus.

VII.

Reprehensibile valde constat esse quod subintulisti, dicendo, majorem partem omnium episcoporum die noctuque cum omnibus aliis fidelibus tuis contra piratas maritimos invigilare, & ob id episcopi impediantur venire: cum militum Christi sit, Christo servire: milites vero sæculi serviant sæculo, secundum quod scriptum est: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*. Quod si sæculi milites militiæ studeant, quid ad episcopos & milites Christi pertinet, nisi ut vacent orationibus.

VIII.

Porro *Gloria in excelsis Deo* ab Episcopis in cœna Domini intra missarum sollemnia more nostro dicenda est. Pallio vero apostolico eadem die uti est illis licitum, quibus est ab apostolica sede permissum.

De presbyteris. Tit. XI.

I.

Nullus missam audiat presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere aut subintroductam mulierem.

II.

Sacerdotes si in fornicationis ceciderint laqueum, E & criminis manifestus sive ostensus sit actus, sacerdotii honorem habere non possunt, secundum canonicæ institutionis auctoritatem.

III.

Si presbyter aliquem percusserit, non ad mortem, pro percussione pœnitentiam agat, & aliquanto tempore a missarum sollemniis suspendatur. Si vero qualicumque percussione ejus aliquis mortuus fuerit, nulla ratione ministrare sacerdotis more debet: quoniam etsi voluntatem occidendi non habuerit, furor tamen & indignatio in omnibus, & præcipue in Dei ministris, multipliciter inhibetur atque damnatur.

IV.

Presbyter iste dicit se falsis criminibus impetitum, & ab ecclesia sua, non convictum neque confessum, irrationabiliter fuisse ejectum. Nam tua diligentia per tres vices inquisitione facta, nulla in se neque de fornicationis crimine, neque de homicidii confessione, de quibus impetebatur, reperiri potuit culpa. Idcirco magnopere monemus reverentiam tuam, ut quæ, te forte ignorante, Gieziaca cupiditate peracta esse videntur, tuæ fraternitatis censura celeri emendatione corrigantur, scilicet restituendo ecclesiæ propriæ jam dictum sacerdotem, atque ei reddendo tua pietate pristinum quem perdidit honorem. 2. quæst. 1. Notum sit Herardo Turonensi archiepisc.

V.

Scisciantibus vobis, si a sacerdote, qui fuerit comprehensus in adulterio, sive de hoc sola fama respersus est, debeatis communionem recipere nec ne, respondemus: Non potest aliquis quantumcumque pollutus sit, sacramenta divina polluere, quæ purgatoria cunctarum contagionum existunt. Qualiscumque enim sacerdos sit, quæ sancta sunt coinquinari non possunt. Idcirco ab eo, quotcumque judicio episcoporum reprobetur, communio percipienda est: quoniam mali bona administrando se tantummodo lædunt. Fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, aliis vero lumen in tenebris administrat: & unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet: Sumite ergo ab omni sacerdote intrepidi Christi mysteria, quia omnia in fide Christi purgantur (fides est enim, quæ hunc mundum vincit) & quia non dantis meritum, sed accipientis fit, dicente beato Hieronymo: Ad credendum omni animæ baptismus est perfectus, & in omni sacerdote corpus Christi est perfectum. 15. q. 8. c. fi. Ad consulta Bulgarorum.

VI.

De presbyterorum flagellatoribus & occisoribus, prædonibus scilicet, qui sæculari brachio minime coercentur, juxta præceptum Domini placet, ut fraterno amore conveniantur secundo & tertio: qui requisiti si te non audierint, conveniente ecclesia, eos sacra communione privare, atque si in sua obstinatione permanentes sacerdotalia monita forte contempserint, ab ecclesiæ compage sub anathematis interdictione resecare licentiam tribuimus. D 17. quæst. 4. De presbyterorum. Thadoni archiepisc. Mediolanensi.

De clericis. Tit. XII.

I.

Clericus, qui per ordines ecclesiasticos usque ad subdiaconatum caste vixit, uxorem ducere non potest. Nullis enim datur licentia, exceptis illis, quibus ecclesiastica regula uxorem habere permittit. Distinct. 32. De illo. Odoni * Viennensi archiepisc. * Adoni

II.

Clericum, qui paganum occiderit, non oportet ad gradum majorem provehi, qui carere etiam debet acquisito, homicida enim est. Nam discreti sunt milites sæculi a militibus ecclesiæ, quibus militare sæculo non convenit. Dist. 50. Clericum. Oswaldo coepiscopo Quadragesimo.

III.

Hi qui arborem incidere videntur, si contigerit, ut cadens arbor occiderit hominem, inculpabiles sunt atque innoxii: quia nec voluntate eorum, nec desiderio homicidium perpetratum est. Si vero aliqua culpa eorum vel neglectu, morientis hominis interitus cognoscitur advenisse, abjiciendi sunt a gradu, & in sacro ordine nullatenus suscipiendi. Ibidem c. Hi qui arborem

De

A

De votis monaſticis. Tit. XIII.

I.

Diſt 27. Quod inter rogaſti. Albino * Viennenſi archiepiſc. * Adoni

Femina quæ poſt obitum mariti ſui ſacrum velamen ſuper caput ſuum impoſuit, & finxit ſe ſub eodem velamine monialem eſſe, poſtea vero ad nuptias rediit, debet pœnitentiam agere de illuſione nefanda, & reverti ad id quod ſpopondit.

II.

10. q. 2. Præſens. Omnibus epiſcopis in regno Ludovici.

Præſens clericus, nomine Lambertus, una cum patre ſuo nomine Atto, quondam videlicet comite, nunc autem clerico, ad limina apoſtolorum properans, adiit præſentiam noſtram, aſſerens qualiter idem pater ejus in laicali adhuc ordine, in prædiis propriis ædificaſſet duo monaſteria, voluntatem gerens, ut poſt ſuum deceſſum præſens ejus filius Lambertus, in locum ejus ſuccederet, quem infra teneram ætatem inter octavum & decimum annum conſtitutum, memoratus pater proprio arbitrio, abſque regulari inſtitutione, extra omnem illius voluntatem cucullam induit. Igitur poſt quoddam ipſius temporis ſpatium (ut ipſe dicit) Salomon epiſcopus, cum quibuſdam aliis, abſque patris oblatione, vel abbatis percepta benedictione, eumdem Lambertum monaſticum habitum induere fecit (ut ferunt) invitum. Et ſub hac occaſione, paterna ſeu materna hæreditate a fratribus ſuis privatum eſſe, atque contra omnem (ut dictum eſt) voluntatem ſuam quaſi regularem illum monachum permanere volunt. Et infra: Quapropter conſulte pſalmographi verba recolentes, quibus voluntarie ſe Deo ſacrificare pronuntiat, & voluntaria oris ſui beneplacita fieri in conſpectu Dei obſecrat, præſentem clericum nomine Lambertum minime debere exiſtimavimus ſub tali violentia fieri monachum. Quod enim quis non eligit nec optat, profecto non diligit, quod autem non diligit, facile contemnit. Nullum ergo bonum, niſi voluntarium. Idcirco Dominus non ferendam in via virgam, per quam violentia ulli inferatur, præcepit, &c.

Pſal 31.

Matth. 10

III.

27. q. 1. Vidua. Carolo archiepiſcopo Moguntino, & ejus ſuffrag.

Vidua quidem, quæ capiti ſacrum velamen impoſuit, ſi inter ceteras velatas feminas in eccleſia oraverit, & oblationes cum illis obtulerit, ſi profeſſa eſt ſe in eodem habitu permanere, ſpondens nunquam religionis velamen deponere, a religionis obſervantia diſcedere non præſumat.

De laicis. Tit. XIV.

I.

Diſt. 18 c. fi. Ad conſulta Bulgarorum.

De presbyteris, vobis qui laicis eſtis, nec judicandum eſt, nec de vita eorum quidquam inveſtigandum, ſed epiſcoporum judicio, quidquid id ſit, eſt reſervandum.

II.

Diſt 96. In ſcripturis. Ludovico II. imp.

In ſcripturis narratur Conſtantinus imperator dixiſſe: Vere ſi propriis oculis vidiſſem ſacerdotem Dei, aut aliquem eorum qui in monachi habitu circumamicti ſunt, peccantem, chlamydem meam exſpoliarem & cooperirem eum, ne ab aliquibus videretur. Hoc dicimus, cautos vos reddere cupientes; ut ſi de Domini ſacerdotibus (qui jure patres animarum dicuntur) aliquid contigerit vos audire, quod confuſionem piis mentibus ingerat, non * infrunitum, ſed pudoratos filios Noe imitantes, patriam de reliquo verecundiam contegatis, ut affluenti (quemadmodum & illi) benedictione repleri, moderante Domino, mereamini.

Gen 9. * Cham patrem Chanaan

De eccleſiis. Tit. XV.

I.

22. q. 1. c. Nulla. Ex ejus decretis.

Nulla ædificia in atrio eccleſiæ ponantur, niſi tantum clericorum.

II.

12. q. 2. De rebus. Adoni Viennenſi archiepiſc.

De rebus quæ ſemel Deo contributæ atque dicatæ ſunt, & poſtea ſub occaſione conceſſionis principum a quibuſdam invaduntur, atque diripiuntur, ſancimus ut prius conſulatis principem ad reſecandam tam præſumptivam factionem, & cognoſcendum, utrum ſit illius conceſſio, an invaſoris præſumptio. Quod ſi principis inordinata fuerit largitio, & ipſe princeps ſit pro emendatione redarguendus: ſi autem invaſoris declaratur præſumptio, uſque ad emendationem, excommunicationis ſit vindicta coercendus.

III.

17. q. 4. Sicut antiquitus. Omnibus epiſcopis.

Sicut antiquitus a ſanctis patribus ſtatutum eſt, ſtatuimus, ut major eccleſia per circuitum XL. paſſus habeat. Capellæ vero vel minores eccleſiæ XXX. Qui autem confinia eorum confringere tentaverit, aut perſonam hominis, aut bona ejus inde ſubtraxerit, niſi publicus latro erit, quoſque emendet, & niſi quod rapuerit reddat, excommunicetur.

De baptiſmo. Tit. XVI.

I.

De conſe Diſt. 4. quodam. Ad conſul Bulgarorum cap. 104. Act. 2. 10

A quodam Judæo, neſcitis utrum Chriſtiano an pagano, multos in patria veſtra baptizatos aſſeritis, & quid inde ſit agendum conſulitis. Hi profecto, ſi in nomine Trinitatis, vel tantum in nomine Chriſti ſicut in actibus apoſtolorum legitur baptizati ſunt, (unum quippe idemque eſt, ut ſanctus Ambroſius exponit) * quia non illorum, ſed ejus eſt, rebaptizari non debent.

* Deeſt aliquid vide 104. reſpon ad conſulta Bulgar.

Ob hunc canonem Magdeburg. Nicolaum I. erroris redarguunt, * ſed valde imperite; cum ille docuerit, in nomine Chriſti baptizare poſſe eadem ratione, qua apoſtoli act. 2. 8. 10. 11. & 19. de facto baptizarunt. Ita Suarez, tomo 3. de ſacramentis diſputatione 21. ſectione 3. Bellarminus lib. 4. de Romanis pontificibus cap. 12. Nicolaum falſæ & erroneæ ſententiæ non aliter quam privatum doctorem adhæſiſſe ait. Quam ſententiam omnes communiter doctores amplectuntur.

* Hæc obſervavit Binius,

II.

Ibid Catechiſmi.

Catechiſmi baptizandorum, a ſacerdotibus uniuſcujuſque eccleſiæ poſſunt fieri, ſicut in hac ſancta Romana eccleſia (cui Deo auctore miniſterium exhibemus noſtri famulatus) ſollemniter fieri comprobantur.

De pœnitentia. Tit. XVII.

I.

11. quæſt. De viro. Frotario archiepiſcopo Burdigalenſi

De viro nefando, Burgando nomine, qui rabie inſana commotus, diabolicis ſe irretire laqueis non dubitavit, atque gentilium more per abrupta itinera & compita inſidians, vobis in veſtræ eccleſiæ villa una cum clericis veſtris manentibus, & populum ſalubribus inſtruere dogmatum monitis decertantibus, paneque ſpiritualis verbi vacua hominum corda reficientibus, atque laudabile propriæ ſalutis deſiderium habentibus ſancta apoſtolorum Petri & Pauli limina viſitare, collectis malitiæ ſuæ ſequacibus, & iniquitatis compilicibus, nefarias invaſiones & deprædationes violentas inferre, dæmoniaco auſu præſumpſerit, & ut epiſtolæ veſtræ

ſtræ textus eloquitur, ſacrum altare, ſacraque dominici corporis & ſanguinis vaſa, inſuper & ſanctum chriſma pollutis arripere manibus, quaſi vilia & ad communem uſum apta, præſumpſerit: dilectio nos veſtra conſulit, ſi ipſe vel qui cum eo in tam impio & iniquo ſcelere fuerunt, ad pœnitentiam quandoque gratia tacti divina, venire voluerint, quo eos pœnitentiæ vinculo conſtringatis, inſtitutionis noſtræ cenſuram expoſcere curaſtis. De quibus tamen ſi ita eſt, jubemus, cum ad pœnitentiam quandoque reverti acceleraverint, uno anno extra eccleſiam Dei conſiſtere, cujus ſacratiſſima vaſa extra ritum fidei Chriſtianæ deripiendo auferre non dubitaverunt. Secundo vero anno ante fores eccleſiæ ſine communione maneant. Tertio vero anno eccleſiam Dei ingrediantur, & inter audientes adſtent ſine oblatione, non manducantes carnem neque bibentes vinum, præter nativitatis & reſurrectionis dominicæ dies. Quarto præterea anno (ſi his prioribus tribus annis eorum fructuoſus fuerit pœnitentiæ labor) communioni fidelium reſtituantur, totaque mentis intentione ſpondentes talia ſe ulterius nunquam facturos, corpus & ſanguinem Domini ſuſcipere mereantur, & uſque ad ſeptimum annum tribus in hebdomada diebus ſine eſu carnium & vini potatione maneant pœnitentes.

II.

quæſt. 7. his. De his vero qui pro criminibus pœnitentiam egerunt, & ad cingulum militiæ convertuntur, conſtat eos contra ſacra regulas agere: verum quia crimina non æqualia ſunt, perhibes quoque alios horum, propter nimiam hebetudinem in deſperationem cecidiſſe, alios ob hoc ad paganos fugiſſe: tibi hoc committimus decernendum, nimirum qui loca & tempora * religionis illius, & modum culpæ, nec non & pœnitentiam & gemitus hominum ad confeſſionem venientium præſens poſitus inſpicere vales.

gionis

III.

q. 2. Interfectores. dulfo Bi licenti ar- epiſc. Interfectores ſuarum conjugum ſine judicio, cum non addis, adulterarum, vel aliquid hujuſmodi, quid aliud habendi ſunt quam homicidæ? ac per hoc ad pœnitentiam redigendi? Quibus penitus conjugium denegatur, exceptis adoleſcentulis, de quibus eſt beati Leonis papæ vigeſimaquinta regula decretalium, immo indulgentia, obſervanda.

IV.

d. c. 2. orem. taldo epi- po ſanctæ leſiæ Ar- itoraten- Latorem præſentium matricidam eſſe cognovimus, cui præcipimus, ut ſub pœnitentiæ jugo permaneat, ita ut per annum integrum eccleſiam non egrediatur, ſed ante fores baſilicæ ſtans, & orans & deprecans Deum perſeveret, qualiter tanto eripiatur piaculo. Completo vero anni circulo, introeundi in eccleſiam licentiam habeat, tantum inter audientes ſtet, ſed nondum communicet. Completis autem trium annorum curriculis, ſacræ communionis ei gratia concedatur. Oblationes vero non offerat, niſi prius aliorum ſeptem annorum curricula expleantur. His autem omnibus annis atque temporibus carnem non manducet, nec vinum bibere præſumat, exceptis feſtivis diebus atque dominicis, & a paſcha uſque ad pentecoſten. Et quocumque ire voluerit, nullo vehiculo deducatur, ſed pedibus proficiſcatur, arma non ſumat niſi contra paganos. Jejunet autem tribus diebus per hebdomadam uſque ad veſperam: a propria & legitima conjuge non ſeparetur, ne in fornicationis voraginem corruat, quod ne fiat optamus. Si autem ante annorum trium curſum finis vitæ illius appropinquaverit, corporis & ſanguinis Domini noſtri particeps fiat. Sin autem, ut ſupra ſtatuimus efficiatur. Tamen ſi illius converſionem & lacrymarum fontem in omnibus viderit floridis actionibus & optimis operibus pullulare, humanius circa eum ſollicitudo pervigil appareat, mitiſque in omnibus demonſtretur.

V.

Ibid. cap. ſeq. Ad conſulta Bulgarorum. Si quis cum duabus ſororibus fuerit fornicatus, aut cum his perſonis, de quibus ſancta ſcriptura prohibet, ſi dignam egerit pœnitentiam, & caſtitatis non valuerit continentiam ſuſtinere, liceat ei legitimam in conjugio uxorem accipere. Similiter & mulier quæ tali fuerit ſcelere lapſa, ut fornicationis non perducatur ad chaos. Sed hoc de laicis viris ac mulieribus ſolummodo ſtatuimus.

Conc. Vvormat. cap. 33.

De matrimonio. Tit. XVIII.

I.

27. q. 2. Sufficiat. Sufficiat ſolus ſecundum leges conſenſus eorum, de quorum quarumque conſenſu & conjunctionibus agitur. Qui ſolus ſi defuerit, cetera etiam cum ipſo coitu celebrata fruſtrantur.

II.

Ibid. cap. Scripſit. Carolo regi Francorum. Scripſit nobis Theutberga regina, ſe regia dignitate vel maritali copula velle exui, & ſola vita privata eſſe contentam deſiderare. Cui nos ſcripſimus, non aliter hoc fieri poſſe, niſi eamdem vitam conjux ejus Lotharius elegerit. Nam licet ſit ſcriptum: *Quod Deus conjunxit homo non ſeparet*: Deus autem, & non homo, ſeparat, quando divini amoris intuitu, ex conſenſu utriuſque conjugis matrimonia diſſolvuntur. Aliter autem fieri mutuam ſeparationem veſtram prohibemus.

Matth. 19.

III.

10. q. 3. c. 1. Ubi non eſt conſenſus utriuſque, ibi non eſt conjugium. Ergo qui pueris dant puellas in cunabulis, & e converſo, nihil faciunt, niſi uterque puerorum, poſtquam venerit ad annos diſcretionis, conſentiat.

IV.

30. q. 3. Noſtrates. Ad conſulta Bulgar. Noſtrates tam mares quam feminæ, non ligaturam auream vel argenteam, aut ex quolibet metallo compoſitam, quando nuptialia fœdera contrahunt, in capitibus deferunt: ſed poſt ſponſalia, quæ futurarum ſunt nuptiarum promiſſio, fœdera quoque conſenſu eorum, qui hæc contrahunt, & horum quorum in poteſtate ſunt, celebrant. Et poſtquam arrhis ſponſam ſibi ſponſus per digitum fidei annulo inſignitum deſponderit, dotemque utrique placitam ſponſus ejus, ſcripto pactum hoc continente, coram invitatis ab utraque parte tradiderit, aut mox, aut apto tempore, ne videlicet ante tempus lege diffinitum, tale quid facere præſumant, ambo ad nuptialia fœdera perducuntur. Et primum in eccleſiam Domini cum oblationibus, quas offerre debent Deo, per ſacerdotis manum ſtatuuntur, ſicque demum benedictionem & velamen cæleſte ſuſcipiunt.

V.

33. q. 2. Lotharius. Rhadoaldo Portuenſi, & Joanni Ficolenſ. epiſcopis. Lotharius rex in commonitorio profitetur, Vvaldradam ſe a patre præmiſſis dotibus accepiſſe, & ſororem poſtmodum admiſiſſe Hucberti. Ubi primum diligenti inveſtigatione inquirite. Et ſi eumdem glorioſum regem prædictum Vvaldradam præmiſſis dotibus coram teſtibus, ſecundum legem & ritum quo nuptiæ celebrari ſolent, per omnia inveneritis accepiſſe, & publica manifeſtatione eadem Vvaldrada in matrimonium ipſius admiſſa eſt, reſtat, ut perſcrutemini, cur illa repudiata ſit, vel filia Boſonis admiſſa. Sed quia idem glorioſus rex, metu Theutbergam admiſiſſe ſe dicit, metu unius hominis tantus rex non debuit contra divinum præceptum in immane præcipitium mergi. In hoc certo ſe magis reprehenſibilem oſtendit, in quo amorem Dei amori mundi poſtpoſuit, cum nec etiam occiſores corporis ſint timen-

mendi, contra justitiam hominem impellentes. Nihil itaque vobis aliud præcipimus, manifestatione sua eodem rege convicto, nisi ut secundum canonicam auctoritatem, nostra vice freti, causam illius diffinitatis, *&c.*

VI.

33. q. 1. Quidquid. Ad consulta Bulgar. Quidquid mulier contra te cogitaverit, aut fecerit, vel si te accusaverit, non est (excepta causa fornicationis) rejicienda, vel odio prorsus habenda.

VII.

32. q. 8. Hi qui. Carolo Moguntinensi archiepiscopo. Hi qui matrimonium sani contraxerunt, & uni ex duobus dementia, aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem & causam conjugia talium solvi non possunt. Similiter sciendum est de his, qui ab adversariis excæcantur, aut membris truncantur, aut a barbaris exsecti fuerint.

VIII.

33. q. 2. Inter hæc Alvino archiepiscopo Senonensi. Inter hæc sanctitas vestra addere studuit, ut si cujus uxor adulterium perpetraverit, utrum marito illius liceat secundum mundanam legem eam interficere: sed sancta Dei ecclesia mundanis nunquam constringitur legibus. Gladium non habet nisi spiritualem, qui non occidit, sed vivificat.

IX.

33. q. 4. Nec uxorem. Ad consulta Bulgarorum. Nec uxorem ducere, nec convivia facere in quadragesimali tempore convenire posse ullo modo arbitror.

De impedimentis matrimonii. Tit. XIX.

I.

30. q. 3. Nosse. Basilio archiepiscopo. Nosse desideras utrum mulier quæ viri filium ex alia femina genitum de sacro fonte levaverit, postmodum possit cum eodem viro copulari. Quos ideo conjungi posse decernimus, quia secundum canones sacros, nisi amborum consensu, nullius religionis obtentu debet conjux dimittere conjugem. Pertinet autem ad ingens uxoris exitium, quæ habens odio virum, vel infirmitatem ejus non considerans, quasi causa pietatis operatur impietatem, maxime cum apostolus præcipiat: 1. Cor. 7. *Nolite*, inquiens, *fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.*

II.

Ibidem. De his. Rodulfo Bituricensi archiepisc. De his qui filiastros suos ad confirmationem coram episcopis tenent, id est, qui filios uxoris suæ de priori viro dum chrismantur ab episcopis, super se sustinent, si in scientia, (sicut asseris) fiat, licet sit peccatum, non tamen usque ad separationem conjugii puniendum est. Lugeant tamen, & digna pœnitentia hoc diluentes Domino dicant: Psal. 24. *Delicta ignorantiæ meæ ne memineris.*

III.

30. q. 3. Ad consulta Bulgarorum. Ita diligere debet homo eum qui suscepit ipsum de sacro fonte, sicut patrem: Item: Est inter fratres & filios spirituales gratuita & sancta communio, quæ dicenda non est consanguinitas, sed habenda spiritualis proximitas. Unde inter eos arbitror non posse fieri quodlibet legale conjugium. Quandoquidem nec inter eos qui natura, & eos qui adoptione filii sunt, venerandæ Romanæ leges matrimonia contrahi permittunt. Item: Si inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio jungit: quanto potius a carnali oportet inter se conturbernio cessare illos, quos per cæleste sacramentum regeneratio sancti Spiritus jungit? * Longe ergo congruentius filius patris mei, vel frater meus appellatur is, quem divina gratia potius quam humana voluntas, ut filius patris mei, vel frater meus esset elegit, prudentiusque ab alterna corporis commixtione secernitur.

* vide c. 2. ad consulta Bulgar.

IV.

30. q. 4. Salomoni Constantiensi epi. Gen. 2. Sciscitatur a nobis sanctitas vestra, si aliquis homo duas commatres habere valeat unam post alteram. In quo meminisse debet scriptum esse: *Erunt duo in carne una.* Itaque cum constet, quia vir & mulier una caro per connubium efficiuntur, restat nimirum, verum comparem constitui illi mulieri, cujus matrimonio assumpta uxor, commater esse videbatur.

V.

33. q. 2. Si quis. Si quis cum matre fornicatus fuerit spirituali, anathematis, ut scitis, percutitur ictibus. Similiter & illum percutere promulgamus, qui cum ea, quam de sacro fonte baptismatis susceperit, aut cum illa, quam ante episcopum tenuerit, cum sacro chrismate fuerit uncta, fornicationis perpetraverit scelus, legitimam tamen, si habuerit, non dimittat uxorem.

VI.

35. quæst. De consanguinit. Suis fraganeis ecclesiæ Ambianæ. Sua uxorem nullus ducat usque post generationem septimam, vel quousque parentela cognosci poterit. Laicus vero uxorem simul & concubinam habens non communicet ecclesiæ,

De bellis. Tit. XX.

I.

2. q. 4. Monomachiam. Ex ejus decretis. Monomachiam in lege non assumimus, quam præceptam fuisse non reperimus, cum hæc & hujusmodi sectantes, Deum solummodo tentare videantur.

II.

23. q. 6. c. § Quin etiam Episcopis Galliæ. Quin etiam præfato fratri nostro, filiisque Trevirensis ecclesiæ, illiusque defensoribus, hæc in mandatis damus, ut spirituali simul & materiali gladio tamdiu malignos illos eorumque fautores insequantur, quousque cum integritate possessiones, vel quæcumque res ecclesiasticæ hoc facto vel quocumque pacto distractæ seu direptæ sunt, revocentur.

III.

23. quæst. 1. Omnium. Exercitui Francorum. Omnium vestrum nosse volumus caritatem, quoniam quisquis (quod non optantes dicimus) in hoc belli certamine fideliter mortuus fuerit, regna illi cælestia minime negabuntur.

IV.

23. quæst. 8. Si nulla. Ad consul. Bulgarorum. Si nulla urget necessitas, non solum quadragesimali tempore, sed etiam omni tempore est a præliis abstinendum. Si autem inevitabilis urget importunitas, nec quadragesimali tempore pro defensione tam sua quam patriæ seu legum paternarum est bellorum præparationi procul dubio parcendum: ne videlicet Deum videatur homo tentare, si habet quod faciat, & suæ ac aliorum saluti consulere non procurat, & sanctæ religionis detrimenta non præcavet.

V.

24. quæst. 3. Illi qui. Omnibus episcopis. Illi qui peregrinos vel oratores cujuscumque sancti, sive clericos, sive monachos, vel feminas, aut inermes pauperes deprædati fuerint, vel bona eorum rapuerint, vel in malum eis obviaverint, anathematis vinculo feriantur, nisi digne emendaverint. Pax vero illa, quam * treguam Dei dicimus, fideliter observetur, sicut ab archiepiscopis & episcopis uniuscujusque provinciæ constituta est. Qui autem eam infregerit excommunicationi subdatur.

* Hæc non videntur hujus ætatis

A

APPENDIX II. EPISTOLARUM NICOLAI PAPÆ I.

I. AD ADONEM VIENNENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Respondet variis illius consultationibus. De Lotharii regis divortio & de Alvico clerico.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei reverentissimo & sanctissimo confratri nostro Adoni sanctæ Viennensis ecclesiæ archiepiscopo.

COnsultationis vestræ ad apostolicam sedem delatos suscepimus apices, qui diversitatum negotia continentes, de his vestræ fraternitati a nobis rescribi quærebant, & utrum quædam in Dei ecclesia provide necne tenenda essent, * & apostolica sanctio decerneret zelo caritatis summopere expetebant. Nempe sollicitudinem vestram in talibus laudamus, & gaudentes de vobis magnis sanctitatem vestram præmiis attollimus, eo quod adeo sollicitiores vos in ecclesiasticis disciplinis reddere volumus, ut unde modo lætamur, veritissima & certissima inde relatione jocundissimi efficiamur. Sed quia litterarum vestrarum latores, ut oportuerat, si propterea quia si post suos comites remansissent per incognita loca pravorum angerentur insidiis hominum sustinere nequaquam valentes, ideo vobis tam subito rescribere non potuimus, præcipue cum hæc sancta Romana ecclesia, cano exigente more, in suis pro ceteris sollicitudinem gerat, & eodem tempore propter festi paschalis dies major nobis præter solitam alii tempori consuetudinem incumberet dispensatio ecclesiasticæ occupationis. Verumtamen vestra fraternitas congruo tempore taliter dirigere studeat, ut quod nunc litigitat, tunc de requisitis tolerabilius consequatur. De cetero monemus, & sicut dominici agri cultores estis, & pastores vices tenetis, pastorali providentia Hlotharium glorioſum regem pro discidio prioris & assumptione alterius feminæ interim sacratis monitis & divinis increpationibus * exoreminj, quatenus quod nomine dictare, opere ad exemplum subjectorum veraciter approbetur. Non sit in illo voluptatis juvenilis incontinentia, pro qua florigeræ gloriæ regnum amittat perenniter permanens. Desinat jam desinat calcare semitam iniquitatis, & per justitiæ iter incedens ad castra dominica vestris interventionibus sine vi procellarum securus perveniat. Et hæc quidem succincte transcurrimus, quia de vobis credimus, ut quæ saluti ejus conveniunt edicatis. Interea de illo clerico, Alvico nomine, quem per ordines ecclesiasticos usque ad diaconatum caste vixisse dicitis, cur nostra auctoritate uxorem duxerit miramur, & eo quod nulli unquam exceptis illis, quos ecclesiastica regula habere permittit, uxorem ducendi licentiam dedimus. Nam exemplar epistolæ quod misistis neque recognovimus, sed nec illius stylum a nobis directum fuisse meminimus. Quocirca vestra fraternitas sollicita investigatione perquirat, ut quis auctor illius epistolæ fuerit valeat inveniri, quatenus cum apostolica auctoritas mittitur non suscetur; & si vestros legatos destinaveritis per eos ut ipsam epistolam nobis dirigatis optamus, quo cum illam contemplati fuerimus, vos de hac causa certissimos reddere possimus. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere. Data III. Kalend. Aprilis indictione XII.

orte ut postolica.

pcus corpus.

xxxii de clerico.

no Christi 864.

II. AD EUMDEM ADONEM VIENNENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Innocentii I. papæ auctoritate docet inferiores ecclesias a Romanis consuetudinibus non debere recedere.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei reverentissimo & sanctissimo confratri nostro Adoni sanctæ Viennensis ecclesiæ archiepiscopo.

SÆpe sanctitatis vestræ litteras suscepimus, quæ nos monebant & obnixe rogabant, ut de ecclesiasticis causis ecclesiam vestram qualiter agere B deberet instrueremus. Unde nobis nihil melius visum est, ut sanctitatem vestram ex decretis & institutis prædecessorum nostrorum doceremus, qui quo ordine ecclesia cui Deo auctore præesse dignoscimur, sive aliæ ab ipsa longe lateque fundatæ versentur, in scriptis suis evidentissime nobis tenendum reliquerunt. Beatissimus Innocentius papa ad Decentium episcopum Eugubinum, quod tuæ sanctitati semper memorari volumus, ita instruendo posuit. Si instituta ecclesiastica, ut sunt a beatis apostolis tradita, integra vellent Domini sacerdotes observare, nulla varietas, nulla diversitas in ipsis ordinibus ac consecrationibus haberetur. Sed dum unusquisque non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit hoc existimat esse tenen- C dum; inde diversa in diversis ecclesiis aut tenere aut celebrare videntur: ac fit scandalum populis, qui dum nesciunt traditiones antiquas humana præsumptione corruptas, putant sibi aut ecclesias non convenire, aut ab apostolis ipsam contrarietatem inditam. Quis enim nesciat, aut non advertat, id quod a principe apostolorum Petro Romanæ ecclesiæ traditum est ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari, ne superduci aut introduci aliquid quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde videatur accipere exemplum? Item post alia. Oportet eos hoc sequi quod ecclesia Romana costodit, a qua eos principium accepisse non dubium est, ne dum peregrinis affectionibus studeant, caput institutionum videantur amit- D tere. Item post alia. Si prædecessores tui minus aliquid aut aliter tenuerunt, idcirco nunc respodemus, non quod te ignorare credamus, sed ut majore auctoritate vel tuos instituas, vel si qui a Romanæ ecclesiæ institutionibus errant, aut commoneas, aut judicare non differas, ut scire valeamus qui sint qui aut novitates inducunt, aut alterius ecclesiæ, quam Romanæ existimant consuetudinem esse servandam. Data III. Idus Decembris, indictione XIII. Anno Christi 864.

III. AD EUMDEM ADONEM VIENNENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Cur synodus non fuerit celebrata. De Arsenio legato in Gallias & Germaniam misso. Gunthario & Theutgaudum non fuisse pristino gradui restitutos. Prsbyterum Gerardi comitis alteriusve cujuslibet laici non recte appellari.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei reverentissimo & sanctissimo confratri Adoni archiepiscopo Viennensi.

MIraris frater cur synodum dispositam non celebraverimus, cum in ea inter cetera quæ nunc * incongruunt, & longum est narrare, de negotiis quæ apud vos geruntur Deo auctore præcipue ventilare, ac una vobiscum, tecum scilicet

* Forte, ingruunt. Il

& ceteris fratribus noſtris decernere propoſueri- A mus, & vos per quos res illarum regionum, quæ vobis magis pro vicinitate quam nobis notæ conſiſtunt, liquidius & ſufficientius agnoſcere ſperabamus, & rurſus quicquid Deo revelante ſtatuendum erat, illis arbitrabamur partibus innoteſcendum, defueritis: præſertim cum vobis & omnibus pene ultra Alpes exiſtentibus eccleſiarum Dei præſulibus ad ſynodum Romæ celebrandam, & ad hanc ſe convocandos fuerimus frequentius provocati, & pro his quæ illicite perperam aguntur potiſſimum exiſtamus ſalubriter agitati. Alias autem miſimus Arſenium venerabilem epiſcopum apocriſiarium & miſſum apoſtolicæ ſedis & conſiliarium noſtrum, Galliarum & Germaniæ partibus de negotiis inſtantis temporis quædam vobiſcum B rimaturum ac inventurum. Et ideo non putavimus vos debere deeſſe illis regionibus, quamdiu ipſum illic me demorari conſtaret. Unde bene faciet beatitudo tua ſi illi adhæſerit, & in his quæ ex noſtra delegatione agenda ſunt, ejus laboribus fraterne communicaverit. Aſſerit autem ſanctitas tua quod fama ubique ſpargatur Theutgaudum & Guntharium dudum epiſcopos per nos priſtino gradui reſtitutos; quod qualiter agi poterat dum ſcelus, tam quod rex Lotharius in repulſione Theutbergæ reginæ, & admiſſione ſcorti commiſit, quam quod Ingeltrudis apoſtatrix & adultera perpetravit, adhuc vigeat, cujus fautores fuere neſcimus ſi ipſe aliquatenus animadvertis: præcipue in Gunthario, qui contra ſacros canones decreta noſtra poſtpo- C nens, miniſterium ſibi vetitum juxta præcedentem conſuetudinem contingere auſus eſt. Quamvis ergo hinc nihil uſque adhuc in corde noſtro teneatur, tamen ſi de reſtituendo quoquam eorum aliquid egiſſemus, conſequenter ſicut de caſu, ita quoque omnibus vobis de reſtitutione ſcribere curaremus. Illud autem, frater cariſſime, ridiculoſe ſonuit, quod apicum tuorum gerulum nobis commendans, hunc presbyterum, Gerardi il-
* Pro, quid. luſtris comitis eſſe perhibueris. Vere * quod hoc
ii. ſcribens prudentia tua dicere voluerit, vel quid ſuper hujuſcemodi verbo intellexeris, nos fateor ignoramus. Numquid Gerardus comes illum preſbyterum conſecravit? numquid de ipſius eſt diœceſi? Ubi hoc legiſti? ubi hoc didiciſti? Niſi quia D presbyteti non ſpecialiter eccleſiæ civitatis; aut eccleſiæ poſſeſſionis, aut martyrii, aut monaſterii ſecundum ſacras regulas ordinantur: ſed in domibus laicorum conſtituuntur, & cum ſæcularibus
* Forte, & eccleſiæ. H. adeo converſantur; ut non jam Dei, * eccleſiæ cujuslibet, ſed illius comitis atque illius ducis eſſe dicantur? ita ut impletum ſit quod per prophe-
* Oſee 4. tam dicitur: Et erit ſicut populus, ſic ſacerdos. Quod fortaſſe unum eſt eorum, quæ cum in nomine Domini convenerimus unanimiter in idipſum, oportebit decentius emendari, & tamquam venenatum elleborum amputari. Optamus fraternitatem veſtram in Chriſto bene valere.

DE SENTENTIIS ATQUE interdictis ſedis apoſtolicæ ad ſupradictum archiepiſcopum.

INTER ALIA.

I.

UT archiepiſcopi canonicos conventus in provinciis ſibi commiſſis cum timore Dei faciant; ubi omnes cum venerabilibus epiſcopis nobiliores provinciæ conveniant; ibique integritatem fidei, & canonicarum regularum obſervantiam audiant, & ad tenendum ne excuſari poſſint, ſubſcribere doceantur.

II.

Ut metropolitani vigorem eccleſiaſticum reverentius ſervent, & ſive in vita, ſive in doctrina ſingulari auctoritate præcellant; ſæculares diſcurſus & negotia vitent, zelo pietatis inflammati adverſus mundialium hominum malitiam fortius & verius inſurgant; principes regni adulando non decipiant; provinciarum ſuarum munere divino ſibi commiſſarum in omnibus curam habeant.

III.

Ut ſuffraganei reverentiam & obedientiam condignam metropolitanis ſuis exhibeant; ad metropolitanam ſedem obedientes occurrant; cauſſas eccleſiaſticas cum metropolitano ſuo fideliter pertractent, & ab ipſo formam qualiter ipſi in eccle- B ſia ſua agant accipiant.

IV.

Ut archiepiſcopi & epiſcopi plebes vel baptiſmales eccleſias in diœceſibus ſuis more antiquo conſtituant, & laici a talibus cavere doceantur; ad quos reliquarum eccleſiarum tituli pertineant; ut ibi conventus celebrior populorum fiat, & doctrina fidei ac Chriſtianitatis in unum congregatis liberius prædicetur.

V.

Ut archiepiſcopi cum coepiſcopis ſuis auctoritate patrum noſtrorum muniti procurent, ut ſacris locis dignæ perſonæ præferantur, & ſæcularium habitacula loca Deo dicata vel ſacrata non fiant. Unde & nos pios principes ubi opportunum C fuit monuimus, & propter honorem Chriſti caritatis ſuæ, quod diebus illorum depravatum & deſtructum eſt, ſollicitius & melius recorrigant. Ipſi quoque archiepiſcopi & epiſcopi cupiditatem ſuam cohibeant, ut laicos poſtmodum ab inlicita præſumptione liberius caſtigare valeant; neque ſicut hactenus factum eſt ad ſcandalum & ruinam multorum aliena appetant, & locis ad jus ſuum & epiſcopatum non pertinentibus dominari non expoſtulent; ſed contenti terminis ſuis: ſicque potentialius laicorum avaritiam & incautelam reprimere poterunt.

VI.

De excommunicatis publice propter publicum crimen, ut per publicam pœnitentiam recipiantur, & ſecundum modum facti canonica auctoritate ſingulis pœnitentia prolongetur.

VII.

Ut non temere excommunicationes fiant, ne auctoritas epiſcopalis vileſcat, neque abſolutiones inordinate, niſi ſatisfactio ordinabiliter regulis patrum conſentiens præcedat.

VIII.

Si quis dogmata, mandata, interdicta, ſanctiones, vel decreta pro catholica fide, pro eccleſiaſtica diſciplina, pro correctione fidelium, & pro emendatione ſceleratorum, vel interdictione imminentium, vel futurorum malorum a ſedis apoſtolicæ præſule ſalubriter promulgata contempſerit; anathema ſit. *Hoc vero poſtremum decretum deſumptum eſt ex capitulo quinto concilii Romani ſub eodem pontifice Nicolao anno 863. celebrati, ut ſuo loco monebimus.* 25. q. 1. quis d.

IV. AD EUMDEM ADONEM VIENNENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Confirmatur auctoritate pontificia vetus privilegium metropoleos Viennenſis.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Adoni archiepiſcopo decretum perpetuum Viennenſi eccleſiæ.

QUod reverenter petiit ſanctitas tua a ſede apoſtolica & humiliter expoſtulavit, ut privilegium

gium antiquum a patribus & prædeceſſoribus noſtris Viennenſi ſacræ ſedi conceſſum renovaremus, auctoritas hujus ſanctæ ſedis, quia digna res petebatur, non abnuit. Sicut ergo ab anteceſſoribus noſtris, beatiſſimo ſcilicet Leone & a reliquis pene ad noſtra tempora, tuis anteceſſoribus præſtitum eſt largitione apoſtolica, ut juri Viennenſis eccleſiæ quatuor civitates vel oppida, Gratianopolis ſcilicet, Valentia, Genava, Darentaſia, perpetue ſubjectæ manerent, ita modo noſter præſulatus futuris temporibus firmum & inconvulſum durare præſenti decreto conſtituit, & ut ad poteſtatem & diſpoſitionem Viennenſis metropolis pertineant immobiliter definivit. Neque tamen propterea Darentaſienſis eccleſia ſi aliquod munus privilegii illi conceſſum eſt perdet; quia nec hoc modo Viennenſis archiepiſcopus & primas ipſius a noſtra auctoritate poſtulavit, ut iſdem in tribus oppidis vel civitatibus quæ nunc additæ & commiſſæ videntur non ordinaret, & epiſcopos eorum ad ſe cum opportunum videret non advocaret. Sed ut ſub jure Viennenſis eccleſiæ ita ſe poſitum ſempre ſciat, ut per diſpoſitionem ipſius hæc omnia eccleſiaſtice agat, & ad ſynodum ejuſdem archiepiſcopi & primatis vocatus pariter cum eiſdem ipſis ſibi conceſſis occurrat. Et quantum ad generalem obſervationem attinet, nihil præter auctoritatem Viennenſis præſulis definire præſumat. Sitque humiliter, ſicut a ſanctæ recordationis prædeceſſoribus noſtris ſalubre firmatum & ſtatutum eſt, Viennenſi eccleſiæ ita ſuppoſitus, ut poſtmodum liberius dignitatem ſuam a nobis ſibi conceſſam habere & tenere prævaleat; ne forte ſi aliter fecerit aut præſumpſerit, non ſolum aliqua ſibi conceſſa amittat, ſed etiam propter tranſgreſſionem & inobedientiam durius damnatus in futurum humilietur. Data Idus Jun. indictione XV.

Ch.

EPISTOLA VENERANDI ANASTASII PRESBYTERI ET ABBATIS, ac bibliothecarii ſacræ Romanæ eccleſiæ.

Mortuum Nicolaum papam nunciat, electum vero in ejus locum Hadrianum II.

Domino ſancto patri Adoni venerando mihi & valde diligendo archiepiſcopo, ego Anaſtaſius ſanctæ Romanæ eccleſiæ bibliothecarius plurimam opto ſalutem.

TRiſte tibi nuntium, proh dolor! nimium triſtis & gemens tranſmitto. Venerabilis quippe recordationis pater & papa noſter Nicolaus ab hac miſera vita Idibus Novembris ad cæleſtem beatitudinem, ut credimus, ductus nos miſeros & valde deſolatos reliquit. Intrant enim poſt diſceſſum ejus lupi rapaces non parcentes dominico gregi, quibus obſecro & per Deum conteſtor ut fortis, * minas reſiſte, ſimulque deprecor ut orationes pro illo Domino ſedulas dirigatis. Eheu! quam ſero talem virum eccleſia meruit, quam cito reliquit. Vere fateor expedierat ut ſol radios ſuos abſconderet magis quam illa os vel oculos divideret, quos uſque ad punctum deceſſus ſui ad divinum obſequium aperuit, & ad eccleſiæ profectus intentos ſemper exhibuit. Verum nunc congregatio omnis, quos ille vel pro diverſo adulterii genere, vel pro aliis criminibus redarguit, ad hoc exarſerunt, ut univerſa ejus opera deſtruere, & cuncta ſcripta delere meditari non metuant. Quorum conatus idcirco creditur ad effectum venire, quia imperatoris cum his manus eſſe falſo ut credimus dicitur. Hæc ergo cunctis fratribus nuntiate, & in quibus prodeſſe poſſe confiditis, laborare pro domo Dei curate. Nam ſi tanti pontificis acta caſſantur, veſtra quæſo ubi parebunt? Verum ſcio quia licet apud nos paucos, apud vos tamen reliquit ſibi Dominus plurimos, qui non curvaverant genua ante Baal. Habemus autem præſulem Hadrianum nomine, virum per omnia quantum ad bonos mores pertinet valde ſtrenuum & induſtrium. De quo adhuc utrum eccleſiaſtica negotia omnia, an partem curare velit, ignoramus. Pendet autem anima ejus ex anima avunculi mei, veſtri vero Arſenii, quamvis idem eo quod inimicitias multas obeuntis præſulis pertulerit, ac per hoc imperatori faveat, a ſtudio eccleſiaſticæ correctionis paullulum refriguiſſet. Quem cito quæſo veſtris ſacris monitis rurſus inflectite, ne diebus ſuis dum valet apud ſuum imperatorem & ſummum pontificem eccleſia Chriſti, * at maxime prima. Taliter metear veſtra de proſperitate ſemper gaudere.

* Locus corruptus. H.

orte, ..r. H.

EMBOLUM.

Adjuro autem ut omnibus metropolitis Galliarum intimetis, ne ſi hic factum fuerit concilium, ſic quaſi recuperationem ſui ſtatus aſſequantur, ut in derogationem defuncti præſulis proſiliant. Præcipue vero cum hunc nullus redarguerit, & modo qui objectis reſpondeat non ſuperſit, quamvis ille nec eo.... publicam geſſerit, nec hæreſi unquam, ut fingunt, annuerit, ſed zelo Dei quod operatur..... Unde etiam ſcribo vobis & per Deum conteſtor ne conſentiatis, neque approbetis, immo reſiſtatis iis quæ contra Nicolaum papam agi tentantur, quoniam auctoritas hujus eccleſiæ mox diſſolvitur, ſi preſule.... addicitur.

APPENDIX III. EPISTOLARUM NICOLAI PAPÆ I.

Ex Baluzii Miſcellaneis tom. V.

I. *Capitula reſponſionum Nicolai Papæ ad legationem Salomonis epiſcopi miſſi a Rege Hludovvico Germanico.*

FAteor veraciter apoſtolatum noſtrum commotum fuiſſe adverſus eum, non quia illicitæ copulæ conſenſit, ſed quia ſicut non conſenſit, ſic non prohibuit. Et non ſufficiat ad ſalutem non facere malum, ſi non faciamus bonum. Job ſancto non ſufficeret ſolum quia ſimplex erat per innocentiam, niſi eſſet & rectus per æquitatem. Duo filii Juda, iniquus ſcilicet & ſemen in terram fundens, duo genera hominum ſignificant, unum videlicet per malitiam nocens, & alterum per benevolentiam præſtare nolens. Sed utrumque Dominus iratus occidit. Rurſus qui nos vult ſimplices eſſe ſicut columbæ, admonuit ut ſimus prudentes ſicut ſerpentes. Nam & ſpiritus ſanctus in columba & igne monſtratus eſt, quia omnes quos repleverit ſimplices & ardentes facit, ſimplices puritate, ardentes æmulatione. Videte ergo quomodo placere Deo ſimplicitas ſine zelo non poſſit. Talem igitur ſe debuit per zelum rectitudinis contra injuſtitiam exhibere, ut omnibus palam daretur intelligi, juſto Regi rectoque principi non placere tam immane piaculum, maxime in ſuo ſanguine & in ſua carne. Sed cum ſimplices ita illum tepere vidiſſet & forinſecus nulla pro veritate commoveri æmulatione, arbitrari ſunt quod niſi placeret illi, nullo modo tanto ſilentio uti potuiſſet. Unde ſeducti ſeculi ſunt nefas ſicut

nefas. Quod præcavens Eleazar, de quo apud Machabæos legitur, cum juſſa prohibita perficere cogeretur, nec ſaltem æſtimari voluit talibus ſuaſionibus annuiſſe: cui cum placere ob ejus reverentiam carnifices voluiſſent, & ipſe poſſet & mortem evadere & in legitimis Domini non peccare, maluit mortem eligere quam vitam ad infirmorum enervationem diligere. Nam quid prodeſſet Deum in occulto non abnegare & tamen palam non glorificare? Denique cum Chriſtus ſit veritas, quiſquis pro veritate palam non certat, Chriſtum coram hominibus procul dubio abnegat.

I. Si voluntas ejus nec erat nec eſt nec erit in illa injuſta copula, Deo gratias agimus, quia valde diligimus illum. Et idcirco plurimum doleremus ſi, quod abſit, aliter eſſet. Sed quia Deo gratias Rex eſt & in ſublimi poteſtate conſiſtit, palam omnibus innoteſcat ſuam non eſſe in tali copula voluntatem; ut videntes homines ejus bona opera, glorificent patrem noſtrum qui eſt in cælis. Nemo quippe, ſicut veritas dicit, accendit lucernam & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt. Ergo deſerat ſimulationem, & arripiat liberam audaciam, quam pro Dei nomine, non ſolum cum eſt Rex, verum etiam ſi eſſet pauperrimus, apprehendere nequaquam formidare debuerat. Quia vero quando habuerunt ſynodalem conventum, ibi nec ipſe fuit, nec epiſcopi de regno ipſius, hoc magnopere laudandum non eſt, eo quod ſi eſſet, forſitan contradixiſſent, forſitan aſcenderent ex adverſo, & opponerent murum pro domo Domini. Verum melius judicamus eos ibi non fuiſſe quam ſi eſſent & vel tacendo conſenſiſſent. Quoniam autem propter noſtram petitionem & amorem fratris ſui familiaritatem habuit cum illo, & regnum ejus ſtabilivit & adhuc ſtabilire vult, ſi noſtræ obedierit juſſioni bene facit. Sed, proh dolor! quid ei prodeſt regnum terrarum qui perdit ætherium? Vel cujus familiaritatis ſocietas haberi poteſt cum eo qui diſſociatur a Deo, & carnem ſuam odio habens, tollit membra Chriſti, & facit ea membra meretricis.

II. Quod ſi a via veritatis ille Hlotharius deviaverit & normæ juſtitiæ non obedierit, & domnus Rex Hlodovicus poſtulat noſtrum apoſtolatum, ſicut credimus quia ex cordis poſtulat ſimplicitate, & confidimus quia poſtquam noſtrum conſilium quærit, non parvipendet, ſed obedienter perficiet, interea diſponimus eumdem Hlotharium admonere, & iſte patruus ei ſimiliter faciat. Quod ſi totiens conventus parere nobis diſtulerit, neminem Chriſtianorum cum eo volumus familiaritatem aliquam habere, ſed ſit ulterius omnibus ſicut ethnicus & publicanus cum familiaribus ſuis. Tu autem, ſanctiſſime Epiſcope, bene noſti quia ſæpe nonnulli compulſi redeunt ad viam ſalutis. Unde ſi ſicut apud nos nullum potuit habere ſuæ iniquitatis præſidium, ita nullum inveniſſet apud patruos & fratres ſuos confugium, jam vel coactus rediret. Sed cum invenit requiem apud hos & tutamentum, reverti contemnit. Quia vero nos cum ſancta ſynodo juxta canones ea conditione Theodgaudum & Guntharium depoſuimus ut ſi juxta præcedentem conſuetudinem aliquid de miniſterio ſacro auderent contingere, nullo modo liceret eis nec in alia ſynodo reſtitutionis ſpem aut locum habere ſatisfactionis, ſed & communicantes eis omnes abjici de Eccleſia, & maxime ſi poſtea quam didicerint adverſus memoratos prolatam fuiſſe ſententiam, eiſdem communicare tentaverint, & nunc audimus Guntharium interdictum ſibi miniſterium uſurpaſſe, quapropter tale conſilium damus & per auctoritatem Dei & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum principum & omnium ſimul ſanctorum patrum domno Regi Hludovvico injungimus ut ab ejuſdem Guntharii vel etiam Theodgaudi communione ſe ſuoſque omnes & præcipue epiſcopos ſubtrahat, & a familiaritate eorum qui illis communicant vel quoquo modo favent, ſe & ſuos quotquot poteſt contineat, ita tamen ſi verum eſt quod interdictum ſibi epiſcopale officium peragant, vel ſi conventicula contra diffinitionem noſtram in ipſos prolatam congregare tentaverint; ſimiliter & a Hlotharii communione ſe omnino ſuſpendat, ita dumtaxat ſi idem Hlotharius monita noſtra negligens in copula VValdradæ permanere delegerit, vel ſi cuilibet damnatorum præfatorum contra decreta noſtra renitenti communicare vel favere præſumpſerit. Alioquin nec Dei nec beatorum apoſtolorum Petri & Pauli nec ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ communionem habere proculdubio poterit.

III. Piæ memoriæ Hludovvici Imperatoris ſtudium conlaudamus, prædeceſſoriſque noſtri ſanctæ memoriæ Gregorii veſtigia ſequi parati ſumus.

IV. Ut Epiſcopus Bremonenſis, licet a Guntharío hæc non potuerit dari licentia, nec ab eo tale quid peti debuerit, tamen pro amore domni Regis, quia pia eſt ejus petitio, cum noſtra auctoritate in prædicto loco Bremon poteſtatem & honorem archiepiſcopatus ſuper Danos & Suevos habeat, & ſimili modo ſui ſucceſſores per tempora futura perpetualiter teneant atque poſſideant.

V. De Epiſcopo Radasbenenſis civitatis, ſi adeo ſicut dicis infirmatur ut de ovibus ſibi commiſſis nullam curam habere poſſit, ne ſine ſollicitudine paſtorali degentes oves Chriſti depereant, profiteatur ſcripto & propriæ manus ſubſcriptione ſuo Metropolitano ſe nil lucri plebi ſibi commiſſæ poſſe pro ſua gravi ægrotatione conferre. Sed & ſimili modo nunquam ſe deinceps epiſcopale officium repetiturum polliceatur; ſi tamen ejus in hoc tota voluntas eſt, & de ſanitate ipſius modis omnibus deſperatur. His ita geſtis, non talis qualem ipſe elegerit, ne contra canones ſucceſſorem ſibi ipſe elegiſſe videatur, ſed quem cleri & plebis cum conſenſu Metropolitani voluntas elegerit, is loco ipſius epiſcopus modis omnibus conſecretur, de ipſa Eccleſia ſuperſtiti epiſcopo ſtipendiis quamdiu vixerit ſufficientibus per ſucceſſorem ſuum epiſcopum ſubrogandis.

VI. De Hartuvigo Pazzouvenſis civitatis epiſcopo, quem aſſeritis ante annos quatuor paralyſi percuſſum, ita ut nil valeat loqui, & Eccleſia ſibi commiſſa diſſipetur & ad nihilum redigatur, dum eſt omni paſtorali cura deſtituta & nulla epiſcopali providentia circumſepta, ſi ita eſt, debet idem epiſcopus ſaltem ſcripto profiteri ſe officium illud non poſſe peragere. Quod ſi hoc agere non poteſt, quomodo poſſumus viventi epiſcopo propriam Eccleſiam auferre, dum divitias miſericordiæ Dei nullus comprehendere poſſit, & dum ipſi quæ minus putamus ipſius diſpenſatione occurrunt? Sit ergo cura rerum eccleſiaſticarum œconomo electo de proprio clero juxta ſacros canones commiſſa; & quæ ad epiſcopum agere pertinent, per epiſcopum quem metropolitanus antiſtes ad hoc opus agendum elegerit interim gerantur. Aliter autem de hoc quam de ſuperiore diximus, quia illius affatu ſcire poſſumus, iſtius vero volutatem noſſe nequimus.

VII. De epiſcopo juventi facimus quod pie a nobis Rex voluit poſtulare.

VIII. Si

VIII. Similiter de Liudberto archiepiſcopos ſacimus quod popoſcit.

IX. Hymnus angelicus, id eſt, *Gloria in excelſis Deo*, non eſt a presbyteris niſi in paſchali feſtivitate dicendus, quod & liber ſacramentorum demonſtrat, & conſuetudo in Romana Eccleſia antiquitus obſervata patenter oſtendit, quam debere omnes in ordinibus eccleſiaſticis ſequi beatus Innocentius in principio decretorum ſuorum luculenter exponit.

X. Pro Rege Danorum, qui vovit votum Deo & ſancto Petro, gratias agimus eidem Deo, deprecantes pariter ut quod nobis de Cornelio centurione refertur faciat quoque clementer de hoc in proximo nos audire. Cui orationes & eleemoſynæ etſi ante baptiſmum non profuerunt ad diluendam impietatem, profuerunt tamen ad cognoſcendam veraciſſimam pietatem.

XI. Quoniam nuntias quod fidelis Rex diſpoſitum habeat venire Tullinam & deinde pacem cum Rege Vulgarorum confirmare & Raſtitium aut volendo aut nolendo ſibi obedientem facere, oramus omnipotentem Deum ut angelus qui fuit cum Jacob Patriarcha ſit quoque cum ipſo & cum omnibus ſuis, & bene diſponat iter ejus, & cum pace & gaudio revertatur ad propria.

XII. Quia vero dicis quod Chriſtianiſſimus Rex ſperet quod ipſe Rex Vulgarorum ad fidem velit converti & jam multi ex ipſis Chriſtiani facti ſint, gratias agimus Deo, quem precamur ut abundare faciat incrementa frugum in horreo ſuo. Jejunium vero pro eis & orationes, ſicut per te hortatur, Deo propitio faciemus.

XIII. Præterea fateris quod devotiſſimus Princeps deprecetur nos ut ſi aliquis ſiniſtrum quippiam de illo nobis per miſſum ſeu per epiſtolam intimaverit, non ei credamus priuſquam ipſe venire præſens vel ſuos idoneos legatos ad nos poſſit tranſmittere. Cui renuntiamus quia nos pignus repromiſſionis dilectionis & devotionis ſuæ retinemus. Cujus memores ſi quid de ipſo ſcævum forte audierimus, tanquam ſi ranarum cantus declinare ſtudebimus. Verum ipſe ſemper operetur unde tripudiantes lætemur & ob id Deo gratias debitas perſolvamus.

XIV. Porro aſſeveraſti quod domnus Rex nobis ita deinceps obediens per omnia fieri velit ad noſtram mutuam ſanctæque Dei Eccleſiæ exaltationem ſicut filius patri & junior magiſtro, ſi ſpem firmam in nobis habere poteſt ſicut habuit poſtquam nos Deus in ſancta hac ſede conſtituit. Cui intimamus uti poſt Deum talem in nobis ſpem habeat ut nullus ſit cui ille credat quod nos illi & ſuis non omne gaudium & omnem velimus evenire lætitiam, optantes ſcilicet & Deum omnipotentem inceſſanter flagitantes ut non ſolum in præſenti ſæculo proſpere regnet atque per multa temporum curricula vigeat, verum etiam in futuro cum Chriſto ſine fine beate vivat, Deum ſicut eſt contemplans.

A Domino facilius conſtruendum amicitiæ fœdera habuiſſe dominica ſciamus referente hiſtoria, quid mirum ſi pius Imperator ad gloriam Dei & ad ſecuritatem ſanctæ Eccleſiæ, quæ vere divinum eſt templum, cum exteris gentibus placitum confirmet; maxime cum piæ memoriæ Karolus abavus veſter nonniſi ad remedium & ſolatium Chriſtianorum qui in diverſis locis inter eos tanquam grana inter paleas tundebantur, placitum cum eorum principe noſcitur procul dubio perpetraſſe.

Nicolaus Karolo Regi majori. Dilectus filius & coæquivocus veſter Karolus ad noſtram apoſtolicam nunc in præſenti deſtinare ſtuduit paternitatem, intimans videlicet quod pro quadam femina a primo jam matrimonio relicta, quam ſine B veſtro, quod non debuerat, conſenſu ſibi ſociavit in conjugium, veſtræ paternitatis offenſam incurrerit.

ITEM. De uxore filio veſtro conjuncta, ſi telis contra divinitatem invenitur cauſſa pro qua nullo modo eam habere debeat, volumus nobis a veſtra dilectione mandari. Quod ſi nulla invenitur ex latere alia cauſſa quod grave pariat peccatum, non reperitur auctoritas ut eorum ſcindi debeat conjugium, nec noſtrum eſt eis ſine manifeſta delicti culpa ſuæ ſeparationis inferre præjudicium.

ITEM. Quamquam ſciamus filiam veſtram, ſi libet, poſſe vos Balduino legaliter in uxorem dimittere, & pietatis veſtræ clementer gratiam impertiri, non tamen juſſa miſimus, ſed preces C obtulimus.

Nicolaus Guifredo, Morinenſis Eccleſiæ epiſcopo. Clericum qui paganum occiderit non oportet ad gradum majorem provehi, qui carere debet etiam adquiſito. Homicida enim eſt. Nam cum diſcreti ſint milites ſæculi a militibus Eccleſiæ, non convenit militem Eccleſiæ ſæculo militare, per quod ad effuſionem ſanguinis neceſſe ſit pervenire. Denique ſicut turpe ac pernicioſum eſt laicum Miſſas facere, ſacramenta corporis & ſanguinis Chriſti conficere, ita ridiculum eſt & inconveniens clericum arma ſuſtollere & ad bella procedere, cum Paulus egregius prædicator dicat: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus*; D ac ſic liquido verſa vice, nemo militans mundo implicat ſe negotiis ſpiritualibus.

Bernardo illuſtri viro filio quondam Bernardi glorioſi Comitis. Curæ quam pro cunctis Dei Eccleſiis circumducimus officium nos cogit pro univerſorum Chriſtianorum ſalute fore ſollicitos. Quamobrem & de te quoque providentiam agentes, audimus, quod non optabamus, ita te contra Deum efferri ut Chriſtianum populum deprædans in regno filii noſtri glorioſi Regis Karoli numeroſa mala exerceas, adeo.....

☞ *Baluzius V.Cl. in ſuis miſtellaneis tom. V. decretum evulgavit ſub titulo* ex Decretis Nicolai Papæ, *ratus ineditum ſe primum evulgaſſe. Verum integra Nicolai epiſtola, ex qua hoc decretum deſumptum, extat in Burchardo lib. 6. cap. 46. Hanc ergo ex MS. meo cod. Burchardi hic reddo.* Ex Baluzio loco cit.

E

II. FRAGMENTA EPISTOLARUM QUATUOR EJUSDEM NICOLAI PAPÆ I.

Ex Baluzio loco cit.

Nicolaus Ludovico Imperatori.

CHriſtianæ religioni nihil officit, immo profi-cit, ſi caritate magiſtra divino intuitu cum exteris quibuſque pro remediis & ſecuritate Chriſtianorum placitum inieritis, cum conſtet non ob aliud id fieri niſi ut fera ſævitia eorum quæ in fideles unanimiter exardeſcit aliquo modo refrænetur. Nam cum Salomonem cum alienigenis ad ſanctam gloriam multiplicandam & ad templum

Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Reverentiſſimo & Sanctiſſimo Rodulfo Epiſcopo S. Argenteeretenſis (f. Argentinenſis) *eccleſiæ.*

DUm de univerſis Mundi partibus credentium agmina Principis Apoſtolorum liminibus properant, quidam vir nomine Thothar venit, veſtræ beatitudinis epiſtolam gerens, quam noſtro contulit Præſulatui, cujus paginam perlegentes matricidam illum eſſe cognovimus. Quo facto

facto multis fletibus, lacrymisque profusis valde doluimus, idcirco præcipimus, & Patrum almorum censuris statuimus, ut sub pœnitentiæ jugo permaneat; ita ut * per unum annum Ecclesiam non ingrediatur, sed ante fores Basilicæ stans orans, ac deprecans Deum perseveret, qualiter tanto eripiatur piaculo. Completo vero anni circulo, introeundi in Ecclesiam licentiam habeat, tamen inter audientes stet, & nondum communicet. Completis autem trium annorum curriculis Sacræ Communionis illi gratia concedatur. Oblationes vero non offerat, nisi postquam aliorum septem annorum curricula expleantur. In his autem omnibus annis, atque temporibus carnem non manducet, nec vinum bibere præsumat, exceptis festis diebus, atque Dominicis, & a Pascha usque ad Pentecosten; & quocumque ire voluerit nullo vehiculo deducatur, sed pedibus proficiscatur, arma non sumat nisi contra Paganos. Jejunet autem tres dies per hebdomadam usque ad vesperam. A propria ac legitima quidem conjuge non separetur, ne in fornicationis voraginem corruat, quod ne fiat, optamus. Si autem ante trium annorum cursum finis vitæ illius appropinquaverit, corporis Domini nostri Jesu Christi particeps fiat; Sin autem, ut supra statuimus, efficiatur. Tamen si illius conversationem & fontem lacrymarum in omnibus videritis floridis actionibus & optimis operibus pullulare, humanius circa eum vestra sollicitudo pervigil appareat, mitisque omnibus demonstretur. Optamus vos in Christo bene valere.

* hic incipit Baluzius.

urc hard. lib. VIII. cap. XLVII.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei reverentissimo & sanctissimo confratri nostro Adalvvino sanctæ Juvanensis Ecclesiæ archiepiscopo.

* dist 29. *Quod interrogasti*, sed ibi inscribitur epistola Albino Januensi, nec est integra.

QUod autem interrogasti * de femina quæ post obitum mariti sui velamen sacrum super caput suum imposuit, & finxit se sub eodem velamine sanctimonialem esse, postea ad nuptias rediit, bonum mihi videtur quia per hipocrisin ecclesiasticam regulam conturbare voluit, & non legitime in voto suo permansit, ut pœnitentiam agat de illusione nefanda, & revertatur ad id quod spopondit, & in sacro monasterio inchoavit. Nam si consenserimus, quod omnia sacramenta ecclesiastica quisque prout vult fingat, & non vere faciat, omnis ordo ecclesiasticus est turbatus, nec catholicæ fidei jura constituunt, nec canones sacri rite observantur. Quid enim profuit Symoni mago baptismum sacrum ficte suscipere, & in christianitate permansurum se finxisse, cum per apostolum, fraude ejus decreta, quod sibi futurum esset, prænuntiatum est? Ait enim; pecunia tua tecum sit in perditione. Cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ut forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse. Ideo tales, nisi resipiscunt, spirituali gladio pecutere censemus. Non enim fas est Spiritui Sancto mentiri, sicuti Ananias & Saphira mentiti sunt, & statim perierunt.

IV. RESPONSA NICOLAI PAPÆ I. AD CONSULTA ARDUICI ARCHIEPISCOPI Vesontionensis.

Ex Dachery Spicilegio novæ edit. t. I p. 596.

Ex MS. cod. Autisiodorens.

NIcolaus Episcopus servus servorum Dei reverentissimo & sanctissimo Confratri nostro Arduico Bisontionensi Archiepiscopo. Inter cetera virtutum tuarum insignia, quæ plurimis sunt gratiarum actionibus cumulanda, summam obedientiam tenere te conspicimus cum humilitatis fastigio. Et cum tantam in te circa nos animi admirati cernamus alacritatem, mentem tuam Apostolorum spiritu tactam non dubitamus. Cui dum a Primate suo, cujus nos licet meritis impares vices gerimus, tantum verbo diceretur, *Vado piscari*, illico responderunt ajentes: *Venimus* Joan. 21. *& nos tecum*. Ita quoque nunc unanimitatis tuæ fraternitas cum nos pro lucrandis & abstrahendis e falsis & amaris hujus mundi gurgitibus fidelium animabus studii gressum ponere solo sermone velle sentiret, protinus quia nos sequi, quia per nostra cupiat vestigia gratanter incedere, nullam dilationem passa suggessit, & usque ad mortem se nobiscum contra hostes dimicaturam, crebra legatione missa spopondit. Sed oramus omnipotentem Deum, ut cui factus es in hujusmodi promissione consimilis, protegente ipso efficiaris in negatione dissimilis. Quamquam etsi tale quid accidisset, idem ipse fuerat in recuperatione forma penitus imitabilis, beatus scilicet Petrus Apostolorum princeps, qui Malchi corporali absciſſa gladio aure inobedientiam, & in Anania & Saphira spiritali verbi mucrone mendacium & avaritiam perculit. Cujus dum sedem veneraris, & præcepta sectaris, credimus quod patrocinia quoque adipiscaris, & apud Deum intercessionum suarum tegmina consequare. Jam vero ad consulta fraternitatis tuæ, de quibus per literarum tuarum portitorem tibi voluisti responderi, prout Dominus dederit, a quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, mentis oculum dirigentes, caritati tuæ non subtrahemus, sed potius tamquam cælitus gratis acceptum donabimus.

CAPUT PRIMUM.

HAs igitur quæ duobus fratribus nupserint, vel qui duas sorores uxores acceperint, Concilium Neocæsarienſe usque ad mortem abjici, & in exitu suo pœnitentiæ remedium, dissolutis dumtaxat hujus conjunctionis vinculis, consequi jubet. Hos autem vel has, qui vel quæ post pœnitentiam nova conjugia & inhibitos appetivere concubitus, beatus Papa Siricius a Dominicæ mensæ convivio separat, & solo viatico cum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam voluit talibus subveniri. Quo ergo pacto aliquo possunt uti conjugio, quibus nec inhibitos denuo repetere concubitus, nec rursus nova conjugia licet contrahere? cum etiam dissolutis hujusmodi conjunctionis vinculis, nonnisi in exitu pœnitentiæ remedium tales consequi possint. Non enim, ut sancto innuente Præsule Siricio supra meminimus, aut nova conjugia, aut inhibitos denuo appetere concubitus hos qui pœnitentiam reservare student, oportet. Præter hæc autem quomodo posset duabus sororibus vir quilibet, aut duobus fratribus quævis mulier copulari, & rursus viventibus illis ad alias nuptias convolare? cum licet non jure, in duabus tamen personis, connubium contractum jam fuerit, & secundum Evangelium vivente uno ex matrimonio, alter si conjugem duxerit, mœchatur. Quod si mortuæ jam sunt illæ duæ sorores vel fratres, quibus vir vel mulier juncta fuit, & ideo existimatur tertias quemlibet vel quamlibet nuptias contrahere; sciendum est quia nos non hoc a Salvatore nostro, non ab Apostolis, non ab Apostolicis viris accepimus, sed nec accipiendum mandabimus.

CA-

A

CAPUT II.

HOs vero qui de propria conſanguinitate ac de propria cognatione uxores accipiunt, vel nubunt, quis non reprehendat & arguat? cum etiam ſancti prædeceſſores noſtri Apoſtolicæ ſedis Antiſtites Gregorius ſcilicet & Zacharias, hos anathematis mucrone percutiant, & diſſolvi hujuſmodi copulam, utpote beſtiarum more contractam, omnino voluerint. Jam vero poſtquam diſſoluta copula fuerit, ab invicem ſeparati, ſi poſſint, quod ſciſcitaris, ad melius commeare conjugium; nulla ratio patet. Quoniam cum hi pœnitentiæ ſummittendi ſint, nec hos inhibitos ſibi concubitus, nec alia nova appetere debent B conjugia. Denique ſi Thamar a fratre, & concubinæ David a filio ejus violenter oppreſſæ, propter inceſtum coitum nullas nuptias contraxiſſe refertur, & Adonias a Salomone morte punitur, eo quod puellam quæ cum patre pudice tantum dormierat, uxorem ſibi dari popoſcerit: quanto magis hi qui ſponte junguntur, & irrationabiliter miſcentur, poſtquam ſeparati fuerint, dignæ pœnitentiæ ſummiſſi, debent nullas nuptias, ſed caſtitatem potius appetere de cetero mentis & corporis? Sane ſi quilibet de hac infauſta commixtione poſt diſſolutionem copulæ obierit, alter qui ſuperſtes fuerit, & in adoleſcentiæ annis adhuc detinetur, ſi ingruente aliquo forte diſcrimine egit pœnitudinem, & ſe non poſſe continere C conqueritur, conjugii valet remedio ſubveniri. Cujus indulgentiæ formam volumus etiam circa feminas obſervari. In quo tamen non regulam conſtituimus, ſed cum eximia columna Eccleſiæ beato Leone Papa quid ſit tolerabilius æſtimamus.

CAPUT III.

c Ancyr. EOs autem qui cum pecudibus miſcentur, ſancta Synodus non nuptialia fœdera contrahere, ſed inter eos orare præcipit, qui ab ſpiritu vexantur immundo. Verumtamen ſi qui ſunt juvenculi, qui tanto piaculo conſtricti imminente mortis exitio vel captivitatis exulatu pœnitentiam D geſſerunt, ac paventes poſt hæc incontinentiæ caſum, ad conjugalis conſortii remedia confugerint, ne in crimen fornicationis fortaſſis inciderent, conſilium dignoſcuntur veniale ſumpſiſſe, ita dumtaxat, ſi non modo irrationabilis animantis (proh nefas!) de cetero contubernium, verumtamen omnis omnino mulieris, excepto conjugis propriæ, conſortium declinarint. Juſtum videlicet Loth imitati, qui ut vaſta Sodomorum evadere potuiſſet incendia, Segor parvam civitatulam, ut vel in ea ſalvaretur, elegit. Sane non in hoc regulam, ſicut ſuperius diximus, promulgamus, ſed ne deterius peccetur, quod levius arbitramur, indulgendum utcumque prævidimus. Denique juxta plenam ſatisfactionem nil eis convenientius eſt, E qui tam pernicioſo & omni pœna plectendo ſcelere pœnitudinem gerunt, quam perſeverans caſtitas non ſolum corporis ſed & mentis.

CAPUT IV.

De Epiſcopo ſemel electo.

POſt mortem vero Epiſcopi qui ſemel in loco ejus electus fuerit, ſi in nullo a ſacris Canonibus deviat, & electio ejus non a ſæcularibus quibuſque, ſed a Clero Eccleſiæ cum conſenſu primorum civitatis ipſius fuerit compoſita, & ſanctorum Patrum in eo conſentiant promulgationes, & tam fidei dogmatibus, quam bonis concordat moribus, nulla debet ulterius ratione removeri. Alioquin ut prævaricatores & tergiverſatores qui hoc tentaverint, a ſacris regulis arguentur. Et præcipue qui contra ſuam profeſſionem vel ſubſcriptionem jerint, canonicis legibus arctabuntur.

CAPUT V.

DE Chorepiſcopis, de quibus conſulis, utrum Presbyteros & Diaconos valeant conſecrare; ſacri te canones ſatis poterunt edocere. Quomodo autem Chorepiſcopos poſſe dicimus Eccleſias conſecrare, quas nulli Epiſcoporum licet ſine noſtro præcepto ſecundum ſanctas regulas dedicare? Non ergo Chorepiſcopis dabimus. Unde vos Epiſcopos, tamquam terminos a patribus poſitos transferentes merito reprehendimus. Præterea quis infantes debeat conſignare ſanctus Innocentius oſtendit, dicens: *De conſignandis vero infantibus manifeſtum eſt non ab alio quam ab Epiſcopo fieri licere.* Et rurſus: *Hoc autem*, inquit, *ſolis Pontificibus deberi ut vel conſignent, vel Paraclitum Spiritum tradant, non ſolum conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat, verum illa lectio Actuum Apoſtolorum quæ aſſerit, Petrum & Joannem eſſe directos, qui jam baptizatis tradant Spiritum ſanctum.*

CAPUT VI.

POrro de Presbytero, quod non poſſit reſtaurationem poſt lapſum recipere, ut multa prætereamus, beatus Papa declarat Gregorius ad Sabinianum inter cetera ſcribens Jadertinum Epiſcopum: *Presbyterum vero*, inquiens, *de quo nos fraternitas tua latoris præſentium relatione conſulit, nulla ratione in ſacro ordine poſt lapſum aut permanere, aut revocari poſſe cognoſcas.* S. Gregor. lib. 7 indict. 2. ep. 25.

Hæc quidem, frater cariſſime, in multis occupati vix ad tua conſulta reſcripſimus. Cetera vero quæ communi conſulant utilitati, cum Arſenio venerabili Epiſcopo, Apocriſiario & Miſſo Apoſtolicæ Sedis, quem illas in partes direximus, cum Deo duce pervenerit, ſatis valetis abunde que tractare, cui & noſtra credere, & tua nobis exponenda, cum redierit, poteris ſine ulla contrectatione committere. Optamus fraternitatem tuam in Chriſto nunc & ſemper bene valere.

CAPUT VII.

SI quis ex propria cognatione ſanguinem occiſionis fuderit, ſacri canones uſque ad mortem abjici, & inter rebelles deputari ſanxerunt.

ANNO CHRISTI 858.

☞ IN EPISTOLAS NICOLAI I.

ANNO CHRISTI 859.

EXCURSUS CHRONOLOGICUS.

Ex Suppl. Manſi T. I. pag. 965.

NIcolai I. epiſtolarum ſyllogem, epiſtolas LXX. complectentem, primo quidem Labbeus dedit, cui appendicem ſubjecit epiſtolarum XXIV. adnexuit & aliam quatuor epiſtolarum, quarum tamen altera fragmenta plura continet ex diverſis epiſtolis corraſa; tertia vero decreta quædam Nicolai exhibet. Hæ omnes epiſtolæ ita ſunt inter ſe confuſæ atque permixtæ, turbato ubique chronologiæ ordine, ut ſtudioſum lectorem confundant plurimum, illuminent parum. Quare lectorum me gratiam initurum credo, ſi in rectum chronologicum ordinem dirigendas illas aggrediar, cujus rei probationes in hoc meo excurſu afferam, hiſque veluti poſitis fundamentis, latercului illarum chronologicum ſuperſtruam.

Omnium igitur primam conſtituo epiſtolam ad Adonem Viennenſem, quem cum pallio donet pontifex, ideo in exordio aditæ ab illo ſacræ dignitatis datam non ambigo. Aſſentitur quidem Baronius componendam illam cum Adonis exordio; ſed epiſcopatus ejus epocham anno 863. conſtituit, cui tamen Pagius ad eumdem annum validis argumentis reſiſtens, demonſtrat Adonem anno 860. poſt Aprilim menſem cœpiſſe. Sit ergo prima omnium ad Adonem Viennenſem epiſtola, quam per oſcitantiam a Labbeo omiſſam, hic integram dabimus.

Succedunt eodem anno datæ epiſtola inter Labbeanas ſecunda & tertia, illa ad Michaelem imperatorem, hæc ad Photium, quarum utraque ſuos præfert temporum characteres; ſignantur enim die 25. Septembris, indictione IX. Epiſtola LV. ad epiſcopos in regno Caroli conſtitutos, monens illos, ut Ingeltrudem, Boſonis comitis uxorem, fugitivam, ad virum ſuum revocent, recuſantemque anathemate plectant, hoc forte anno data eſt: ſi vera ſit adnotatio, quam Harduinus in MS. codice nactus eſt, ferens epiſtolam hanc dictatam, dum concilium in villa Tuſſiaco celebraretur: concilium enim illud an. 860. coivit. Nondum equidem femina illa a pontifice communione fidelium prohibita fuerat, quod ab illo præſtitum anno 863. in ſynodo Romana. Epiſtola vero I. appendicis, hanc epiſtolam LV. commemorans, ad eundem, quo illa, annum pertinet.

Sequenti anno 861. epiſtolæ forte quædam datæ ſunt, ſed nullæ inter editas occurrunt; niſi forte anno huic adſcripſerimus epiſtolam inter editas a Labbeo LIX. ad Adonem archiepiſcopum Viennenſem, in qua certior fit a pontifice archiepiſcopus, de reſipiſcentia Joannis Ravennatis, quem ſane conſtat in Synodo Romæ habita die XVIII. Novembris, indictione X. hoc nempe anno, in obſequium pontificis rediiſſe.

Annus 862. offert epiſtolam quintam ad Michaelem imperatorem ſignatam die XIX. martii, indictione IX. pro X. ita enim legendam monuit Pagius, ſicut & alteram VI. ad Photium die XVIII. ejuſdem menſis indictione X. ſcriptam; eademque die & indictione ſignatur quarta ad omnes fideles. Anno vero illo exeunte die IX. Calendas Decembris, indictione XI. ſcripſit pontifex ad Lotharium regem epiſtolam XVII. ad Carolum regem epiſt. XVIII. ad Ludovicum II. imperatorem epiſtol. XIX. Itidem ad Carolum Calvum regem epiſt. XX. ad Hermentrudem reginam epiſtol. XXI. quæ licet epiſtola temporis nota caret, cum tamen in ea Legati ad concilium Metis celebrandum miſſi commemorentur, ab hoc anno removeri utique non poteſt. Quod etiam argumentum militat pro epiſtola XXII. ad epiſcopos Galliæ, qui Metim ut ſe conferant invitantur; militat etiam pro epiſtola LXVI. ad Stephanum, qui cauſſam ſuam dicere in Synodo Legatorum jubetur. Denique eodem anno, & menſe ſcripſit pontifex epiſtolam XXIII. characteres illius temporis præferentem ad epiſcopos in concilio Metenſi reſidentes: non quod jam concilium illud Metis haberetur, ſed reddi illam voluit epiſcopis, cum ad concilium veniſſent.

Annus 863. uber eſt diviti epiſtolarum ſegete. Hoc anno ineunte miſſi ſunt in Galliam ad concilium Metis celebrandum Joannes, & Rhadoaldus epiſcopi, quibus commonitorium datum eſt cum epiſtola quæ ſecunda eſt appendicis. Habita in hujus anni exordio Sylvanectenſis ſynodus, vel ſi mavis Sueſſionenſis, cui ex Annaliſta Bertiniano Rothadus Sueſſionenſis in ſynodo non quidem Sylvanectenſi, ſed potius Sueſſionenſi damnatus fuerit; habita, inquam, hæc ſynodus miſit legatum ſuum Romam Odonem epiſcopum Bellovacenſem, ex quo fit, ut epiſtolæ omnes, in quibus Odonis hujus, tanquam Romam miſſi, fit mentio, ad hunc annum pertineant. Id argumenti probat huc referendam epiſt. LXIII., quam ab Odone epiſcopo delatam aſſerit Hincmarus in ſua ad Nicolaum epiſtola apud Flodoardum lib. 3. cap. 12. Connexio autem argumenti eidem anno, & tempori adſcribit epiſtol. LXIV. in qua de aſſignando epiſcopo in eccleſia Cameracenſi, quod etiam præſcribitur in epiſt. LXIII. nec alio ſpectat epiſtola LXV. Meminit etiam Odonis Romam miſſi epiſtola LXVIII. ad Hucbertum abbatem fratrem Theutbergæ reginæ; & LXIX. ad Ludovicum & Carolum Caroli Calvi filios, quibus de pace cum patre reconciliata adgratulatur. Odonis tandem Romam miſſi nomen continet epiſtola XXXII. ad epiſcopos ſynodi Sylvanectenſis, vel potius Sueſſionenſis, quam præceſſit epiſtola XXIX. ad Hincmarum, quæ in eadem epiſtola XXII. commemoratur. Huc etiam ſpectat epiſtola XXVIII. ad eundem Hincmarum, ubi de Odone Romam miſſo. Meminit & ejuſdem epiſtola LXII. ſed hanc in notis ad Romanum concilium anni 863. ſuſpicionis arguimus. Meminit & epiſtola XXVIII. ad Hincmarum, quæ argumenti connexione ſecum trahit epiſtolam XXIX. ad eundem Hincmarum, & XXX. ad Carolum Calvum. Epiſtola V. appendicis notas hujus anni præfert IV. Cal. Maii, indictione XI. quas pariter eaſdem ſervat epiſtola XXIV. ad Traſulfum abbatem Corbejenſem.

Eodem anno die VIII. Kal. Novembris convenit ſynodus Vermerienſis, in qua pontificiæ Nicolai epiſtolæ quatuor commemorantur; ſunt autem epiſtola LX. ad Carolum regem pro controverſia monachorum Aniſolenſium, & LXI. ad Robertum Cenomanenſem epiſcopum pro eadem controverſia, epiſtola VI. appendicis ad monachos Aniſolenſes ejuſdem argumenti, ejuſdemque & ſeptima, & octava ejuſdem appendicis, illa quidem ad epiſcopos in regno Caroli conſtitutos, hæc vero ad Hincmarum.

Denique ad hunc pariter annum refero epiſtolam XIII. appendicis ad Robertum Bituricenſem archiepiſcopum ceteroſque coepiſcopos, quibus nunciat Guntharii & Theutgadii exauctorationem

a ſe

ANNO CHRISTI 858.

a se pronunciatam in Romano concilio, queriturque de Gunthario, quod turbulenta consilia in aures imperatoris insusurret; ex quo intelligimus nondum Guntharium scelera illa in pontificem perpetratum, quæ in exordio sequentis anni commisit.

Qui proxime succedit annus 864. peperit epistolas XXXIV. XXXV. XXXVI. & XXXVII. quarum omnium epocham figit epistola eadem XXXVII. cum in ipsa serie epistolæ, ante Kalendas majas indictionis XII. scriptæ, illæ indicentur, & in ea pariter epistola Guntharii facinus commemoretur, qui a sacerdotio licet abjectus, re tamen sacra operatus fuerat, quod ab illo præstitum die cœnæ Domini anni 864. compertum est. Priores igitur illæ epistolæ aliquandiu ante XXXVII. datæ, quanquam pro eadem caussa Rothadi Suessionensis e carcere liberandi, & Romam ut veniret permittendi, ad priores anni hujus menses commode revocantur.

Eo indicio ductus, quod illis verbis exhibetur: *nunc audimus Guntharium interdictum sibi ministerium usurpasse*; epistolam primam appendicis tertiæ in editione Veneto-Labbeana tom. XV. col. 454. seu capitula Nicolai ad legationem Salomonis episcopi (Constantiensis) circa hos menses scriptam constituo. Huic, argumenti & temporis connexione, jungenda bulla Nicolai pro episcopatuum Bremensis & Hamburgensis conjunctione, signata Majo mense Indict. XL. Ludovici anno XV. quam a Labbeo omissam hic damus ex spicilegio Lunigii pag. 73. Ejusdem anni est denique Lotharii regis epistola ad Nicolaum, in qua detestari se scribit facinus Guntharii, sacrum munus præstare contra pontificis censuras ausi. Legenda est epistola illa inter Nicolai literas Labbeanæ collectionis tom. XV. col. 384.

Appendicis secundæ epist. I. ad Adonem Viennensem signatur III. Kal. Aprilis, indictione XII. nempe anno 864. Nec diu post scripsit Nicolaus epistolam IX. ad Rotlandum Arelatensem, signatam die XII. Maii, indict. XII. Diem XV. Kal. Octobris indict. XIII. adeoque annum 864. præfert epist. XLV. ad Franconem episcopum Tungrensem, quem ex fautore synodi Metensis pœnitentem recipit. Congruit auctoritas annalistæ Bertiniani, qui hoc anno episcopos regni Lotharii libellos pœnitentiæ ad pontificem misisse testatur. Quare libellus Adventii Metensis episcopi in appendice Labbeana relatus, huc referendus est. Huc pariter Nicolai ad eundem rescriptum in epistola IV. appendicis spectat; nec alio trahenda Caroli Calvi ad Nicolaum pro eodem Adventio epistola, literis Adventii a Labbeo præmissa.

Anno isto exeunte die III. idus Decembris Nicolaus alias dedit ad Adonem Viennensem decretales literas in appendice secunda Labbeana num. II. legendas.

Sequenti anno 865. Nicolaus legatum suum in Gallias destinavit Arsenium Hortonensem episcopum, datis illi *epistolis ad Ludovicum & Carolum fratres*, ait Annalista Bertinianus, *& ad episcopos & primores Regnorum illorum*, quæ literæ sunt XXV. XXVI. XXVII. Labbeanæ collectionis. Porro Arsenius jam in Galliis agebat, cum data est epistola X. appendicis, sicut & epistola IV. appendicis tertiæ, in qua Nicolaus ad consulta Arduici respondet. Porro Arsenium anno 865. in Galliam venisse ex auctoritate Annalistæ Bertiniani asserui. ANNO CHRISTI 858.

Hunc denique eumdemque annum refert epistola Nicolai ad Salomonem, legenda num. 21. appendicis. Id vero assero ex conjectura, cum geminæ ejusdem Nicolai ad eundem Salomonem, ejusdem fere ac prior illa argumenti datæ sint, die VII. Kal. Junii, indictione XIII. hoc nempe anno. Has epistolas ex anecdotis Martenii tom. III. col. 863. hic damus.

Epistola XX. & XXI. appendicis ad Eglonem Senonensem archiepiscopum electum, & pro illo ad Carolum Calvum datæ sunt. Porro Eglo, ut Sirmondus in nota ad eam epistolam ex chronico MS. docet, anno 864. adhuc inter monachos merebat; anno vero 866. in concilio Suessionensi velut episcopus interfuit. Quare epistolas illas anno huic congrue adscripseris; quod & confirmat auctor chronici S. Petri vivi, qui anno 865. Eglonem assumptum tradit.

Anno 866. orientalis caussa de intrusione Photii, & S. Ignatii expulsione totum pontificem occupavit. Quanquam & caussa Lotharii peperit epistolam ad universos episcopos num. XI. appendicis datam idibus Junii, indict. XIV. Porro ad caussam orientalem spectat epistola nona data *Idibus Novembris*, Indictione XV. ad Michaelem imperatorem, decima ad clerum Constantinopolitanum, in qua Rhadoaldi damnati in synodo meminit. Epistola undecima ad Photium eadem temporis nota consignata; XII. ad Bardam, XIII. ad Ignatium patriarcham, XIV. ad Theodoram Augustam, XV. ad Eudosiam Augustam; quæ sane epistolæ præterquamquod omnes ejusdem sunt argumenti, eandem fere omnes temporis adscriptionem præferunt. Epistola pariter VII. licet ad Michaelem imperatorem inscribitur, pars est tamen altera Synodicæ Nicolai ad episcopos sedi Constantinopolitanæ subjectos ex concilio Romano anni 866. missæ. Epistola etiam prima ad universos catholicos, cum enunciet epistolas anno 866. datas, huc pariter referenda est.

Annum claudit epistola XV. appendicis ad Aquitanos, data mense Decembris Indictione XV.

Annum sequentem 867. aperit epist. XLVIII. ad Theutbergam reginam, uxorem a Lothario dimissam, quæ signatur die IX. Kal. Februarii, Indict. XV. Epistola XLIX. easdem præfert temporis adscriptiones cum epistola L. quæ literæ una cum sequentibus num. 51. ad Lotharium regem, & ad Carolum regem transmissæ sunt. Post bimestre datæ sunt literæ LIII. ad Ludovicum Germaniæ regem signatæ nonis Martii, indictione XV. Epistola LXX. ad Hincmarum & ceteros episcopos die X. Kal. Novembris, indictione I. signatur, quas literas Hincmaro ceterisque archiepiscopis reddendas, transmissas fuisse opinor Rodulpho archiepiscopo Bituricensi cum alia ad ipsum epistola Nicolai legenda in appendice num. XIX. ibi enim Rodulpho injungitur a pontifice ut epistolam ad eum transmissam ad Hincmarum, ceterosque dirigat. Quo argumento annus epistolæ hujus XIX. appendicis exploratur. Epist. LV. ad Ludovicum Germaniæ regem data legitur III. Kal. Novembris, indictione I. anno scilicet 867. quam pariter temporis adscriptionem exhibent epistolæ LVI. LVII. LVIII.

ANNO CHRISTI 858.

LATERCULUM CHRONOLOGICUM EPISTOLARUM NICOLAI.

ANNO CHRIST 858.

	Ordo novus.	*Ordo vetus.*
Anno Christi 860.	I.	I. *appendicis noſtræ* ad Adonem Viennenſem.
	II.	II. ad Michaelem imperatorem.
	III.	III. ad Photium.
	IV.	LV. ad epiſcopos in regno Caroli conſtitutos.
	V.	I. *appendicis* ad Carolum regem.
Anno 861.	VI.	XLV. ad Adonem archiepiſcopum.
862.	VII.	V. ad Michaelem imperatorem.
	VIII.	VI. ad Photium.
	IX.	IV. ad omnes fideles.
	X.	XVII. ad Lotharium.
	XI.	XVIII. ad Carolum regem.
	XII.	XIX. ad Ludovicum imperatorem.
	XIII.	XX. ad Carolum Calvum regem.
	XIV.	XXI. ad Hermentrudem reginam.
	XV.	XXII. ad epiſcopos Galliæ &c.
	XVI.	XXIII. ad epiſcopos in concilio Metenſi.
Anno 863.	XVII.	Commonitorium ad Joannem, & Rhadoaldum A. S. Legatos in Galliam.
	XVIII.	II. *appendicis* ad eoſdem.
	XIX.	V. *appendicis* ad Hincmarum.
	XX.	XXIV. ad Traſulfum abbatem.
	XXI.	XXXIII. ad Rothardum.
	XXII.	LIII. ad epiſcopos regni Lotharii.
	XXIII.	LXIV. ad Lotharium regem.
	XXIV.	LXV. ad Hilduinum clericum.
		LXVI. ad Stephanum comitem.
	XXV.	LXVIII. ad Hucbertum abbatem.
	XXVI.	LXIX. ad Ludovicum, & Carolum Caroli Calvi filios.
	XXVII.	XXVIII. ad Hincmarum.
	XXVIII.	XXIX. ad eundem.
		XXXII. ad epiſcopos in Synodo Silvanectenſi vel Sueſſionenſi.
	XXIX.	XXX. ad Carolum regem.
	XXX.	LXVII. ad univerſos epiſcopos.
	XXXI.	LX. ad Carolum regem.
	XXXII.	LXI. ad Robertum Cenomanenſem epiſcopum.
	XXXIII.	VI. *append.* ad monachos S. Carileſi.
	XXXIV.	VII. *append.* ad epiſcopos in regno Caroli conſtitutos.
	XXXV.	VIII. ad Hincmarum.
	XXXVI.	XIII. *appendicis* ad Robertum Bituricenſem archiepiſcopum.
Anno 864.	XXXVII.	XXXV. ad Rothardum epiſcopum Sueſſionenſem.
	XXXVIII.	I. *appendicis II.* ad Adonem Viennenſem.
	XXXIX.	IX. *append.* ad Rotlandum archiepiſcopum Arelatenſem.
	XL.	XIII. *append.* ad Rodulphum Bituricenſem.
	XLI.	II. *appendicis noſtræ.* Bulla pro conjunctione epiſcopatuum Hamburgenſis, & Bremenſis.
	XLII.	XXXV. ad Carolum Calvum regem.
	XLIII.	XXVI. ad Hermintrudem reginam.
	XLIV.	XXXVII. ad Hincmarum.
	XLV.	XLV. ad Franconem Tungrenſem epiſcopum.
Anno 865.	XLVI.	XXVII. ad Ludovicum Germaniæ regem, & Carolum Calvum.
	XLVII.	XXVI. ad epiſcopos in regno Caroli.
	XLVIII.	XXV. ad Carolum Calvum regem.
	XLIX.	X. *append.* ad epiſcopos in regno Lotharii.
	L.	III. *appendicis II.* ad Adonem Viennenſem archiepiſcopum.
	LII.	XX. *append.* ad Eglonem archiepiſcopum Senonenſem.
	LIII.	III *appendicis noſtræ* ad Salomonem Britannorum regem & ejus conjugem.
	LIV.	IV. *appendicis noſtræ* ad eundem.
	LV.	XXI. *append.* ad Carolum Calvum regem.
	LVI.	XXII. *append.* ad Salomonem regem Britannorum.

	Ord. nov.	Ordo vet.	ANNO CHRISTI
	LVII.	XX. ad Carolum Calvum regem.	856.
	LVIII.	IV. *append. III.* Reſponſa ad conſulta Arduici.	
	LIX.	V. *appendicis noſtræ* ad Feſtinianum epiſcopum Dolenſem.	
Anno 666.	LX.	XI. *append.* ad univerſos epiſcopos.	
	LXI.	I. ad univerſos catholicos.	
	LXII.	VII. ad Michaelem, ſeu potius continuatio epiſtolæ ad univerſos catholicos.	
	LXIII.	IX. ad Michaelem imperatorem.	
	LXIV.	X. ad Clerum Conſtantinopolitanum.	
	LXV.	XI. ad Photium.	
	LXVI.	XII. ad Bardam Cæſarem.	
	LXII.	XIII. ad Ignatium patriarcham.	
	LXIII.	XIV. ad Theodoram Auguſtam.	
	LXIV.	XV. ad Eudoxiam Auguſtam.	
	LXV.	XVI. ad Senatores Conſtantinopolitanos.	
Anno 867.	LXVI.	XLVIII. ad Theutbergam reginam.	
	LXVII.	XLIX. ad epiſcopos in regno Lotharii.	
	LXVIII.	L. ad Carolum Calvum regem.	
	LXIX.	LI. ad Lotharium regem.	
	LXX.	LIII. ad Ludovicum Germaniæ regem.	
	LXXI.	LXX. ad Hincmarum, & ceteros epiſcopos regni Caroli.	
	LXXII.	XIX. *append.* ad Rodulfum archiepiſcopum Biturienſem.	
	LXXIII.	LVII. ad Carolum Calvum.	
	LXXIV.	LV. ad Ludovicum Germaniæ regem.	
	LXXV.	LVI. ad eundem.	
	LXXVI.	LVIII. ad epiſcopos in regno Ludovici.	

APPENDIX AD EPISTOLAS NICOLAI I.

I.

AD ADONEM ARCHIEPISCOPUM VIENNENSEM.

Pallium novo archiepiſcopo mittit, ad quem acta Synodi a ſe Romæ celebrati tranſmittit.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei Reverendiſſimo, & ſanctiſſimo Adoni Viennenſi confratri noſtro archiepiſcopo.

t apud
n. An
An. 863.

SAnctioni, & inſtitutioni canonicæ obtemperantes, veſtræ dilectionis apices deſtinare curaſtis; quibus cordi apoſtolico lætitiam dedimus, licet eiſdem perlectis, mœrore affecti fuerimus, eo quod quatuor Synodos obſervantes, Quintam, & Sextam prætermiſeritis. Nam in petitione pallii vobis annuimus. Verumtamen iſtiuſmodi occaſione nacta, non fuerat poſtulatio veſtra implenda, niſi recenſita intentione directæ ſcripturæ cognoviſſemus vos per omnia tenere velle quod ſancta dogmatizat eccleſia. Ideoque volumus, pariterque ſanctitatem veſtram rogamus, ut ſub omni celeritate dirigatis qualiter vos de ipſis V. & VI. ſynodis ſentiatis. Gratia Sancti Spiritus adhortante, atque adjuvante, in menſe Martio pro diverſis eccleſiæ utilitatibus ſynodum Romæ celebravimus. Ubi etiam quædam capitula ſtatuimus, ipſaque veſtræ ſanctitati cuſtodienda, ſeu confratribus veſtris archiepiſcop. per vos tranſmittenda direximus, & ſuffraganeis veſtris, ut hoc inſtruatis, obſervare hortamur.

II.

AD SALOMONEM BRITANNORUM REGEM, ET EJUS CONJUGEM,

Recuſat mittere pallium Feſtiniano Doleuſi epiſcopo, donec authenticis ſcriptis de illius jure convincatur.

Salomoni Britannorum regi, ejuſque conjugi Gyembret.

PRopoſuerat quidem apoſtolatus noſter per ſingula gloriæ veſtræ ſuggeſtionibus reſpondere; ſed utrum fuerint ſuggeſtiones, quas quidam preſbyter & alii Britannicæ gentis homines in ſcripto nobis detulerunt, apertio ipſius ſcripti & impreſſio ſigilli, quæ paginæ deerat, nos ambiguos reddit. Unde veſtra prudentia curet neceſſe eſt, jam poſt hæc ſua ſcripta proprio ſigno nobis impreſſa atque ..... munita mittere, ut nihil addi, nihil minui, nihil immutari, præter quod a vobis in his inſeri juſſum fuerit, ſubdole queat. Unde quia, quæ poſtulaſſe credimini, pia ſunt; dilectioni veſtræ ſuper his brevi ſtylo, quod divinitus fuerit inſpiratum, referare curabimus. Igitur deprecamini nos, ut pallium fratri & coepiſcopo noſtro Feſtiniano, qui eccleſiæ S. Sanxonis præeſſe dignoſcitur, dirigamus, quod interim ideo non facimus, quia, ſicut olim nos ſcripſiſſe meminimus, ut pro tantæ dignitatis gratia nulla ſollemnis videtur fuiſſe emiſſa petitio, nec obſervata poſtulatio ordine legitimo conſequenti. Ergo ut multa prætereamus, acto jam tempore ſtudeatis, qui tanti apud nos meriti eſſe peroptat, & tale opitulante Domino munus adipiſci deſiderat, ſcripta illa, quæ ab apoſtolica ſede prædeceſſores ejus in acceptione pallii perceperunt, tranſmittere; quatenus eiſdem ſcriptis, quæ a præ-

Ex Martene Anecdot. Tom. III. pag. 863. cum ſeq.

ANNO CHRISTI 858.

decessoribus meis data sunt, diligenter inspectis, per eorum quoque & nos vestigia inoffensis gressibus incedamus. Mittat etiam & alia scripta pariter, & idoneum ex proprio clero legatum. Scripta siquidem fidei catholicæ documenta, & observandarum B. Petri apostolorum Principis cathedræ decretalium sanctionum promissa circumferentia: legatum vero, qui jurejurando, positis super sacrum evangeliorum codicem manibus, affirmet, antistem suum ita credere, atque ita deinceps observaturum esse, sicut illa scripta nobis ab eo missa testari vel continere noscuntur. Quoniam ita est apostolicæ sedis auctoritas & sanctæ Romanæ, cui Deo disponente præsumus, ecclesiæ irrefragabilis observatio. Is autem, qui fuerit, ita properet omni ex parte munitus, ut B si necesse est, saltem XXX. hic valeat demorari diebus, quatenus quod utilitas & mos ecclesiasticus dictat, affectus recedendi non adimat. Ad ultimum sane monemus, ut quotiescumque nobis epistolam vestram mittitis, talem hominem hanc deferentem dirigatis, qui nulla inquietudine stimuletur, sed tandiu apud nos moretur, quousque de quibus consulitis provida consideratione, ac sufficienti spatio rescribere valeamus. Datum VII. Kalendas Junii indict. XIII.

III.

AD SALOMONEM REGEM BRITANNORUM

Ejusdem argumenti, ac superior.

LEctis gloriæ vestræ literis, quas nostro præsulatui sine impressione signaculi alicujus dirigere visi estis, reperimus in eis vos nobis mandasse, quod & ante vos sæpe mandastis, scilicet ut pallium Festiniano venerabili Dolensi antistiti ab apostolica sede, cui divinitus præsumus, mitteremus. Sed antequam ad hæc consulta aliqua rescriberemus, convenerat nobis pro hoc quod nomen vestrum apostolico nomini scribendo præposuistis, vos modesta increpatione corrigere. Tamen quia apostolica mansuetudo neminem repentina unquam invectione redarguit, & per negligentiam forte scriptoris hoc eveniisse utcumque cognovit, distulit vos modo pro meritis coercere, quod tantum volumus emendetis, quantum correctioni ecclesiasticæ pro tam præsumptiva factione subjacere formidatis. De pallii vero directione, quam dicitis, simulque Turonensi metropoli, sæpius vobis ea quæ rationis sunt scripsimus: sed sicut in literis vestris relegimus, ad scripta nostra auris non cordis inclinastis intuitum. Restat ergo, ut tandem quæ sit apud vos antiquitus metropolis intueamini. Metropolis enim vestra est, sicut dudum vobis significavimus, Turonensis ecclesia, ut sese habent munimenta prædecessorum nostrorum, & priorum exempla ostendunt, ad quam vestræ regionis episcopos oportet E recurrere, & ejus judicii sententiam, reservata sedis apostolicæ potestate, exquirere modis omnibus, non detrectare. Quoniam reprehensibile esse videtur, ut ob divisionem regni quis sibi talia, qualia inter vos audiuntur, vindicare nitatur. Quapropter fili mi ne præbeatis ista volentibus assensum, sed & alios ad verba vestra per exemplum obedientiæ accendatis; & sicut ait Apostolus, humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore tribulationis. Quia si monitis nostris obedientes extiteritis, omnibus bonis replebimini, & post finem hujus sæculi regnum, quod vivit in æternum, orantibus sanctis apostolis, capietis. Porro si aliquas auctoritates habetis, quæ apud Britannos metropolim fuisse declarent, aut decessorum nostrorum pontificum quæcumque scripta id ostendentia retinetis, ad nos ea dirigite. Mittat etiam & Turonensis ecclesia nobis similiter, si habet, auctoritates, quæ illam suffraganeam suam extitisse testentur, quatenus utrisque partibus auditis, inter utramque quæ sit metropolis cognoscamus. Quia sicut vos clamatis, & illa clamat, metropolitanatus jura apud Britannos regni istius tenuisse, atque tenere. Aut si forte sæpedicta ecclesia auctoritates, aut vestra quas habuit perdidit, amissionis illius modum referare, aut ex utriusque partibus idoneos præcipuosque legatos, qui sciant plenam de omnibus reddere nobis rationis integritatem, nobis transmittite, ut, sicut prædiximus, inter vos adjuvante Domino finem ponamus.

ANNO CHRISTI 858.

IV.

AD FESTINIANUM EPISCOPUM DOLENSEM.

Redarguit eum quod sibi cum debita reverentia non scripserit, mandatque ut Turonensem ecclesiam metropolitanam agnoscat, nisi contrarium scriptis authenticis probet.

C DIlectionis vestræ, quanquam sine impressione signaculi nominis alicujus, susceptis apicibus, multo aliter quam apostolatus nostri monueramus literis, in eis vos scripsisse, immo egisse cognovimus. Nam in fronte paginæ vestræ vestrum apostolico nomini non veriti estis præponere, temeritate potius, quam simplicitate prorsus utentes. Sed cum jam pro hoc ipso factum vestrum reprehenderimus, valde miramur, cur non resipiscitis, modum vestrum minime transcendentes, & quo non congruit, gressus ducentes: pro quibus sine congrua invectione, non jam evaderitis, nisi nos utrum a vobis, an non iidem apices destinati essent, qui signo vestro carere videbantur, intentio dubios redderet, & apostolica mansuetudo correctionis adhuc tempus more solito protelaret; quod tamen evidenter, quantum D correctioni ecclesiasticæ pro tam præsumptiva factione subjacere pavescitis. Monueramus siquidem vos, qui pallii usum quæritis Dolensi ecclesiæ destinari, ut scripta illa, quæ ab apostolica nostra sede prædecessores vestri in susceptione pallii perceperant, nobis direxissetis; quatenus nos eisdem diligenter inspectis, per decessorum nostrorum vestigia gauderemus, subjungentes, ut epistolæ, quatenus magis creduli redderemur, cum episcopali & regia bulla signatæ, & missus vester idoneus scripta ipsa subsequerentur; sed vos facere id distuliistis. Postremo contentione apud Britannos, quis fuerit Metropolitanus, oborta, statuimus ut ad Turonicam sedem, quam metropolim vestram esse plurium judicia demonstrant, E recurreretis, aut ad apostolatum nostrum destinare contenderetis, quatenus quæ fuerit apud vos metropolitana ecclesia appareret. Sed neutrum horum perficere voluistis. Quapropter quia Turonensis ecclesia, quantum comperimus, metropolis vestra est, restat necesse est, ut ipsam vestri sequantur episcopi, ipsamque in suis negotiis adeant, & ipsius judicium exquirere non detrectent, sicut se habent monumenta decessorum nostrorum pontificum, & priorum exempla evidenter ostendunt. Quia vos, qui tantum septem episcopos habetis, quæ causa ecclesiasticæ traditionis vos sinat habere metropolim, ignoramus: præcipue

cum

ANNO CHRISTI 858.

cum episcopus non a septem, sed a duodecim audiri præcipiatur; & cum alicujus negotii inter vos caussa ventilanda emerserit, quæ duodenario numero episcoporum debeat audiri, cum ob divisionem regni vicini non possint vocari antistites; unde fit, ut damna ecclesiæ pro talibus generentur, quemadmodum factum in illis de episcoporum dejectione reminiscimur regionibus. Vos tamen ne vocemini metropolitanus, quousque scripta decessorum vestrorum præsulum, quæ in acceptione pallii vestri perceperunt prædecessores, nobis mittatis: quia si pallii munus ab hac sancta sede vestra promeruit ecclesia, sine scriptione aliqua, quam in archivis vestris recondere debuistis, tantæ dignitatis donum concessum minime vobis fuit. Scripsistis præterea nobis, ut hujus Romanæ sanctæ ecclesiæ præsul Severinus Restoaldum decessorem vestrum, sicut in nostris legitur gestis, in archiepiscopum consecrasset, & Adrianus cuidam Juthinaleo pallium dedisset. Sed nos utrorumque gestis revolutis nihil in eis super his penitus valuimus reperire. Tamen ut anceps intentio e medio auferatur, si adeo contentiosius agere vultis, ut Turonensem sedem vestram metropolim non esse dicatis; sancimus, ut diximus, mandantes fratri & coepiscopo nostro Heraldo, qui ei præsidet, ut ad nostrum pontificium legatum suum transmittat; cum eo strenuos vestros dirigatis legatos, pariterque scripta, quæ protulimus, destinantes, quatenus utriusque partibus coram nobis auditis, æqua lance caussa libra ta, quæ sit apud vos metropolitana ecclesia luce clarius agnoscatur. Datum XVI. Kalendas Junias indict. XIV.

FRAGMENTUM EPISTOLÆ NICOLAI I. AD ALBUINUM

(forte Adonem archiepiscopum) VIENNENSEM, ut est apud Gratianum dist. 27. Quod interrogasti. Sed hic datur integrius.

QUod interrogasti de femina, quæ post obitum viri sui velamen super caput imposuit, & nnxit se sub eodem velamine sanctimonialem esse; postea vero ad nuptias rediit: bonum & canonicum (a) nobis videtur, quod per hypocrisim ecclesiasticam regulam conturbare voluit, & non legitime in voto suo permansit, ut pœnitentiam de illusione nefanda (b) agat, & revertatur ad id quod spopondit, & in sacro ministerio inchoavit. Nam si consenserimus, quod omnia ecclesiastica sacramenta (c) quisquis, prout vult, fingat, & non vere faciat, omnis ordo ecclesiasticus conturbatur, nec catholicæ fidei jura consistunt, nec sacri ordines rite observantur (d). Tales ergo nisi resipiscant spirituali gladio percutere censemus. Non enim fas est Spiritui Sancto mentiri.

EX DECRETIS NICOLAI PAPÆ.

SI quis fornicatus fuerit cum duabus sororibus, vel cum noverca sua, hoc est cum relicta patris sui, vel cum amita, seu cum matertera sua, vel cum filia patrui sui, sive avunculi, vel cum filia amitæ suæ, materteræ suæ, aut cum filia filiæ, vel filii sui; sive etiam cum ava, sive etiam cum proava sua, aut cum filia fratris, sive sororis suæ, sive cum uxore fratris aut filii sui. Similiter si quæ mulier per supradictos consanguinitatis gradus se fornicari permiserit, unusquisque eorum singillatim per se XVI. in hunc modum pœniteat. In primis quidem toto illo anno inclusus maneat ad ingressus domus Dei, & eodem anno, exceptis dominicis diebus & festis, solummodo pane, aqua, & sale utatur.

Secundo anno ingrediantur quidem domum Domini, sed carnibus & vino aut sicera minime utantur * in festis & dominicis diebus; postea vero aliis duobus sequentibus annis per totum anni circulum quando carne vescint, ab omni potu, quo inebriari potest, se contineant; & si potum biberint minime carne vescant. Infra hebdomadam scilicet tertiæ feriæ, & quintæ, & sabato; aliæ autem feriæ sint puræ, idest secunda & quarta & sexta.

Dominici vero dies sint absoluti. Deinde usque ad finem X. anni tres legitimas ferias per tres quadragesimas in anno legitime custodiat; sextam vero feriam, quamdiu vixerit, in pane, & aqua observet. Arma non ferat nisi contra paganos. Osculum nulli præbeat. Sacrificium nisi pro viatico minime sumat, & si sine uxore esse * nunquam aliquam conjugio copuletur.

Si vero conjugatus est, post quinque annorum pœnitentiam non penitus privetur conjugio. Qui autem in aliis gradibus usque ad septimam lineam incestum perpetraverit, decem annis, sicut supra dictum est, pœniteat.

Sane Sacerdoti considerandum est, si semel peccavit, aut quanto tempore quis in vitio perduravit, aut si casu, aut si non sponte, aut nesciente incestum perpetravit, & considerata qualitate, sive quantitate peccati provida mente lapso pœnitentiam injungat.

Si quis fornicatus fuerit cum matre sua, aut cum sorore sua, sive cum filia sua, in primis septem annos in solo pane, & aqua vivat, sicut supra dictum est, exceptis dominicis & festis diebus, & in eisdem septem annis domum Domini minime ingrediatur; dein usque ad exactionem vigesimi primi anni tres legitimas ferias observet in pane & aqua; postea vero omnibus diebus vitæ suæ sextam feriam in pane, & aqua custodiat, & si sine uxore est, nunquam aliquando copuletur. Quod si uxorem habet post septimum annum uxori reddatur. De armis vero, & pace & sacri corporis perceptione, sicut supra dictum est, fiat.

Si cum amita vel matertera, si consobrinus cum consobrina, secundum antiquam diffinitionem in duodecim annis pœniteat * excommunicatus humanius diffiniere, decem si cum agnata, vel cognata a tertia usque ad septimam propinquitatem secundum antiquam & humanam diffinitionem; si tertia fuerit duodecim annis pœniteat, si quarta decem, si quinta octo, si sexta septem, si septima quinque; si socer cum nuru, si gener cum socru, si vitricus cum privigna; si privignus cum noverca; si cognatus cum cognata, quæ est uxor germani sui, aut germana uxoris suæ secundum antiquam & humaniorem diffinitionem decem annis pœniteat; si secunda uxoris suæ septem annis pœniteat; si tertia septem; si quar-

* *Supple*: exceptis, *ut infra*.

* f. contigerit.

* *Locus non sanus.*

(a) *In edit. deest* & canonicum. (b) De illusione nefanda *Deest*.
(c) *In editis additur*: ecclesiasticus quisquis.
(d) *In editis additur*. Quid enim profuit Simoni Mago baptismum sacrum ficte suscipere, & in Christo permansuram se finxisse, cum per apostolum fraude ejus detecta, quod sibi futurum esset pronunciatum fuit? Ait enim: *Pecunia tua tecum sit in perditionem: cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui; in felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.* Ideo tales &c.

si quarta sex; si pater & filius, aut duo fratres cum una muliere, aut cum matre & filia, aut cum duabus sororibus, aut cum duabus commatribus secundum antiquam & humaniorem diffinitionem octo annis pœniteat; si cum sacrata virgine, vel cum sanctimoniali, sive cum uxore alterius; si compater cum commatre, vel frater cum sorore in Christo secundum antiquam diffinitionem decem annis pœniteat Tolet. I. cap. XVI. humana diffinitione septem; cum devota quæ est veste mutata; si cum electa vidua, vel desponsata alterius; si cum presbytera, vel diacona; si cum vidua vel pagana secundum antiquam diffinitionem decem annis pœniteat; humana diffinitione septem; si cum vidua æquali, vel publica meretrice, aut ancilla alterius secundum antiquam & humanam diffinitionem annis quinque pœniteat; si cum laica virgine, quam nec quoniam accipit uxorem secundum antiquam & humanam diffinitionem quatuor annis pœniteat. His autem feminis cum quibus omnibus suprascriptis personis incestis & nefandis commixtionibus commisceretur, similiter ut ordo est mulierum, ita pœniteat. Sic tantum & is qui hoc malum consenserit; alioquin sic ut fuerit modus culpæ, ita a prudentissimo sacerdote judicentur. Præterea si, quod absit, de ordine clericorum forte ex his omnibus personis, quæ supra commemoratæ sunt in aliqua ruerit, quæ incestæ dicuntur. Notandum, quod unumquemque laicus quinque annis judicatur; subdiaconus septem, Diaconus & monachus decem; Presbyter quatuordecim; episcopus decem & octo, & his similia quæ sequuntur.

ANNO CHRISTI 858.

HINCMARI ARCHIEPISCOPI RHEMENSIS CAPITULA.

Ad presbyteros parochiæ suæ.

INDEX.

I. *Capitula presbyteris data anno* DCCCLII.
II. *Capitula de quibus inquiri & renuntiari debet episcopo.*
III. *Capitula anno duodecimo episcopatus superaddita.*
IV. *Capitula in synodo Rhemis data anno* DCCCLXXIV.
V. *Capitula archidiaconibus presbyteris data.*

I.

Capitula presbyteris data anno DCCCLII.

Ex editione P. Sirmondi.

ANno DCCCLII. Kalendis Novembris, conventu habito presbyterorum in metropoli civitate Rhemorum inter cetera monita saluberrima, dum de legibus atque rebus ecclesiasticis ab Hincmaro præsule tractaretur, hæc in ultimo prolata sunt memoriæ commendanda, & summopere observanda.

CAP. I. *Ut presbyteri discant expositionem symboli & orationis dominicæ*, &c. *cum symbolo Athanasii.*

Ut unusquisque presbyterorum expositionem symboli, atque orationis dominicæ, juxta traditionem orthodoxorum patrum plenius discat; exinde prædicando populum sibi commissum sedulo instruat. Præfationem quoque canonis, & eumdem canonem intelligat, & memoriter ac distincte proferre valeat, & orationes missarum, * apostolum quoque & evangelium bene legere possit; psalmorum etiam verba & distinctiones regulariter, & ex corde, cum canticis consuetudinariis pronuntiare sciat. Nec non & sermonem Athanasii de fide, cujus initium est: *Quicumque vult salvus esse*, memoriæ quisque commendet, & sensum illius intelligat, & verbis communibus enuntiare queat.

* *f.* epistolam. nihil mutandum.

II. *De scrutinio & ordine baptizandi.*

Ut scrutinium, & omnem ordinem baptizandi, nulli penitus liceat ignorare.

III. *De exorcismis catechumenorum, & de baptismo infirmorum. Item de fontibus, ac vasis ad corporalia & pallas abluendas.*

Exorcismos & orationes ad catechumenos faciendum, ad fontes quoque consecrandum, & ceteras preces super masculos & feminas, pluraliter atque singulariter, distincte & rationabiliter memoriæ commendet. Similiter & ordinem baptizandi ad succurrendum infirmis. Et qui fontes lapideos habere nequiverit, vas conveniens ad hoc solummodo baptizandi officium habeat, & similiter ad corporale lavandum, & ad pallas altaris, propria vasa habeantur, in quibus nihil aliud fiat.

IV. *De ordine reconciliandi, & unguendi infirmos; deque exequiis defunctorum, & de benedictione salis & aquæ.*

Ordinem reconciliandi, juxta modum sibi canonice reservatum, atque unguendi infirmos, orationes quoque eidem necessitati competentes memoriter discat. Similiter ordinem & preces in exequiis atque agendis defunctorum; nec minus exorcismos & benedictiones aquæ & salis.

V. *De aqua omni die dominico ante missam benedicenda.*

Ut omni dominico die quisque presbyter in sua ecclesia ante missarum sollemnia aquam benedictam faciat in vase nitido & tanto ministerio convenienti, de qua populus intrans ecclesiam aspergatur, & qui voluerint in vasculis suis nitidis ex illa accipiant, & per mansiones, & agros, & vineas, super pecora quoque sua, atque super pabula eorum, nec non & super cibos & potum suum conspergant.

VI. *De thuribulo & incenso.*

Ut omnis presbyter thuribulum & incensum habeat, ut tempore quo evangelium legitur, & finito offertorio, super oblationem incensum, ut in morte videlicet redemptoris, ponat.

VII. *De pane ad eulogias benedicendo.*

[1] Ut de oblatis, quæ offeruntur a populo, & consecrationi supersunt, vel de panibus, quos deferunt fideles ad ecclesiam, vel certe de suis, presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido & convenienti, ut post missarum sollemnia, qui communicare non fuerunt parati, eulogias omni die dominico, & in diebus festis, exinde accipiant. Et illa, unde eulogias presbyter daturus est, ante in hæc verba benedicat, & sic accepturis distribuat, & micas ne incaute defluant custodiat: Domine sancte pater, omnipotens æterne Deus, benedicere digneris hunc panem tua san-

[1] Hæc sunt totidem verbis in Concilio Namnetensi anni 865. can. 9. & apud Burchardum l. 5. c. 27. & 28. ubi Pio Papæ tribuuntur. *Harduinus.*

sancta & spiritali benedictione, ut sit omnibus cum fide & reverentia, ac gratiarum tuarum actione sumentibus salus mentis & corporis, atque contra omnes morbos, & universas cunctorum inimicorum insidias tutamentum. Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum, panem vitæ, qui de celo descendit, & dat vitam ac salutem mundo, & tecum vivit & regnat Deus in unitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VIII. *De homiliis sancti Gregorii, & de computo cantuque ecclesiastico.*

Homilias XL. Gregorii quisque presbyter studiose legat, & intelligat: & ut cognoscat se ad formam septuaginta duorum discipulorum in ministerio ecclesiastico esse promotum, sermonem prædicti doctoris de LXXII. discipulis a Domino ad prædicandum missis plenissime discat, ac memoriæ tradat. Computo etiam necessario, & cantu per anni circulum, plenissime instruatur.

IX. *De matutinali officio, & horis explendis: & post missam quid agere presbyter debeat ante prandium.*

Mane matutinali officio expleto, pensum servitutis suæ canendo primam, tertiam, sextam, nonamque persolvat, ita tamen, ut postea horis competentibus, juxta possibilitatem, aut a se, aut ab ecclesiasticis, publice compleatur. Deinde peractis missarum sollemniis, & fessis infirmis visitatis, ad opus rurale, & quod sibi competit, exeat jejunus: ut iterum necessitatibus peregrinorum hospitum, sive diversorum commeantium, infirmorum quoque atque defunctorum, succurrere possit, usque ad statutam horam pro qualitate temporis & opportunitate.

X. *De cura hospitum & peregrinorum.*

Ut curam hospitum, maxime pauperum atque debilium, orphanorum quoque atque peregrinorum habeat, hosque ad prandium suum quotidie juxta possibilitatem convocet, eisque hospitium competenter tribuat.

XI. *De sacris ministeriis ad vvadium non dandis.*

Ut nullus presbyter præsumat calicem, vel patenam, aut pallam altaris, vel vestimentum sacerdotale, aut librum, tabernario vel negotiatori, aut cuilibet laico, vel feminæ, in vadimonium dare: quia tanta est sanctitas sacri ministerii, ut salva altioris mysterii intelligentia, etiam per prophetam Dominus prohibuerit, ne cum sanctis vestimentis sacerdos procedat ad populum, sed intra sancta illa dimittat ad eum a colloquio divino rediens. Et cui in tabernas ad bibendum a sacris canonibus ingredi prohibetur, sanctificata sacro ministerio nec ad contingendum immundis, quanto minus in vadimonium exhibere debet? sicut Stephanus sanctus papa & martyr ad sanctum Hilarium in suis decretalibus docuit.

XII. *Ut in ecclesia sine consultu episcopi nullus sepeliatur, & ut pro sepeliendis nihil exigatur.*

Ut nemo presbyterorum quemquam in ecclesia sepeliat sine consultu episcopi, exceptis hujusmodi dumtaxat personis, quas singillatim & privatim in synodo significavimus, nec pro sepeliendis quiddam exenii exigat, vel extorqueat. Si quid autem altari, vel ecclesiæ, aut sibi gratis oblatum fuerit a devotis quibuslibet, cum benignitate recipere non interdicimus.

XIII. *Ut presbyteri a publice peccantibus, vel a pœnitentibus, quo eis faveant, munera non accipiant.*

Ut nemo presbyterorum exenium, vel quodcumque emolumentum temporale, immo detrimentum spiritale, a quocumque publice peccante vel incestuoso accipiat, ut nobis vel ministris nostris peccatum illius reticeat: nec pro respectu cujusque personæ, aut consanguinitatis, vel familiaritatis, alienis peccatis communicans, hoc nobis vel ministris nostris innotescere detractet; nec a quocumque pœnitente aut gratiam, aut favorem, aut munus suscipere præsumat, ut minus digne pœnitentem ad reconciliationem adducat, & ei testimonium reconciliationis ferat, & quocumque livore alium quemlibet dignius pœnitentem a reconciliatione removeat: quia hoc simoniacum, & Deo & hominibus abominabile est.

XIV. *Quomodo in conviviis defunctorum, aliarumve collectarum gerere se debeant.*

Ut nullus presbyterorum ad anniversariam diem, vel [1] tricesimam tertiam, vel septimam alicujus defuncti, aut quacumque vocatione ad collectam presbyteri convenerint, se inebriare præsumat, nec precari in amore sanctorum, vel ipsius animæ bibere, aut alios ad bibendum cogere, vel se aliena precatione ingurgitare: nec plausus & risus inconditos, & fabulas inanes ibi ferre aut cantare præsumat: nec turpia joca cum urso, vel tornatricibus ante se facere permittat: nec larvas dæmonum, quas vulgo talamascas dicunt, ibi anteferre consentiat, quia hoc diabolicum est, & a sacris canonibus prohibitum. Sed cum honestate & religione prandeat, & ad tempus ad suam ecclesiam redeat. Summopere etiam quisque cavens, sicut de statu suo vult gaudere, ut non quacumque occasione, aut parem suum, aut alium quemlibet, ad iram & rixam vel contentionem, quanto magis ad pugnam, vel ad cædem, aliquo verbo irritet, seu provocet, nec provocatus ad hoc quisque prosiliat, quia in talibus comessationibus & potationibus, sicut irreligiosi faciunt, semper se immiscet diabolus. Quando autem convenerint presbyteri ad aliquod convivium, decanus, aut aliquis prior illorum, versum ante mensam incipiat, & cibum benedicat. Et tunc secundum suum ordinem consideant, alter alterius honorem portantes; & per vicissitudines cibum & potum benedicant, & aliquis de illorum clericis aliquid de sancta lectione legat: & post refectionem similiter sanctum hymnum dicant, ad exemplum Domini & salvatoris ac discipulorum ejus, sicut illum in cœna fecisse legimus. Et sic se contineant omnes presbyteri in omni loco, maxime in talibus, *ne*, sicut dicit apostolus, *vituperetur ministerium nostrum*.

Dist. 44 Nullus presbyterorum, ex Namnetensi.

Dist. 4 Quando presbyteri, ex Namnetensi.

Matth. 26. 2. *Cor.* 6.

XV. *Quid cavendum sit presbyteris, quando per Kalendas inter se conveniunt.*

Ut quando presbyteri per Kalendas simul convenerint, post peractum divinum mysterium, & necessariam collationem, non quasi ad prandium ibi ad tabulam resideant, & per tales inconvenientes pastellos se invicem gravent, quia inhonestum est, & onerosum. Sæpe enim tarde ad ecclesias suas redeuntes majus damnum de reprehensione conquirunt, & de gravedine mutua contrahunt, quam lucrum ibi faciunt. Nam de hujusmodi conventu, qui sub religionis obtentu agebatur, Paulus apostolus convenienter reprehendit Corinthios, qui inconvenienter cœnam dominicam manducare conveniebant. Sic & qui ad cœnam dominicam, id est, ad collationem verbi sub occasione conveniunt: & ex veritate ventris causa conjunguntur, reprehensibiles & coram Deo, & coram hominibus habentur. Et ideo peractis omnibus, qui vo-

Dist. 44. Quando presbyteri, ex Namnetensi.

1. *Cor.* 11.

lue-

[1] Apud Regionem, Burchardum, Ivonem, & Gratianum, *tricesimam, tertiam*. Hard.

luerint, panem cum caritate & gratiarum actione in domo confratris sui simul cum fratribus suis frangant, & singulos biberes accipiant, maxime autem ultra tertiam vicem poculum ibi non contingant, & ad ecclesias suas redeant.

XVI. *De confratriis, earumque conventibus, quomodo celebrari debeant.*

Ut de collectis, quas geldonias vel confratrias vulgo vocant, sicut jam verbis monuimus, & nunc scriptis expresse præcipimus, tantum fiat, quantum ad auctoritatem, & utilitatem, atque rationem pertinet; ultra autem nemo neque sacerdos, neque fidelis quisquam, in parochia nostra progredi audeat. Id est in omni obsequio religionis conjungantur: videlicet in oblatione, in luminaribus, in oblationibus mutuis, in exequiis defunctorum, in eleemosynis, & ceteris pietatis officiis, ita ut qui candelam offerre voluerint, sive specialiter, sive generaliter, aut ante missam, aut inter missam, antequam evangelium legatur, ad altare deferant. Oblationem autem, unam tantummodo oblatam, & offertorium, pro se suisque omnibus conjunctis & familiaribus offerat. Si plus de vino voluerit in butticula vel canna, aut plures oblatas, aut ante missam, aut post missam, presbytero vel ministro illius tribuat, unde populus in eleemosyna & benedictione illius eulogias accipiat, vel presbyter supplementum aliquod habeat. Pastos autem & comessationes, quas divina auctoritas vetat, ubi & gravedines, & indebitæ exactiones, & turpes ac inanes lætitiæ & rixæ, sæpe etiam, sicut experti sumus, usque ad homicidia, & odia, & dissensiones accidere solent, adeo penitus interdicimus, ut qui de cetero hoc agere præsumpserit, si presbyter fuerit, vel quilibet clericus, gradu privetur, si laicus, vel femina, usque ad satisfactionem separetur. Conventus autem talium confratrum, si necesse fuerit ut simul conveniant, ut si forte aliquis contra parem suum discordiam habuerit, quem reconciliari necesse sit, & sine conventu presbyteri & ceterorum esse non possit, post peracta illa quæ Dei sunt, & Christianæ religioni conveniunt, & post debitas admonitiones, qui voluerint eulogias a presbytero accipiant: & panem tantum frangentes, singuli singulos biberes accipiant, & nihil amplius contingere præsumant, & sic unusquisque ad sua cum benedictione Domini redeat.

XVII. *Ut defuncto presbytero nullus sine consultu episcopi ecclesiam illius, aut capellam appetat.*

Ut si quilibet presbyterorum defunctus fuerit, vicinus presbyter apud seniorem sæcularem nulla precatione, vel aliquo exenio, ecclesiam illam obtineat, quæ titulus per se constans antea extitit, sed neque capellam, sine consultu nostro. Quod si fecerit, diffinitam sententiam sibi prolatam suscipiat, sicuti de episcopo canonica decrevit auctoritas, ut qui per ambitionem majorem civitatem appetierit, & illam perdat quam tenuit, & illam nequaquam obtineat, quam usurpare tentavit.

II.

CAPITULA QUIBUS DE REBUS magistri & decani per singulas ecclesias inquirere, & episcopo renuntiare debeant.

Hæc omni anno investiganda sunt a magistris & decanis presbyteris per singulas matrices ecclesias, & per capellas parochiæ nostræ, & nobis Kalendis Juliis renuntianda. Similiter etiam investigandum & renuntiandum est nobis qualiter observentur & studiantur illa, quæ capitulatim observanda presbyteris dedimus.

I. Inquirendum in qua villa, aut cujuslibet sancti honore, prætitulatus sit presbyter, vel a quo fuerit ordinatus.

II. Si habeat mansum habentem bunnuaria duodecim, præter cœmeterium, & cortem, ubi ecclesia & domus ipsius continetur, aut si habeat mancipia quatuor.

III. Quot mansos habeat in sua parochia ingenuiles & serviles, aut accolas, unde decimam accipiat.

IV. Qualia sint indumenta altaris, quot nova & quot vetusta, qualiter nitida; quo metallo sint capsæ, & cruces coopertæ; aut si diligenter reconditæ sunt reliquiæ in altari; aut si ipsæ capsæ seris munitæ sunt.

V. Quos & quot libros habeat, aut si bene sint recitati.

VI. Qualia aut quot sacerdotalia vestimenta habeat, & qualiter sint nitida, aut in nitido loco collocentur.

VII. Si habeat locum præparatum, ubi effundi possit aqua quando abluuntur vasa altaris, aut os, vel manus post perceptionem sacræ communionis; aut si ipse presbyter propriis manibus, aut diaconus, aut subdiaconus ejus, lavet primo corporale.

VIII. Quo metallo sit calix & patena, aut qua diligentia custodiantur, aut si habeat pyxidem, ubi congrue possit recondi sarca oblatio reservanda ad viaticum infirmis.

IX. Ut chrisma & oleum consecratum sub sera recondantur.

X. Si ipse presbyter visitet infirmos, & inungat oleo sancto, & communicet per se, & non per quemlibet, & ille ipse communicet populum, nec tradat communionem cuiquam laico ad deferendum in domum suam causa cujuslibet infirmi.

XI. Si habeat clericum, qui possit tenere scholam, aut legere epistolam, aut canere valeat, prout necessarium sibi videtur.

XII. Investigandum nihilo minus de luminaribus ecclesiæ, aut quot cerarios habeat ipse titulus.

XIII. Qualiter sit cooperta ecclesia, aut si sit camerata, & ut ibi columbæ, vel aliæ aves non nidificent, propter immunditiem, vel importunitatis inquietudinem.

XIV. Quo metallo habeat ibidem signa.

XV. Si atrium habeat munitum, aut si cellam propriam habeat juxta ecclesiam, aut si suspiciosa in circuitu ostiola sint.

XVI. Ut ex decimis quatuor portiones fiant juxta institutionem canonicam, & ipse sub testimonio duorum aut trium fidelium studiose & diligenter dividantur: & ut de duabus portionibus, ecclesiæ & episcopi, ratio reddatur per singulos annos, quid inde profecerit in ecclesia.

XVII. Ut matricularios habeat juxta qualitatem loci, non bubulcos aut porcarios, sed debiles & pauperes, & de eodem dominio: nisi forte ipse presbyter habeat fratrem, aut aliquem propinquum debilem, aut pauperrimum, qui de eadem decima sustentetur; reliquos autem propinquos, si juxta se habere voluerit, de sua portione vestiat atque pascat.

XVIII. Investigandum similiter, si nihil patrimonii habens, quando provectus est ad ordinem ecclesiasticum, postea emerit prædia, cujus juris sint: quoniam ecclesiæ, ad quam de nihil habentibus promotus est, esse debent juxta canonicæ auctoritatis decretum,

De pecu clericoru cap. 1.

XIX.

par. III. 94. De lio cle- rum, c. 4.

XIX. Inquirendum, si occasione hujus præce- A dentis capituli aliquis presbyterorum abhinc de reditibus ecclesiæ, vel oblationibus ac votis fidelium, alieno nomine res comparaverit, & ibi structuras fecerit, vel quæ ad ecclesiam pertinent ibi collocaverit, & mulierum frequentationem inibi fieri permiserit, vel, quod turpius est, tales mulieres ibi habuerit, quæ lanificium suum exerceant, & curam domus agant: & ad eadem loca presbyter incongrue recurrerit, frequentaverit, vel manserit; quoniam contra decreta canonum hoc malum agitur, a quibus perpetratur. Quia sicut nec suo, ita nec alieno nomine presbyter, vel quilibet sub regula, fœnus exercere debet, multo minus autem fraudem facere de facultatibus ecclesiasticis; quoniam hoc agere sacrilegum est, & B par crimen Ananiæ & Sapphiræ, atque Judæ furis, qui sacras oblationes, quæ ad usus fidelium ac pauperum mittebantur, asportabat & furabatur. Nam aliud est sine dispendio ecclesiæ amicis vel parentibus pauperibus, aut quibuslibet * necestuosis, ex caritate cum mensura & ratione subvenire, vel adjutorium ferre, & aliud cum destructione ecclesiæ, vel dissipatione facultatum ecclesiasticarum, quasi furtim, immo furtim, quæ ecclesiæ esse debuerant, & usibus illius ac pauperum seu hospitum impendit, carnalium carnaliter usibus sine divino respectu inservire. Et de nihil habentibus promotus presbyter non præsumat quæ de facultatibus ecclesiæ comparaverit vendere, vel quasi ad causam Dei tradere, nisi ad ecclesiam C cujus propriæ esse debent, sine consultu episcopi.

est, in- ntibus, are. lice ne- eum.

XX. Inquirendum, si de tabernis & de comessationibus, & de familiaritate indebita mulierum se custodiant presbyteri, sicut sæpissime interdiximus & interdicimus, quia ad contumeliam nostram laici me petunt, ut si evidenter cum testibus, quo negari non possit a quoquam, presbyterum in tabernis invenerint, caballum & cappam inde eis habere liceat. Quapropter si abhinc presbyteri se de talibus non caverint, quia divinum non timent judicium, temporalem illis inveniemus contumeliam, & sæculare illorum incorrigibilitati adinveniemus detrimentum.

De illicito clericorum accessu ad feminas, & qua ratione de illo arguendi vel purgandi sint. D

c. Trof: um c. 9.

XXI. De accessu autem, & frequentatione, ac cohabitatione clericorum cum feminis, unde secundum sacros canones in omnibus synodis specialiter interdiximus, firmiter & expresse atque sollicite a nobis & a comministris nostris est inquirendum. Sicut enim his qui Domini in carne adventum præcesserunt, & his qui subsequentur, pro temporum ratione sunt sacramenta disparia; ad religionem tamen unius ejusdemque fidei & salutis recurrentia, & ut scriptum est: *Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia*; per incrementa temporum tam per seipsum, quam & per angelos in veteri testamento, in novo autem si- E militer per se, & per doctores catholicos & magistros ecclesiæ, qui & attestante propheta angeli nominantur, aucta est subtilitas & multiplicatio præceptorum. Per se quidem Dominus in paradiso Adæ, & post diluvium Noe & Abrahæ de circumcisione dedit præcepta: legem autem per angelos Moysi mediatori inter se & populum, ut ostendit apostolus. In novo autem testamento Incarnatus per se dicens: *Audistis quia dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*; &: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum*: &: *Dictum est antiquis, Qui occiderit, reus erit judicio: ego autem dico vobis, Quia omnis qui irascitur fratri suo reus erit judicio*. Et per sanctos suos, de quibus dictum est: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis*, per incrementa temporum virtutem castitatis excrescere, maxime autem apud ministros ecclesiæ docuit, decernens hoc modo per mysticam Nicænam synodum: Interdixit per omnia synodus, non episcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui omnino qui in clero est, subintroductam habere mulierem, nisi forte matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas quæ suspiciones effugiunt. Et inde lex a Christianis imperatoribus est promulgata hoc modo: Quicumque clericatus utuntur officio, extranearum mulierum familiaritatem habere prohibentur: matrum, sororum, vel filiarum sibi solatia intra domum suam noverint tantum esse concessa. Sed quia sub occasione istarum personarum aliæ mulieres subintroduci cœperunt, sancti Africani canones decreverunt, ut nec ipsi episcopi, aut presbyteri, soli habeant accessum ad viduas, vel virgines, vel ad quascumque feminas: sed ubi aut clerici præsentes sint, aut graves aliqui Christiani. Unde, sicut beatus Gregorius ad ministros ecclesiæ Romanæ scripsit, beatus Augustinus nec cum sorore habitare consenserit dicens: Quæ cum sorore mea sunt sorores meæ non sunt. Et ex hoc dicit sanctus Gregorius; Docti ergo viri cautela magna nobis esse debet instructio. Nam inhonestæ præsumptionis est, quod fortis pavet, minus validum non timere. Sapienter enim illicita superabit, qui didicerit etiam non uti concessis. Et hinc Christiani imperatores legem decreverunt dicentes: Presbyteris, & diaconis, & subdiaconis, & aliis in clero scriptis, non habentibus uxores, secundum divinas regulas interdicimus & nos mulierem habere in sua domo, excepto, matre & filia & sorore, & aliis personis, quæ omnem querelam effugiunt. Si quis autem adversus istam observationem mulierem in sua domo habuerit, quæ potest suspicionem inferre turpitudinis, & ille a conclericis suis audierit, quod cum tali muliere non debeat habitare, & noluerit eam a sua domo repellere, vel accusatore emergente probatus fuerit inhonestе cum tali muliere versari; tunc episcopus secundum ecclesiasticos canones a clero eum repellat, curiæ civitatis cujus clericus est tradendum. Et ut S. Innocentius, & prædecessor ejus Siricius, scribunt: Si priscis temporibus de templo Dei sacerdotes anno vicis suæ non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omnino tangebant; quibus utique propter sobolis successionem uxoris usus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu, & præter ex semine Aaron, ad sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere, quanto magis hi sacerdotes vel Levitæ pudicitiam servare debent, quibus vel sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, quo vel a sacrificiis divinis, vel a baptismatis officio vacent? Nam si Paulus etiam laicis scribit dicens: *Abstinete ad tempus, ut vacetis orationi*, quanto magis sacerdotes, quibus & orandi & sacrificandi juge officium est, semper debebunt ab ejusmodi consortio abstineri? Qui si contaminatus fuerit a carnali concupiscentia, quo pudore vel sacrificare forsitan usurpabit? aut qua conscientia, quove merito exaudiri se credit, cum dictum sit: *Omnia munda mundis, inquinatis autem & infidelibus nihil mundum*? Et ne quis dicat, Si habito cum mulieribus, sufficit mihi conscientia mea, dicente apostolo: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*; attendat quod item idem dicit apo-

Ibid. 5. *Matth.* 10 Can. 3 Aniani interp. cod. Theod. de episc eccles. &c. L. 44. Conc. Afric Can. 5. Greg lib. 7. ind. II. ep. 29. Novella Justiniani 123. c. 29. Inno. ep 2. ad Victricium. 2. Cor. 2. *Tit.* 2. *Rom.* 12.

JOANNIS VIII. P. EPISTOLA GERMANA.

ANNO CHRISTI 870.

apostolicæ sedis postmodum absolutionem restitutos incunctanter fuisse, Eo tamen tenore ista statuentes, apostolica dumtaxat auctoritate & sanctorum patrum venerabilibus institutis, decernimus, ut post hujus patriarchæ obitum nullus de laicis vel curialibus in patriarchatus eligatur vel consecretur honore, nisi de cardinalibus, presbyteris & diaconibus Constantinopolitanæ sedis, secundum sacros canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos: quia nec præpropere contra canones ecclesiasticos, decretaque majorum, cito quilibet lector, cito acoluthus, cito diaconus, cito sacerdos vel episcopus fiat: quia in minoribus officiis, si diu perdurent, & vita eorum pariter & obsequium comprobatur: ut per tempora a majoribus instituta, comprobatis prius moribus, & bonæ vitæ meritis refulgentibus, ad summum sacerdotium postmodum veniant: quoniam non est subito præripiendum, vel usurpandum, quod vita diu probata meretur accipere. Nam si in quibuslibet ecclesiæ gradibus providenter curandum est, ut in Domini domo nihil sit inordinatum; quanto magis elaborandum est, ut in electione ejus qui supra omnes gradus ejus constituitur, non erretur? Nam totius familiæ Domini status, & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non sit in capite; & inde fiat, ut omnis ecclesiastica disciplina resolvatur, omnis ordo turbetur: & ideo hoc, quod nos modo pro ecclesiastica unitate & pace, quam Christus dominus noster nobis dedit habendam, utcumque patimur esse veniale, inultum postmodum esse non poterit, si quisquam id quod omnimodo interdicimus, usurparit: quia remissio peccati non dat licentiam iterum delinquendi: nec quod potuit aliqua ratione semel concedi, fas erit amplius impune committi. Hoc etiam modo ista, excellentiæ vestræ precibus moti, fieri jubemus, si ipse patriarcha Bulgarorum diœcesim, quam piæ memoriæ Nicolaus præcessor noster, Michaele ipsorum rege detente, apostolicis doctrinis docuit, & per venerabiles episcopos suos sacri lavit unda baptismatis, omnique ecclesiastica regula & disciplina, prout oportebat, instruxit, amodo suo juri vendicare, vel remittere nullo modo præsumpserit, nec aliquam cujuscumque honoris ibidem ordinationem fecerit. Ibidem sunt illicite ordinati episcopi, vel sacerdotes ..... archiepiscopo, vel episcopis, qui ibidem videntur existere, sacrum pallium, quo inter sacra missarum solemnia uti pontificibus solitum est, ipse patriarcha mittere præsumpserit. Porro pro tantis perturbationibus, quibus ecclesia vestra longo jam tempore manet turbata, vestræ augustali pietati obnixe suggerimus, ut Constantinopolitanum patriarcham digno semper honore venerantes, quasi patrem spiritualem, & utpote inter vos & Deum mediatorem præcipuum, divina vobis, per quæ ad regnum perveniatis æternum, sedule annuntiantem pio semper affectu colatis, &, ut condecet, in omnibus honoretis: quia pro temporali, quem illi præbetis, honore, vos & hic temporalem honorificentiam habebitis, & in æternum multiplicem procul dubio recipietis, ab illo nempe qui

πατριαρχαι, οἷον Ἀθανάσιος καὶ Κύριλλος Ἀλεξανδρείας, Φλαβιανὸς καὶ Ἰωάννης Κωνσταντινουπόλεως, καὶ Πολυχρόνιος Ἱεροσολύμων, σωφρονικῶς καθαιρεθέντες, μὴ ταῦτα διὰ τῆς ἀποστολικῆς θρόνου τῆς λύσεως τυχόντες, ἀνωμερθέτως τὰς οἰκείας θρόνους ἀπέλαβον. ταῦτα δὲ ὁρίζοντες, ἀποστολικῇ δήπου ἐξουσίᾳ, καὶ τοῖς σεβασμίοις τῶν ἁγίων πατέρων διατάγμασι, θεσπίζομεν ὅπως, ὥστε μὴ τὴν ἀποβίωσιν τῆδε τοῦ πατριάρχου μηδένα ἐκ λαϊκῶν ἢ βαλβιτικῶν εἰς τιμὴν πατριαρχικὴν ψηφίζεσθαι ἢ προβιβάζεσθαι, εἰ μὴ ἐκ τῶν καρδιναλίων πρεσβυτέρων τε καὶ διακόνων τοῦ θρόνου Κωνσταντινουπόλεως, κατὰ τοὺς ἱεροὺς κανόνας τοὺς πνεύματι Θεοῦ ὁρισθέντας, καὶ ἀλαβείᾳ τῆς οἰκουμένης ἀσφαλισθέντας· ἵνα μήτις ἄφνω ἐναντίον τι τῆς ἐκκλησίας κανόνων, καὶ τῆς πατρικῶν διατάξεων, τυχέως ἀναγνώσης, τυχέως ἀκόλουθος, τυχέως διάκονος, τυχέως ἱερεὺς ἢ ἐπίσκοπος χειροτονῆται. ἐν τάγμασι γὰρ αὐτῆς ὑποδεεστέροις χρονιζόντων ὅτε βίος δοκιμάζεται καὶ ἡ ὑπηρεσία. ὅπως δοκιμασθέντων πρότερον κατὰ τοὺς τεταγμένους ὑπὸ τῶν πατέρων χρόνους τε τρόπων, καὶ τῆς καλοκἀγαθίας διαλαμπούσης, τότε εἰς τὸ ἀκρότατον ὕψος τῆς ἀρχιερωσύνης ἀνάγωνται. οὐ δεῖ γὰρ ἀθρόον προαρπάζειν ἢ ἐξιδιοποιεῖσθαι τὸ ὀφειλόμενον τῇ πολυχρονίῳ δοκιμῇ τοῦ βίου. εἰ γὰρ ἐν οἱῳδήποτε τῆς ἐκκλησίας βαθμῷ προγονικῶς ἐστι φροντιστέον, ἵνα μηδὲν ᾖ ἀσώτευτον ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ κυρίου, πόσῳ μᾶλλον διαπονητέον, ὅπως ἐν τῇ ἐκλογῇ τοῦ ἀνερχομένου ἐπάνω πάντων τῆς βαθμῶν μηδὲν ἐξαμαρτάνηται; τοῦ γὰρ παντὸς οἴκου τοῦ κυρίου σαλευθήσεται ἡ κατάστασις καὶ ἡ τάξις, εἴπερ μὴ προσείη τῇ κεφαλῇ, ὃ ζητεῖται ἐν τῷ σώματι· καὶ γένηται ἐκ τούτου τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἁπάσης διαταξίας κατάλυσις, καὶ ἁπάσης τάξεως σύγχυσις. καὶ διὰ τοῦτο ὅπερ ἡμεῖς νῦν διὰ τινὰ τῆς ἐκκλησίας ἑνότητα καὶ εἰρήνην, ἣν ἡμῖν Χριστὸς ὁ κύριος ἡμῶν ἔδωκε φυλακτέαν, ὁπωσοῦν ἀνεχόμεθα συγγνωστὸν εἶναι, ἀνεκδίκητον εἶναι μὴ ταῦτα οὐ διωκήσεται, εἴ τις τοῦθ' ὅπερ παντελῶς ἀπαγορεύομεν, ὑφαρπάσει. ἡ γὰρ ἄφεσις τοῦ πλημμεληθέντος οὐ δίδωσιν ἐξουσίαν τοῦ αὖθις ἐξαμαρτεῖν· οὐδ' ὅπερ ἅπαξ λόγῳ τινὶ δεδώκηται συγχωρηθῆναι, θεμιτὸν ἔσαι εἰς τοὐπιὸν ἀτιμωρήτως γίνεσθαι. ἔτι δὲ ταῦτα, τῆς ὑμετέρας ὑπεροχῆς ταῖς δεήσεσι παρακληθέντες, οὕτω γνώσεσθαι προσάγομεν, ἐὰν αὐτὸς ὁ πατριάρχης τῆς Βουλγάρων διοίκησιν, ἣν τινα ὁ τῆς ἁγίας μνήμης προηγησάμενος ἡμῶν Νικόλαος, Μιχαὴλ τοῦ βασιλέως αὐτῶν δεομένου, ἀποστολικαῖς ἐδίδαξε διδαχαῖς, καὶ δι' ἀλαβεστάτων αὐτοῦ ἐπισκόπων ἀπέπλυνε τῷ θείῳ λουτρῷ τοῦ βαπτίσματος, καὶ ἅπαντα ὥσπερ ἐχρῆν ἐκκλησιαστικὸν τύπον καὶ διδασκαλίαν παρέδωκε, τὰ ἀπὸ τοῦδε διεκδικεῖν ἑαυτῷ ἢ σφετερίζεσθαι μηδόλως τολμήσῃ, καὶ οὐδεμίαν ἠσινοσοῦν τιμῆς αὐτῷ χειροτονίαν ποιήσηται. ἀθεμίτως ἐκεῖ ἐχειροτονήθησαν ἐπίσκοποι καὶ ἱερεῖς ..... τῷ ἀρχιεπισκόπῳ ἢ τοῖς ἐκεῖ οὖσιν ἐπισκόποις τολμήσῃ αὐτὸς ὁ πατριάρχης ἱερὸν ὠμόφορον ἀποστεῖλαι, ᾧ χρῆσθαι τὰ θεῖα ἱερουργοῦντες οἱ ἀρχιερεῖς εἰώθασιν. ἐπεὶ δὲ τοσαύτης πέπονθε ταραχὰς πολλὰ ἤδη χρόνον ἡ καθ' ὑμᾶς ἐκκλησία, τὴν αὐτοκρατορικὴν ὑμῶν ἀσέβειαν σωτήνως ὑπομιμνήσκομεν, ἵνα τῷ Κωνσταντινουπόλεως πατριάρχῃ τὴν ἀξίαν ἀεὶ τιμὴν ἀπονέμοντες ὡς πνευματικῷ πατρὶ, καὶ ἐξαιρέτῳ ὑμῶν τε καὶ τοῦ Θεοῦ μεσίτῃ, τὰ τε θεῖα ὑμῖν ἐπιμελῶς καταγγέλλοντι, δι' ὧν εἰς τὸν ἀΐδιον καταντήσετε βασιλείαν, διὰ παντὸς αὐτὸν σέβησθε, τιμῶν

ANNO CHRISTI 870.

μῶντες ἐν ἅπασιν, ὡς εἰκός. ἀντὶ γὰρ προσκαίρου τιμῆς, ἣν αὐτῷ προσάγετε, καὶ τὴν πρόσκαιρον κτήσεσθε ὑμεῖς ἐνθάδε, καὶ τὴν ἐσαεὶ διαμένουσαν πάντως λήψεσθε πολλαπλασίω, παρ' ἐκείνου δῆλον, ὃς τοὺς αὐτὸν δοξάζοντας ἔφη δοξάσειν. μὴ δὴ οὖν ἀκούειν ἀξιούτω ἡ ὑμετέρα βασιλικὴ μεγαλοπρέπεια τὰς ψευδολογίας τῶν ὑποσπείρειν ἐπὶ τὸ περιφανὲς τοῦ κυρίου λήϊον τῶν σκανδάλων τὰ ζιζάνια μὴ διαλειπόντων. μηδὲ δὶα τοὺς ψιθυρισμοὺς τῶν τοιούτων, οἳ σπεύδουσι διηνεκῶς θείαν ἑνότητα διασχίζειν, τὸν χιτῶνα τοῦ κυρίου, τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Χριστοῦ, καὶ ταῖς ἑαυτῶν γλώτταις οὐ παύονται ἀεὶ λαλεῖν δολίως, ἰὸν ἀσπίδων φέροντες ὑπὸ τὰ χείλη αὐτῶν, κινείσθω τῆς φιλανθρωπίας ὑμῶν ἡ γνώμη κατ' ἐκείνου ὁποσονοῦν· μηδ' εὐχερῶς οὕτωσι ἀτιμαζέσθω ὁ θείᾳ προνοίᾳ μέγας ὑμῖν ἱερεὺς καταστὰς πρὸς διοίκησιν τῆς τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίας. αἰσχρὸν γὰρ τοῦτό γε καὶ ἀπρεπὲς τῇ ἁγίᾳ δικαιολογείᾳ. παρεγγυώμεθα δὲ πρὸς τούτοις, ἵνα πάντες οἱ ἐπίσκοποι καὶ ἱερεῖς, καὶ οἱουδήποτε τάγματος κληρικοὶ τῆς χειροτονίας ὄντες τοῦ τῆς ὁσίας μνήμης Ἰγνατίου, εἴτε ἐν τῇ βασιλίδι διατρίβοντες, εἴτε ἐκτὸς πόρρω που ἢ ἐγγυτέρω ἐξωσθέντες, προσηνῶς παρ' ὑμῶν ἀνακληθῶσιν εἰς τὸν κόλπον καὶ τὴν ἑνότητα τῆς ἁγίας ἐκκλησίας, προσδεχομένων αὐτοὺς ὑμῶν καὶ περιπτυσσομένων χερσὶν ὑπτίαις, στοργῇ πατρικῇ, καὶ τοὺς οἰκείους ἑκάστῳ τούτων θρόνους ἀποδοθῆναι κελευόντων· ἵν' ὥσπερ μία πίστις καὶ ἓν ἐστι βάπτισμα ἐν ἡμῖν, καὶ πάντες ἓν ἐσμεν ἐν Χριστῷ, ὡσαύτως καὶ οὗτοι πρὸς τὴν ἑνότητα καὶ τὸ πλήρωμα τῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας καὶ τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ ἐπανερχόμενοι, καὶ τὸ αὐτὸ λέγοντες, καὶ τέλειοι ὄντες ἐν τῷ αὐτῷ νοῒ καὶ τῇ αὐτῇ γνώσει, μία ποίμνη γένωνται καὶ εἷς ποιμήν· καὶ μὴ τολμῶσι τοῦ λοιποῦ λέγειν, ἐγὼ μὲν εἰμι Κηφᾶ, ἐγὼ δὲ Παύλου, ἐγὼ δὲ Ἀπολλώ, ἀλλ' ἑνὸς Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἡμῶν, ὅς ἐστιν ἡ εἰρήνη ἡμῶν, καὶ ἐποίησε τὰ ἀμφότερα ἕν, καὶ ἐλθὼν καταλλάξαι τά τε ἐπὶ γῆς καὶ τὰ ἐν οὐρανοῖς οὐκ ἀπηξίωσεν· ὃς διὰ τοῦτο ἐφάπαξ ἀπέθανεν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, ἵνα τὰ τέκνα τοῦ διεσκορπισμένα εἰς ἓν συνάξῃ. οὐ γὰρ εἶναι δυνήσεται τῆς συναφείας αὐτῶν ἑδραία ἡ συμβίβασις, ἢν μὴ αὐτοὺς συσφίγξῃ ὁ δεσμὸς τῆς ἀγάπης πρὸς στερρότητα ἀδιάσπαστον. οὕτω γὰρ Θεοῦ συνεργοῦντος ἄνευ ταραχῆς οἱασοῦν ἐπὶ τῆς βασιλείας ὑμῶν σῶοι καὶ ἀκίνδυνοι διατελοῦντες, ὑπὲρ τῆς ὑμῶν σωτηρίας καὶ ἁπάσης τῆς πολιτείας ἐκτενέσιν εὐχαῖς ἀεὶ πρὸς τὸν Θεὸν πρεσβεύσουσιν. εἰ δέ τινες ἴσως παραιτήσωνται τὴν πρὸς τὸν πατριάρχην κοινωνίαν, δεύτερον καὶ τρίτον νουθετείσθωσαν, ὥστε τῇ ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ ἑαυτοὺς ἑνῶσαι. μὴ βουλομένους δὲ συνελθεῖν, ἀλλὰ τῇ οἰκείᾳ ἐμμένοντας ἀπειθείᾳ, παρηγγείλαμεν τοῖς ἡμετέροις ἀποκρισιαρίοις, ἵν' ἅμα τῇ συνόδῳ αὐτοὺς ἀφορίσωσι τῆς ἀχράντου μεταλήψεως, ἕως ἂν ἐπιστρέψωσι πρὸς τὸν ἴδιον πατριάρχην, καὶ τὴν ἑνότητα τῆς ἁγίας ἐκκλησίας.... ἄλλωστε τῶν ἐπισκόπων αὐτῶν κανονικῶς παρ' ἡμῶν ἀφορισμῷ ὑποβληθέντων. διὸ εἴπερ αὐτοὺς εἰς κοινωνίαν παραδέξηται, ἢ τῆς πρὸς αὐτοὺς ὁμιλίας ὁπωσδήποτε ἀνθέξηται, παραπλησίως τὸν αὐτὸν πατριάρχην σὺν τοῖς ἐπισκόποις ἐκείνοις κρίνομεν εἶναι τῆς ἐκκλησιαστικῆς κοινωνίας ἀφωρισμένον. ἐδόθη μηνὶ Αὐγούστῳ, ἰνδικτιῶνος ιβ'.

A glorificantes se glorificare testatur. Nec eorum verba falso prolata, qui scandalorum zizania super conspicuam segetem Domini seminare non cessant, vestra imperialis dignetur audire majestas: nec pro talium susurrationibus hominum, qui semper student scindere unitatem Dei, vestem Domini, ecclesiam Christi, quique linguis suis semper dolose agere non cessant, venenum aspidum portantes sub labiis suis, animum clementiæ vestræ adversus eum aliquatenus commoveatis, & summum sacerdotem vestrum Dei providentia in ecclesiæ Christi regimine constitutum, sic facile exhonoretis: quod nimirum vestro sancto imperio B valde inhonestum & indecens esse videtur. Præterea mandamus etiam, ut omnes episcopos & sacerdotes, seu cujuscumque ordinis clericos, qui de consecratione Ignati bonæ memoriæ patriarchæ consistunt, sive in ipsa regia urbe manentes sive alicubi extra longe, seu prope retrusos, clementi animo ad gremium & unitatem sanctæ ecclesiæ revocetis, & ulnis extensis paterno affectu recipiatis & amplectamini, propriasque unicuique illorum jubeatis reddi sedes: ut sicut una est fides, unum in nobis baptisma, & omnes unum sumus in Christo; ita & isti, qui ad unitatem & societatem ecclesiæ Dei, & corporis Christi redierint, & C id ipsum dicentes, perfectique existentes in eodem sensu & in eadem scientia, unus grex efficiantur, & unus pastor; nec audeant amplius dicere, ego quidem sum Cephæ, ego Pauli, ego autem Apollo, sed unius Christi veri Dei nostri, qui est pax nostra, & fecit utraque unum, veniensque cælestia cum terrestribus pacificare dignatus est: qui idcirco semel pro peccatis nostris mortuus est, ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. Nec enim poterit unitatis eorum firma esse compago, nisi eos ad inseparabilem soliditatem vinculum caritatis adstrinxerit; quatenus, Deo favente, absque omni perturbatione, D vobis regnantibus salvi & securi persistentes, pro salute vestra, & pro statu reipublicæ jugibus semper votis Dominum valeant deprecari. Quod si forte quidam extiterint cum eodem patriarcha communicare nolentes, admoneantur secundo ac tertio, ut sanctæ ecclesiæ se unire procurent. Quod si acquiescere noluerint, in sua pertinacia manere volentes, sacra eos communione his præsentibus missis nostris una cum synodo jussimus privare, quousque ad suum redeant patriarcham, & ad sanctæ ecclesiæ unitatem . . . . . cum præcipue ipsi episcopi a nobis sint canonice excommunicati. Et ideo si eos in consortium suum receperit, ali- E quamve cum eis communionem habuerit, simili modo eumdem patriarcham cum ipsis episcopis ecclesiastica communione judicamus esse privatum. Data mense Augusto, indictione XII.

JOANNIS VIII. P. EPISTOLA GERMANA.

Psal. 13. & 139.

Ephes. 2.

Εστάλη διὰ Πέτρου πρεσβυτέρου.

Missa per Petrum presbyterum.

Lib. 9 p 66. forte ſubrepſerint, tam qui ante peccaverunt detectos oportere depelli, quam ſacræ profeſſionis oblitos prævaricatoreſque ſancti propoſiti procul dubio ſubmovendos. Et S. Gregorius ad Anthemium ſubdiaconum: Quia tantæ nequitiæ malum ſine digna non debet ultione tranſire, ſupradi-
Lib 10. cp. 8. ctum fratrem noſtrum Paſchaſium admonere te volumus, ut Hilarium prius ſubdiaconi, quo indignus fungitur, privet officio, atque verberibus publice caſtigatum faciat in exilio deportari, ut unius pœna multorum poſſit eſſe correctio. Et ad Columbum epiſcopum: Pervenit ad nos, quod Deidona diaconus pro corporali fuiſſet peccato depoſitus, dilectio veſtra ſubtili hoc inquiſitione perquirat: & ſi ita eſt, in pœnitentia retrudendus eſt, ut commiſſi flagitii vinculum lacrymis poſſit abſolvere. Et ad Sabinianum epiſcopum:
Lib. 7. ep. 25. Presbyterum, inquit, de quo nos fraternitas tua latoris præſentium relatione conſuluit, nulla ratione in ſacro ordine poſt lapſum, aut permanere, aut revocare poſſe cognoſcas. Circa quem tamen mitius agendum eſt, propter quod commiſſum
Lib. 7. ind. 2. ep. 62. facinus facili dicitur profeſſione confeſſus. Et ad Joannem archiepiſcopum: Quæ adverſus Lucillum Melitanæ civitatis epiſcopum querela commota ſit, in geſtorum quæ ad nos direxiſtis, pagina declaratum eſt. Et ideo quia tanti facinoris ultio nulla debet dilatione differri, fraternitas veſtra tres aut quatuor de fratribus ac conſacerdotibus ſibi noſtris adhibeat, ut ipſis quoque præſentibus pateſacta ac ſatisfacta veritate, prædictum Lucillum de epiſcopatus ordine, quem hujus ſceleris contagium maculavit, ſtudeat ſine ambiguitate deponere. Quia igitur in regula paſtorali ſanctus Gregorius, legis exponens ſententiam, monſtrat non debere eum accedere ad miniſterium Dei, nec offerre Deo ſuo panes, qui parvo, vel grandi, aut torto eſt naſo, id eſt, qui ad tenendam menſuram diſcretionis idoneus non eſt, vel qui ſubtilitate immoderata rectitudinem ſuæ actionis confundit, in pœnitentia vel degradatione lapſorum ex gradibus eccleſiaſticis, ſecundum traditionem catholicam & eccleſiæ magiſtrorum nobis eſt tenenda diſcretio. Ait enim beatus Gregorius: Nonnunquam a reatu adulterii nequaquam diſcrepat culpa fornicationis, cum
Matth. 5. Veritas dicat: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Quia enim Græco verbo mœchus adulter dicitur, cum non aliena conjux, ſed mulier videri prohibetur, aperte Veritas oſtendit quia & ſolo viſu, cum vel innupta concupiſcitur, adulterium perpetratur. Quod tamen plerumque ex loco vel ordine concupiſcentis diſcernitur, quia ſicut hunc in ſacro ordine ſtudioſa concupiſcentia, ſic illum adulterii inquinat culpa. In perſonis tamen non diſſimilibus idem luxuriæ diſtinguitur reatus, in quibus fornicationis culpa, qua ab adulterii reatu diſcernitur, Prædicatoris lingua teſtatur, quæ in-
2. Cor. 6. ter cetera aſſerit dicens: *Neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri regnum Dei poſſidebunt.* * Quod enim disjunctæ reatui ſententiæ ſubdidit, quoniam valde a ſe diſſidet oſtendit. Et item idem dicit: Scimus quia aliquando minus eſt in corporis corruptionem cadere quam cogitatione tacita ex deliberata elatione peccare; ſed cum minus turpis ſuperbia creditur, minus vitatur: luxuriam vero eo magis erubeſcunt homines, quo ſimul omnes turpem noverunt. Unde fit plerumque, ut nonnulli per ſuperbiam in luxuriam corruentes experto caſu malum culpæ labentis erubeſcant; & tunc etiam majora corrigant, cum proſtrati in minimis confundunt. Reos enim ſe inter minora conſpiciunt, qui ſe

* Al *Quod enim diſtincto reatui ſententiam ſubdidit.*

liberos inter graviora crediderunt. Pia ergo Domini diſpenſatione laxatos nonnunquam malignus ſpiritus de culpa ad culpam trahit, & dum plus percutit, inde eum quem ceperat amittit, atque unde viciſſe cernitur, inde ſperatur. Ad hoc enim in ſcriptura ſacra virorum talium, id eſt, David & Petri, peccata ſunt indita, ut cautela minorum ſit ruina majorum. Ad hoc vero utrorumque illic & pœnitentia inſinuatur & venia, ut ſpes pereuntium ſit recuperatio perditorum. De ſtatu ergo ſuo David cadente nemo ſuperbiat: de lapſu etiam ſuo David ſurgente nemo deſperet. Et ſanctus Auguſtinus: Ut enim conſtitue- Epiſt.
retur in eccleſia, ne quiſquam poſt alicujus criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatum maneat, non deſperatione indulgentiæ, ſed rigore factum eſt diſciplinæ. Alioquin contra claves datas eccleſiæ diſputabitur, de quibus dictum eſt: *Quæ ſolveritis in terra, erunt ſoluta & in cælo.* Sed ne forſitan etiam detectis criminibus ſpe honoris eccleſiaſtici animus intumeſcens ſuperbe ageret pœnitentiam, ſeveriſſime placuit, ut poſt actam de crimine damnabili pœnitentiam nemo ſit clericus, ut deſperatione temporalis altitudinis medicina major & verior eſſet humilitatis. Nam & ſanctus David de criminibus mortiferis egit pœnitentiam, & tamen in honore ſuo perſtitit: & beatum Petrum, quando amariſſime lacrymas ſudit, utique Dominum negaſſe pœnituit, & tamen apoſtolus manſit. Sed non ideo ſupervacua putanda eſt poſterior diligentia, qua ubi ſaluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quo ſalus tutius muniretur, experti credo aliquorum fictas pœnitentias per affectatas honorum potentias. Cogunt enim multa invenire medicinas multorum experimenta morborum. Detecti ergo, ſive confeſſione ſua, ſive convictione legali ac regulari, de criminibus ad gradus eccleſiaſticos non accedant, ſicut ſacri canones, & decreta ſedis Romanæ pontificum aperte atque expreſſe decernunt. Hoc enim nos admonens apoſtolus ait: *Nolite* Epheſ.
communicare operibus infructuo ſis tenebrarum. Et quia, inquit S. Auguſtinus, parum erat non conſentire, id eſt, non communicare, ſi ſequeretur negligentia diſciplinæ: *Magis*, inquit, *autem redarguite.* Quid eſt, *nolite communicare?* nolite conſentire, nolite approbare. Quid eſt, *magis autem redarguite?* reprehendite, corripite, corcete. Sicut
1. Tim. item idem dicit apoſtolus: *Peccantes coram omnibus argue, ut ceteri metum habeant.* Sicut arguit Petrus Ananiam & Sapphiram, ut ceteri metum haberent: ſicut damnavit Simonem, quem tamen ad pœnitentiam invitavit: ſicut fornicatorem arguit Paulus, quem tradidit ſatanæ, ut ſpiritus ſalvus fieret in die Domini. Unde ſapientis verba clavis atque ſtimulis comparantur, dicente Salomone: *Verba ſapientium quaſi ſtimuli, & quaſi* Eccleſ. 12
clavi in altum defixi, quia culpas delinquentium neſciunt palpare, ſed pungere. Sed in ipſa correptione vel coercitione alienorum peccatorum, ſicut beatus Auguſtinus dicit, cavendum eſt, ne ſe extollat qui alterum corripit, & qui ſe putat ſtare, videat ne cadat: foris terribiliter perſonet increpatio, intus benignitatis teneatur dilectio. Neque enim conſentientes ſumus malis, ut approbemus: neque negligentes, ut non arguamus: neque ſuperbientes, ut inſultantes arguamus, ſicut ſatis beatus Gregorius in regula paſtorali nobis oſtendit. Lapſos autem in ordine eccleſiaſtico, ſed non detectos, judicio Dei committimus, cujus miſericordiæ, ut Leo dicit, nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora diffinire: apud Epiſt. ad Theodorum.
quem nullas patitur veniæ moras vera confeſſio,

dicen-

dicente Dei Spiritu per prophetam: *Cum ingemueris, tunc salvus eris*, & alibi: *Dic iniquitates tuas primus, ut justificeris*; quia apud Dominum misericordia est, & copiosa apud eum redemptio: & apostolus: *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*. Unde doctores catholici: Eo tunc Dominus salvator invenitur, quo nunc præ timore Domini peccatum nostrum a nobismetipsis redarguitur. Unde electi quique culpis suis nunquam sciunt parcere, ut possint culparum judicem placatum invenire; & vere eum postmodum invenire salvatorem credunt, quem districte modo judicem metuunt. Nam qui sibi nunc a culpa parcit, ei postmodum in pœna non parcitur. Culpas nunc singulorum Deus enumerat, cum nos ipsos ad singula quæ fecimus deflenda exponit, quas misericorditer relaxat, quia ea dum nos punimus, ipse nequaquam in extremo examine judicat. Neque enim pie Dominus ante diligentium oculos flenda peccata opponeret, si per semetipsum ea districte ferire voluisset. Constat enim qui a suo judicio abscondere voluit, quos miserando præveniens sibimetipsis judices fecit. Hinc enim scriptum est: *Præveniamus faciem ejus in confessione*; &: *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique dijudicaremur*. Qua dijudicatione majorem in se quisque severitatem debet exerere, quo se recognoscit gravius deliquisse, ut a seipso judicatus non judicetur a Domino. Quæ actio pœnitentiæ tunc erit perfecta, & Deo acceptabilis, si ascenderit homo adversum se tribunal mentis suæ, & constituerit se ante faciem suam, ne hoc ei postea fiat, sicut comminatur Deus peccatori: *Arguam te, & statuam contra faciem tuam*: atque ita constituto in corde judicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, judex ratio, carnifex timor. Dehinc dolore torquente sanguis animæ confitentis per lacrymas profluat, & quo sollicitius suam quisque conscientiam discutiendo examinat, eo latiores ex intimo cordis fonte lacrymarum fluvios fundat: & quotidiano baptismate, lacrymis suæ compunctionis ab omnium vitiorum, non solum criminalium, sed & quotidianorum subrepentium contagione purgetur, juxta eum qui dicit: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis stratum meum rigabo*: quia vita nostra indigna non judicatur, quæ lacrymis lavatur. Unde quia post baptismum inquinavimus vitam, & iterum baptismi aquis lavari non possumus, conscientiam nostram lacrymis baptizemus, & renovemur spiritu mentis nostræ de die in diem. Nescit enim mens per corpus veterascere, quæ studet per desiderium semper inchoare. Hinc namque per Paulum dicitur: *Renovamini spiritus mentis nostræ:* hinc psalmista, qui ad perfectionis jam culmen pervenerat, quasi inchoans dicebat: *Dixi: Nunc cœpi*; quia videlicet si lassescere ab inchoatis bonis nolumus, necesse est, ut inchoare nos quotidie credamus. A fervore etenim mentis, vel inter spiritales inimicos, vel inter carnales quosque proximos, ipso aliquo modo vivendi usu veterascimus, & assumptæ novitatis specie fuscamur. A qua tamen vetustate quotidie, si studia circumspectionis invigilent, orando, legendo, bene vivendo renovamur: quia vita nostra dum lacrymis lavatur, bonis operibus exercetur, sanctis meditationibus tenditur, ad novitatem suam sine cessatione reparatur, quia peccata, sive parva, sive magna, impunita esse non possunt: quoniam aut homine pœnitente, aut Deo judicante plectuntur; cessat autem vindicta divina, si conversio præcurrat humana. Amat enim Deus confitentibus parcere, & eos qui semetipsos judicant non judicare. Et sanctus Gregorius, quod & prædecessor ejus S. Callistus scripserat, de lapsis in ordine ecclesiastico, sed non detectis, interroganti se respondit: Nos, inquiens, præcedentes nobis patres sequimur, qui auctore Deo a sacra doctrina illorum non discordamus. A capite itaque incipientes, usque in quartum altaris ministerium, hanc formam servandam cognoscimus, ut quia minorem major præcedit, sicut honore, ita & crimine, & quem major sequitur culpa, major importetur vindicta, & post pœnitentiam credatur esse fructuosa. Quid enim prodest triticum seminare, & fructum illius non colligere? post dignam satisfactionem credimus posse redire ad honorem, propheta dicente: *Numquid qui cadit non adjiciet ut resurgat: & qui aversus est non revertetur?* Item propheta ait: *In quacumque die conversus ingemueris, tunc salvaberis*. Unde & psalmista ait: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me a facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas a me*. Dum enim petiit ne a Deo projiceretur prolapsus culpa, alienam rex & propheta simul rapuisse uxorem tremefactus expavit, propheta indicante flagitium suum, & pœnitentiam agens addidit: *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritum principali confirma me*. Si enim se dignum Deo per pœnitentiam non fecisset, nequaquam aliis prædicaret. Ait enim, *Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur*. Dum, inquit, peccata sua prospexit propheta mundata per pœnitentiam, non dubitavit prædicando curare aliena, & sacrificium de semetipso offerre Deo studuit cum dicebat: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*; & reliqua, quæ devotus ac studiosus lector suo loco invenire valebit. Et item alibi: Sed pœnitentiam agere digne non possumus, nisi modum quoque ejusdem pœnitentiæ cognoscamus. Pœnitentiam quippe agere est, & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam qui sic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat. Quid enim prodest, si peccata quis luxuriæ defleat, & tamen adhuc avaritiæ æstibus anhelat? aut quid prodest, si iræ culpas jam lugeat, & tamen adhuc invidiæ facibus tabescat? Unde necesse est, ut qui peccata deplorat, ploranda minime committat, & qui plangit vitia, perpetrare vitia timeat. Et si quis in fornicationis culpa, vel fortasse, quod est gravius, in adulterio, vel in incestu, vel in eo quod turpe est etiam dicere, lapsus est, tanto a se licita debet abscidere, quanto se meminit & illicita perpetrasse, attendens consilium beati Joannis Baptistæ dicentis: *Facite fructus dignos pœnitentiæ*. Qua sententia uniuscujusque convenitur conscientia, ut tanto majora quærat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto gravius sibi tulit damna per culpam: & singula quæque admissa consideret, * & dum per unumquodque erroris sui inquinationem deflet, simulque ac totum lacrymis mundet. Unde bene per prophetam Jeremiam dicitur, cum Judæ singula delicta censerentur: *Divisiones aquarum deduxit oculus meus*. Divisam quippe ex oculis aquam deducimus, quando peccatis singulis dispertitas lacrymas damus. Neque enim uno eodemque tempore æque mens de omnibus dolet: sed dum nunc hujus, nunc illius culpæ memoria acrius tangitur, simul de omnibus in singulis commota purgatur. Sic nimirum erga lapsos atque detectos, cum catholicæ & apostolicæ ecclesiæ doctrina sacrorum canonum severitatis censuram sequimur. Sic de lapsis, sed non detectis, & peccata sua perfecte lugentibus, cum ecclesia catholica de omnipotentissima Domini benignitate sentimus,

* Forte, *ut dum*. H.

timus, quia nullum peccatum est, ut dicit Gelasius, pro quo aut non oret ecclesia remittendum, aut quod data sibi divinitus potestate desistentibus ab eodem non possit absolvere, vel pœnitentibus relaxare, cui dicitur: *Quæcumque dimiseritis super terrarum, dimissa erunt & in cœlis: & quæcumque solveritis super terram, soluta erunt & in cœlis.* In Quibuscumque omnia sunt, quantacumque sint, & qualiacumque sint. Sic evangelicas sententias inter se non discordare intelligimus, quibus dicitur: *A fructibus eorum cognoscetis eos.* De quibus malæ operationis fructibus, id est de manifestis peccatis, sicuti sunt stupra, vel blasphemiæ, vel furta, vel ebrietas, & si quæ sunt alia, nobis judicare præcipitur. Cum autem dicitur: *Nolite judicare, & non judicabimini; nolite condemnare, & non condemnabimini*: &, *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet consilia cordis*: de illis factis dictum intelligimus, quæ dubium est quo animo fiant, vel quæ facta nos latent. Et sicut evangelicæ sententiæ inter se non discordant, ita nec apostolica sedes est sibi ipsi diversa, sive adversa, quæ secundum sacros canones de manifestis peccatis confessos, sive convictos, a gradu ecclesiastico jubet deponi, & non publice confessos, vel legaliter ac regulariter convictos, damnari vel degradari nulla ratione permittit.

Joan. xx. Matth. 18.

Matth. 7.

Matth. 7.

1. Cor. 4.

III.

CAPITULA ANNO DUODECIMO EPISCOPATUS * SUPERADDITA.

* Hoc est anno æræ Christianæ 877.

Hæc capitula anno XII. episcopatus nostri IV. Idus Junias, aliis capitulis, quæ jam consacerdotibus nostris dederamus, auctoritatem patrum sequentes superaddidimus, & fratribus ac consacerdotibus nostris observanda tradidimus.

I. *Quod presbyteri curare debeant, ut publici peccatores pœnitentiam accipiant, & episcopo referre quomodo illam agant. De pœna eorum qui ad pœnitentiam venire contemnunt, & presbyterorum, qui peccatores non indicant, & quod ultima pœnitentia nulli neganda sit.*

UT unusquisque sacerdos maximam providentiam habeat, quatenus, si forte in parochia sua publicum homicidium, aut adulterium, sive perjurium, vel quodcumque criminale peccatum publice perpetratum fuerit, statim, si auctorem facti vel consentientem adire potuerit, hortetur eum quatenus ad pœnitentiam veniat coram decano & compresbyteris suis, & quidquid ipsi inde invenerint vel egerint, hoc comministris nostris magistris suis, qui in civitate consistunt, innotescat: ut infra quindecim dies ad nostram præsentiam publicus peccator, si intra parochiam nostram fuerimus, veniat, & juxta traditionem canonicam publicam pœnitentiam cum manus impositione accipiat; & si longius a parochia nostra fuerimus, annus & dies Kalendarum subtiliter describatur, quando peccatum publicum quisque admisit, & quando ad pœnitentiam coram ministris venit, vel quando ad impositionem manus nostræ pervenit. Et semper de Kalendis in Kalendis mensium, quando presbyteri de decaniis simul conveniunt, collationem de pœnitentibus suis habeant, qualiter unusquisque suam pœnitentiam faciat, & nobis per comministrum nostrum renuntietur, ut in actione pœnitentiæ pensare valeamus, quando quisque pœnitens reconciliari debeat. Et si forte quis ad pœnitentiam venire noluerit infra quindecim dies post perpetrationem peccati, & exhortationem presbyteri, in cujus parochia actum fuerit, & sedulitatem decani ac compresbyterorum suorum, atque instantiam comministrorum nostrorum, decernatur qualiter qui peccatum perpetravit, & ad pœnitentiam redire contemnit, a cœtu ecclesiæ, donec ad pœnitentiam redeat, segregetur. Et sciat quisque presbyter, quia si per alium nobis cognitum fuerit quod in sua parochia admittatur, & tardius ad nostram notitiam perlatum fuerit, tantos dies a ministerio suspensus in pane & aqua excommunicatus morabitur, quantos dies nostram vel comministrorum nostrorum notitiam ipsa actio, sine illius suggestione, & debita ac justa communicatione, supertranserit: & in cujus negligentia peccator publicus non commonitus post tantos dies sicut præfiximus obierit, sciat se quisque presbyter gradum amissurum. Hoc tamen omnimodis ab omnibus caveatur, ut nemo pœnitens, & cum devotione petens, ultima pœnitentia, vel ultimo viatico defraudetur: ea convenientia, ut si convaluerit, secundum ecclesiasticas regulas pœnitentiam agat, & reconciliationem, quantum Deus sibi concesserit, in ordine pœnitentium expetat & expectet.

II. *Ut pro loco sepulturæ nihil exigatur, & locum hæreditario jure nemo sibi arroget, sed a presbytero accipiat, & de sepulturis non violandis.*

Ut pro loco sepulturæ, sicut sacra & canonica sanxit auctoritas, nemo a quocumque quiddam exenii exigat. Si autem aliquid quisquam gratis offerre voluerit post sepultum cari sui vel caræ suæ corpus, hoc suscipi non vetamus. Et nemo Christianorum præsumat, quasi hæreditario jure, de sepultura contendere: sed in sacerdotis providentia sit, ut parochiani sui, secundum Christianam devotionem, in locis quibus viderit sepeliantur. Ipse tamen sacerdos, memor ordinis sui, provideat & congruam cuique sepulturam, & ne scandalum, quantum vitari potest, fiat suis parochianis. Et providerat, sicut de ministerio suo & coram Deo & coram sæculo vult gaudere ut nullius Christiani corpus de sepulcro suo ejiciatur, & nec sepulcra confringantur, vel caminatæ sicut solent inde fiant; quia sicut crudele est quemquam de domo sua expellere, & misericordiæ opus est, egenum & vagum juxta dominicum dictum in domum recipere: ita sacrilegum est, corpus indevote ac irreligiose propter cupiditatem a sepulcro ejicere, ubi quisque dominicam vocationem, ut in adventu justi judicis resurgat, in pace quiescens debuerat expectare.

III. *Ut nullus missum celebret in altari non consecrato, vel sine tabula ab episcopo consecrata.*

Ut quia quidam presbyteri, præter ecclesiam in qua titulati sunt, etiam capellas habent, & quidam etiam veteres ecclesias restaurant, aut altaria nova construunt propter loci convenientiam, vel immutant, nemo presbyterorum in altario ab episcopo non consecrato ante consecrationem cantare præsumat. Quapropter, si necessitas poposcerit, donec ecclesia vel altaria consecrentur, & in capellis etiam quæ consecrationem non merentur, tabulam quisque presbyter, cui necessarium fuerit, de marmore, vel nigra petra, aut litio honestissimo, secundum suam possibilitatem, honeste affectatam habeat, & nobis ad consecrandum afferat, quam secum cum expedierit deferat, in qua sacra mysteria secundum ritum ecclesiasticum agere valeat.

CAPI-

IV.

CAPITULA IN SYNODO RHEMIS DATA ANNO DCCCLXXIV.

Hæc capitula data ſunt presbyteris in ſynodo Rhemenſi, anno incarnationis Dominicæ DCCCLXXIV. in menſe Julio.

I. *Quod iidem parochiarum presbyteri, & canonici in monaſteriis ſimul eſſe non poſſunt.*

QUia non ſolum illicita, ſed etiam pernicioſa ſibi ac commiſſæ plebi præſumptione, contra ſacros canones, presbyteri noſtræ parochiæ dicuntur eccleſias ſuas negligere, & præbendam in monaſterio Montis falconis obtinere, ſed & canonici ipſius monaſterii eccleſias ruſticanarum parochiarum occupare: neceſſe nobis eſt, non ſolum quid inde ſacri canones definiant demonſtrare, ſed & vigorem ac cenſuram eorumdem ſacrorum canonum, ſi ſe non correxerint, in contemptores exerere. Ut igitur de his interim ſileamus, qui certis de cauſſis ſecundum ſacros canones de aliis parochiis in noſtram parochiam veniunt, & regulariter a nobis ſuſcipiuntur, vel qui vacantes eccleſiis vacantibus incardinantur, vel cauſſa regulis conveniente ſecundum eaſdem regulas de eccleſiis ad alias eccleſias transferuntur; de canonum tranſgreſſoribus iidem canones ſacri decernunt, ut in illa eccleſia tantummodo quique miniſtrent, in qua prius ordinati fuerunt: ſi vero jam quis translatus eſt ex alia in aliam eccleſiam, prioris eccleſiæ rebus in nullo communicet; eos vero qui auſi fuerint poſt diffinitionem magnæ & univerſalis hujus ſynodi, quidquam ex his quæ ſunt prohibita perpetrare, decrevit ſancta ſynodus a proprio hujuſmodi gradu recedere. Et ſanctus Leo papa ſedis Romanæ hinc ad Aquilejenſem archiepiſcopum ſcripſit dicens: Illam partem eccleſiaſticæ diſciplinæ, qua olim a ſanctis patribus & a nobis ſæpe decretum eſt, ut nec in presbyteratus gradu, nec in diaconatus ordine, nec in ſubſequenti ordine clericorum, ab eccleſia ad eccleſiam cuiquam tranſire ſit liberum, ut in integrum revoces admonemus, ut unuſquiſque non ambitione illectus, non cupiditate ſeductus, non perſuaſione hominum depravatus, ubi ordinatus eſt perſeveret. Ita ut ſi quis ſua quærens, non quæ Jeſu Chriſti, ad plebem ſuam & eccleſiam ſuam redire neglexerit, & ab honoris privilegio, & a communionis vinculo habeatur extraneus. Quæ verba beati Leonis ſi quis intelligere attente curaverit, & omnem pravam occaſionem excluſam, & omnem utilitatis ac neceſſitatis rationem conceſſam inveniet. Ait enim: Ut unuſquiſque non ambitione illectus, non cupiditate ſeductus, non perſuaſione hominum depravatus, ubi ordinatus eſt perſeveret. Si enim quis non fuerit ambitione illectus, de minori ad majorem eccleſiam non quæret aſcendere: ſi non fuerit cupiditate ſeductus, non quæret quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti: ac per hoc non plebem ſuam deſerere, & ad monaſterii quaſi tuitionem confugere, vel canonicus ordinatus in monaſterio, obſequia monaſterialia derelinquens, turpis lucri cupiditate ob emolumentum decimæ ruſticanarum parochiarum eccleſias ſtudebit invadere, non curans ſi infantes ſine baptiſmate mortui caſu fuerint, vel ſine communione & reconciliatione infirmi obierint. Conſtat enim & certum eſt, quia & clauſtra monaſteriis atque obſequia debita, & quæ ſunt neceſſaria plebi in ruſticanis parochiis, A inſimul exequi nemo valebit. Quomodo enim, ſi intempeſtæ noctis ſilentio, aut infans natus periclitatur, aut infirmus viaticum munus petierit, canonicus a clauſtris monaſterii exiet, & ad villam infirmorum neceſſitatibus pergens ſuccurrere prævalebit? Quod videns ſanctus Gregorius, tractans coram populo Ezechielem prophetam dicit: *Thronus ejus*, quin Domini, *flammæ ignis, rotæ ejus ignis accenſus*. Hi, inquit, qui animarum cuſtodes ſunt, & paſcendi gregis onera ſuſceperunt, mutare loca minime permittuntur: ſed quia uno in loco poſiti, divinitatis in ſe præſentiam portantes ardent, thronus Dei flamma ignis dicitur. Quaproter non nobis eſt negligendum, ſed ſtudioſius exequendum, quod iſti ſancti Dei ex hac cauſſa obnixius tenendum decreverunt. Unde ſanctus Leo, ea quæ præmiſimus ad Aquilejenſem archiepiſcopum ſcribens, mox ſubdidit: Non, inquiens, dubitet dilectio tua, nos ſi, quod non arbitramur, neglecta fuerint quæ pro cuſtodia canonum, & pro fidei integritate decernimus, vehementius commovendos; quia inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ ſunt, quam ad deſides negligenteſque rectores, qui multam ſæpe nutriunt peſtilentiam, dum auſteriorem diſſimulant adhibere diſciplinam. Si ergo quiſquam presbyter parochiæ noſtræ, aut infimitate corporis, aut latente animæ peccato, ſenſerit ſe non poſſe proficere plebi ſibi commiſſæ, vel non debere præeſſe, & voluerit monaſterii portum ad agendam pœnitentiam ſecundum decreta beati Leonis expetere, profeſſionis ſuæ libello, ab ordine, & titulo atque regimine plebis, ſecundum Gregorii decreta, ſe exuat, ut in monaſterium intret. Sin autem, eccleſiam ſuam & plebem ſibi commiſſam ſecundum ſacras regulas teneat & gubernet. Si vero contra prædicta canonum interdicta quiſque presbyter in parochia noſtra præſumpſerit, modis omnibus ſe ab ordine abjiciendum cognoſcat.

Leo decret. cap. 14.

II. *Quod pro loco matriculæ nihil a quoque requiri vel accipi debeat.*

Sæpe vos admonui de matricularibus, quales ſuſcipere debeatis, & qualiter eis partem decimæ diſpenſare debeatis, ſed admonitionem noſtram, immo Dei per noſtram exiguitatem, quoſdam parvipendere comperi. Unde neceſſe mihi eſt iterare, quod quoſdam cognoſco negligere. Interdixi enim vobis Dei auctoritate, ut nemo presbyter pro loco matriculæ quodcumque xenium, vel ſervitium in meſſe, vel in quocumque ſuo ſervitio, præſumat requirere vel accipere: & matricularibus debitam partem decimæ, quam fideles pro peccatis ſuis redimendis Domino offerunt, nemo præſumat vendere. Quod & nunc iterum interdico, oſtendens vobis divinam auctoritatem. Ut enim plurima de ſanctis ſcripturis prætermittam, & pauca vobis, ſed notiſſima in medium devocem, ſanctus Spiritus per beatum David quod cantatis cantavit: *Deus meus miſericordia tua*, & decima a fidelibus data, miſericordia eſt, & miſericordiæ quæ Deus eſt datur; quæ miſericordia dicet in judicio miſericordibus: *Quamdiu feciſtis uni ex minimis iſtis, mihi feciſtis*. Eleemoſyna enim Græce, miſericordia dicitur Latine: & qui eleemoſynam vendit, Deum, id eſt miſericordiam noſtram vendit: & ſimilis eſt Judæ, de quo in evangelio ſcriptum eſt, quia loculos habebat Judas. Ea quæ mittebantur, id eſt quæ fideles Domino dabant, unde ipſe & ſui diſcipuli ſecundum carnem ſubſiſterent, & eleemoſynas Dominus faciebat, Judas portabat, id eſt aſportabat & furabatur. Et presbyter, qui de redemptione peccatorum, id eſt de decima fidelium, quodcumque

Pſal. 18.

Matt. 25.

Joan. 12.

ere-

exenium requirit aut accipit, non est dignus inter presbyteros nuncupari, sed dejici: sicut Judas nuncupatur inter apostolos, sed de apostolorum numero dejectus, & in consortium diaboli est in æternum abjectus. Et sciatis, quia quicumque presbyter ex hoc Judæ latrocinio fuerit revictus, non solum a presbyterali ordine dejicietur, sed nec etiam partem de illa decima, quam matriculârii accipiunt, accipere promerebitur: sed partem cum illo habebit, cujus fieri consors maluerit. In se, inquit sanctus Hilarus papa, quidquid in alium quis non resecarit, inveniet: & sanctus Gregorius: Qui non corrigit resecanda, committit.

III. *De indebito accessu ad feminas, & a ministerio dejiciendis iis qui se non correxerint.*

Jam vobis capitulum ex sanctis scripturis & catholicorum dictis donavi de inconvenienti accessu & indebita familiaritate ad feminas. Sed video quosdam vestrum illud parvipendere. Unde iterum illud in conventu vestro volo recitari, cum sententia Zosimi papæ dicentis: Sciat quisquis hoc neglexerit, a nobis districtius vindicandum: ut loci sui minime dubitet sibi non constare rationem, si hoc putat post tot prohibitiones impune posse tentari. Contumeliæ enim studio fit quidquid interdictum toties usurpatur. Et sciatis pro certo, quia non in quocumque requiram de viso concubitu vestro cum feminis, sed de interdicto canonico in accessu ad feminas, quia ut Hilarus papa dicit: Non minus in sanctarum traditionum sanctiones delinquitur, quam in ipsius Domini injuriam profilitur. Et cui vestrum amplius placuerit indebita feminarum familiaritas quam sacri ministerii puritas, habeat quod elegerit: quia insimul & sacri ministerii puritatem, & immundi contubernii habere non poterit * impuritatem. Dejicietur ergo a sacro ministerio, cui non poterit prodesse correptio, sicut sanctus Leo papa ad Anatolium Constantinopolitanum episcopum decrevit dicens: Debet diligentia tua vigilanter insistere, ita ut his, quibus prodesse non poterit correptio, non parcat abscisio. Oportet enim nos evangelici meminisse mandati, quod ab ipsa Veritate præcipitur, ut si nos oculus, aut pes, aut dextera scandalizaverit manus, a compage corporis auferatur: quia melius est his in ecclesia carere membris, quam cum ipsis in æterna ire supplicia. Abjicienda prorsus pestifera hæc a sacerdotali vigore patientia est, quæ sibimet peccatis aliorum parcendo non parcit: sicut Heli quondam sacerdos filiorum suorum delicta tolerando, cum ipsis divinæ justitiæ sententiam meruit experiri, quia segni indulgentia dissimulavit plectere peccatores. Cum, inquit Ambrosius, uni sacerdos indulget indigno, plurimos facit ad prolapsionis contagium provocari; facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquendi. Et sanctus Gregorius: Dum enim unus corripitur, plurimi emendantur, & melius est ut pro multorum salvatione unus condemnetur, quam per unius licentiam multi periclitentur. Nec mirum si inter homines hæc ratio custoditur, cum inter jumenta hæc fieri persæpe cognovimus, ut ea quæ scabiem aut impetiginem habere videntur, separentur a sanis, ne illorum morbo cetera damnentur, vel pereant. Satius est enim, ut manifeste corrigantur, quam pro illis boni pereant, sicut verus agricola noster Christus Dominus in evangelio monstrat dicens: *Omnem palmitem non ferentem fructum*, scilicet bonæ operationis, *tollam eum*. Et hoc est quod a Domino per Moysem in Levitico figurate præcipitur, ut lapis in domo leprosus a sacerdote inspiciatur, & si purificari nequiverit, jam inter immundos computetur, ac de ordine mundorum lapidum, id est ecclesiasticorum consortio, eruatur, atque alius qui dignus est, loco ejus substituatur. Videlicet abjectio de cælesti, id est ecclesiastico, ædificio, tamquam mortuo lapide, quolibet noxio, qui noluit servare quod dicitur: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*, juxta Petrum apostolum, tamquam lapis vivus in domo spiritali, in ædificio scilicet sanctæ ecclesiæ Jerusalem cælestis, quæ constat ex angelis & hominibus, & ædificatur ut civitas, utilis superædificetur.

In decret. cap. 2.

Epist. ad Veranium, Leontium, & Victurium.

* Forte, *impunitatem*, H.

Epist. 82. Diligentiam.

Jsaa. 27.

Levit. 14.

Apoc. 3.

1. Petr.

IV. *De iis qui de facultatibus ecclesiasticis alodes comparant, & illos ecclesiæ non derelinquunt.*

Quosdam vestrum ecclesias vestras negligere, & alodes audio comparare, & in eis mansos extruere atque excolere, ac in eisdem mansis feminarum habitationem habere, eosque mansos non ecclesiis secundum sacros canones derelinquere, sed contra sacros canones vel propinquis vestris, vel aliis quibuscumque distrahere. Unde sciatis, quoniam a quocumque hoc fieri comperero, secundum canonicam severitatem judicare curabo. Nullum enim alodem episcopus, vel presbyter, melius vel firmius potest habere, quam qui est ecclesiæ attributus, si secundum suum ordinem vivere voluerit. Si autem ordinem pro sua culpa perdiderit, nec alodem, quem a die ordinationis suæ ecclesiasticis facultatibus acquisivit, habere valebit. Quam fraudem de facultatibus ecclesiarum contra sacros canones, & sanctarum seriem scripturarum, prædicationemque majorum, ex magna parte possent retundere comministri nostri, si secundum capitulum ex sacris regulis a nobis collectum, & illis ac vobis datum, studeret requirere quid de decimis singuli agant presbyteri, & quoniam nihil ab eis in parochiæ circuitione exigo, quæ per singulos annos pareant in ecclesiis, de his quæ a nobis sunt ecclesiis constituta, & qualiter quique presbyteri hospitales existant secundum præceptionem beati Petri apostoli jubentis: *Hospitales invicem sine murmuratione, unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes*; & sanctus Paulus dicit: *Caritas fraternitatis maneat apud vos, & hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim placuerunt quidam angelis hospitio receptis.* Et Jacobus apostolus dicit: *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est: Visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.*

1. Petr. 4.

Hebr. 13.

Jac. 1.

V. *Quod pro ecclesiis viduatis præmia patronis dari non debeant.*

Sæpe vos admonui de exeniis superfluis contra sacras regulas pro ecclesiis viduatis non dandis, sed sicut audivi, vos non inde castigastis, sed vos ipsos, & vestros nutritos, in maledictionem simoniacæ hæreseos traditis: quam hæresin sanctus Petrus princeps apostolorum primam damnavit dicens ad Simonem: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Si enim hominis sensum haberetis qui hoc facitis, (non enim de omni dico) potuissetis attendere, quia si vos bene viveretis, & vestros nutritos in bona vita & in bona conscientia nutriretis, non vobis esset necesse & vestra perdere, & vos ipsos in damnationem mittere. Ipsi enim scitis, quia nemo fidelis in parochia nostra in sua ecclesia sine presbytero esse cupit, & sine ordinatione episcopali presbyterum ibi habere non potest, quapropter quisque defuncto presbytero in sua ecclesia presbyterum petit. Apud quem cum clericum bonum quæsiero, ut illi presbyterum ordinem, ipse clericum bonum quæret: si eum bonum mihi adduxerit, ordinabo illum; sin autem, alium requiram: & ipse tamdiu clericum bonum quæret, usque dum convenientem ordini sacro inve-

Act. 8.

veniat. Et non neceſſe eſſet vobis petere eccleſias cum ſuperfluo exenio: quia quippe fideles, ſi veſtra culpa non eſſet, plus quærerent bonos clericos, quam veſtros denarios: & hoc non ſuffertis; ſed vos & veſtros nutritos in maledictionem mittitis, cum dato patronis præmio vobis & illi peccatum emitis.

V.

CAPITULA * EODEM ANNO ARCHIDIACONIBUS PRESBYTERIS DATA.

Anno incarnationis dominicæ DCCCLXXIV. v. *Idus Julias Hincmarus archiepiſcopus dedit comminiſtris ſuis hæc capitula, quæ ſequuntur: Gunthario & Odelhardo archidiaconibus presbyteris.*

BEatus Petrus apoſtolus, cujus vice in eccleſia funguntur epiſcopi, & ſub eorum diſpoſitione ipſarum comminiſtri, in epiſtola ſua commonet illos dicens: *Seniores qui in vobis ſunt obſecro conſenior, & teſtis Chriſti paſſionum, qui & ejus quæ in futuro revelanda eſt gloriæ communicator, paſcite qui eſt in vobis gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie: neque ut dominantes in clero, ſed forma facti gregis, & ex animo.* Cujus verbum atque exemplum ſecutus ſanctus Leo papa, eum, cui ſuas vices commiſit in partem ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis, ab indebito appetitu præſumptionis per diſtincta capitula coercuit fræno diſcretionis. Juxta quorum doctrinam, vos in exordio commiſſi miniſterii paucis capitulis patenter ac diligenter commoneo, a quibus vos, quantum patitur humana fragilitas, non deviare ſub teſtificatione Chriſti præcipio.

I. *Ut non gravent presbyteros quando parochias circumeunt.*

Egregius doctor gentium diſcipulis ſuis dicit: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*: & vos quando ruſticanas parochias vobis commiſſas, vel mecum, vel per vos circuitis, ſicut & ego non graves ſitis presbyteris in paratis quærendis: neque ducatis ſuperflue vobiſcum homines, vel veſtros proprios, vel propinquos veſtros, per quos illos gravetis in cibo & potu, & fodro ad caballos. Et providete, ne homines veſtri, qui vobiſcum ibunt, illos dehonorent, vel hominibus illorum graves ſint. Nec diu in manſionibus ipſorum presbyterorum immoremini, & ſi neceſſitas evenerit, ut in aliquo loco immorari debeatis; ſic diſponite victualia veſtra per circum manentes presbyteros, ut nemini graves ſitis, & non otioſi & infructuoſi ſtipendia eccleſiaſtica inſumatis, ſicut nec ego gravis ſum presbyteris, per quos parochias circumeo.

II. *Ut parochias non occaſione victus, ſed inſtructionis cauſſa circumeant.*

Ut non occaſione victus parochias circumeatis, quatenus de aliorum ſtipendiis viventes veſtra ſtipendia conſervetis: ſed verbo & exemplo non ſolum presbyteros, ſed & laicos, de veſtra bona converſatione & inquiſitione ſecundum miniſterium vobis commiſſum inſtruatis.

III. *Ne munera a presbyteris accipiant, ut eorum vitia diſſimulent.*

Ut a presbyteris exenia non accipiatis, quatenus illorum mala fama cooperiatur: ſed omnibus verbo & exemplo notum facite, quia plus valet apud vos Dei & proximi dilectio, quam terrenum lucrum acquirendi occaſio: plus benignitas quam ſeveritas, plus commonitio quam commotio, plus caritas quam poteſtas. Erga bonos & bene agentes eſtote æquales ut fratres: erga pravos eſtote vitiorum correctores, & fratrum amatores. Similiter & erga alios in veſtris miniſteriis delinquentes.

IV. *Ne a presbyteris quidquam petant quod ſecum auferant dum redeunt.*

Quando parochias circuitis, nolite graves eſſe presbyteris, petentes friskingas, vel piſces, aut formaticos, aut annonam, aut alias quaslibet res, ut habeatis quando ad civitatem reverſi fueritis, unde quaſi fratribus refectionem faciatis, ut ſalvis ſtipendiis veſtris habeatis unde vos & veſtros conducatis.

V. *Ne denarios a presbyteris vel eulogias exigant, ſed ſponte oblata tantum accipiant.*

Nolite quaſi pro aliquo adjutorio ad quamcumque rem denarios apud presbyteros poſtuletis: neque quando ad ſynodum, vel pro inquiſitione miniſterii ſui, ſeu pro chriſma accipiendo venerint, eulogias exigatis: ſed ſi cui forte commodum fuerit pro ſua voluntate & commoditate aliquid gratis offerre, cum gratiarum actione accipite.

VI. *Ne paſcendis ſuis vel amicorum caballis presbyteros gravent.*

Nolite quaſi per precationem caballos veſtros, vel amicorum veſtrorum, ad paſtum presbyteris commendare præſumatis, neque annonam, vel fodrum ab eis exigatis. Ideo enim vobis de facultatibus eccleſiaſticis, juxta quod apoſtolus de lege dicit: *Non obturabis os bovi trituranti*, ſolatium præbeo, ut presbyteros non gravetis. 1. Tim. 5.

VII. *Ut parochias ruſticans confundere vel dividere non præſumant, & ut eccleſias omnes, capellaſque illis ſubjectas deſcribant.*

Expreſſe vobis in nomine Chriſti præcipio, ut ruſticanas parochias pro alicujus amicitia vel petitione, aut pro aliquo præmio, non præſumatis confundere, nec dividere: neque eccleſias illas, quæ ex antiquo presbyteros habere ſolitæ fuerunt, aliis eccleſiis quaſi loco capellarum non ſubjiciatis, neque capellas de illis eccleſiis, quibus antiquitus ſubjectæ fuerunt, ad alias eccleſias ſubjicere præſumatis. Et per omne miniſterium veſtrum, unuſquiſque veſtrum deſcribat omnes eccleſias & titulos, quæ antiquitus presbyteros habuerunt, & capellas antiquitus illis ſubjectas, & mihi ſcripto renuntiate.

VIII. *Ut nulli capellam domi habere, aut miſſam in domo celebrari ſine epiſcopi licentia concedant: & ut capellas ejuſmodi omnes deſcribant.*

Nemo veſtrum capellam alicui in domo ſua habere concedat ſine mea licentia, neque in domo ſua miſſas celebrari concedat ſine mea licentia, & unuſquiſque veſtrum deſcribat per ſuum miniſterium, quicumque capellam extra eccleſiam principalem habet a tempore Ebbonis uſque ad tempus meum, & a tempore meo, vel mea, vel alterius licentia factam; & in cujuſcumque presbyteri parochia quæcumque vel cujuſcumque capella ſit facta.

IX. *Ne pœnitentes pro munere aliquo ad reconciliationem adducantur, vel poſt eam negligantur.*

Sollicite providete, ne vos, vel presbyteri, negligenter pœnitentes pro aliquo munere ad reconciliationem adducatis, vel poſt reconciliationem eos negligatis, quod ſimoniacum eſt.

X. *De relapſis poſt publicam pœnitentiam.*

Sollicite providete, ut ſi aliqui poſt reconciliationem publicam in publicum peccatum ceciderint, ad notitiam meam perferatis, ut ſciatis qualiter inde & vos, & presbyteri, agere debeatis.

XI. *Ne ad ordinationem pro aliquo munere adducantur non idonei.*

Sollicite providete de vita & ſcientia clericorum, quos ad ordinationem adducetis: ne pro ali-

aliquo munere tales ad ordinandum introducatis, qui introduci non debent, quoniam simoniacum est.

XII. *Ut videant quomodo capitula sibi data observent presbyteri.*

Sollicite providete, secundum capitula presbyteris a nobis data, de portione ecclesiæ, quid inde in ecclesiis pareat: sed & de matricularis, & de aliis capitulis presbyteris a nobis datis, qualiter illa teneant & conservent.

XIII. *Quomodo eligendus sit decanus in locum defuncti vel inutilis.*

Si decanus in ministerio vestro aut negligens, aut inutilis, & incorrigibilis fuerit, vel aliquis eorum obierit, non inconsiderate decanum eligite. Et si ego in propinquo sum, ad me illam electionem referte. Et si ego in longinquo sum, decanum illum qui electus est interim constituite, donec ad meam notitiam electio illa referatur, & mea constitutione confirmetur, aut immutetur.

VI.

** Profuerit quoque non alienam a præcedentibus capitulis adjungere ex ms. codice

EPISTOLAM AD PRESBYTEROS RHEMENSIS PAROCHIÆ. De baptismo.

HINCMARUS EPISCOPUS ac plebis Dei famulus dilectis fratribus hujus Rhemensis parochiæ compresbyteris. nostris.

CUpiens vos in omni sensu & doctrina atque operis perfectione gratia Dei esse ditatos, pro imposito exiguitati meæ ministerio singulis & in commune vobis quædam de actione sacri baptismatis breviter ex plenitudinis latitudine sanctarum scripturarum, & doctrina catholicorum patrum curavi excerpere & notitiæ vestræ ingerere, ut secundum sacram scripturam intelligatis in sancto ministerio cuncta quæ agitis, & ut in aperto sermone non sit in vobis difficultas intelligendi, neque in prolixo tædium legendi & memoriæ commendandi.

DOminus Jesus Christus creator & redemptor noster dicit in evangelio, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cælorum*; Unde discipulis suis mandavit, dicens; *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* In istis paucissimis verbis totius sanctæ prædicationis ordinem exposuit, bis docere dixit, & semel baptizare. Primo omnium fidem catholicam docere præcepit, & post fidem acceptam, in nomine sanctæ Trinitatis baptizare jussit. Deinde fide imbutum & sacro baptismate ablutum evangelicis instruere præceptis mandavit. Primo fides docenda est, & sic baptismi percipienda sunt sacramenta, deinde evangelica præcepta tradenda sunt. At si aliquid horum trium defuerit, salutem animæ suæ auditor habere non poterit. Hic namque ordo catechizandi, id est instruendi in adultæ ætatis viris ubique firmiter retinendus est. Fragiliori vero ætati pia mater ecclesia concessit, ut qui alieno in paternæ prævaricationis ligatus est peccato, alterius in baptismi mysterio abrenuntiatione & fidei professione solutus sit. Et si hoc non esset, quanti perirent infantes, ex quorum numero cælestis quotidie ædificatur Hierusalem. Absque fide quippe baptisma non proficit, dicente apostolo, *Sine fide impossibile est placere Deo.* Inter impossibile siquidem & difficile hoc interesse legimus. Difficile est quod licet vix, tamen fieri potest: impossibile vero, quod omnino ab humana fragilitate fieri non potest. Ideo ipse Dominus in evangelio stupentibus apostolis quis ex divitibus salvus fieri posset, respondit, *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Docendus est itaque homo rationalem habens intelligentiam, & multimoda prædicatione adtrahendus ut sacræ fidei veritatem agnoscat, & maxime Dei omnipotentis pro eo deprecanda est clementia, quia otiosa est lingua docentis, si gratia divina cor non imbuit auditoris, dicente ipsa Veritate, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus adtraxerit eum.* Et ut æqualiter sanctam Trinitatem salutem hominis operari intelligatis, dicit & ipse Dominus in evangelio, *Nemo potest venire ad Patrem, nisi per me.* Item & de Spiritu sancto ait, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Quod enim visibiliter sacerdos per baptismum operatur in corpore per aquam, hoc Spiritus sanctus invisibiliter operatur in anima per fidem. Tria sunt in baptismatis sacramento visibilia, & tria invisibilia: visibilia sunt, sacerdos, corpus, & aqua: invisibilia vero, Spiritus & anima & fides: illa tria visibilia nihil proficiunt foris, si hæc tria invisibilia non operantur. Sacerdos corpus aqua abluit: Spiritus sanctus animam fide justificat. Et hoc est quod apostolus ait, *Cooperatores enim Dei sumus.* Cooperatur homo sancto Spiritui in salute hominis; sed & ipse homo qui baptizandus est, cooperari ambobus debet in salute sua, id est Spiritui sancto, & sacerdoti humiliter corpus præstare ad sacri mysterium lavacri, & animam voluntarie ad catholicæ fidei susceptionem.

Ut vim cognoscatis hujus * sacratissimi juxta sanctorum patrum intelligentiam & statuta ecclesiastica, vestræ caritati eadem sacramenta catholica interpretatione ostendam. Nam magna sanctitate & venerabili significatione quidquid in eis geritur statutum esse neminem dubitare fas esse credimus.

I. Paganus catechumenus, id est instructus, fit accedens per ordinem traditum ad baptismum, id est sanctam tinctionem, & renuntiat maligno spiritui & omnibus damnosis ejus pompis.

II. Accipit manus impositionem & crucem in fronte in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, & exsufflatur in facie, ut fugato diabolo, Christo Deo nostro paretur introitus.

III. Exorcizatur id est conjuratur malignus spiritus ut exeat & recedat dans locum Deo.

IV. Accipit catechumenus salem, ut putrida & fluxa ejus peccata sapientiæ sale divino munere mundentur.

V. Deinde vero symboli apostolici traditur ei fides, & oratio dominica, ut vacua domus & a prisco habitatore derelicta, fide ornetur, & præparetur habitatio Deo. Quorum expositionem, id est symboli & orationis dominicæ, habetis in scrutinio quod fit in apertione aurium, sicut vobis credimus esse notum. Quod enim symbolum Græce dicitur, Latine indicium, vel signum, sive collatio interpretatur. Indicium, quia per id indicatur fidei integritas. Signum, quod eo bene retento & intellecto fideles ab infidelibus discernuntur. Collatio, quia in eo sancti apostoli omnem fidei integritatem contulerunt: quod autem omnes apostoli, pari fidei sinceritate corde retinebant, ore confessi sunt, & singuli proprias sententias conferentes, symbolum, id est, totius fidei collationem ediderunt. Discessuri enim ab

invi-

Heb. 11.

Matth. 19.

Joh. 6.

Joh. 14.

Joh. 3.

* Pro sacramenti

Joh. 3.

Matth. 28.

invicem per totius orbis provincias normam futuræ prædicationis in commune ſtatuerunt, ne localiter ab invicem diſcedentes, diverſum aliquid vel diſſonum prædicarent. Oratio autem dominica, quam omnes Chriſtiani ſincero corde frequentare neceſſario debent, ideo ſic appellatur, quia petentibus apoſtolis ut eis inſinuaret qualiter orare deberent, Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ſicut ſacra evangelia docent, hanc orationem illis compoſuit, & ſic eos orare præcepit.

VI. Tunc fiunt ſcrutinia, id eſt explorationes vel inveſtigationes ſecundum morem vobis cognitum, ut exploretur ſæpius quam firmiter poſt renuntiationem ſatanæ ſacra verba datæ fidei radicitus corde defixerint; & ſicut vobis notum eſt per decretos dies in ſancta quadrageſima fiunt ſeptem ſcrutinia ſecundum formam ſeptiformis ſpiritus.

VII. Deinde tangit conſecrando ſacerdos nares & aures de ſputo, & dicit *Epheta, quod eſt adaperire*, & reliqua. Inter cetera quippe conſecrationis exordia, de ſaliva oris ſui ſacerdos nares tangit, & aures conſecrandi, & dicit *Epheta, quod eſt adaperire*. Obſurduit enim homo ab audiendo vitæ verbo, poſtquam mortifera ſerpentis verba contra Deum timidus audivit, & ſurditatem quam primus homo peccando promeruit, omnis per traducem virilis ſeminis generatus ab illo contraxit. Per ſalivam quidem oris ſacerdotis, guſtus quo initiandus eſt ſupernæ ſapientiæ deſignatur, quia ex capite in quo omnes ſenſus hominis ſunt, ſaliva deſcendit, & apoſtolus, *Caput*, inquit, *Chriſti Deus*, & divinitas hominem aſſumens quoddam ex connexione duarum ſubſtantiarum in una Dei filii perſona collyrium fecit, unde genus humanum, quod cæcum a primis parentibus natum erat, illuminaret. Non abs re ſputo aures tanguntur & nares, ut qui expuens linguam muti tetigerat, & * ſputo lutum fecerat, & oculos cæci nati aperuerat, nunc per miniſterium ſacerdotum, & auditum ſpiritualem his qui baptizandi ſunt tribuat, & recte loquendi, id eſt veræ fidei confitendi facultatem præbeat, & nares quibus bonum Chriſti odorem capiant aperiat. Per tactum vero narium, ut abjectis delectationibus noxiis, ſolum Chriſti ſemper amplectatur odorem, de quo dicit apoſtolus, *Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco*, & ut meminerit ſe juxta exemplum beati Job, donec ſupereſt halitus in eo & ſpiritus Dei in naribus ejus, non loqui iniquitatem labiis, nec lingua mendacium meditari debere. Porro per tactum aurium, ut relicto auditu linguæ nequam, audiat verba Chriſti, & faciat ea, ſimilis viro prudenti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram, qui incorporatus eccleſiæ quæ corpus eſt Chriſti, dicit cum pſalmiſta, *Sacrificium & oblationem*, veterum ſcilicet cæremoniarum, *noluiſti, aures autem perfeciſti mihi, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion, & in me ſunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi*. Legimus quoque in quibuſdam regionibus eſſe conſuetudinem, ut etiam labia conſecrandi de ſaliva ſacerdotis tangantur auctoritate ſacri evangelii, quia poſtquam Dominus in aures ſurdi & muti miſit digitos ſuos, ſputo tetigit linguam illius, & ſubintulit *Epheta, quod eſt adaperire*, & ſtatim apertæ ſunt aures ejus, & ſolutum eſt vinculum linguæ ejus, & loquebatur recte. Et in quibuſdam regionibus alii oleo ſancto tangunt catechumenorum aures & nares, quia nemo poteſt per gratiam Sancti Spiritus, quæ oleo deſignatur, fidei ſacramenta cognoſcere, niſi audiat prædicantem, dicente apoſtolo, *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*. Nares quoque ſimili tactu ſanctificantur, ut bi qui ad baptiſmum veniunt admoneantur tanti myſterii ſacramentum per gratiam ſancti Spiritus uſque ad mortem inviolatum atque integrum cuſtodire, ut quamdiu ſpiritum vitæ hujus naribus ſuis attrahunt, a Chriſti Domini noſtri cultura & ſervitio non recedant. Sed ſicut noſtrarum regionum conſuetudo ab eis non eſt reprehenda, ita nec a nobis illarum conſuetudo, quia non abhorrere a fide videtur, penitus eſt abdicanda, cum in unius fidei ſoliditate in quibuſdam rebus obeſſe non ſoleat diverſa conſuetudo, ſicut & ſacramenta veteris ac novi teſtamenti licet pro temporum ratione diſcrepent, fides tamen una eademque concordat, quia quam nos per apoſtolos factam, eamdem patres teſtamenti veteris diſpenſationem Chriſti per prophetas didicerant eſſe venturam.

VIII. Poſthæc vocato ex nomine conſecrando, interrogat eum ſacerdos, ſi abrenuntiet ſatanæ & omnibus operibus ejus, & reliqua. Poſt cujus reſponſionem ungit eum oleo exorcizato in pectore & inter ſcapulas dicens: *Et ego linio te oleo ſalutis in Chriſto Jeſu Domino noſtro in vitam æternam*. Pectus quippe perungitur oleo, ut ſigno ſanctæ crucis diabolo claudatur ingreſſus. Signatur & inter ſcapulas, ut undique muniatur. Item in pectoris & inter ſcapulas unctione ſignatur fidei firmitas, & operum bonorum perſeverantia. Signatur etiam baptizandus pectore & inter ſcapulas de oleo ſancto, ut illius olei ſancti, videlicet ſpiritus unctione liniatur, de qua apoſtolus ait, *Sicut unctio ejus docet vos de omnibus*; * ante & retro munitus contra omnia proſpera ſive adverſa ſit circumſpectus. Abrenuntiat autem baptizandus diabolo, id eſt, reſiſtit, ſicut jubet Petrus apoſtolus dicens, *Reſiſtite diabolo, & fugiet a vobis*. Abrenuntiat quidem, id eſt, repudiat, ſpernit, rejicit, contradicit, abnegat, relinquit, ſive aliud quid quod hoc verbo in hoc ſenſu exprimi poteſt. Quamvis enim illius verbi quod eſt nuntio ſenſus in promptu ſit cum ſine præpoſitione profertur: accepta præpoſitione interdum a ſua ſignificatione non longe recedit, ut eſt illud nuntio & renuntio; interdum vero in alium ſenſum vertitur, * & eſt illud, *Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*. Quam ſententiam beatus Gregorius exponens in homilia evangelii, renuntiare abnegare, intelligi debere oſtendit. Denique baptizandus poſt abrenuntiationem ſatanæ, interrogatur ſi abrenuntiet omnibus operibus ejus. Quæ ſunt autem opera ſatanæ, divinus apoſtolus Paulus in quo loquitur Chriſtus, demonſtrat ſcribens ad Corinthios: *Si quis frater eſt fornicator, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum hujuſmodi nec cibum ſumere*. Et item: *An neſcitis quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare, neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt*. Et ad Galatas: *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur*, niſi per debitos pœnitentiæ fructus antequam exeant de corpore ea cooperiant, & devotis precibus, eleemoſynis, jejuniis, fletibuſque, & hoſtiæ ſalutaris oblationibus abluere illa curaverint. Abrenuntiat enim baptizandus omnibus diaboli pompis, id eſt, ſpiritalibus vitiis, ut ſunt ambitio, arrogantia, vana gloria, oſtentatio, & cetera hu-

* 1. Joan. 2.
* Forte, ne ante. H.
1. Pet. 5.
* Forte, ut eſt illud. H.
Luc. 14.
1. Cor. 5.
1. Cor. 6.
Galat. 5.

jusmodi, quæ de superbiæ fonte procedunt. Pompa quippe proprie dicitur publica ostentatio cum multa ambitione. Ambitio quippe phantasia dicitur Græce, quo nomine designatur multiplex apparatus & pompa regalis officii, & hac conditione post abrenuntionem, ut præmissimus, oleo sancto linitur.

IX. Et sic fonte verbis sollemnibus consecrato, adstante baptizando juxta fontem, obsequente patrono interrogat eum sacerdos, si credit in Deum patrem omnipotentem, & reliqua secundum morem, & respondente illo secundum ecclesiasticam consuetudinem, post supradictam trinam diaboli & pomparum * ac operum abrenuntiationem, postque trinam veræ fidei confessionem, quia non potest quisque nisi trina abrenuntiatione & trina confessione purgari, trina mersione baptizatur in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, ut sicut interior homo, qui ad imaginem sanctæ Trinitatis conditus est, per invocationem sanctæ Trinitatis ad eamdem revocatur imaginem, & qui tertio gradu peccati, id est cogitatione, locutione, & operatione cecidit in mortem, tertio elevatus de fonte per gratiam resurgat ad vitam, & sicut interior homo in fide sanctæ Trinitatis ad imaginem sui conditoris reformandus est, ita & exterior trina mersione abluendus est, ut quod invisibiliter spiritus operatur in anima, hoc visibiliter sacerdos imitetur in aqua. Nam originale peccatum tribus modis actum est, delectatione, consensu, & opere, ita & omne peccatum aut cogitatione, aut locutione, aut operatione efficitur: ideo tripli ci generi peccatorum trina videtur ablutio convenire, vel propter originale peccatum, quod in infantibus valet ad perditionem, vel propter illa quæ in provect oris ætatis hominibus voluntate, verbo vel facto adduntur; & quia secundum sanctam scripturam unus Deus, una fides, unum baptisma, ter baptizandus mergitur in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, ut * Trinitas unum appareat sacramentum; & non baptizatur in nominibus Patris & Filii & Spiritus sancti, sed in uno nomine quod intelligitur Deus, juxta apostolum: igitur unus est Deus, una fides, unum baptisma: sed duæ sunt pactiones quæ in baptismate paciscuntur, quas pationi suis susceptis cum ad intelligibilem ætatem pervenerint insinuare sollicite & inculcare debent; quarum pactionum una est qua diabolo abrenuntiatur, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus, & altera qua quisque baptizatus professus fuit se credere in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, quas necesse est inconvulsæ mentis intentione servare fidelibus, & ut intemerate custodiri possint, illius semper adjutorium requirere, cujus gratia baptismate sunt renati.

* Forte, *ac operum ejus*. H.

* Forte *Trinitas*

Ephes.

ISAAC EPISCOPI LINGONENSIS CANONES.

Nota Jacobi Sirmondi S. J.

Titulus in veteri codice nullus est: eum indidimus, quem suggerebat chronicum sancti Benigni, ubi hujus operis fit mentio his verbis: *Composuit idem E. Isaac episcopus librum qui dicitur Canones Isaac, eoque ex libris canonum utiliora quaque eligendo in unum volumen coarctavit.* Excerpsit autem ex libris capitularis, ut vocat: præcipue vero ex tribus libris posterioribus, quos Benedictus Levita ad Ansegisi abbatis collectionem adjecit. Et quamquam quæ in his libris continentur, omnia, ut idem Benedictus sub finem libri VII. tradit, per sedis apostolicæ legatos fuerant confirmata; constat tamen, ad Bonifacium & Zachariam non omnia, quod innuere sequens præfatio videtur, sed ea tantum pertinere, quæ initio libri V. descripta sunt.

Extat in Capitular. Baluz. tom. I. pag. 1233.

ANNO CHRISTI 858.

CAPITULA HERARDI ARCHIEPISCOPI TURONENSIS.

ANNO CHRISTI 858.

Ex edit. P. Sirmondi.

Capitula excerpta ex corpore sanctorum canonum per-necessaria, ab Herardo sanctæ Turonicæ sedis archiepiscopo, nutu divino in sancta ipsius synodo tenenda memoriter ab omnibus ipsius parœciæ sacerdotibus, & clericis, omnibusque volentibus.

CAPITULA A WALTERIO

Reverendo pontifice compresbyteris promulgata in synodo apud Bullensem fundum II. Ordinationis suæ anno VIII. kal. Junii celebrata.

Observatio Philippi Labbe, S. J.

Ab Hincmari, Isaaci, atque Herardi capitulis, canonibusque allenum non est Walterii Aurelianensis episcopi opusculum quod R. P. Ludovicus Cellotius S. J. ex ms. codice Rivipollensi exscripsit, ealditque post concilium Duziacense I. atque studiis notis illustravit. Nam si tempus & seculum spectes illis æquale est: si episcopalis officii & ecclesiasticæ disciplinæ studium pene idem. *Neque dubito*, inquit Cellotius, *si notum habuisset Sirmondus, quin illud in concilio Galliæ Hincmaro & Isaaco Lingonensi adjunxisset.* Nos ne quod pereat ecclesiasticæ antiquitatis monumentum, illud Herardi Turonensis capitulis hoc loco subjungemus.

Caput I. *Quomodo archidiaconi presbyteros discutiant.*

Hinc. Capit. dat. Decanis.

UT archidiaconi per sibi commissas parochias, diligenter * discutiant presbyterorum fidem, baptisma, & missarum celebrationem: quatenus rectam fidem teneant; baptisma catholicum observent; & missarum preces bene intelligant: Psalmos digne secundum divisiones versuum modulentur; * & dominicam orationem cum symbolo & fide catholica ipsi intelligant, & omnibus bene pronunciare diebus feriatis insinuent ad intelli-

telligendum : ut ſciat unuſquiſque quid petat ad Dominum. Et ut Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, [1] & Credo in unum Deum, apud omnes ad miſſam decantetur. Et ut ipſe ſacerdos cum ſanctis angelis & populo Dei una voce Sanctus, Sanctus, Sanctus ad miſſam decantet. Et omnimodis dicendum eſt presbyteris [2] ut arma non portent ; ſed magis ſe confidant in defenſione Dei quam in armis.

II. *Quomodo per archidiaconos vita & doctrina presbyterorum cardinalium inveſtigetur.*

UT per archidiaconos [3] vita, intellectus, & doctrina cardinalium presbyterorum inveſtigetur. Vita ſcilicet modeſtiæ, & ſobrietatis, ac ſtudium religioſæ converſationis in cunctis eorum actibus. Intellectus vero, quomodo ſit idoneus unuſquiſque ſuos fratres in fide ſanctæ Trinitatis erudire: ut credant Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum unum eſſe Deum omnipotentem, æternum, inviſibilem, qui creavit cælum, & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt: & unam eſſe Deitatem, & ſubſtantiam, & majeſtatem in tribus perſonis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Et quemadmodum Filius Dei incarnatus eſt de Spiritu ſancto, & Maria ſemper virgine pro ſalute, & reparatione humani generis: Paſſus, ſepultus, & tertia die reſurrexit, & aſcendit in cælos: & quomodo iterum venturus ſit in majeſtate divina judicare vivos ac mortuos, ſecundum merita propria. Et quia una erit reſurrectio mortuorum ; & quod impii propter ſcelera ſua cum diabolo in ignem æternum mittantur : & juſti cum Chriſto & ſanctis angelis in vitam æternam. In doctrina vero, qualiter eos qui tardiores ſunt, de fide, ſpe, caritate, ceteriſque virtutibus verbo & probabili exemplo eos qui indigent, poſſit inſtruere, ſecundum evangelicam & apoſtolicam, atque canonicam inſtructionem, qualiter indeclinabiliter vivant, & a quibus vitiis eos oporteat abſtinere, ne cum diabolo in æternam damnationem demergantur.

III. *De mulierum converſatione presbyteris vitanda.*

[4] UT juxta ſanctorum interdicta patrum nullus ſacerdotum quamlibet ſexus muliebris in domo ſua cohabitare permittat : neque ſine arbitris, vel teſtibus idoneis cum aliqua ſolus loqui præſumat : ne forte ſibi, aut alicui famulorum derogationis ſuſpicio oriatur.

IV. *Ut presbyter omnia munda habeat.*

UT unuſquiſque presbyter, ſicut munditiam animæ & corporis habere ſalubriter admonetur, [5] ita quibus Deo miniſtrandum eſt indumenta, & altaris ornamenta, [6] abſidamque circa altare, vel potius, immo totam ædem ubi ſacramenta tractantur, & ubi ſanctorum ſemper eſt præſentia angelorum, nitidiſſime & reverenter cuſtodienda prævideant: ne forte cum miſſi e latere noſtro una cum archidiacono illuc venerint, aliquid reprehenſibile inveniant, unde ſeverius fraternitatem cujuſpiam redarguere compellamur.

V. *Ut vaſa ſacra non dentur in pignus.*

[7] UT nullus ſacrum vas, aut aliquid Deo ſacratum loco pignoris dare præſumat: niſi cauſſa redimendorum captivorum, aut in reſtauratione ſarta tectorum eccleſiæ. Et hoc ipſum ne fiat niſi per licentiam epiſcopi. Et ut res eccleſiæ quæ a fidelibus ſunt oblatæ, nullus diſtrahere præſumat.

VI. *Ut unuſquiſque presbyter clericum & ſcholam habeat.*

[8] UT unuſquiſque presbyter ſuum habeat clericum, quem religioſe educare proetuet ; & ſi poſſibilitas illi eſt, ſcholam in eccleſia ſua habere non negligat : ſolerterque caveat, ut quos ad erudiendum ſuſcipit, caſte ſinceriterque nutriat. Hincm. capit. an. 874. c. 5.

VII. *De libris eccleſiaſticis, & de euchariſtia ſemper habenda.*

UT libros eccleſiaſticos, miſſalem videlicet evangelium, lectionarium, pſalterium, antiphonarium, martyrologium, & homeliarium, per quos ſe & alios informare debent, habeant. Et per libros bene correctos emendent, ne opus Dei cum deſidia facere videantur. Ut unuſquiſque capitula de majoribus vel minoribus vitiis, ſeu etiam virtutibus, per quæ cognoſcere poſſit, vel prædicare ſubditis ſuis ut caveant ab inſidiis diaboli. [9] Et ut ſemper euchariſtiam presbyter habeat paratam, ut quando quis infirmatus fuerit, aut parvulus ægrotaverit, ſtatim eum communicet, ne ſine viatico moriatur. *Ut libri canonici veraces habeantur.* Capit. Car. M. l. 6. c. 227. Capit. Car. M. l. 7. c. 261.

VIII. *De hoſpitalitate exercenda.*

UT hoſpitalitatem in invicem, & in omnes alacriter exerceant: quia ipſe Dominus dicturus erit in remuneratione magni diei: *Hoſpes eram, & collegiſtis me.* Apoſtolus inquit hoſpitalitatem laudans: *Per hanc quidem placuerunt Deo, angelis hoſpitio ſuſceptis.* Quod ſi quis presbyter pro paupertate hoſpitalitatem dicit viantibus exhibere non poſſe, ſaltem in domo ſua eum libenter recipiat, ſalvamentum, focum, aquam, ſtramen ad lectum ei præſtet, & ad emendum quæ ei neceſſaria ſunt, ei quærere adjuvet. Nam ipſa Veritas per ſe loquens, ait: *Si quis dederit calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli, amen dico vobis ; non perdet mercedem ſuam.* Capit. Car. M. l. 5. c. 221. Theodulph. epiſt. ad cler. c. 25 *Matt. c. 25. Hebraor. c. 13.* *Teſtum quo ab injuriis aeris ſalvi ſint.* *Matt. c. 10.*

IX. *Ut presbyteri dotem habeant.*

UT presbyteri qui necdum dotem, juxta quod in capitularibus domini ac ſenioris noſtri, Caroli videlicet glorioſiſſimi regis, nec non & avi, & patris illius capitulo LXXXV. continetur, ad ſuas eccleſias conſequuti ſunt, ad nos referant ; & divino adjutorio noſtroque conſilio a ſenioribus ſuis impetrent : & ſi aliquid amplius habuerint, debitum ſervitium ſuis ſenioribus impendant.

X. *De curis ſæcularibus vitandis, & uſura.*

UT presbyteri ſive diaconi fidejuſſionibus, & venationibus non deſerviant, neque conductores exiſtant, nec uſuras exerceant, aut fieri permittant. Uſura etenim eſt ubi amplius requiritur quam datur. Verbi gratia, ſi dederis x. ſolidos, & amplius requiſieris: vel ſi dederis modium vini, frumenti, & iterum ſuper alium * exigeris. Capit. Car. M. l. 2. c. 57. l. 5. c. 107. 112. & alibi. Ibid. l. 1. c. 225. & 230. * exegeris.

XI. *De*

XI. *De juramentis vetandis.*

[12] UT plebibus ſuis denuncient ne juramentis aſſueſcant.

XII. *De vitandis excommunicatis & facinoroſis.*

Capit. Car. M. l. 3 c. 25. 42. &c. Iſaac tit. 9. * l. cis.

UT nemo cum excommunicatis & prædonibus manifeſtis, ſive raptoribus ſeu homicidis & ſacrilegis communicet, nec miſſam cantet, nec Ave in via * ei dicat: ſepulturam non præbeat, nec ullo modo, niſi corrigendi cauſſa cum eis loquatur. Et omnibus in ſuis parochiis morantibus diebus dominicis ad miſſam pronuncient, ne talibus ſe conjungant. Si quis aliter fecerit, ſciat ſe damnatum, niſi pœnitentia interveniente, ab omnibus conciliis canonice inſtitutis: nec non & a CCCXVIII. pontificibus in Nicæna ſynodo Spiritu ſancto præordinante congregatis. Nam & de his Paulus, vas electionis, proteſtatur dicens: *Quia rapaces regnum Dei non poſſidebunt.* Joannes quoque apoſtolus de hoc ipſo loquitur: *Quia qui dixerit ei Ave, communicat operibus ejus malignis.* Scimus enim quia nulla pars Chriſto cum Belial; quia unuſquiſque cujus opera agit, ejus filius appellatur.

Conc. Nicæn. can. 5.

1. Cor. 6.

Joan. ep. 3.

XIII. *De obſervatione jejuniorum.*

Capit. Car. M. l. 7. c. 98. & l. 6. c. 183. 184.

[13] UT jejunia a paſtoribus injuncta diligenter obſervent, ne, quod abſit, propter inobedientiam culpabiles inveniantur.

XIV. *De operibus miſericordiæ exercendis.*

Theodulph. epiſt. ad cler. c. 32.

UT operibus miſericordiæ, hoc eſt, eleemoſynis & orationibus ſubditos adſueſcere doceant: quoniam his duabus alis propitiatio Dei obtinetur.

XV. *De opere ſervili diebus dominicis prohibendo.*

Capit. Car. M. l. 1. c. 25. l. 6. c. 186. Theodulph. cit. c. 24. Herard. c. 2.

NE mercata diebus dominicis, aut carrigationes fieri permittant: ſed a veſpera uſque ad veſperam reſurrectio Domini honoretur.

XVI. *De tabernis & ſcurrilitatibus fugiendis.*

Capit. Car. M. l. 1. c. 24. ex conc Laodic. can. 24. & Carth. III. can. 27.

UT presbyteri vel reliqui ordinis eccleſiaſtici in tabernis non bibant, nec ſcurrilitatibus cachinnum moventibus conſueſcant: ſcientes quod de omni verbo otioſo rationem reddent, hi maxime quorum ſermo omni tempore ſale debet eſſe conditus: ut verbo & opere exemplo ſint, & forma cunctis cernentibus, præſtentque gratiam audientibus.

XVII. *Quomodo in conſortiis & conviviis gerere ſe debeant.*

Hincm. Capit. an. 852. c. 14 Herard. c. 108.

[14] UT quando ad conventum, quod ipſi conſortia appellant, veniunt, religioſe equitent: juniores prioribus fratribus debitum honorem impendant. Si quando autem in cujuslibet anniverſario ad prandium presbyteri invitantur, cum omni pudicitia & ſobrietate a procaci loquacitate & ruſticis cantilenis caveant. Nec ſaltatrices in modum filiæ Herodiadis coram ſe turpes facere ludos permittant. Sed in unum convenientes, ſicut reliquos cibi & potus miniſtros, ita lectorem ſanctæ ædificationis conſtituant: quatenus A ſacerdotalem reverentiam laudabili maturitate exhibeant, & in eorum ſanctis moribus honorificetur Deus per Jeſum Chriſtum.

XVIII. *De ſanctorum feſtivitatibus indicendis & obſervandis.*

Capit. C. M. l. 1. c. 1. 2. c. 35. c. 186. Denuncie & cogni faciant.

[15] UT celebres ſanctorum feſtivitates ſollemni cultu obſervent, & obſervandas ſuis plebibus antea cognitent. Hoc eſt, natale Domini, B. Stephani, S. Joannis evangeliſtæ, Innocentium, octavas Domini, epiphania, nativitatem S. Mariæ, purificationem S. Mariæ, aſſumptionem S. Mariæ, ſabbato ſancto, paſchæ dies VIII. letania majore, aſcenſio Domini, pentecoſten, S. Joannis baptiſtæ, S. Petri, S. Pauli, S. Martini, S. Andreæ. Noſtrorum præterea patrum, quorum piis apud Dominum patrociniis vicinis juvamur, B. Evurtii de tranſitu, B. Aniani de tranſitu, B. Benedicti, B. Maximini, B. Lifardi ſimiliter de tranſitu; de inventione ſalutiferæ crucis, de exaltatione ejuſdem vivificæ crucis.

XIX. *Quod convenientes ad ſynodum litigare non debeant.*

Conc. can. Ar Antioch can. 20

UT quando ad ſynodum bis in anno, ſicut ſacri canones imprævaricabiliter docent, convocantur, ſæculares querelas & altercationes debitorum ita coram prioribus fratribus, aut coram archidiaconibus ſuis ſopitas & rationabiliter diffinitas habeant: quatenus tunc non litigia, aut quaſi forenſes querimoniæ accuſantium & defendentium actitentur: ſed ſolummodo quæ ad ſacrum miniſterium pertinent eo tempore tractentur, ut aut diſcamus aliquid, aut doceamus in alterutrum.

XX. *De ritibus ſacramentorum, & gradibus eccleſiaſticis memoriter diſcendis, & coram epiſcopo recitandis.*

UT ſinguli ſacerdotum ſacramenta quæ circa initiandum baptiſmate Chriſtianum agenda ſunt, & quæ ad viſitandum & reconciliandum infirmum pertinent: & quæ defunctorum exequiis impendenda ſunt, & canones [16] memoriter coram nobis recitare, & exponere valeant. Gradus quoque eccleſiaſticos ſimiliter memoriæ commendatos habeant. Et unde unicuique gradui in veteri teſtamento origo fuerit, & quomodo novum in idipſum concordet: & quemadmodum Salvator eoſdem gradus in ſe compleverit, ſano intellectu, noverint explanare.

XXI. *Ut alumnos nonniſi dignos ad gradus offerant.*

UT quoſcumque presbyteri de ſuis alumnis in quolibet gradu promovendos obtulerint, ſicut probabilis illorum vitæ teſtes idonei eſſe debent, ita in ſupraſcriptorum tenore ſacramentorum & graduum edoctos exhibeant, quatenus & memoriter ea tenere, & intellectuoſe ſciant explanare.

XXII. *De computo diſcendo.*

Capit. M. l. 6 c.

[17] UT omnes presbyteri calculandi peritiam habeant, & ſuos in idipſum ſtudioſe erudiant.

XXIII. *Ut*

XXIII. *Ut canones non ignorent.*

t. Car. 1. c. 35.

18 SAcros præterea canones nulli ſacerdotum ignorare permittitur; nec quicquam facere quod patrum regulis poſſit eſſe contrarium.

XXIV. *Ut contra canones nihil agatur.*

UT nullus contra canonum ſtatuta quicquam agere permittatur: quoniam ſicut in decretalibus Zoſimi papæ capitulo habetur ſecundo: *Si quis interdicta deſpexerit, gradus ſui periculo ſubjacebit.*

x. ep. 1.

Itaque, beatiſſimi patres, & cariſſimi filii, in omnibus vigilanter, auxiliante divina gratia, ca- B vete ne per iſtorum ſeriem capitulorum aliquam reprehenſionis noxam incurratis, qua interdicti laqueo, quod abſit, impediamini.

LUDOVICI CELOTII

IN VVALTERII AURELIANENSIS CAPITULA

NOTÆ.

Vualterio upo Au-

HOrum capitulorum auctor Vvalterius, ſive Gualterus Aurelianenſis epiſcopus, in concilio noſtro Duziacenſi cum ceteris judex ſedit, & ſententiam dixit adverſus Laudunenſem Hincmarum, ſubſcriptuſque in eo legitur *Vvalterius humilis Aurelianorum epiſcopus*: quemadmodum poſtea in Pontigonenſi, *Vvalterius humilis Aurelianenſis eccleſiæ epiſcopus*: Unde viri optimi modeſtiam, & ex modeſtia ceterarum virtutum cumulum intelligimus. Ex hac autem ſynodo paſtoralem ſollicitudinem, & eccleſiaſticæ diſciplinæ obſervationem habemus, qua majorem nec Hincmarus ipſe, nec Iſaac Lingonenſis Parduli olim diaconus eodem argumento poſteritati tranſmiſerunt: ut ex his capitulis patet, quæ cum aliis aut committi aut conjungi, tibi, lector, ſpero injucundum non fore. Quibus etiam Theodulphum adjiciemus & ipſum Aurelianenſem, cujus epiſtolam ad clerum eccleſiæ ſuæ ſcriptam ex editore Baronio ſuos in annales Carolus Sauſſejus tranſtulit. Quamquam ſuo antea loco non defuerat Sirmondus.

Sauſſ. l. eccl. el. l. 6. . tom. 2. il. Gall.

Ad tempus collectæ diœceſanæ hujus ſynodi, & latorum capitulorum quod attinet, nihil certum poſſumus edicere, deficiente in titulo & dominicæ incarnationis, & indictionis nota, quam religioſe ætas illa ſignavit. *Secundo*, inquit, *ordinationis ſuæ anno*. De primo quid divinabimus? Agius quem horum temporum frequentiſſima concilia fecerunt celebrem, non ultra Sueſſionenſe III. ſubſcriptus reperitur anno 866. Illi ſucceſſit in Aurelianenſi throno Anſelmus, ſolo nomine notus, in nullo concilio, ne Iricaſſino quidem anno 867. repertus, quamdiu ſederit, penitus obſcurum eſt. Qui octo annos ſedis aſſignant, & uſque ad annum ejus ſæculi 76. extendunt: qui Vvalterium anno 885. affigunt, ſi de ſedis initio volunt intelligi, extra lineam currunt: & utrique ex concilio noſtro Duziacenſi manifeſte refelluntur, in quo Vvalterius ſententiam dixit. Itaque ſi juſtis terminis Anſelmi ſedem circumſcribere volumus, ad inveſtigandum Vvalterii exordium, faciamus anno ſæculi ejus 67. ipſum ad pontificatum adiiſſe, anno ſaltem 69. deſiiſſe debuerit. Ut eum Vvalterius 70. inchoet, & ſequente in Duziacenſi concilio ſedeat. Jam quo Chriſti anno capitula hæc ediderit, pronuntiare facile eſt. *Anno ſecundo ordinationis ſuæ*, ait titulus. ergo anno Chriſti 71. ante celebrationem concilii Duziacenſis, quæ menſe Auguſto facta, non ægre Aurelianenſi epiſcopo ſpatium conceſſit convocandæ ſynodi diœceſanæ menſe Maio. Et hæc ex conjectura, donec certius aliquid de Anſelmi obitu doceat hiſtoria.

empore ſedis, & s ſynodi.

1. *Diſcutiant presbyterorum fidem.*) Non multum diſcedit hoc capitulum ab Hincmariano item primo, atque univerſo quod archidiaconi a presbyteris exigere debeant, & epiſcopo renunciare ſingulis annis quando parochias obeunt viſitando, Hincmarus idem articulis 20. complectitur. Vult præterea ut *ſermonem Athanaſii de fide, cujus initium eſt: Quicumque vult ſalvus eſſe, memoriæ quiſque commendet, & ſenſum illius intelligat, & verbis communibus enunciare queat.* Herardus Turonenſis idem præcipit in capitulis, eaque omnia non tantum a presbyteris, ſed etiam ab ipſo populo memoria teneri cupit, & cani publice. *De oratione dominica & ſymbolo, ut memoriter teneant, & Gloria Patri, ac Sanctus, atque credulitas, & Kyrie eleiſon a cunctis reverenter canantur. Pſalmus ſimiliter diſtincte a clericis.* Quæ ſit illa credulitas, ſi diſtinguitur a ſymbolo apoſtolorum, dici non poteſt alia, meo judicio, quam ſymbolum Athanaſii.

-3. conc. l. p. 623.

ard. capit. eon. 1. . Gall. 72.

A 2. *Orationem dominicam cum ſymbolo.*) Apoſtolorum videlicet, non eo de quo mox in miſſa recitando. De quo & in capitulari Caroli magni præcipitur, *Ut annuntient presbyteri omnibus fidelibus ſibi ſubjectis ſymbolum & orationem dominicam, ut Spiritu ſancto illuſtrante ſalventur.* Et mox ut nemini liceat infantes de ſacro fonte ſuſcipere, niſi qui *memoriter ſymbolum & orationem dominicam tenuerint*: Quod ad eorum explicationem pertinet populo tradendam, vult idem capitulare: *Ut nullus ſit presbyter qui in eccleſia publice non doceat lingua.* Vide & Theodulphi Aurelianenſis epiſtolam eadem omnia ſuadentem. *Oratio dominica & ſymbolum memoriæ tenetur.* Capit. Car. M. l. 6. c. 192. Ibid. c. 178. Theod. ep. ad cler. c. 22.

3. *Et credo in Deum, apud omnes ad miſſam decantetur.*) Eſt enim æquum, ut ad myſterium fidei conficiendum & percipiendum publica fidei profeſſione animos noſtros comparemus. Ita Chriſtus Dominus beneficium ſanitatis rogantes ſæpe ad fidei exercitium provocavit, ut in muliere Chananæa, in centurione, in Lazari ſororibus videre eſt, & in patre pueri lunatici, exclamante: *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.* Ceterum de ſymboli recitatione, ut nova, & nondum apud omnes uſu B corroborata præcipit auctor capitulorum, quam tamen Vvalafridus Strabo videtur ut antiquiſſimam agnoſcere, & a Græcis ad Romanos, ac deinde ad Hiſpanos profectam: apud Gallos autem & Germanos, Caroli magni tempore, damnata per Hiſpanias Felicis Urgelitani hæreſi, idem ſymbolum *latius & crebrius in miſſarum cœpiſſe officiis iterari.* Antea igitur aliquibus ſaltem in locis, licet rarius, uſurpabatur. Græcos denique Conſtantinopolitanos, concilii ſui ſymbolum „Nicæno prætuliſſe, quia & aptius eſt ad modulationem, & *ut contra hæreticorum venena, in ipſis etiam ſacramentorum celebrationibus medicamenta apud regiæ ſuæ urbis ſedem confecta fidelium devotio celebraret.* Verum Berno Augienſis in cauſſa ejus canendi cum eo convenit, in tempore longe diſcedit, cum narrat abſque ulla Græcorum mentione, Benedicti III. tempore ab Henrico I. imperatore interrogatos Romanos clericos, cur a ſymbolo inter miſſarum ſollemnia recitando abſtinerent? reſpondiſſe: *Quod Romana eccleſia non fuiſſet aliquando ulla hæreſeos face infecta, ſed ſecundum S. Petri doctrinam, in ſolliditate catholicæ fidei permaneret inconcuſſa: & ideo magis hîc neceſſarium eſſe, illud ſymbolum ſæpius cantando frequentare, qui aliquando ulla hæreſi potuerunt maculari.* Quibus auditis inſtitit, atque impetravit a Benedicto pontifice imperator, ut in poſterum Romæ ſymbolum ad publicam miſſam decantetur. Id factum eſt anno Chriſti 1014. Henrico a coronatione ſua adhuc recente. *De ſymboli recitatione ad miſſam.* Mare. 9. Vvalfr. Strab. l. de reb. eccleſ. c. 22. Bernol. de quibuſd. reb. ad miſſ. pertinentibus c. 2.

Itaque cum ex illis auctoribus exploratam habeamus ejus moris cauſſam, non ſine ingenti R manæ eccleſiæ principis & magiſtræ eccleſiarum omnium gloria, quam per Liberium & Honorium obſcurare conantur hæretici, tempus illius inſtitutionis, aut potius celeberrimæ frequentationis in eccleſia Gallicana ſumendum videtur ex eo congreſſu legatorum cum Leone III. pontifice, quos Carolus magnus Romam ad eum miſit, referturque a Baronio: cujus ſumma hæc eſt, toleratam fuiſſe ab ipſo Leone poteſtatem canendi apud Gallias ſymboli, at non addendæ in eo vocis *Filioque*, quæ contentionem crearet. Quamobrem dediſſe conſilium: *Ut paullatim in palatio*, inquit, *quia in noſtra ſancta eccleſia non cantatur, cantandi conſuetudo ejuſdem ſymboli intermittatur: ſicque fiat ut quod id ipſum ut cantaretur, non qualibet imperantis auctoritas, ſed potius audiendo id fecerat novitas, ſi dimittatur a vobis, dimittetur ab omnibus.* Addunt annales non tantum eam ſymboli recitationem non fuiſſe tunc a papa probatam, ſed etiam publica ejus Græce & Latine in æs inciſi teſtificatione monſtratum, non placere ſibi quatuor ſyllabarum additionem, ut intelligamus jam tum retinentiſſimam antiquitatis fuiſſe Romanam eccleſiam, nationem vero noſtram novitatis amantiſſimam. Tam parum enim perſuaſit noſtris hominibus Leo quod optabat, omitti ſymbolum, ut potius clariſſimi antiſtites illud ubique ab omnibus cantari juſſerint: eventu quidem feliciſſimo & glorioſiſſimo, cum utrumque ſecuta deinde ſit & Romana & univerſalis eccleſia, ut & ſymbolum decantetur ad miſſam, & particula *Filioque* addatur, de qua in concilio Florentino multa diſputantur: ſed fatendum eſt periculoſam ſemper eſſe novitatem, & non raro in ea inducenda peccari. *Quo tempore cœpit inceperit.* Baron. ad ann. 809. tom. 9.

4. *Ut arma non portent.*) *Nos* enim *qui reliquimus ſæculum* (ut ait Moguntinum concilium) *id modis omnibus obſervare volumus, ut arma ſpiritalia habeamus, ſæcularia dimittamus.* Militares igitur animos qui bellis aſſiduis undique circumſtrepentibus in clerum irruperant, epiſcopi neceſſe habuerunt infringere, & ex clericorum omnium manibus arma excutere, ut factum Meldenſi concilio, cui Hincmarus recens ad epiſcopatum evectus interfuit, quo decretum eſt: *Ut quicumque ex clero eſſe videntur, arma militaria non ſumant, nec armati incedant: ſed profeſſionis ſuæ vocabulum religioſis moribus, & religioſo habitu præbeant. Quod ſi contempſerint, tamquam ſacrorum canonum contemptores, & eccleſiaſtica ſanctitatis profanatores, proprii gradus amiſſione mulctentur: quia non poſſunt ſimul Deo & ſæculo militare.* Quapropter ſevere interdictum, ne in ſeditione arma ſumant. *Ut clerici qui in quacumque ſeditione arma volentes præſumpſerint, reperti amiſſo ordinis ſui gradu in monaſterio pœnitentia contradantur.* Et quoniam per ea tempora epiſcopis & presbyteris initio non erat prælio interdictum, notabile eſt laicos ipſos & milites *Arma clericis prohibita.* Concil. Mogunt. c. 17. Concil. Meldenſe c. 37. Capit. Car. M. l. 6. c. 248.

Ibid. c. 285.

tes ſupplicare imperatori Ludovico, *ut epiſcopi deinceps, ſicut hactenus, non vexentur hoſtibus, ſed quando vos noſque in hoſtem pergimus, ipſi propriis reſideant in parochiis, Deoque fideliter famulari ſtudeant. Quoſdam enim ex eis in hoſtibus & præliis vulneratos vidimus, & quoſdam periiſſe cognovimus. Novit Dominus quando eos in talibus videmus, terror apprehendit nos, & quidam ex noſtris timore perterriti propter hoc fugere, & inimicis terga vertere ſolent*, &c. *Quam formam & de ſacerdotibus tenere optamus, id eſt, ut nec illi in hoſtem *, niſi benedicti, & ipſi electione atque permiſſione propriorum epiſcoporum, qui tamen tales ſint, de quorum ſcientia & vita ac converſatione omnes ſecuri eſſe poſſumus.* Vetat igitur Vvalterius ne quis clericus tutelæ ſuæ prætextu arma ferat, quibus alteri nocere poſſit.

* deeſt *pergant*.

Presbyteri cardinales.

5. *Vita, intellectus, & doctrina cardinalium presbyterorum inveſtigetur.*) Cardinales presbyteri, ſunt addicti & incardinati eccleſiis, in quibus moventur quidem ut omnibus provideant: ſed ita tamen ut ab illis non moveantur. Et quia cardo rerum omnium præcipua pars dicitur, præcipui & primarii earum eccleſiarum presbyteri ſunt, quos parochos ſive curatos appellamus. In eorum vitam ſive mores, & intellectum, atque doctrinam vult epiſcopus diligenter inquiri. Hæc duo quemadmodum recte diſtinguat, equidem non video. Nam quod dici poteſt, intellectus ad propriam ſcientiam pertinere, quam peritus ſit, quam catholice myſteria fidei mente complectatur: doctrina vero, ad erudiendam plebem, quam facile, quam illuminate & aperte animi ſui ſenſa inter concionandum explicet; refellitur ex eo, quod in utroque capite popularem inſtitutionem requirat. Si tamen capituli verba diligenter attendimus, intellectum, ſpeculationi dabimus & fidei myſteriis: doctrinam, virtutum praxi: quæ utræque partes ad docendum populum ſunt neceſſariæ, ut bene cedendo, & agendo Chriſtiani nomen quod præfert, expleat. Quæ licet impropria ſit verborum ſignificatio, non eſt tamen in corrupta Latinitate cur meliorem requiramus.

Intellectus & doctrina quomodo hic diſtinguantur.

Quæ dotes in eis requiſita.

Tria igitur in intellectu parochi indagabit archidiaconus, ut peritus ſit, quod habet a libris & ſtudio, ut bene de catholicis myſteriis ſentiat, quod a vera theologia accipit: ut quæ bene ſentit intelligenter diſcreteque enunciet, cujus facultatis potiſſimam matrem naturam agnoſcimus. In paucis presbyteris fuiſſe primum ut credamus, facit illa, ſi ſic loqui fas eſt, religionis per ea tempora barbaries, librorum penuria, bellorum aſſiduæ clades, armorum circumſtrepentium tumultus: quæ omnia nemo non videt quam ſint literarum ſtudiis inimica. In ſecundo, peccarunt graviſſime Colluthus & Arius apud Alexandriam privatarum eccleſiarum rectores, qui præfecturæ ſuæ abuſi poteſtate, parochianos ſuos primum ſchiſmate ab invicem, deinde hæreſibus ab eccleſia diviſerunt. Et Colluthiana quidem factio in ipſis pene incunabulis oppreſſa parum nocuit. Arius autem pertinacior & furioſior, externa modeſtiæ ſpecie, pellaci affabilitate, ementita benignitate ſacras primum virgines magno numero, tum ſacerdotes duodecim, ſuis dementavit erroribus: demum ad epiſcopos ipſos penetrans, totam peſſumdedit eccleſiam, quæ omnia fuſius narrat Epiphanius. Tertium ſine dubio iis defuit de quibus Caroli magni capitulare ſic decernit. *Nullus ſit presbyter qui in eccleſia publice non doceat lingua quam auditores intelligant, fidem omnipotentis Dei in unitate & trinitate ſimpliciter credere. Si vere ipſe verbis manifeſte explicare non poterit, petat ſibi ea a doctiore taliter tranſcribi, qualiter aperte legat, quod qui audiunt intelligant: & qui amplius non poterit, vel his verbis admoneat: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum.* O ſtupendam ſæculi imperitiam! ac niſi tum diſciplinarum ſtudia in clauſtris conſervaſſent monachi, atque illuſtres doctrina epiſcopos urbibus & provinciis dediſſent, qualem habuiſſent majores noſtri eccleſiam?

Epiphan. hæreſ. 69.

Capit. Car. M. l. 6. c. 182.

Doctrina parochi qualis ſit.

Doctrina, qualem vult hic auctor, præcipuum habet in moribus & vita fundamentum. Nemo enim virtutem alios bene unquam docebit, qui prior eam non exerceat: & *tardiores* bubulci & agaſones ad quorum animos verba auribus commiſſa non penetrant, oculis non ægre percipiunt faciendum eſſe, quod fit a prælatis. Qui proinde tenentur paſtorem & epiſcopum animarum noſtrarum imitari, qui *cœpit facere* primum, tum *docere*. Hoc pervidit Herardus Turonenſis, qui omiſſa ſcientia quam in presbyteris alii deſiderant, in vera vitæ ſanctitate pedem figit, *Ut presbyteri ſicut ordine ſanctiores; ita verbo, inceſſu, & actu ſint reverentiores: quia celſitudo graduum graviorem peccati facit cumulum.*

Herard. cap. 107.

6. *Ut juxta ſanctorum patrum interdicta.*) Putidæ fuerit diligentiæ interdicta illa conquirere, & in faſcem unum colligere, cum numero ſint infinita, & in pervolutandis conciliis quocumque te verteris occurrant canones indebitum feminarum acceſſum presbyteris prohibentes. Non revoco ἐπακτὰς illas tantopere primis temporibus a concilio Nicæno, ab Auguſtino, Hieronymo, Gregorio, innumeris aliis improbatas. Taceo relictarum poſt ſuſceptos ordines conjugum periculoſam converſationem, cujus exemplum illuſtre dedit Genebaudus Laudunenſis, *vir carne nobilis, tamque ſacris quam ſæcularibus literis eruditus*, qui, ut præclare narrat Flodoardus, *de anteacta vita nimium graduſque ſublimitate confidens, ab uxore, quam reliquerat, incaute, quaſi pro inſtruenda ea viſitari ſe permiſit. Sed contigit ut frequentes mulieris viſitationes blandaque colloquia, durum validumque contra libidinem pectus emollirent epiſcopi, & quaſi rupem de loco ſanctitatis ad cœnum transferrent luxuriæ.* Hæreo in noſtris. Capitulare Caroli Magni admonet, *Statutum eſſe ab epiſcopis, de presbyteris qui feminas ſecum indiſcrete habitare permittunt, ut ſi admoniti non ſe correxerint, velut contemptores ſacrorum canonum canonica invectione feriantur. De acceſſu & frequentatione, ac cohabitatione clericorum cum feminis*, ait Hincmarus noſter: *Unde ſecundum ſacros canones in omnibus ſynodis ſpecialiter interdiximus, firmiter & expreſſe atque ſollicite a nobis & a comminiſtris noſtris eſt inquirendum.* Quam in rem non pauca ſubjungit more ſuo. Et alio in capitulari poſtea queritur ea monita nihili a parochis fieri. *Jam vobis capitulum ex ſanctis ſcripturis & catholicorum dictis donavi, de inconvenienti acceſſu, & indebita familiaritate ad feminas. Sed video quoſdam veſtrum illud parvi pendere: unde iterum in conventu veſtro volo recitari.* Et quæ ſequuntur. Herardus Turonenſis brevius. *Ut converſationem feminarum, earumque acceſſum & adminiſtrationem execrentur. Sin alias, velut contemptores canonum ab ordine deponantur. Et quibus miniſtrare neceſſaria decernunt, longe ab his domos provideant, in quibus non per ſe, ſed per miniſtros ſubſidia porrigant.* Plura vide apud collectionem Antonii Auguſtini, & omnia in opere peculiari Theophili Raynaudi viri undecumque doctiſſimi, qui hoc argumentum religioſis æque ac ſæcularibus presbyteris neceſſarium, totum penituſque nuper exhauſit. Inſcribitur quippe: *Diſſertatio de ſobria alterius ſexus frequentatione, per ſacros & religioſos homines.*

S. Genebaudi lapſus. Flodoard. hiſt. c. 14.

Capit. M. l. 1. …

Hincm. … pit. an. … c. 21.

Idem C… an. 874 …

Herard. … pit. c. … Anton. … guſt. l. … 30. & … Theoph… Raynau… de ſobr… frequent… &c.

7. *Ita quibus Deo miniſtrandum eſt indumenta.*) Hoc ad decorem domus Dei tanti facit Hincmarus, ut in parochorum per decanos interrogatione duos ea de re formet articulos. *Qualia ſint indumenta altaris, quot nova, & quot vetuſta, qualiter nitida.* Et mox: *Qualia aut quot ſacerdotalia veſtimenta habeat, & qualiter ſint nitida, aut in nitido loco collocentur.* Capitulare Caroli Magni eodem honoris divini amore jubet; *Ut presbyteri per parochias ſuas feminis prædicent, ut linteamina altaribus præparent.*

Sacra in… menta … nitida. Hincm. … pit. viſi… a. 4. & … Capit. M. l. 1. …

8. *Abſidamque circa altare.*) Abſidam melius ſive chorum eccleſiæ, ut modo vocamus, quo altare continetur & clauditur, vult eſſe quam mundiſſimum, tum quia in eo maxime ſacramenta tractantur, tum quia ſacramentis præſentes angeli ſemper aſſiſtunt. Tertiam rationem poſſumus addere, quia eo loco ſanctorum reliquiæ collocari ſolent. Sic enim apud Gregorium Turonenſem Terricus Lingonenſis epiſcopus præceſſori ſuo S. Gregorio condendo *ante altare Baſilicæ fundamenta jacit, erectamque abſidem unico opere conſtruit & tranſvolvit. Ea vero tranſvoluta diſruptoque pariete, arcum ædificat. Quod opus cum eſſet perfectum atque ornatum, poſtquam in media abſide locum fodit quo corpus beati patris transferre volebat*, &c. Abſis autem ſive abſida, dicitur a fornice & arcu, ſive quia in modum arcus erotundatur locus ille, ſive quia fornice deſuper contegi & concamerari ſolet. Neque alium credidi ſemper eſſe locum qui Conſtantinopoli Trullus vocatus eſt, ubi concilium illud famoſum celebratum in Trullo. Non eſt dubium quin fuerit erecta in abſide ſedes epiſcopi, ut etiamnum hodie in cathedralibus eccleſiis eminere ſolet: neque negari debet ad eam abſidem gradibus conſcenſum fuiſſe, ut *abſida gradata* bene nominentur ab Auguſtino; ſed probare non poſſum, quod eo Auguſtini loco ſic utuntur plerique, ut credant ipſam abſidem eſſe cathedram, cum utrumque manifeſte diſtinguat, ſcribens epiſcopo Donatiſtæ Maximino ad infringendam ſchiſmatici ſuperbiam, ex dignitate & ſæculari pompa profectam. *Tranſit honor hujus ſæculi, tranſit ambitio. In futuro Chriſti judicio, nec abſidæ gradatæ, nec cathedræ velatæ, nec ſanctimonialium occurſantium atque cantantium greges adhibebuntur ad defenſionem, ubi cœperit accuſare conſcientia, & conſcientiarum arbiter judicare.* Et alibi ad Albinam religioſam feminam de tumultu in ipſa eccleſia excitato, *Ad noſtra ſubſellia, relicta turba, redieram.* Et mox: *Dicebam ego quibus poteram, qui ad nos in abſidem honoratiores & graviores aſcenderant.* Certe in cathedram epiſcopi non aſcenderant, ſed in locum ubi conſtituta erat, ut abſis cathedram contineat, neque niſi figurate pro cathedra ſumatur. Sic explicandus canon concilii Carthaginenſis. *Cujuſcumque pœnitentis publicum & vulgatiſſimum crimen eſt quod univerſa eccleſia noverit, ante abſidem ei manus imponatur.* Ut peccato publice noto publica reſpondeat ſatisfactio, non deſcendat ad pœnitentium locum epiſcopus, quaſi verecunde reconciliaturus, ſed ad epiſcopum reus aſcendat in abſidem eminentem, ibique ſpectantibus omnibus e cathedra ſua epiſcopus manum reconciliatoriam imponat.

Abſida … ſit.

Greg. T… l. 10. c. …

Trullus

Abſida … data.

Aug. ep… 203.

Idem e… 225.

Conc. … III. ca…

9. *Ut nullus ſacrum vas.*) Sic Herardus Turonenſis. *De vaſis & veſtimentis eccleſiaſticis pro pignoribus abſque licentia epiſcopi non dandis, & datis recipiendis.* Idem vetat aliis verbis Hincmarus. *De ſacris miniſteriis ad vvadium non dandis. Ut nullus presbyter præſumat calicem, vel patenam, aut pallam altaris, vel veſtimentum ſacerdotale, aut librum tabernario, vel negotiatori, vel cuilibet laico, vel feminæ in vadimonium dare.* Idque probat non licere a pari. Sacerdos cum ſacris veſtibus ad profanum populi colloquium progredi vetatur: non poteſt per canones tabernas ingredi ad bibendum. Vaſa ſanctificata prohibetur dare

Vaſa ſ… non epi… randa. Herard. … pit. 10… Hinc. … an. 852.

dare immundis ad contingendum: quanto minus in vadimonium? Et hæc omnia ex capitulari Caroli Magni ducta pravam consuetudinem corrigere. *Quæ transgressio*, inquit Ludovicus Pius, *& tempore genitoris nostri, & nostro in conventibus episcoporum, secundum auctoritatem canonicam prohibita, sed necdum ad correctionem plene est perducta.* Quid est igitur quod nonnulli historici scribunt a sanctissimo regum nostrorum e Syria in Franciam redeunte, relictam Saracenis hostibus sacrosanctam hostiam in pignus? Scio id a Joinvillæo reticeri, negari præcise ab aliis. Non desunt tamen qui affirment in ejus facti memoriam vulgo in tabernis meritoriis per Palæstinam pictam videri eucharistiam, & ejus figuræ rationem quærentibus, Franci regis factum enarrari ab incolis. Quod in medio relinquimus.

10. *Ut unusquisque presbyter suum habeat clericum.*) Vitæ socium, sacrorum ministrum, scholæ Magistrum, successorem futurum. Et hoc quæri vult a parocho Hincmarus. *Si habeat clericum, qui possit tenere scholam, aut legere epistolam, aut canere valeat, prout necessarium sibi videtur.* Ejusmodi clericos, nutritos vocat alibi. *Si vos bene viveretis, & vestros nutritos in bona vita & in bona conscientia nutriretis, non vobis esset necesse & vestra perdere, & vos ipsos in damnationem mittere.* Nec minus Herardus scholas vult a presbyteris institui. *Ut scholas presbyteri pro posse habeant, & libros emendatos.* Theodulphus autem gratuitas vult esse scholas ejusmodi, summa cum caritate conjunctas. *Cum ergo eos docent, nihil pro hac re ab eis pretii exigant, nec aliquid ab eis accipiant, excepto quod eis parentes caritatis studio sua eis voluntate obtulerint.*

11. *Et semper eucharistiam presbyter habeat.*) Quanto studio curatum sit ut nemo Christianus, quantumlibet antea legitime absentus, absque viatico moreretur, & canones innumeri docent, & Hincmarus in concilio nostro sollemniter repræsentat. Eoque processit Africanorum fidelium simplicitas, ut etiam mortuos eucharistia donarent. Quod concilio Carthaginensi vetatur. *Item placuit ut corporibus defunctorum eucharistia non detur. Dictum est enim a Domino, accipite, & edite. Cadevera autem nec accipere possunt, nec edere.* Et quoniam in Græca ejus canonis translatione dicitur ἵνα τοῖς σώμασι τελευτώντων εὐχαριστία μὴ δοθῇ, quæ vox morientes significat, monet Balsamo, illa τοὺς ἤδη τελευτήσαντας, οὐχὶ τοὺς ἔχοντας πνέοντας intelligi oportere. Ob eam rem jubet Hincmarus parochum interrogari, *Si habeat pixidem ubi congrue possit recondi sacra oblatio reservanda ad viaticum infirmis.* Addit quoque loco eodem, quod notandum est, ut *ipse presbyter infirmos communicet per se, & non per quemlibet: nec tradat communionem cuiquam laico, ad deferendum in domum suam caussa cujuslibet infirmi.* Qua lege opus non esset, si contra vulgo non peccaretur. Quod tamen in vetere usu ecclesiæ usurpari semper non potuit. Serapion enim ille senex Alexandrinus apud Eusebium, imminente morte postulavit quidem sibi sacram eucharistiam ab aliquo e presbyteris deferri, sed oblatam accepit a puero.

Quod autem non tantum infirmis, sed etiam parvulis ægrotantibus vult porrigi eucharistiam, ad opinionem S. Augustini videtur accedere, non minorem in eucharistia, quam in baptismate necessitatem fidelibus omnibus ad salutem consequendam collocantis; quam existimat magnus doctor ex apostolica traditione ecclesiis insitam esse. Immo communiter in Galliis receptam fuisse tum temporis docet capitulare Caroli Magni, unde sumpsit Walterius, jubens *Ut presbyter semper habeat eucharistiam paratam, ut quando quis infirmaverit, aut parvulus infirmus fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur.* Quod universalis ecclesia nunquam recepit, licet infantem puellam Carthagine Christi corpori & sanguini participasse narret sanctus Cyprianus libro de lapsis, referatque Augustinus, absque nota novitatis.

12. *Ut plebibus suis denuncient.*) Idem præcipere videtur quod Herardus Turonensis, *Ut Christiani a verbo otioso, & a juramentis se caveant.* Ne temere jurent, ne cum perjurio. Quod tam frequenter inculcat Chrysostomus homiliis suis ad populum Antiochenum, neque tacet capitulare Caroli Magni, cum auctoritate sacræ scripturæ vetat *assumi nomen Domini Dei in vanum.* Sunt & in eodem capitulari alia juramenta vetita, hominibus videlicet, præterquam regi, &, ut vocant, senioribus. *De juramento, ut nulli alteri per sacramentum fidelitas promittatur, nisi nobis, & unicuique proprio seniori ad nostram utilitatem, & sui senioris: exceptis his sacramentis, quæ juste secundum legem alteri ab altero debentur.* Subjiciuntur paullo post alia juramenta, quæ a testibus fiunt in judicio, quod capitulum refert Isaac Lingonensis, in quo vetatur omnino quemquam *nisi jejunum ad juramentum, vel ad testimonium admitti.* Idem jubet Herardus, *Ut testes jejuni jurent, ac prius de perjurio moneantur.* Immo & judices ipsos lex jubet esse jejunos, *Nec placitum comes habeat*, inquit capitulare, *nisi jejunus.* Theodulphus postquam perjurii scelus graviter amplificavit, reprehensis presbyteris qui illud *parvipenderent, & levem quodammodo perjuris pœnitentiæ modum imponerent*: admonet & a falso testimonio abstinendum, *scientes & hoc gravissimum scelus esse, quia summa ne dicam stultitia, sed nequitia est, pro cupiditate argenti & auri, aut vestimentorum, aut cujuslibet rei, aut quod celeberrime contingere solet, propter ebrie-*tatem, *in tam grave scelus corruere, ut aut septem annis in arcta ærumna sit: aut ab ecclesia repulsus.*

13. *Ut jejunia a pastoribus injuncta.*) Quæ sint illa, docet capitulare, prima minora, videlicet *Quatuor temporum, hoc est mense Martio, Junio, Septembrio, & Decembrio.* Deinde majora, *ut legitima tria jejunia in anno agantur, id est 40. dies ante nativitatem Domini, & 40. ante pascha, ubi decimas anni solvimus, & post pentecosten 40. dies. Quamquam enim nonnullæ ex his canonica preventur auctoritate, nobis tamen omnibus simul propter consuetudinem plebis, & parentum nostrorum, morem hunc observare, ut superius comprehensum est, convenit.* Præterea stata per hebdomadam adduntur, *Præter hæc autem legitima tempora jejuniorum, omni sexta feria propter passionem Domini jejunetur. Sed & sabbati dies a plerisque, propter quod in eo Christus jacuit in sepulcro, jejunio consecratus habetur.* Ex his omnibus quid ecclesia in usu suo retinuerit superfluum est dicere: sed omnino probrosum & a majorum nostrorum religione perquam alienum, pauca illa quæ supersunt, tantopere a Christianis negligi, & videntibus scientibusque pastoribus propalam violari.
Capit. Car. M. l. 6. c. 183. 184.

Quomodo autem sint observanda, vel potius tum temporis fuerint observata, in cibis, & in esus tempore, narrat Theodulphus distinguendo jejunia quæ vidimus ex traditione per ecclesiam imperata, ab iis quæ moribus publicis inducta, magis pendent a voluntate singulorum. *Quadragesima*, inquit, *cum summa observatione custodiri debet, & jejunium in ea nullatenus resolvatur, quia ipsi dies decima sunt anni nostri. Alio tempore soles jejunium caritatis caussa dissolvi; isto vero nullatenus debet: quia in alio jejunare, præceptum Dei transcendere est.* Vocat autem non jejunare, ante vespertinum officium cibum solvere. Sic enim inferius: *Solent plures qui se jejunare putant, mox ut signum audiunt ad nonam, manducare. Qui nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint antequam vespertinum celebretur officium.* In eo comestionis tempore majus jejunii momentum ponit, quam in cibis ipsis. *Qui ovis, caseo, piscibus & vino abstinere potest, magnæ virtutis est: qui autem his aut infirmitate interveniente, aut quolibet opere, abstinere non potest, utatur: tantum & jejunium usque ad vesperum sollemniter celebret: & vinum non ad ebrietatem, sed ad refectionem corporis sui sumat.* Itaque *concurrendum est ad missas, & auditis missarum sollemnibus, sive vespertinis officiis, largitis eleemosynis ad cibum accedendum est.* Facienda eleemosyna ex cibo & potu *quo quisque uti debuit si non jejunaret: quia jejunare & cibos prandii ad cœnam reservare, non mercedis, sed ciborum est incrementum.* Et hæc universe de jejunio.
Theodulph. epist. ad cler. c. 73.
Ibid. c. 39.
Ibid. c. 40.
Ibid. c. 38.
Ibid. c. 38.

De quadragesima, quod sanctissimum est Christianæ abstinentiæ tempus, hæc præcipit quæ referre non tantum ad imitationem, sed etiam ad novantium quorumdam revincendos errores conducit. *Hebdomada una ante initium quadragesimæ, confessiones sacerdotibus dandæ sunt, pœnitentia accipienda, discordantes reconciliandi, & omnia jurgia sedanda, & dimittere debent debita invicem de cordibus suis.* Qualis autem ea pœnitentia est? an ea quæ a sacro altari removeat, & abstinentiam a sacra communione imperet? *Singulis diebus dominicis in quadragesima, præter hos qui excommunicati sunt, sacramenta corporis & sanguinis Christi sumenda sunt, & in cœna Domini, & in parasceve, in vigilia pascha, & in die resurrectionis Domini penitus ab omnibus communicandum.* Eo tempore cessare debent lites omnes & contentiones. *Arguit enim eos qui contentiones & lites quadragesimæ tempore exercent, & qui debita a debitoribus exigunt, Dominus per prophetam dicens, Ecce in diebus jejunii vestri*, &c. Illis etiam sacratissimis diebus *abstinendum est a conjugibus, & caste & pie vivendum: ut sanctificato corde & corpore, isti sancti dies transigantur. Quia pene nihil valet jejunium quod conjugali opere polluitur, & quod orationes, vigiliæ, & eleemosynæ non commendant.* Hæc ex uno Theodulpho ad nostram utilitatem descripsimus, quorum pleraque per capitulare sparsa sunt.
Quomodo transigenda quadragesima. Ibid. c. 36.
Ibid. c. 41.
Ibid. c. 42.
Ibid. c. 43.

14 *Ut quando ad conventum.*) Nonnulla hic breviter perstringenda. Privatum est, quod de tabernis non adeundis edicit, post infinitos & canones, & ejus vitii censores. Publicum, quod in conventibus presbyterorum & confratriis desiderat hoc loco. Consortia vocantur, quia viorum consortium, & eadem vitæ officiique conditione parium congregationes sunt. Gildonias pro iisdem habet Hincmarus, *Ut de collectis quas Gildonias, & confratrias vulgo vocant*, quæ fiunt collata a singulis pecunia & symbola. Hæc convivia canon Laodicenus vetat tam a laicis, quam a clericis celebrari, ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικοὺς ἢ κληρικοὺς ἐκ συμβολῆς συμπόσια ἐπιτελεῖν, ἀλλ' οὐδὲ λαϊκούς, ebrietatis metu, quam consequuntur petulantia & insolentia, inquit Balsamo. Malunt Latini agapes illas permittere. Sed quia secundum Cassiodori dictum *inter consortes assolet indisciplinatio nasci*, eam ob rem legibus quibusdam regendi & constringendi sunt. Eas decernit Nannetense concilium in calcem tomi III. conciliorum Galliæ conjectum, ex quo sine dubio & Hincmarus, & noster Walterius hauserunt. Spectantque omnes ad temperantiam, modestiamque sacratis hominibus dignam commendandam. *Pastos, pastellos & comessationes* in illis multum improbat Hincmarus, *quia inhonestum est & onerosum.* Vetat invitare se poculis, & *precari in amore sanctorum, vel ipsius animæ, bibere, aut alios ad bibendum cogere: quia in talibus comessationibus &*
Consortia quæ.
Gildonia.
Concil. Laodic. can. 55.
Cassiod. l. 7. ep. 3.
Concil. Nannet. c. 15. Hincm. capit. an. 852. c. 14. 15. 16.

bus & potationibus, sicut irreligiosi faciunt, semper se immiscet diabolus.

A spectaculis abstinendum. Concil. Laodic. can. 54. Syn. in Trullo. can. 24. Balsam. ibi.

Rusticas cantilenas, turpes ludos, saltatrices ab illis conviviis abesse jubet Vvalterius, primum ex veteri ecclesiæ disciplina, clericos ab spectaculis quæ in conviviis nuptialibus exhibentur, removentis canone Laodiceno, sed *priusquam ingrediantur thymelici surgere & secedere.* Quem renovat synodus in Trullo posteaquam ludos omnes curules, & scenicos spectari vetuit a clericis. Eum scribit Balsamo sic explicari a quibusdam, ut a mimis & ludis scenicis abstinere omnino cogantur, non autem ab equestribus omni ex parta, cum eorum aliqui permissione ecclesiastica fieri videantur. Sed eum tractatum concludit patriarcha memorabili sententia. Plures & longe religiosiores, quibus & ipse assentitur, distinctiones ejuscemodi non admittere, cum dicant ὀφείλειν τοὺς κανόνας πρὸς τὸ ψυχωφελέστερον ἑρμηνεύεσθαι, οὐ μὴν πρὸς τὸ ἐκκέχυμενον καὶ ἀδιάφορον. *Debere canones juxta id quod magis animæ conducit, non autem secundum id quod dissolutius & indifferens est exponi.* Deinde ex nimia temporum illorum licentia hæc omnia prohibentur a piis episcopis, quæ fusius prosequitur Hincmarus. *Nec plausus & risus inconditos, & fabulas inanes ibi referre, aut cantare præsumat: nec turpia joca cum urso, vel tornatricibus ante se facere permittat: nec larvas dæmonum, quas vulgo talamascas dicunt, ibi anteferre consentiat, quia hoc diabolicum & a sacris canonibus prohibitum.*

Quomodo canones sint explicandi.

Hincm. capit. an. 852. c. 14.

Lectio ad mensam. Hincm. cit. Herard. capit. 108.

Ei malo medebuntur qui ex illorum consilio sacra lectione cibos condient. Quod cum Vvalterio nostro suadet Hincmarus eodem loco: *Aliquis de illorum clericis aliquid de sancta lectione legat.* Quod & placet Herardo, *Ut presbyteri & clerici ante se joca turpia fieri non permittant, sed pauperes & indigentes ad mensas secum habeant, & legatur eis lectio.* Sic Augustinus *in ipsa mensa magis lectionem aut disputationem, quam epulationem potationemque diligebat; contra pestilentiam humanæ consuetudinis.* Sive pestilens illa consuetudo fuerit in ciborum lautitia, & edendi bibendique immoderata cupiditate: sive in convivalium sermonum pravitate & nequitia, *Ideo omnem convivam a superfluis & noxiis fabulis, & detractionibus sese abstinere debere admonebat.* Sed mos ille, ut & plerique alii apud ecclesiasticos viros olim usitati, modo septis religiosorum claustrorum continetur, neque in publicum prodire audet. Theodulphus, conventus istos ne nominat quidem, sed modestiam tamen & temperantiam a presbyteris exigit. *Neque cum feminis, aut cum quibuslibet impuris personis convivia exerceatis. Nisi forte paterfamilias quilibet vos ad domum suam invitaverit, & cum conjuge sua & prole velit vobiscum spirituali gaudio lætari, & verborum vestrorum refectionem accipere, & vobis refectionem carnalem caritatis officio exhibere. Oportet enim, ut si quando quilibet fidelium carnalibus vos reficit epulis, a vobis reficiatur epulis spiritualibus.*

Possid. in vita Aug. c. 22.

Theod. ep. ad cler. c. 13.

De festivitatibus annuis. Dies dominicus. Capit. Car. M. l. 6 c. 186. Theodulph. ep. ad cler. c. 24.

15 *Ut celebres sanctorum festivitates.*) Festorum dierum quos publice celebrari necesse est, duos facit ordines, publicos, toti ecclesiæ vel regno communes; & privatos, suæ diœceseos peculiares: priores habet a capitularibus regum, posteriores in usu ecclesiæ Aurelianensis. Utrosque percurro. Diei Dominici nulla denunciatio est, summa religio; quia cum sit ejus aperta cognitio, non docetur populus quando recurrat, sed quomodo transigendus sit: quod capitulari Caroli Magni, & in Theodulphi epistola egregie traditur: videndus est & Barnabas Brissonius vir eruditissimus ad legem Dominico.

Natalis Domini. Capit. Car. M. l. 6. c. 106.

Natalem Domini diem, cum tribus sequentibus omnes denunciari jubent, atque is est unus ex tribus celeberrimis, quibus episcopus judices publicos monere debet, *ut quicumque miserrimi vinculis detinentur, relaxari debeant: & judex si pastorem commonentem despexerit, quamdiu loci illius episcopo visum fuerit, ab ecclesiæ liminibus arceatur.* Alii duo æque noti sunt pascha & pentecoste. *Octavas Domini*, quem diem nomine suo *circumcisionem Domini*, & *Kal. Jan.* appellat uno loco capitulare, sollemni cultu celebrant Christiani, ex quo prostrata idololatria orbem totum occupavit Christi religio, cum antea jejuniis & silentio transigeretur, ut pluribus in martyrologio docet Baronius.

Ibid. c. 186.

Baron. in martyrol. ad Kal. Jan.

Nativitas S. Mariæ. Baron. in martyrol. ad 8. Sept.

Nativitatem S. Mariæ.) Unus ex omnibus nominat noster Vvalterius. Nam ex silentio concilii Moguntini sub Carolo Magno, & capitularium inde eductorum, judicat Baronius ætate Caroli & Ludovici imperatorum eam festivitatem in ecclesia Gallicana fuisse ignoratam. Quod si diligentissimo rerum ecclesiasticarum investigatori credimus, huic certe auctori debemus primam ejus celebritatis apud Francos notitiam, ut ea laus ecclesiæ Aurelianensis sit, quod sub Carolo Calvo, instituente Vvalterio episcopo, incœpit in Galliis, unica diœcesi primum contenta, quando neque Turonensis Herardus, neque Remensis Hincmarus, neque Isaac Lingonensis, neque Theodulphus & ipse Aurelianensis ejus meminerunt. Nominat quidem Ado Viennensis non uno loco, sed ut celebrem non jubet indici.

Concil. Mogunt. sub Car. M. c. 36.

Sabbatum sanctum. Capit. Car. M. l. 6. c. 187.

Sabbatum sanctum.) Ab aliorum quoque catalogis abesse video: nisi forte quando capitulare jubet sollemnitatem paschalem a vespera sabbati inchoari, *Sicut vesperascente sabbato sanctum pascha celebratur.* Apud auctores ecclesiasticos celebrius est ejus diei jejunium, immo & tridui totius, quod paschalem festivitatem præcedit: fuitque apud Græcos usitatissimum. Sed in his non immoror.

Dies paschæ hebdomada.

Paschæ dies VIII.) Miror in primis in Herardi catalogo reginam hanc Christianarum sollemnitatum prætermitti: quod sola amanuensium incuria potuit evenisse. Hoc deinde annoto, apud plures octo dierum ferias adjungi magnæ dominicæ, quod Vvalterius exprimit. Et apertissime capitulare Caroli Magni, ubi legimus, *Diem dominicam paschæ cum omni honore & sobrietate venerari: simili modo totam hebdomadam illam observare decrevimus.* Quod ex antiquo jure, & lege Theodosii servatum voluit Carolus Magnus. Quid est ergo quod in eodem capitulari legimus. *In pascha Domini, usque in octavas paschæ, post dominicam dies III.* An jubet integram paschæ hebdomadam feriari, ac præterea sequentis hebdomadæ dies tres dominicæ in albis subditos? Minime gentium: sed hoc vult, dies illos octo qui communi jure, ut diximus, olim festi erant, præsenti lege contrahi ad tres paschatis dominicæ vicinos. Quod etiamnum quibusdam in locis observatur. Et utique duos saltem admodum sollemnes habemus. Ita pro temporum, pietatisque ratione, veteres leges aut antiquantur, aut constringuntur. Ea tamen dispensatio semel ubique recepta non est, quando in Herardo Turonensi legimus, *de octo diebus paschæ quomodo feriari debeant.* Qua in re cum Aureliananensi nostro rite convenit.

Capit. C. M. l. ... c.

Ibid. l. ... 186.

Herard. ... pit. 95.

Dies rogationum. Concil. ... guntin. c.

Letania majore.) Quid Letaniæ nomine majores nostri significarint, docet Moguntinum concilium sub Carolo Magno. *Litaniæ græco nomine appellantur, quæ latine dicuntur rogationes. Inter litanias autem & exomologeses hoc differt, quod exomologeses pro sola peccatorum confessione aguntur: litaniæ vero indicantur propter rogandum Deum, & impetrando in aliquo misericordiam ejus. Sed nunc jam utrumque vocabulum sub una designatione habetur:* cum & litania ad pœnitentiam agendam sit composita, ut mox videbimus.

In appellatione *majoris* plusculum difficultatis occurrit. Nam litaniam majorem ordo Romanus nuncupat eam quæ auctore Gregorio Magno VII. Kalendis Maii celebratur ad festum sancti Marci. Minorem vero illam quæ per triduum rogationum a Mamerto Viennensi episcopo instituta, *apud nos usque hodie pro diversis calamitatibus devotissime recolitur*, ut ait idem ordo. Non assentiantibus nostris scriptoribus, qui priorem simpliciter Romanam nominant, & in Galliæ usu ægre retentam subindicant: ut in Herardo videre est, *De letania Romana VII. Kal. Maii, ut rememoretur.* Ut videlicet ejus commemoratio fiat, quæ nisi studiose commendata, dilaberetur. Majorem autem litaniam non aliam habent, quam triduum rogationum: & manifeste hanc nominat capitulare Caroli Magni ex concilio Moguntino. *Placuit nobis, ut litania major observanda sit a cunctis Christianis, diebus tribus.* Vvalafridus autem Strabo, utrique, tum Romanæ, tum isti Gallicanæ *majoris* nomen attribuit.

Ordo R... manus I.

Herard. ... pit. c. ...

Concil. ... gunt. c. ...

Capit. ... M. l. 5. c. ...

Walafr. ... Strab. ... reb. eccl. ... c. 28.

Sed hoc leve & indifferens, modo debita religione servetur. Concilium Moguntinum citatum monet ut eam celebremus, *sicut legendo reperimus, & sicut sancti patres nostri instituerunt, non equitando, nec pretiosis vestibus induti, sed discalceati, cinere & cilicio induti, nisi infirmitas impedierit.* Videtur concilium ad ordinem Romanum respectare, a quo per id pœnitentiæ tempus omnia sæcularis lætitiæ signa prohibentur. *Nullus autem his diebus vestimenta pretiosa induatur: quia in sacco & cinere lugere debemus. Prohibeantur ebrietates & commessationes quæ fiunt in vulgari plebe. Nemo ibi equitare præsumat, sed discalceatis pedibus omnes incedant. Nequaquam mulierculæ ducant choros: dies enim abstinentiæ sunt, non lætitiæ.* Similia præcipit & Herardus.

Concil. ... gunt. c. ...

Ordo R... l. 1.

Herard. ... pit. 95.

Ascensio Domini.) In capitulari scribitur, *Diem ascensionis Domini pleniter celebrare.* Fuerunt olim festi dies media tantum parte culti, ac post meridiem laboribus externis profanati: de quorum numero videtur fuisse dies ascensionis: quam pravam consuetudinem antiquare satagit Carolus imperator, & totum, atque integrum vult rite celebrari.

Capit. ... M. l. 5. c.

Jejunium Pentecostes. Capit. ... M. l. 6. c. ...

Pentecosten.) Nulla alia peculiari ratione pentecostes celebritatem auget Vvalterius, quam tamen paschali æquandam constituunt alii, jubente Caroli capitulo, *ut annuncient presbyteri eodem modo, sicut vesperascente sabbato sanctum pascha celebratur, & ipsum diem pentecostes similiter celeberrimum habeant, ut sanctum pascha, & jejunium, & missam, & baptismum.* Unde jejunii illius antiquitas apparet, quod adolescentibus nobis apud sæculares exoletum, revocata pietate, religiosorum maxime exemplo instauratum est, & nunc communiter viget in ecclesia. Repugnabat nihilominus per ea tempora nonnullorum explicatio dicti evangelici, *Non possunt lugere filii sponsi quamdiu cum illis sponsus est:* ad quam respexisse mihi videtur ordo Romanus, cum in commendatione rogationum, notavit expresse, servari abstinentiam a carnibus, non autem jejunium.

Ordo R... l. 1.

Festivitas omnium S...

Inter singularia autem sanctorum festa, omittit noster dedicationem sancti Michaelis, & natalem sancti Remigii, quæ quidem in aliis nominantur, quamquam non constanter. Ex adverso Herardus, & quidem omnium solus, festum sanctorum omnium adjicit, quod Ludovici Pii tempore a Gregorio IV. pontifice maximo in Gallias illatum est, ut

est, ut refert Ado Viennensis, *Monente sancta recordatione Gregorio pontifice, piissimus Ludovicus imperator omnibus regni & imperii sui episcopis consentientibus, statuit ut sollemniter festivitas omnium sanctorum in prædicta die annuatim perpetuo ageretur.*

Nostrorum præterea patrum.) Sequuntur peculiares diœceseos Aurelianensis festivitates, episcoporum qui præcipua sanctitate, & pastorali sollicitudine illam ecclesiam illustrarunt: vultque illas *in transitu*, sive in obitu illorum constitui, non autem in translatione: cujus rei causas expendere necessarium non videtur. Hic autem mirum mihi accidit, inter eximios illos antistites, omitti Aurelianensium apostolum; & nobilis ecclesiæ fundatorem Altinum, ne sua quidem in ecclesia, martyrem scilicet & apostolicorum virorum discipulum nominari, & ab Evurtio sive Evortio commemorationis ejusmodi duci exordium: longe autem Altino inferior fuit Evortius, & medios habuit præcessores non celeberrimos. Isti debet urbs clarissima templi sanctæ crucis structuram, eoque celebrante dedicationem, emissa e nubibus Christi Domini manu, & figuram crucis ter deformante, ut referunt historici Aurelianenses.

Respondet autem hæc additio, illi conclusioni Turonensis Herardi. *Et eorum quorum corpora & debitæ venerationes in locis singulis peraguntur.* Quæ expressior est in capitulari, *& illas festivitates martyrum vel confessorum, observare decrevimus, quorum in unaquaque parochia sancta corpora requiescunt.* Nam cum regum nostrorum pietas multis sanctorum pignoribus Galliam universam locupletaverit, æquum esse censuerunt, eos illic venerari, quo transire dignati sunt. Neque aliam ob caussam sancti Benedicti festum hic memoratur, nisi quia ejus corpus per translationem in Floriacensi monasterio in diœcesi Aurelianensi conditum est, ut narrat & probat Carolus Saussejus in annalibus ecclesiasticis Aurelianensibus. Hinc est quod apud Marculphum in formulis, Tractoria monachis aut clericis peregrinantibus concessa, sic præfert: *Ego in Dei nomine, episcopus, vel abba de civitate illa, vel de monasterio illo, ubi pretiosus martyr, sive confessor Christi humanitus corpore requiescit.*

16. *Memoriter coram nobis recitare & expanere valeant.*) Duo a presbyteris exigit: alterum ut necessaria quælibet ad rite conferendum sacramenta memoriter ediscant, & in specimen memoriæ, coram episcopo recitent. Idem Hincmarus, sed apud episcopum recitandi necessitatem non imponit. *Distincte & rationabiliter memoriæ commendet.* Item mox. *Orationes quoque eidem necessitati competentes, memoriter discat.* Alterum, ut has cærimonias aperte & ad populärem captum dilucide interpretentur, & explicent, ejusque rei specimen coram episcopo exhibeant. Theodulphus autem Aurelianensis, quasi hæc omnia omnibus parata esse existimet, alia quædam a convenientibus postulat, & ipsa suo illorumque gradui valde congruentia. *Cum vero Domino opitulante ad synodum in unum convenerimus, sciat nobis unusquisque dicere, quantum Domino adjuvante laboraverit, aut quem fructum acquisierit. Et si quis forte nostro indiget adjutorio, nos cum caritate admoneat, & nos cum caritate nibilominus ei pro viribus adjutorium ferre non differemus.* Herardus quoque præclarum synodi ordinem constituit in caussis primum ecclesiæ totæ communibus, ac deinde privatis, quæ personales esse solent, examinandis. *Ut in synodo primum generales caussæ, quæ ad normam totius ecclesiæ pertinent, finiantur: postea specialis ventilentur.* Felicia tempora quibus illi tractatus materiam synodorum *cum caritate* faciebant!

17 *Ut omnes presbyteri calculandi peritiam.*) Dici vix potest quanta cum sollicitudine curatum sit per ea tempora, ut presbyteri notum haberent computum ecclesiasticum, pene non minus quam orationem dominicam, & symbolum apostolicum. Unde strictum capitularis imperium. *De computo, ut veraciter discant omnes.* Breviter & Herardus. *Ut presbyteri computum discant.* Quod non omittit Hincmarus, *Computo etiam necessario, & cursu per anni circulum plenissime instruatur.* Hinc laudata illa computi peritia in Beda, in Rabano Mauro, aliisque, quæ magnam scientiæ partem eo sæculo facere visa est.

18 *Sacros præterea canones.*) Non omnes profecto canones ecclesiæ in memoriam cogentur mittere parochi, sed ad bene perfecteque regendum commissam plebem necessarios, ut opifici cuilibet nota esse debent suæ artis instrumenta. Sic explicandum est, quod in capitulari, episcopis & sacerdotibus edicitur, ex Innocentii primi decretalibus, *ut nulli sacerdoti liceat sanctorum canonum instituta.* Quamobrem periti antistites, ut labori sumptuique suorum parcerent, ex infinita canonum segete, manipulos quosdam collegerunt, qui memoriæ commendati sufficerent. Capitulare quidem plenum est iis conciliorum & pontificum Romanorum decretis, quæ in usum præcipue ex omnibus revocata voluerunt imperatores Christianissimi. Sic Herardus Turonensis. *Quoniam auctoritas sacra canonum, nulli sacerdotum canones ignorare permittit, decrevimus,* inquit, *pariterque injunximus, excepta per nostri laboris studium, hæc modica succinctaque capitula unumquemque habere in posterum.* Sic in civitate Remensi, *inter cetera monita saluberrima, dum de legibus atque rebus ecclesiasticis ab Hincmaro præsule tractaretur, hæc in ultimo prolata sunt, memoriæ commendanda & summopere observanda* Isaac Lingonensis, exemplo Bonifacii Moguntini excitatum se dicit, ad epitomen canonum suorum concinnandam. Suos quoque Theodulphus obsecrat, *ut hæc capitula quæ ad emendationem vitæ breviter digessit, assidue legant, & memoriæ commendent.*

Jubet Hincmarus præterea presbyterum quemque *studiose legere & intelligere homilia* XL *Gregorii, ut & cognoscat ad formam* LXXII. *discipulorum, in ministerio ecclesiastico esse promotum, sermonem prædicti doctoris de* LXXII. *discipulis a Domino ad prædicandum missis plenissime discat, & memoriæ tradat.* Neque liberi sunt ab illa cura episcopi, si consilium salubre audiunt synodi Turonensis III. sub Carolo Magno. *Nulli episcopo liceat canones, aut librum pastoralem a B. Gregorii papa editum, si fieri potest, ignorare: in quibus se debet unusquisque quasi in quodam speculo, assidue considerare.* O tempus! o mores quibus in sacerdotum confessibus hæc sancta quærebantur!

Herard. c. 1.

Computi ecclesiastici peritia. Capit. Car. M. l. 6. c. 216. Herard. c. 125. Hincm. cap. an. 852. c. 8

Sacrorum canonum peritia. Capit. Car. M. l. 1. c. 55.

Herard. Prefat.

Hincm. cap. an. 852.

Theodulph. ep. ad cler. præf. Hincm. cit. c. 8.

Conc. Turon. III. c. 3.

CONCILIABULUM CONSTANTINOPOLITANUM, SIVE PHOTIANUM I.

ANNO CHRISTI 858.

In quo, Ignatio jam exturbato, Photius a Gregorio Syracusano schismatico inauguratus est, anno Domini DCCCLVIII. tempore Nicolai papæ.

[a] *Conciliabulum.*) Cum Ignatius sanctissimus patriarcha Constantinopolitanus Bardæ patricio propter repudium innocentis uxoris, & consuetudinem quam cum cognata habebat turpissimam, ecclesiæ ingressum interdixisset, petentemque die quodam epiphaniæ sacræ eucharistiæ participationem ab ecclesia ejecisset: ille de venia impetranda desperans Ignatio vindictam parat, eumque ab ecclesia expellere procurat. Et ne videatur rem illam tyrannice magis quam juste conari, duas illi objicit accusationes: Primam, quod imperatori, cum juberetur Theodoram matrem invitam in monacham tondere, non obtemperasset: secundam, quod Gebum quemdam hominem stupidum, qui se imperatricis Theodoræ ex alio viro filium esse dicebat, patriarcha eduxisset. Has ob caussas Ignatius patriarcha injuste condemnatus in insulam, cui nomen Terebinthus, relegatus fuit. Cumque exulantem ibidem sæpius ad episcopatum resignandum per episcoporum & patriciorum comminationes frustra sollicitasset, hæc pseudosynodus episcoporum auctoritate Bardæ patricii congregata, exturbato Ignatio patriarcha sanctissimo, Photium eunuchum ex laico indigne suffecit. Hæc ex v. epistola Nicolai, & ex vita Ignatii apud Nicetam, Baronius anno 858. num. 49. & 50. Vide Raderi notas præambulares in synodum VIII.

Ignatio Photius substituitur.

Adnotatio P. Antonii Pagi.

ad Annum Chr. 858. n. 11. & seq.

Depositio S. Ignatii, quam Baronius & omnes alii cum anno Christi 858. conjungunt, contigit anno 857. cum paullo antea Michael Imp. Theodoram matrem aula abire jussisset. Nicetas enim in vita S. Ignatii refert Bardam, penes quem tota Imperii administratio erat, quique nurus suæ amore furebat, hortatum ab Ignatio, ut fœdum, & enorme scelus expiaret, *ipso Epiphaniæ die festo in eadem sacram, Eucharistiæ mysteria percepturum*, impudenter esse progressum, sed eum Patriarcham a sacris arcuisse; indeque Bardam omnem contra eum lapidem movisse, ut eum

ANNO CHRISTI 858.

apud Imperatorem criminaretur. Hic aggreſſus aliquando adoleſcentem, verbiſque inſidioſis captans: *quid*, inquit, *Domine, imperium matri & ſororibus permittis? Atqui non ei amplius infans, atque immaturus: immo*, inquit, *& jam uxore ducta virum agit: debet ergo in poſterum virilem animum gerere. Itaque a Patriarcha accerſito matrem & ſorores conderi velarique jubet &c. Accerſit ergo illico venerandum Patriarcham &c. Tunc igitur Michael &c. matrem*, inquit, *meam ſororeſque e veſtigio arreptat attonde, & religioſa velatet veſte vita religioſa addicite: At libere Patriarcha; hoc*, inquit, *a me fieri nefas &c. Hæc memoratum Patriarcham Bardas reum Majeſtatis poſtulavit &c. Patriarcha ergo Michaeli ſuſpectus ſtatim ad Eccleſiam ſe recepit. Michael vero extemplo matrem cum ſororibus in Carianæ ædes detruſam deportari tonderique imperat. Nec multo poſt ipſum quoque Patriarcham Ignatium pellit, atque in inſulam Terebinthum ejicit.*

Cum itaque juxta eumdem Nicetam Michael cum Theodora *annos xv. & menſes octo* imperarit, anno 857. die ſacro Epiphaniæ Bardas ab Ignatio ob ejus impudicitiam Dominici corporis participatione indignus judicatus, menſe Septembri ejuſdem anni Theodora, & ejus filiæ in Monaſterium detruſæ, *nec multo poſt* Ignatius relegatus, die ſcilicet 23. Novembris, ut mox dicemus. Quare ejectio Theodoræ ex aula, & depoſitio Ignatii ad diverſos annos non pertinent, ut hactenus creditum, ſed uno eodemque, nempe 857. & Theodora in Monaſterium conjecta, & Ignatius in exilium miſſus. Incredibile enim Bardam Ignatium læſæ Majeſtatis crimine accuſaſſe, hunc que poſtea menſes 14, adhuc Patriarchatum geſſiſſe. Alii Hiſtorici Byzantini aliter rem hanc non narrant, & quando Nicetas ab iis diſſentiret, quod tamen dici non poteſt, ei utpote Auctori coævo major fides adhibenda eſſet. Idem Nicetas loquens de reſtitutione Ignatii Baſilii Imp. tempore facta, ait: *dies erat Dominica* (anno nempe 867.) *tertia & vigeſima Novembris, quo etiam anni tempore prius in exilium pulſus erat.* Ita verſio Raderi. Verum textus Græcus habet: Κυριακὴ μὲν τῶν ἡμερῶν ἦν, ἑνδεκάτη δὲ καὶ τρίτην ἔχει Νοέμβριος, ὥσπερ καὶ ἔτι πρώην ἐξωρίζετο; quæ verba ita vertenda: *dies erat Dominica, tertia & vigeſima Novembris, ut cum prius in exilium pulſus erat.* Nicetas itaque non tempeſtatem, qua Ignatius abdicatus, aut in ſedem reſtitutus, ſed diem & menſem abdicationis & reſtitutionis notavit. Quare cum Auctor libelli Synodici, qui hoc tempore vivebat, referat Synodum Conſtantinopolitanam currenti anno (*lege an. 861.*) in Templo Apoſtolorum habitam a Photio, in qua legitur, *Ignatium annos undecim, menſes quatuor, dies viginti* thronum Patriarchalem occupaſſe, manifeſtum eſt non ſolum Ignatium ann. 846. die quarto menſis Julii, in quam Dominica cadebat, ordinatum fuiſſe, ſed etiam an. 857. die 23. menſis Novembris e ſede pulſum eſſe; cum a die 4. præfati menſis Julii ad diem 23. m. Novemb. anni 857. anni xi. menſes xv. & dies xx. intercurrant, & Ignatii ordinatio, quæ nonniſi in Dominica facta fuit, ab an. 846. removeri non poſſit, ſicuti nec ejus depoſitio ab an. 857. Auctor Additamenti ad Chronicon S. Nicephori, qui Ignatio tribuit ann. 11. & m. 5. & Nicolaus Papa in ep. 2. ad Imper. Michaelem, in qua ait Ignatium *per duodecim fere annos regiæ urbis* innocue Sacerdotium egiſſe, numero rotundo locuti ſunt, & ab Auctore libelli Synodici non diſcrepant.

Nec dum triduum a Patriarchæ diſceſſu fluxerat, inquit Nicetas, *cum adſunt qui putabantur inter Epiſcopos primarii, chirographum ſive libellum abdicationis ob præſentium temporum iniquitatem ab eo petentes &c. Verum ii re infecta reverterunt. Intra paucos autem dies Patricii, judicumque clariſſimi cum iiſdem Epiſcopis egreſſi, omnibus machinis & pollicitationibus, comminationibuſque compellebant, ut Epiſcopatu ſe abdicaret &c. Poſtquam igitur Adminiſtri regii ſæpe tentata re, non potuerunt flectere Ignatium ad id quod inique petebant &c. tandem Photium Protoſpatharium & primum a ſecretis, Patriarcham urbis regiæ deſignant &c. Eratque vere cernere, ut fertur adagio, extemporalem fictitiumque, ſeu perſonatum Sanctum. Nam primo die Monachus ex Laico, altero Lector, tum Hypodiaconus ac Diaconus & Presbyter; ſexto deinde, qui fuit Chriſti Natalis, & ipſe factum conſcendens tribunal, pacem populo, nihil vera pace dignum cogitans, nuntiavit.* Photium itaque hactenus laicum Gregorius Arbeſta Syracuſanus Archiep. anno 857. Decembris die 20. ſacris initiavit; eoque die Monachum, altero Lectorem, tertio Subdiaconum, quarto Diaconum, quinto Presbyterum, ſexto, Decembris ſcil. die 25 natali Chriſti ſacro, conſecravit. Et quia Epiſcopi nonniſi in Synodo de more tunc depoſiti, habita Synodus in Palatio, cujus meminit Auctor Libelli Synodici.

SYNODUS CONSTANTINOPOLITANA IN PALATIO.

Ex libello ſynodico.

METHODIO autem ſanctiſſimo ad dominum profecto Ignatius, qui monachus & presbyter ſub Michaele & Nicephoro Chriſtiamantibus imperatoribus fuerat, legitime in thronum elevatur. Adverſus quem dominandi ſtudio & ambitione, epiſcopi quidam & monachi elati, haud mediocriter longo tempore ſunt tumultuati: quin & Michaelis imperatoris levitate abuſi, imperatoria manu dejiciendum de throno patriarcham Ignatium curarunt, in Terebintho inſula loco exilii ei conſtituto. In palatio etiam ſynodo vili coacta, Photium, qui primus a ſecretis fuerat, ſurrogarunt.

ΜΕΘΟΔΙΟΥ δὲ τοῦ παμμακαρίου πρὸς κύριον ἐκδημήσαντος Ἰγνατίου μοναχὸς ὢν πρεσβύτερος ὑπὸ Μιχαὴλ καὶ Νικηφόρου γεγονὼς, τῷ φιλοχρίστων αὐτοκρατόρων, κανονικῶς ἐπὶ τὸν θρόνον ἀναβιβάζεται· καθ' ὃ φιλαρχίας κενοδοξίᾳ, ἐπίσκοποί τινες καὶ μονάζοντες κωφιζόμενοι, ὑ μεθίως χρόνῳ μακρῷ ἐσασίασαν. Οἷς ὁ Μιχαὴλ τοῦ βασιλέως λαβόμενοι τῆς κωφότητος, ἐξελαθῆναι τοῦ θρόνου ἀρχοντικῇ χειρὶ τὸν παλαρχίαν Ἰγνάτιον παρεσκέασαν, ἐν Τερεβίνθῳ τῇ νήσῳ αὐτὸν ἐξορίσαντες· ἐν ᾗ παλατίῳ συνοδον ἀφελῆ ποιησάμενοι, τὸν πρωτοσηκρήτιν Φώτιον προεχειρίσαντο· πολλὰ μὴ ἀκουθέντες λόγῳ παραιτήσεως πρὸς Ἰγνάτιον πρεσβεύσάμενοι.

SYNODUS CONSTANTINOPOLITANA IN BLACHERNIS.

Ex eodem libello.

PHotius igitur, cum præter divinos & ſanctos canones, thronum conſcendiſſet, non quieti operam dedit: ſed imperatore ad iram concitato, infinitis malis Ignatium affecit, tamdemque in inſulam Mitylenem, innocentem relegavit: &

ΦΩΤΙΟΣ δὲ παρὰ τοὺς θείους καὶ ἱερὰς κανόνας τῷ θρόνῳ ἐπιλαβόμενος, οὐκ ἐσοίχει τῷ ἡσυχάσαι, οἵσπερ ὠλιθησεν. ἀλλ' ὡς θυμὸν κινήσας τὸν αὐτοκράτορα, μυρία δεινὰ ἐξοργίζει πρὸς τὴν νήσῳ

x Hæc habita anno 859. de qua infra.

ANNO CHRISTI 858.

ὑήσῳ Μιτυλίνης τὸν ἀθῶον Ἰγνάτιον. Καὶ συναθροίσας πονηρευομένων ἐν Βλαχέρναις συνέδριον· καθαιρεῖ μὲν παρόν ταῦτ' ἀδικούμενον, καὶ τὰς ἀπαρνουμένους καθυπογράψαι τοῖς πονηροῖς αὐτοῦ νεύμασι, καὶ τῆς κοινωνίας ἀντέχεσθαι, πάσης κακουργίας εἰργάσατο κατηγώγια· περιορίσας ἔνθα, καὶ ὡς ἠβούλετο.

A malignantium conventiculo in Blachernis congregato, ipsum præsentem injuste deposuit: eosque etiam, qui pravis ipsius nutibus subscribere, eique communicare detrectabant, infinitis malis affecit: in exilium agens, quo & quomodo vellet.

ANNO CHRISTI 858.

SYNODUS CONSTANTINOPOLITANA IN TEMPLO APOSTOLORUM.

En eodem libello.

ΕΤΙΓΕ μὴν καὶ πρὸς τὸν Ρώμης πάπαν τὸν μακαρίτην ἐξαπέστειλε Νικόλαον· ἐκουσίως παραιτησάμενον διὰ γῆρας λιπαρὸν καὶ ἀσθένειαν σώματος, Φώτιος ἀνεδίδαξε τὸν Ἰγνάτιον. καὶ πρὸς ἀποβολὴν πλείαν τῆς τῶν εἰκονομάχων αἱρέσεως, τοποτηρητὰς πεμφθῆναι αὐτῷ, μεγάλως ἐκέτευσεν· Ἰγνατίῳ δόλῳ πραγματευόμενος τὴν κατάκρισιν. Ῥωδοάλδος δὲ καὶ Ζαχαρίας Ρωμαίων ἐπισκόπων τοποτηρητῶν κατειληφότων Κωνσταντινούπολιν. Φώτιος ἐν τῷ ναῷ τῶν ἁγίων καὶ πανευφήμων ἀποστόλων Χριστοῦ, ἁθετούντων σύνοδον ποιησάμενος, ἀγώνιμον πρὸς αὐτὴν γενέσθαι τὸν ἱεράρχην Ἰγνάτιον παρεσκεύασε· ἑβδομήκοντα καὶ δύο * ἀγγελαίους παρασησάμενος ψευδομάρτυρας· πείθων αὐτοὺς λαϊκοὺς ὄντας, ἀπειλὰς παρενείρων ταῖς ὑποσχέσεσιν, ἐπίπασης θείας ὀμόσαι δυνάμεως, μὴ ἐψηφίσθαι, χρόνους ἔνδεκα, μῆνας τέσσαρας, καὶ ἡμέρας εἴκοσι, ἐν τῷ θρόνῳ τῆς πατριάρχου διαδραμόντι Ἰγνάτιον· ἐπαναγνοὺς τῆς συνελθούσης ἀποστατικῆς αὐθεντίας ἀποτομίαν, ἔχουσαν οὕτως· Εἴ τις ἐπίσκοπος κοσμικοῖς ἄρχουσι χρησάμενος, δι' αὐτῆς ἐγκρατὴς ἐκκλησίας εἴλετο, καθαιρείσθω· ἀποσιωπήσας τὸν κανόνος τὸ ἑπόμενον καὶ διὰ τοῦτο μόνον αὐτῷ ἀποφηναμένου τὴν καθαίρεσιν.

PRæterea vero & ad Romanum papam, bonæ memoriæ Nicolaum Photius misit: cum quidem ostenderet, Ignatium propter ingravescentem ætatem & corporis infirmitatem ultro abdicasse: & ad dejectionem absolutam hæreseos Eiconomachorum, locum tenentes ab illo mitti plurimum rogavit: Ignatio interim fraudulente condemnationem machinans. Posteaquam vero Rodoaldus & Zacharias Romani episcopi locum tenentes Constantinopolim appulissent; Photius in templo sanctorum & clarissimorum apostolorum Christi, synodo eorum, qui Ignatium deposuerant, convocata, adduci ad eam sacrorum antistitem Ignatium curavit: & septuaginta duobus e plebis fæce falsis testibus productis: iisque qui laici essent, minas promissionibus innectendo persuasis, ut per omnipotentiam Dei jurarent, Ignatium, qui annos undecim, menses quatuor, dies viginti, thronum patriarchæ occupasset, electum nunquam fuisse: recitata etiam conventui recisa cujusdam canonis improbatæ auctoritatis particula, quæ sic habet: Si quis episcopus mundanorum principum usus opera, per eos ecclesiam obtinuerit, deponatur: dissimulato interim eo, quod in canone proxime sequitur: propter istam solam causam, depositionem ei decrevit.

SYNODUS ROMANA NICOLAI.

Ibidem hisce verbis exprimitur.

ΟΠΕΡ μαθὼν ὁ ἁγιώτατος ἐν ἁγίοις πάπας Νικόλαος· ἦ γὰρ λῶν εἰκὸς λαθεῖν τὴν οἰκουμένην, ἔργον κακίας εἰς μέσον γενόμενον· τοὺς οἰκείους τοποτηρητὰς ἀκριβῶς ἀνακρίνας, καὶ ἀπὸ τῶν σωμάτων αὐτῶν δωροληπτοῦντας εὑρόμενος, καθαιρέσει διηνεκεῖ Ροδόαλδον καὶ Ζαχαρίαν ὑπέβαλεν· καὶ θείαν καὶ ἱερὰν συνόδου ποιησάμενος Φώτιον ὡς μοιχὸν ἀναθεματίζει καὶ ἐπιβήτορα· τὰ εἰς αὐτὸν καὶ ὑπ' αὐτοῦ πραχθέντα ὁρισάμενος μηδενὶ ἀποδεκτὰ, καὶ ἀφορισμὸν τοῖς αὐτῷ κοινωνοῦσι Μιχαὴλ ἀποστειλάμενος αὐτοκράτορι, ἄρχουσί τε καὶ ἄρχουσι, καὶ τοῖς λοιποῖς ὁσίοις πατριάρχαις διεπέμψε.

QUod cum sanctus papa Nicolaus percepisset: neque enim latere poterat orbem tantum maleficium publice commissum: in locum tenentes suos accurata inquisitione facta, cum ex propria eorum confessione reperisset, munera ipsos accepisse, perpetuæ depositioni Rodoaldum & Zachariam subjecit: divinaque & sacra congregata synodo, Photium, ut adulterum & invasorem, anathemate notavit, quæque ab eo & sub eo acta essent, minime recipienda esse definivit: quin & omnibus, qui ei communicarent, Michaeli ipsi imperatori, subditis, principibus, & reliquis sanctis patriarchis, depositionem denunciavit.

CON-

1 Hæc habita anno 861. de qua infra.
2 Hæc habita anno Chr. 862. de qua infra.

ANNO CHRISTI 858.

CONCILIUM SUESSIONENSE

ANNO CHRISTI 858.

Jussu Ludovici Regis Transrhenani indictum. Anno Christi DCCCLVIII.

Ex Labbei Append. to. VIII.

LUdovicus Rex Germaniæ, Caroli Calvi frater, in Gallicam cum exercitu venit, ipsoque fugato magnam ejus regni partem invasit. Quo vero tempore illic moratus est, duo egit; placitum scilicet, ac synodum; illud Remis, hanc autem Suessione: de quibus Flodoardus lib. III. cap. 21. inter Epistolas Hincmari Remensis ad Theodoricum Cameracensem. Item, inquit, de adventu Ludovici Transrhenensis, quia Remis venerit. & quid egerit, quidve præceperit. *Hoc autem discere est tum ex episcoporum epistola, e synodo apud Carisiacum missa ad eumdem Ludovicum, cap. 1. ubi mentio fit placiti, tum etiam ex eodem Flodoardi lib. III. cap. 23. sic* A *de Hincmaro:* episcopis ad synodum Suessionis ex jussione Ludovici Transrhenensis convenientibus legatum suum sacerdotem quemdam dirigens, & pro infirmitatis impossibilitate semet excusans, quicquid favente Domino secundum canonicam institutionem & episcopale ministerium juste & rationabiliter, æquitate dictante, decreverint, eorum decretis se annuere profitens; quicquid vero sacris canonibus poterit obviare, & a recta fide ac æquitate & justitiæ tramite valuerit deviare, se in nullo assensum præbere, nec ut idem vicarius ejus assensum præbeat vel coactus, annuere. B

EPISTOLA EPISCOPORUM E SYNODO APUD CARISIACUM MISSA

Ad Ludovicum regem Germaniæ. Cum is ad occupandum Caroli fratris sui regnum seditiosorum impulsu venisset.

Hæc quæ sequuntur capitula miserunt episcopi provinciarum Rhemensis & Rotomagensis a Carisiaco palatio, quo convenerant, per Vvenilonem Rotomagensem archiepiscopum & Erchanraum Catalaunensem episcopum, Hludouvico regi in Attiniaco palatio consistenti, anno incarnationis dominicæ DCCCLVIII. in mense Novembrio.

Ex editione P. Sirmondi.

TITULI CAPITULORUM.

I. *Excusant cur ad conventum Remensem venire non potuerint.*
II. *Queruntur quod eorum monitis & consiliis hactenus non parucrit.*
III. *Quod sæpius illum ad ineundam cum fratre concordiam hortati sint.*
IV. *Ut consideret cur in fratris regnum venerit, & utrum talia sustinere velit qualia facit.*
V. *De iis quæ crudeliter & impie qua transibat fiebant, ut ea prohibeat & compescat.*
VI. *Ut contra Paganos potius arma convertat, & eos qui ab illis fugiunt, vexari a suis non sinat.*
VII. *Ut privilegia & immunitates ecclesiarum conservet, rectoresque illarum non inquietet, nec possessiones diripi permittat.*
VIII. *Ut monasteria laicis a Carolo concessa religiosis personis restituat.*
IX. *Ut rectores monasteriorum sollicite provideant, ut servi & ancillæ Dei secundum ordinem vivant.*
X. *Ut hospitalia peregrinorum ad hoc ad quod deputata sunt, episcoporum consilio a rectoribus suis administrentur.*
XI. *Quod regem ita vitam instituere conveniat, ut omnibus sit exemplo.*
XII. *Quomodo domesticos regere, quid Deo, quid subditis reddere; & quales palatii ac reipublicæ ministros constituere debeat.*
XIII. *Ut eos qui propter has seditiones excommunicati sunt, ad ecclesiæ pacem revocare studeat.*
XIV. *Judices villarum regiarum quales constituendi sint.*
XV. *Ut synodus episcoporum regni exigatur, in qua quid* C *facto ipsis opus sit deliberent. Quanta reverentia regibus debeatur: & quod episcopi ad sacramenta adigendi non sint.*

CAPITULA.

I.

Domino Hludouvico regi glorioso episcopi Rhemorum diœceseos atque Rothomagensis, qui adesse potuimus.

LItteras dominationis. &c. *Extat in to. II. Capitular. Baluz. pag.* 101. Citantur Capitula Hincmari Suessionensis & Capit. Caroli Calvi.

Nota Jacobi Sirmondi S. J.

D

1 *Epistola episcoporum.*) Prodiit inter Caroli Calvi capitula tit. XXIII. Missam autem e synodo fuisse testatur Hincmarus ad Carolum regem: *Nolite*, inquit, *negligere illa capitula, quæ synodus de Carisiaco per Vvenilonem & Erchanraum transmisit ad hunc Attiniacum præterito anno Hludouvico fratri vestro, & me transmittente Hincmarus filius meus vobis dedit, quando vobiscum in Burgundia fuit. Sed relegite illa diligenter, quia mihi credite plus pro vobis, quam pro illo fact. fuerunt.*

Ejusdem P. SIRMONDI Notæ uberiores.

2 *In mense Novembrio.*) &c. *Extant in Capitular. Baluz. to. II. pag.* 778.

TURONENSIS SYNODUS,

In quo canonum collectio data est ab Herardo archiepiscopo, Anno 858.

Ex Suppl. Mansi to. 1. pag. 980.

AUctor fragmenti historiæ Britanniæ Armoricæ, vulgatus in Anecdotis P. Martene vol. 3. pag. 842. *scribit:* Constituit dominus Herardus in Turonica sede *generalem synodum VII. Calendas* (lege XVII. Calendas ut infra) Junii, in qua quædam sanctorum canonum capitula excerpsit, atque firmiter custodienda sanxit. *Hujus collectionis exordium ex veteri Redonensi codice extat in Gallia Christiana tom. I. pag* 744. *quod huc transfero:* E

In nomine Dei solius. Ego Herardus immerito Turonensium pontifex anno Incarnat. Dominicæ 858. ordinationis quoque nostræ III. indict. VI. cernens ecclesiam mihi commissam partim negligentia, tempore, vel desidia, partim præsiden-

ANNO CHRISTI 858

dentium incuria Sacerdotum, atque ignavia, variis & innumeris cladibus affici, excidiis concuti, & quod dictu actuque gravius fore comperimus, diversis animarum laqueis, ac quotidianis erroribus deperire instinctu, ut credimus, miserationis supernæ per paucula, eaque admodum necessaria, sacrarum admonitionum collecta capitula, Sacerdotum totius nobis creditæ parœciæ generali in urbe sedis nostræ coadunata 17. Kal. Junii Synodo, publice recitari, & ut ad omnium præsentium notitiam, & intelligentiam pervenire valerent, coram cunctis perlegi fecimus, & revolvi. Et quoniam auctoritas sacra canonum nulli Sacerdotum canones ignorare permittit, ne quemquam in reliquo nobis commissorum hujus ordinis expertem noverimus canonum, decrevimus, pariterque injunximus, excerpta per nostri laboris studium hæc modica succinctaque capitula unumquemque habere in posterum.

ANNO CHRISTI 858.

SYNODUS MOGUNTINA,

In qua Abbo quidam reus incestarum nuptiarum damnatur,

Anno circiter 858. habita

dem.

VEnetus Labbei editor epistolam Nicolai I. papæ ad Carolum Moguntinum archiepiscopum ejusque suffraganeos in collectione monumentorum Marteniana nactus, assignandam illam censuit conciiio Moguntino, quod ex vetustis Francorum annalibus anno 857. Octobri mense ineunte celebratum fuisse constat. Verum Moguntinum concilium ab eo plane diversum quod anno 857. Octobri mense convenit, in eadem epistola designari, penes me certum est. Profecto Moguntinum concilium anni 857. Benedicto papa adhuc in vivis agente, quique dein ad alios sex menses vitam protogavit, celebratum est. Cur ergo ejus synodica ad Nicolaum papam, & non potius ad eundem Benedictum directa fuerit? Si vero hanc synodicam Patres ad Benedictum miserunt; cur Nicolaus in sua illa epistola nihil quidquam dixerit de epistola ad Benedictum directa, cujus vice ipse primum responderit? Quin & idem pontifex Nicolaus non obscure significat ad se quidem eam synodicam directam fuisse, cum patres illos certiores reddat, nequaquam a se scriptam epistolam quandam, quam Grimoldus quidam abbas, velut ab ipso Nicolao receptam, patribus ejusdem concilii exhibuit. *Epistola vero, quam vobis, quasi a nobis missam, Grimoldus obtulit abbas, nunquam nostro est scrinio scripta, neque a nobis edita.* Addit insuper in eadem epistola probare se eorum studium, quod *secundum nostræ institutionis deliberationem Synodali examinatione inquirere studuistis*, num reipsa Abbo conjugem sibi feminam quarto necessitudinis gradu conjunctam duxisset. Ex quibus demonstrari arbitror Nicolaum aliquandiu ante concilii celebrationem per literas suas admonuisse Carolum archiepiscopum, ut synodo coacta de nuptiis illis inquireret; ex quo liquido constat aliquandiu post Nicolai assumptionem concilium illud convenisse. Quid vero in hoc secundo Moguntino concilio actum sit, ex eadem Nicolai epistola in collectione Veneto-Labbeana tom. XV. col. 141. legenda, & ex iis quæ de incestis Abbonis nuptiis attigi, planum est.

ANNO CHRISTI 859.

CONCILIUM METENSE[1]

DE INDULGENTIA LUDOVICI REGIS.

Hæc capitula tractata & confirmata sunt ab episcopis in synodo habita apud Mettis civitatem de indulgentia Hludouvici regis, pro seditione & excessibus in regno fratris sui Caroli perpetratis.

editione Sirmondi.

Commonitorium episcopis ad Ludovicum regem legatis a synodo Metensi.

Dilectus in Christo &c. *Extat in Baluz. tom. II. pag. 121.*

Nota Jacobi Sirmondi S. J.

1 *Concilium Metense.*) Capitulorum Caroli Calvi titulo XXIV. Habitum est paullo post discessum Ludovici regis, qui sub initium veris, ut est in annalibus Pithœanis DCCCLIX. de Gallia rediens Vormatiæ substiterat. Itaque Vormatiæ illum convenere legati a concilio missi.

Ejusdem P. SIRMONDI Notæ uberiores.

a *De indulgentia Ludovici.*) &c. *Extant in Capitul. Baluz. to. II. pag. 780.*

CONCILIUM LINGONENSE

IN ANDEMANTUNNO LINGONUM

A Remigio Lugdunensi, Agilmaro Viennensi, Ebbone Gratianopolitano, & aliis episcopis, præsente Carolo eorum rege circa Kalendas Junias celebratum, anno Christi DCCCLIX.

HEX *Tullensi apud Saponarias synodo, quæ mox sequitur, constat paucis ante illam diebus habitam apud Lingonas fuisse synodum alteram ab episcopis regni Caroli minoris, fratris Lotharii, conditosque in ea canones seu capitula num.* XVI. *quæ postmodum in eadem apud Saponarias synodo relecta, illiusque actis inserta sint. Quamquam ergo synodi Lingonensis, ejusque canonum hic locus erat, si ordo spectetur, satius tamen visum est hos a synodo Tullensi, cujus beneficio ad nos pervenerunt, minime divelli.*

vellis. *Quare inter ejus acta proferentur. Nunc satis* ANNO CHRISTI 859. *sit monere, de hisce Lingonenſibus capitulis accipienda illa eſſe, quæ Flodoardus ex Hincmari ad Carolum Calvum regem epiſtola refert lib.* III. *hiſt. cap.* XVI. Quæ capitula, *inquit*, in conventu epiſcoporum habito in territorio Tullenſi, in villa quæ dicitur Saponarias, ante biduum quam vobis porrecta fuerint, ſunt recitata, proferente & deponente ea ſynodo domno Remigio Lugdunenſium archiepiſcopo: quæ, ſicut dixit, & in epigrammate eorumdem capitulorum continetur, in hoc ipſo anno, in Kalendis nihilo minus ibidem deſcriptis, & in ſuburbio Lingonicæ urbis, ad inſtructionem dominici populi ipſe & comprovinciales epiſcopi ediderunt.

Hæc Sirmondus noſter de ſynodo Lingonenſi, cujus nos locum, diem, menſemque mox deſignabimus.

CONCILIUM IN LINGONENSI

Territorio in Abbatia Sanctorum Tergeminorum Speuſippi, Eleuſippi, & Meleuſippi XIII. Kal. Maji, ind. VII. Caroli Calvi Francorum regi XIX.

Illius ſynodalis celebritatis habetur mentio in diplomate ſeu literis Jonæ epiſcopi Æduenſis ſuper donatione Simponiaci villæ facta canonicis ſuæ eccleſiæ, quas in lucem emiſit ex archivis eccleſiæ Auguſtodunenſis R. P. Claudius Perry S. J. pag. 30. *probationum hiſtoriæ Cabilonenſis.*

JOnas ſuperna permittente clementia Æduorum epiſcopus, ſedulo perpendens mortales Deo ſervire diu non poſſe ſine terrenarum rerum adminiculo, atque paſtoris eſſe officium gregibus ſibi creditis geminam impendere paſtionem, ſpiritualem videlicet & carnalem, quia dum carnalis impenditur, ſpiritualis uberius creſcit, adhibito presbyterorum diaconorum & ſequentis ordinis ejuſdem eccleſiæ conſenſu ob divini cultus amorem A ſuperaddere ſtuduit quæ ratio dictavit atque neceſſaria fore exiſtimavit. Quare licet jam antea quædam res ad canonicorum victum adminiſtrandum a prædeceſſoribus eſſent collatæ, quia tamen pro quantitate ſui & itineris longioris difficultate quotidiani victus ſæpe penuriam paterentur canonici, Simponiacum villam indominicatam cum omni integritate ſua ad quotidianum eorum potum adminiſtrandum conceſſit, beneficium ſuperaddens quod ex eodem fundo Ragopedus habebat, ut idem prædium cum omnibus ad ſe pertinentibus ipſorum uſibus in omnibus deſerviret, quatenus ad ſupplementum ſuum ſuffulti in Chriſti militia devotiores exiſtant, nec ſolum pro principibus, ut ſanctus Leodegarius inſtituit, ſed pro B rectoribus totius eccleſiæ & univerſo grege jugiter divinam exorent miſericordiam: & quia ſæpiſſime evenire ſolet, ut quæ pie & devote ad divini cultus honorem ordinantur occaſione multifaria convelluntur, neceſſarium judicavi privilegium illud auctoritate pontificali firmandum, quatenus de ſupradictis vobis occaſione qualibet nihil a ſucceſſoribus auferatur, aut pro eiſdem aliquid terreni ſervitii aut muneris exigatur. Actum in territorio Lingonenſi in abbatia ſanctorum geminorum Speuſippi, Eleuſippi, & Meleuſippi, XIII. Kal. Maji XVIII. Caroli glorioſiſſimi regis, indictione VII.

Teſtes adfuerunt infra ſcripti, quos ſynodalis celebritas convocarat: Remigius * Gratianopolitanus, Godeſcaldus * Cabilonenſis, Grundicus C Matiſcenſis, Albamauro Genevenſis, Remigius Dienſis, Ratherus Valentinenſis, Ebrardus chorepiſcopus, Bernardus abbas Melindenſis.

Chartam confirmavit Carolus Ludovici Auguſti filius, Caroli item Auguſti nepos, Tuſſiaci XVIII. Kal. Julii eodem anno quo facta eſt. Confirmavit item Joannes pontifex procurante Hervæo Hermingardis comitiſſæ Cabillonenſis filio epiſcopo Æduenſi.

ANNO CHRISTI 859.

* *Tuto verba, dunenſis bo.*

* *al.* Godeſa *ſadus ſ* Godeſa

CONCILIUM TULLENSE I.

APUD SAPONARIAS.

Quod ab epiſcopis duodecim provinciarum, aſſidentibus Carolo Calvo, ejuſque nepotibus [2] Lothario & Carolo regibus, celebratum eſt in ſuburbano Tullenſi, villa Saponarias, menſe Junio, indictione VII. hoc eſt anno Chriſti DCCCLIX. Nicolai papæ anno II. Caroli Calvi ejuſdem XIX. nepotum fratrum IV.

Ex editione P. Sirmondi.

INDEX OMNIUM EORUM QUÆ D IN HAC SYNODO CONTINENTUR.

I. *Canones ſeu capitula* XIII. *de iis quæ in hac ſynodo geſta ſunt.*
II. *Libellus proclamationis Caroli regis adverſus Vvenilonem archiepiſcopum Senonenſem.* (a)
III. *Epiſtola ſynodalis ad Vvenilonem archiepiſcopum.*
IV. *Epiſtola ſynodi ad epiſcopos Britonum, qui a metropolitano ſuo deſciverant.*
V. *Epiſtola ſynodi ad Britones excommunicatos.*
VI. *Decreta ſynodi Lingonenſis oblata & relecta in ſynodo Tullenſi.* E

I.

CANONES SEU CAPITULA XIII.

De iis quæ in hac ſynodo geſta ſunt.

TITULI CANONUM.

I. *De concordia inter fratres Ludovicum & Carolum reges reformanda.*
II. *Ut epiſcopi mutuo ſe conſilio & auxilio adjuvent, & ſynodos frequentent.*
III. *De ſtabili unione principum Caroli & Lotharii atque Caroli regum.*
IV. *De Tortoldo diacono, qui epiſcopalem poteſtatem in Bajocenſium urbe occuparat.*
V. *De Anſcario ſubdiacono, qui Lingonum ſedem vivo ejus epiſcopo pervaſerat.*

VI.

(a) In hoc libello cap. I. Extat vox *Olitana* ad quam hanc notam lego in Labbeo: *Olitana id eſt olim atque antiquitus recepta, non abolita aut exoleta, ne quis ſibi fingat localem aliquam conſuetudinem, quod in editione Pithœana anni* 1588. *occurrat Olitana.*

VI. *De proclamatione Caroli regis adverſus Vvenilonem archiepiſcopum Senonenſem, qui ab eo defecerat.*

VII. *De Attone Virdunenſium epiſcopo, qui contra regulas eccleſiaſticas provectus dicebatur.*

VIII. *De literis ſynodi ad epiſcopos Britonum, qui a metropolitano ſuo deſciverant, & cum excommunicatis communicabant.*

IX. *De literis ſynodi ad Britones excommunicatos, quibus, niſi ſe corrigant, anathema intentatum.*

X. *De capitulis quibuſdam in ſynodo relectis, de quibus inter quoſdam epiſcopos erat controverſia.*

XI. *De conſervando privilegio monaſterii ſancti Benedicti.*

XII. *De aliis quæ ſpecialius in eadem ſynodo ſtatuta ſunt.*

XIII. *De precibus, quas inter ſe condixerunt epiſcopi, qui ad hoc concilium convenerant.*

HÆC VENTILATA, DEFINITA, ATQUE obtenta ſunt in ſynodo XII. *provinciarum, quæ habita eſt anno incarnationis dominicæ* DCCCLIX. *indictione* VII. *in territorio* * *Tullenſi, ſub principibus Carolo, Lothario, & item Carolo.*

I.

Ut caritas fraterna &c. *Extat Capitul. Baluz. tom. II. pag.* 129.

III.

EPISTOLA SYNODALIS AD VVENILONEM

ARCHIEPISCOPUM.

*DILECTO ET VENERABILI VVENILONI Senonum metropolitano, Remigius Lugdunenſium metropolitanus epiſcopus, Rodulfus Biturigum metropolitanus epiſcopus, Gunthbarius Agrippinenſium metropolitanus epiſcopus, Hincmarus Rhemorum metropolitanus epiſcopus, Arduicus Veſontionum metropolitanus epiſcopus, Teutgaudus Treverorum metropolitanus epiſcopus, Vvenilo Rotomagenſium metropolitanus epiſcopus, Herardus Turonum metropolitanus epiſcopus, Immo Noviomagorum epiſcopus, Jonas Æduorum epiſcopus Ungerus Trajectenſis epiſcopus, Ebbo Gratianopolitanus epiſcopus, Fredebertus Baſilienſis epiſcopus, Arnulfus Tullenſis epiſcopus, Rothadus Sueſſionum epiſcopus, Ermenfridus Bellovacenſis epiſcopus, Adventius Metenſis epiſcopus, Atto Virdunenſis epiſcopus, Abbo Autiſiodorenſis epiſcopus, Æneas Pariſii epiſcopus, Rataldus * Argentarienſis epiſcopus, Erpuinus Silvanectenſium epiſcopus, Gislebertus Carnotenſis epiſcopus, Guntbertus Ebrocenſis epiſcopus, Ratbertus Valentinenſis epiſcopus, Franco Tungrenſis epiſcopus, Agius Aurelianorum epiſcopus, Hildegarius Meldenſis epiſcopus, Hincmarus Laudunenſis epiſcopus, Erchanraus Catalaunenſis epiſcopus, Rotbertus Cenomanenſis epiſcopus, Erloinus Conſtantiæ epiſcopus, Abbo Maurogenſis epiſcopus, Hildebrandus Sagenſis epiſcopus, Airardus Lexovienſis epiſcopus, Vvaltbertus Abrincatenſis epiſcopus, Godelſadus Cabilonenſis epiſcopus, Iſaac Lingonenſis epiſcopus, Erchambertus * Bajocacenſis epiſcopus, Hilmerardus Ambianenſis epiſcopus, & multi alii epiſcopi, qui ad univerſale concilium in ſuburbano Tullenſi convenerunt, in Domino ſalutem.*

DE inſtauratione pacis totiuſque ſtatus eccleſiaſtici redintegratione conferentibus nobis, glorioſus rex domnus noſter Carolus XVIII. Kalendas Julias ſubmiſſe unanimitatem noſtram adiit implorans, ut quæ a vobis vehementer indebite paſſus eſſet cognoſceremus, & maculam noſtri ordinis juſto judicio tergeremus. Imputat, quod cum jurejurando fidei a vobis accepto Senonum præſulatum vobis largitus ſit, & in diviſione regni juramentum cum aliis feceritis pacis & alterni adjutorii inter ſe & fratrem Hludouvicum perpetuitate ſacramento prius a vobis firmata: cumque veſtra electione, & aliorum epiſcoporum, ceterorumque fidelium conſenſu, in regem a vobis ſit divina gratia conſecratus, ac chiroprapho, quod veſtræ fidei qualitatem & immobilitatem erga ſe continet, illius vero in vos firmam benevolentiam, ad omnes ſiniſtras ſuſpiciones utrimque abolendas compoſito ſubſcripſeritis, quod omnes abſque recuſatione fecerunt dumtaxat fideles. Poſt repetita toties ſacramenta, in procinctu contra Paganos veſtro eum veſtrorumque deſtitueritis auxilio, & Hludouvico fratri, impulſu ſeditioſorum regnum invadenti, ſoli omnium epiſcoporum ſponte accedentes, ejus injuſſu fueritis collocuti. Se vero contra eumdem fratrem, & vaſtatores patriæ proficiſcentem, conſueta eccleſiæ veſtræ privaveritis militia, quam ſupplex ipſe a vobis popoſcerat & poſt diſceſſum a Breona, ad fratrem, cum quo erant excommunicati, in ejus damnum acceſſeritis, & in eo concilio fueritis, quo Lotharius rex nepos confictis mendaciis ejus auxilio ſubtrahebatur: & familiariter interfueritis Hludouvici fratris conſiliis publicis & privatis, quibus ei partem regni parabat ſubripere, pro qua obtinenda uterque veſtrum ei juraverat. Ei quoque, in quo tractabatur, ut epiſcopi a ſe deficerent, & ad dominationem Hludouvici tranſirent. Imputat præterea, quod monaſterium ſanctæ Columbæ a Hludouvico impetraveritis, & de aſſignatione ejus litteras ad miſſos Echardum & Theodoricum. Saxa quoque muri Melodunenſis caſtelli a Hludouvico popoſceritis: unde ſatis clarueret eum potius principem, quam ſe illo vos tempore approbaſſe atque duxiſſe. Quod id etiam conſilium dederitis, ut fideles ejus ſacramento conſtringerentur, quo occupatum regnum Hludouvico contra ſe tuerentur: & quod vacantem ſedem Bajocacenſium Tortoldo propinquo veſtro a Hludouvico obtinueritis; & poſtquam ſe virtus divina annuſu fidelium in regnum reſtituerit, & id adverſus fratrem ſibi cœperit vindicare, nullum ei per vos, aut militares eccleſiæ veſtræ, præſtiteritis ſuffragium. Hæc plenius in libello comprehenſa glorioſus rex nobis obtulit, quæ ſtrictim vobis fide integra expreſſimus, ne ex improviſo objecta amplius perturbarent. Elegit autem terminandæ querelæ judices me Remigium, & VVenilonem Rotomagenſium, & Herardum Turonum, & Rodulfum Biturigum epiſcopos, ceteris noſtrum judicium ſuo conſenſu approbaturis. Proinde, frater cariſſime, a tempore quo litteras has acceperis, poſt diem XXX. quocumque evocatus fueris, ita canonice inſtructus occurre, ut defenſionis tempore ac loco accepto, ſi conſcientiæ, quod plurimum optamus, confidis, ſuffragante veritate probabiliter objecta diſſolvas: ſin autem in defenſione defeceris, ſententias a majoribus inſtitutas excipias.

Accuſatus epiſcopus quemadmodum ſit evocandus, ex concilio Carthaginenſi cap. XIX.

Aurelius epiſcopus dixit: Quiſquis epiſcoporum accuſatur, ad primatem provinciæ ipſius cauſſam deferat accuſator: nec a communione ſuſpendatur cui crimen intenditur, niſi ad cauſſam ſuam dicendam electorum judicum die ſtatuta litteris evocatus minime occurrerit, hoc eſt infra ſpatium menſis, ex ea die qua eum litteras accepiſſe conſtiterit. Quod ſi aliquis veras neceſſitatis cauſſas pro-

probaverit, quibus eum occurrere non potuiſſe manifeſtum ſit, cauſſæ ſuæ dicendæ intra alterum menſem integram habeat facultatem; verum tamdiu poſt menſem ſecundum non communicet, donec purgetur. Sin autem nec ad concilium univerſale anniverſarium occurrere voluerit, ut vel ibi cauſſa ejus terminetur, ipſe in ſe damnationis ſuæ ſententiam dixiſſe judicetur. Tempore ſane quo non communicat, nec in ſua eccleſia vel parochia communicet. Accuſator autem ejus, ſi nunquam diebus cauſſæ dicendæ defuerit, a communione non removeatur. Si vero aliquando defuerit ſubtrahens ſe, reſtituto in communionem epiſcopo, ipſe removeatur a communione accuſator: ita tamen ut nec ipſi adimatur facultas cauſſæ peragendæ, ſi ſe ad diem occurrere voluiſſe, ſed non potuiſſe probaverit. Illud vero placuit, ut cum agere cœperit in epiſcoporum judicio, ſi fuerit accuſatoris perſona culpabilis, ad arguendum non admittatur, niſi proprias cauſſas, non tamen eccleſiaſticas, aſſerere voluerit.

ANNO CHRISTI 859.

4. q. 6. Illud vero placuit.

Objectio. In tua conſpiratione vita mea periclitata eſt: & niſi mihi Dei pietas ſubveniſſet, etiam viventi fœda regni accidiſſet amiſſio. Primo ex conciilio Carthaginenſi quærendum eſt in judicio, cujus ſint converſationis & fidei is qui accuſat, & is qui accuſatur. Deinde oſtendendum canonice inſtructam cognitionem. *Ex concilio eodem*. Felix epiſcopus dixit: Suggero ſecundum ſtatuta veterum conciliorum, ut ſi quis epiſcopus, quod non optamus, reatum aliquem incurrerit, & fuerit ei nimia neceſſitas non poſſe plurimos congregare, ne in crimine remaneat, a XII. epiſcopis, presbyter a VI. epiſcopis cum proprio ſuo epiſcopo audiatur, & diaconus a III. Tum niſi efficax ei occurrat defenſio, inferendum judicium. *Ex concilio Chalcedonenſi cap.* XVIII. Conjurationis vel conſpirationis crimen & ab exteris legibus eſt omnino prohibitum: multo magis hoc in Dei eccleſia ne fiat admonere conveniet. Si qui ergo clerici vel monachi reperti fuerint conjurantes, aut conſpirantes, aut inſidias ponentes epiſcopis aut clericis, gradu proprio penitus abjiciantur.

Cap. 22.

11. q. 1. Si qui clerici.

Objectio. Celebraſti miſſas excommunicatis præter conſenſum epiſcoporum, qui eos propter crimina ab eccleſia removerunt. Item, niſi probabilis reddatur defenſio, ſequitur judicium. *Ex concilio Carthaginenſi cap.* IX. Auguſtinus epiſcopus dixit: Hoc ſtatuere dignamini, ut ſi qui forte merito facinorum ſuorum ab eccleſia pulſi ſunt, & ſive ab aliquo epiſcopo, vel presbytero, fuerint in communionem ſuſcepti, etiam ipſe cum eis pari crimine teneatur obnoxius, refugiens ſui epiſcopi regulare judicium. Ab univerſis epiſcopis dictum eſt. Omnibus placet.

Objectio. Sacramenta in cauſſis, quæ tibi opponuntur, ſæpiſſime violaſti. Niſi protexerit recipienda defenſio, ſequitur judicium. *Ex decretis papæ Gelaſii*. Comperimus etiam horrendis quibuſdam criminibus implicatos, tota diſcretione ſummota, non ſolum de factis atrocibus neceſſariam pœnitudinem non habere, ſed nec aliqua correctione penitus ſuccedente ad divinum miniſterium honoremque conſcendere. Nonnullos autem in ipſis ordinibus conſtitutos, gravibus delinquentes facinoribus non repelli, cum & apoſtolus clamet, nemini cito manus imponendas, nec communicandum peccatis alienis, & majorum veneranda conſtituta pronuntient, hujuſmodi, etiam ſi forte ſubrepſerint, tam qui ante peccaverunt, detectos oportere depelli, quam ſacræ profeſſionis oblitos, prævaricatores ſancti propoſiti procul dubio ſummovendos. DE ACCUSATO ET ACCUSATORE. *Ex concilio Carthaginenſi*.

Cap. 18.

Can. 30.

Item placuit, ut accuſatus vel accuſator in eo loco, unde eſt ille qui accuſatur, ſi metuit aliquam vim temerariæ multitudinis, locum ſibi eligat proximum, quo non ſit difficile teſtes perducere, ubi cauſſa finiatur. DE CONTEMPTU JUDICII. *Ex epiſtola papæ Bonifacii*. Probat vera eſſe illa quæ adverſum ſe dicta ſunt, qui ad ea confutanda adeſſe minime vult: & nullus dubitat, quod ita judicium nocens ſubterfugit, quemadmodum ut abſolvatur qui eſt innocens quærit. Sed aſtuta cavillatio eorum, qui verſutis agendum credunt eſſe conſiliis, nunquam innocentiæ nomen accipiet. Confitetur enim de omnibus, quiſquis ſe ſubterfugere judicium dilationibus putat. Veniet tamen aliquando ille, qui talis perhibetur, in medium: nec proderit illi toties latuiſſe, toties ſubterfugiſſe, quem ſui actus & commiſſa, quocumque fugerit, ea quæ objiciuntur illi, ſi vera ſunt, crimina proſequuntur. Ut ſi adeſſe voluerit, præſens, ſi confidit, ad objecta reſpondeat: ſi vero adeſſe neglexerit, dilationem ſententiæ de abſentia non lucretur. Nam manifeſtum eſt confiteri eum de crimine, qui indulto & toties delegato judicio, purgandi ſe occaſione non utitur. Nihil enim intereſt, utrum in præſenti examine omnia quæ dicta ſunt comprobentur, cum ipſa quoque pro confeſſione procurata toties conſtet abſentia. *Concilium Sardicenſe*. Gaudentius epiſcopus dixit: Addendum ſi placet huic ſententiæ, quam plenam ſanctitate protuliſti, ut cum aliquis epiſcopus depoſitus fuerit eorum epiſcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum ſibi negotium in urbe Roma, alter epiſcopus in ejus cathedra poſt appellationem ejus, qui videtur eſſe depoſitus, omnino non ordinetur, niſi cauſſa fuerit in judicio epiſcopi Romani determinata. *Ex concilio Toletano*. Dignum eſt, ut vita innocens nulla maculetur pernicie accuſatoris. Ideo quiſquis a quolibet criminatur, non ante accuſatus ſupplicio detur, quam accuſator præſentetur, atque legum & canonum ſententia exquiratur. Quod ſi indigna ad accuſandum perſona invenitur, ad ejus accuſationem non judicetur, niſi ubi pro capite regiæ majeſtatis cauſſa verſatur.

Epiſt. 1 epiſcop Galliæ

Cap. 4

Concil. let. IV 11.

Auctor annalium Bertinianorum ad an. 859. Karlus rex per diverſa loca conventus epiſcoporum agit. Sed quarto a Tullo Leucorum milliario in villa Saponarias cum Lothario & Karlo nepotibus ſuis regibus ſynodo epiſcoporum adſiſtens libellum accuſationis adverſus Guanilonem Agedinci Senonum metropolitanum epiſcopum porrigit. Quæ tamen actio propter abſentiam ejuſdem Guanilonis epiſcopi dilata eſt. *Tum paullo poſt*. Guanilo epiſcopus Senonum abſque audientia epiſcoporum Karolo regi reconciliatur.

IV.

EPISTOLA SYNODI AD EPISCOPOS Britonum, qui a metropolitano ſuo deſciverant, & cum excommunicatis communicabant.

Ut ſe atque alios ab his exceſſibus revocent, & Salomonem de ſubditis capitibus commoneant.

Synodus univerſalis collecta ex Gallia & Germania in ſuburbio Tullenſi, villa Saponarias, Remigius Lugdunenſium, Vvenilo Rothomagenſium, Herardus Turonum, Rodulfus Biturigum, Hincmarus Rhemorum, Guntharius Agrippinenſium, Arduicus Veſontionis metropolitani epiſcopi, cum multis aliis epiſcopis, Faſtcario, Vvernario, Garurbrio, Felici, in Domino ſalutem.

QUo plura emergunt in populo Dei noxia, & epiſcopali diligentia * recidenda, ad hoc plu-

* MS denda

res & frequentius neceſſe eſt convenire pontifices, A ne miniſterii ſacerdotalis nomen fruſtra comprobentur geſtare. Hac intentione confluximus ad memoratum locum, ut fida collocutione, quid nobis in tantis periculis & tribulationibus agendum ſit, ſollicite quæreremus, & ſancto Spiritu demonſtrante inveniremus. Ad hanc collocutionem vos, præſertim evocatos, non cucurriſſe moleſtius tulimus. Decuerat enim, ut quorum eſt unum officium, par ſtudium probaretur. Sacris inſtituti canonibus non ignoramus, metropolitano veſtro, cariſſimo fratri noſtro Herardo, competentem reverentiam vos debere, ita ut præter ejus præſentiam, aut conſenſum, nullus in regione veſtra canonice poſſit ordinari epiſcopus, nec vos generale aliquid ſine ejus conſenſu poſſe ſancire. De B qua reverentia, ſalubriter a vobis & a gente veſtra metropolitano impendenda, tempore Nomenoii ducis, & reverendiſſimi papæ Leonis, & ſucceſſoris ejus Benedicti, ſcripta docuerunt, & refragantibus apoſtolicæ auctoritati dignam excommunicationis protulerunt ſententiam. Movet etiam nos, quod iis, quos veſter metropolitanus cum aliis epiſcopis, propter diverſa crimina excommunicavit, indifferenter vos communicare comperit. In canonibus autem divinitus inſtitutis ſocii excommunicatorum eorumdem ſententia feriuntur. Proinde monemus ſanctam nobiſque amabilem fraternitatem veſtram, ut ab his exceſſibus ulterius temperetis, & veſtra inſtantia, opitulante Dei gratia, gentem veſtram ad olim tra- C ditæ diſciplinæ ac totius eccleſiaſticæ religionis obſervantiam invitetis, & unanimiter & conſtanter abſque dilatione reducatis. Siquidem etiam illis obſervandum eſt, ne damnatorum illicita ſocietate certam ſententiam damnationis incurrant. Quæ autem a nobis diligentiore tractatu reperta ſunt atque decreta, venerabilis coepiſcopi Herardi relatione diſcetis. Verum, ſi quod non optamus, ab ejuſdem metropolitani ſollicitudine ulterius reſilieritis, & noſtris ex caritate manantibus exhortationibus vos conſtiterit reluctari, miniſterii neceſſitate canonicam in vos cogemur proferre ſententiam. Bene valete, & orate pro nobis.

Indiculus quibus de rebus Salomonem commonere debeant.

Placuit univerſali concilio, ut Salomoni, qui Britannorum tenet regionem, ſuggeratis, ut quæ pro ejus ſalute mandamus obedienter audiat, ſi Deum vult habere propitium, & noſtræ unanimitatis tenere conſortium. Ut permittat totius Britanniæ epiſcopos debitam reverentiam metropolitano inferre. Ut facultates eccleſiaſticas nec ipſe Deo auferat, nec aliis auferre permittat. Ut conſideret quanto animæ ſuæ periculo Britannorum dominationem invaſerit, cum domno noſtro regi Carolo fidelitatem prius juraverit. Ut recordetur gentem Britannorum Francis ab initio fuiſſe ſubjectam, & ſtatutum dependiſſe tributum, ac E per hoc non dedignetur ad nuper omiſſam reverti conſuetudinem. Ut proprietates a parentibus relictas, vel quolibet modo rationabiliter acquiſitas, juſtos poſſeſſores habere permittat. Niſi enim ſe ab hac audacia, & impietate retraxerit, & divina pœnitudine deleverit quod deliquit, noſtræ auctoritatis affectu nobis admonentibus, cito ei Deus uſurpatam auferet poteſtatem, & debitam inferet ultionem. Ut pro diverſis criminibus canonice excommunicatos ne recipiat ſuadete; oſtendentes divino judicio, ſi id præſumpſerit, pari eum vindicta conſtringi.

V

EPISTOLA SYNODI AD BRITONES

PROPTER VARIA SCELERA EXCOMMUNICATOS.

Ut deſiſtant, ne, ſi perſtiterint, anathemati ſubjiciantur.

Univerſalis ſynodus ex diverſis partibus in nomine Domini ad vicinum locum Tullenſi urbi, qui dicitur Saponarias, congregata, utinam bonis filiis, Rotberto, Odoni, Heriveo, Truando, Ingelboldo, Frotmundo, item Heriveo, Magenardo, Cadoloni, & ceteris in veſtra ſocietate conjunctis, ſalutarem converſionem.

PRopter diſſenſiones, & diverſas contentiones, quæ in veſtris regionibus exortæ ſunt, longum tempus eſt quod voluimus venire in unum, & dolorem noſtrum oſtendere: quod propter veſtram omnium perverſitatem talem vindictam ponit Deus ſuper nos, qualis non eſt audita ante nos, poſtquam Deus ſua gratia poteſtatem dedit regibus & genti Francorum. Ipſe Deus nos in unum ad hoc adduxit, ut vel flagellati diverſis tribulationibus recogitemus peccata noſtra, ut nos primum convertamur ad ipſum, & alios ad eum noſtra prædicatione & exemplo adducamus. Et oramus omnes cum gemitu, & nimio dolore, & qui poſſumus cum lacrymis, ut reſpiciat nos ultimos ſervos ſuos ad ſe volentes redire, & dignetur nobis præſtare, ut quod aliis prædicamus, ipſi quoque faciamus; quia ſic dicit ipſe Salvator noſter: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum.* Matth. 7. Hæc eſt noſtra intentio. Vos nolite attendere, quod reprehenſibiles ſumus: ſed quod miniſtri Dei ſumus. In his quæ bene vobis dicimus audite Dominum, præcipientem: *Quæ dicunt facite.* Matth. 23. In his quæ male facimus, audite iterum ipſum præcipientem: *Quæ faciunt facere nolite.* Doctrina enim Dei a nobis indignis bene vobis annuntiata, ſi obedieD ritis, vobis proderit, quaſi ex beato Petro principe apoſtolorum eam audieritis, & erit vobis ſalvatio: nobis autem, ſi non obſervaverimus quod aliis præcipimus, erit damnatio. In commune deſeruimus cultum Dei. Quidam ex nobis mandata Dei, & minas ejus, atque promiſſiones cognoſcimus, ſed non timemus, neque amamus: quidam neque cognoſcere dignamur, & utrique ſumus magno periculo, niſi convertamur, antequam moriamur. Mors noſtra incerta eſt unicuique noſtrum, & certa eſt vindicta Dei, & in proximo, niſi converſio & pœnitentia nobis ſubvenerit. Propterea nos humiliamus, licet omnes tales non ſimus, ut vos nobiſcum ad Dominum attrahamus. Fratres, audite & intelligite quid E Deus dicat omnibus ſuis fidelibus: *Vigilate, quia neſcitis diem, neque horam.* Matth. 25. Quod propterea dicit, ut ſuſpectam ſemper habeamus mortem, quam effugere non valemus, & ad eam vincendam ſemper præparemur, quam ſcimus nulli eſſe præcognitam, & omnibus adventuram. Peccata noſtra quotidiana ſunt, unde quotidie dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra*: Matth. 6. ſed non debent eſſe mortifera, id eſt criminalia, de quibus dicitur per prophetam: *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur:* Ezech. 18. & per apoſtolum Paulum: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Galat. 5. Fratres & filii, audite nos nunc pie monentes, ne in judicio Dei, quando non erit pœnitentiæ locus, audiatis, quod

ANNO CHRISTI 859.

ipse Deus avertat, juste & veraciter accusantes. Primo cognoscite, quia in discordia estis, & discordia tam grande est malum, quod oblatio, quæ solet alia peccata delere, non recipitur a Deo, donec discordia deponatur, & ad bonam concordiam redeatur. Hoc vobis notum est ex evangelio. Etiam sapientes mundi intellexerunt, & bene docuerunt, quia parvæ res per concordiam crescunt, & maximæ res per discordiam corruunt. Quod verum esse probatur in nobis, qui regnum Francorum, cum in concordia esset, magnum vidimus, & nunc cum est in discordia, jam pene nullum videmus. Carissimi, videte ne de tanto malo vos sitis capita, ne pro eo cogamini debita sustinere tormenta. Deus dicit in evangelio: *Quisquis scandalizat unum ex pusillis, melius erat ei, ut alligata mola mergeretur in profundum maris.* Vos scandalizatis innumerabilem multitudinem. In quanto & in quam incomparabili estis periculo, & judicio Dei, qui alios inquietatis & opprimitis? In præsenti vita non habetis quietem, nec ullam securitatem: in futuro autem habebitis inevitabilem damnationem. Quæritis quæ sit illa damnatio? Ignis est æternus, quo omnes impii punientur. Sic enim dicit Deus se dicturum impiis: *Ite in ignem*, & non stetit ut finiret sententiam, sed addidit, *æternum*, ut quem non terret tanti supplicii atrocitas, mittat eum in pavorem nunquam finienda supplicii perpetuitas. Per Isaiam de impiis Deus dicit: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*; & per aliam scripturam: *Vindicta carnis impii, ignis & vermis.* Anima impiorum, credite nobis auctoritatem divinam vobis explanantibus, patietur vermem, id est morsum infructuosæ pœnitentiæ; & corpus impiorum ad augmentum tormenti patietur vermis corporalis morsum, & ignem ipsum corpus semper succendentem, & nunquam finientem. Attendite actus vestros. Nulla lege vivitis: nec illa, quam homines ad conservandam præsentem pacem præfixerunt; nec illa, quam ad tenendam præsentem justitiam, & ad promerendam cælestem gloriam divinæ literæ docuerunt. Omnes absque reverentia rapinam facitis; & apostolus Paulus dicit: *Quia rapaces regnum Dei non possidebunt*: & dives purpuratus non propterea ardet in inferno, quod salvator eum referat crudeliter aliena rapuisse, sed misericorditer propria indigenti non tribuisse. Unde existimate quanta pœna cruciabitur, qui aliena diripit, si inferni igne damnatur, qui petenti propria denegavit. Plurimi vestrum, abjecto timore Dei, templa violant, vasa Dei & in diversis speciebus thesaurum auferunt, & deposita, id est commendata propter Paganorum incursionem ab aliis ecclesiis, in suos usus transferunt, & sacrilegium jam publice sine timore committunt. Possessiones ecclesiæ, id est villas, quæ datæ sunt Deo ab his qui ante vos Christiani fuerunt propter redemptionem animarum, & propter templorum Dei instaurationem, & eorum victum & vestimentum, qui sine cessatione laudes Deo persolvunt, & propter stipendium pauperum, &, si opus esset, redemptionem captivorum, vos Deo aufertis, & quia statim non vindicat, quasi cum securitate possidetis. Domini est terra & plenitudo ejus, & quicumque Deo aliquid obtulit, nihil ei dedit, nisi quod ab eo accepit. Ut tamen sciamus eum nostram devotionem non fastidire, quasi nostrum accipit, quod ipse dedit. Sic enim dignatur promittere se dicturum pietatem impendentibus proximis: *Hospes fui, & suscepistis me: nudus, & operuistis me: esurivi, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere*: quasi ea ex suo largiantur, qui hæc manifeste divino munere perceperunt. Tam nefarium scelus, quo præsentibus & futuris nocetis, jam vindicaret quia justus est, nisi esset & patiens. Sed utinam omnes talia agentes ejus patientia ad pœnitentiam adducat, quia in præsenti tempore secundum apostolum Paulum, patientia Dei ad pœnitentiam vos invitat. Sed si in his & similibus facinoribus perdurayerimus, quanto nunc est mitior ejus patientia, tanto erit durior postea inflexibilis vindicta. Dei vox est: *Tacui, numquid semper tacebo?* id est, in hac vita quiesco, in altera vindicabo. Vindictam illaturus quidem dicturus est: Audistis me præcepisse: *Non concupisces rem proximi tui*: rem proximi vestri si concupistis, quia non ausi estis, aliquando non abstulistis; meam non solum concupistis, sed ad meum contemptum audacissime vobis vindicastis; & plus timuistis servum, quam me Dominum. Ergo meus contemptus, & vestra, quæ radix fuit omnium malorum, cupiditas vos mergit in Tartarum. Non permittat Deus, ut hæc audiatis in futuro, sed potius audiatis in præsenti, nobis dicentibus in auribus vestris, Dominum dicentem in cordibus vestris: Convertimini ad me, & salvi eritis. Plurimi vestrum fornicationes & adulteria sine timore divino, & sine humana verecundia faciunt; audiant apostolum dicentem: *Fornicatores & adulteros vindicabit Deus*, id est damnabit. Audiant etiam eumdem dicentem: *Horrendum*, id est timendum, *est incidere in manus Dei viventis.* Homicidia crudelissime exercent, & creaturam dissipant, quæ facta est ad imaginem Dei, ad ejus injuriam qui creavit. Sancti Dei, qui ante nos ecclesiam rexerunt, eos qui voluntarium homicidium fecerint, pœnitentiam quamdiu viverent facere statuerunt, & nunquam acciperent sanctam communionem, nisi in fine pro viatico decreverunt. De uno homicidio hoc ab illis est confirmatum: nobis quid faciendum est, quibus nuntiatur multos a singulis trucidatos? Incendiarii Christianorum villas incendunt, & plurimorum damnis atque mortibus faciunt se dignos incendio sempiterno: episcopos ad matrem ecclesiam revocantes non auditis, ministros eorum affligitis, monachos & sanctimoniales penuria opprimitis: agricolas, quorum labore vivitis, fame torquetis, a Deo, & bonis operibus, his & aliis inauditis sceleribus vos separatis. Sed video cui vos jungitis. Deus dicit: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Si pacifici estis, filii Dei estis, & eritis: si pacifici non estis, manifestum est, quia nec filii Dei estis. Salvator dicit: *Qui est ex Deo, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Si verba Dei aure corporis auditis, & aure mentis percipitis ut opere compleatis, ex Deo estis: ex Deo autem non estis, si ista negligitis. Absit, ut inter eos immoremini, quibus ipse Dominus dicit, *Vos ex patre diabolo estis.* Deus sibi obedientibus dabit seipsum, ut intelligatur, & habeatur, & sit gaudium sempiternum in regno cælorum. Diabolus sibi obedientibus hoc præstabit, ut cum eo mergantur in ignem æternum. Carissimi, dum tempus est, fugite seductorem, & sequimini salvatorem. Sitis illius qui vos fecit, non illius qui vos decepit. Dominus dicit: *Quid prodest homini, si lucretur universum mundum, seipsum autem perdat, & detrimentum sui faciat?* Quod propterea dicit, quia nihil prodest homini, sed multum nocet, si acquirat totum mundum, & perdat seipsum. Quod sine offensione Dei habere non possumus, ut Dei amatores habere nolimus. Ista quæ in hoc sæculo videntur, secundum auctoritatem divinæ scripturæ temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna. Ne peccemus in superflua dilectione tempora-

Matth. 18. Isa. 66. Eccl. 7. 1. Cor. 6. Rom. 2. Isa. 42 juxta Enoch. Rebr. Rebr. Matth. 5. Joan. Ibidem Matth. 25. Matth. 16.

poralium, ne amittamus beatitudinem æternorum. Unicuique noſtrum Deus dicit: *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Si imparati fuerimus, ab his quæ licite amamus invite abſtrahemur: & quæ ſuavia nobis ſunt, erunt aſperrima. Nihil proderit pompa ſæculi: non adjuvabunt propinqui, nec ulli carnales amici, & magna peccata, quæ non deleverimus per pœnitentiam, compellent nos ſuſtinere æternam vindictam. Paterna pietate minas Dei, & promiſſiones vobis proponimus, ut ab omnibus vitiis, quæ pacem præſentem & futuram gloriam tollunt, cum feſtinatione recedatis, & ad Dominum ex toto corde converſi faciatis bona opera, quibus ſpem ſalutis habere poſſitis. Pro criminibus, quæ ſuperius expoſita ſunt, vos excommunicatos a quibuſdam epiſcopis comperimus. Sed ipſis intercedentibus damus ſpatium, ut ad noſtram piam admonitionem deponatis mortiferam ſocietatem, & peccatorum conſuetudinem: ne forte, ſi in veſtra contumacia perſtiteritis, cogamur vos anathemate generali contra noſtram voluntatem propter miniſterii neceſſitatem ferire.

VI.

DECRETA SEU CANONES SYNODI LINGONENSIS

in ſynodo apud Saponarias relecti.

HÆC DECRETA SYNODICA obtulerunt eidem conventui, & regibus aſſidentibus, Remigius, Agilmarus, Ebbo, & ceteri coepiſcopi eorum, qui ante quindecim dies in [a] Andemantunno Lingonum, [b] cum rege ſuo Carolo congregati confirmaverunt.

TITULI CANONUM.

Primi ſex iidem ſunt cum primis Concilii Valentini III.

VII. *Ut concilia epiſcoporum ſaltem ſemel quotannis fiant: & in palatiis ſaltem ſemel intra biennium generalis epiſcoporum conventus agatur.*
VIII. *De ordinationibus epiſcoporum & ſacerdotum.*
IX. *Ut epiſcopi monaſteria ſtrenue viſitent & diſponant.*
X. *De ſcholis ſacræ ſcripturæ, & humanæ literaturæ inſtituendis.*
XI. *De eccleſiis inſtaurandis.*
XII. *Ut unicuique congregationi profeſſionis ſuæ liceat habere prælatos.*
XIII. *De nonis ac decimis per eos ſolvendis, qui eccleſiæ poſſeſſiones retinent.*
XIV. *Ut hoſpitalia uſibus ad quos ſunt inſtituta reſtituantur.*
XV. *Ut miſeris per idoneos judices juſtitia reddatur.*
XVI. *De raptoribus, adulteris, & rapacibus coercendis.*

CANONES.

I.

QUia doctorem gentium in fide & veritate fideliter commonentem, obedienterque audimus, *&c. in ſynodo Valentina, can.* 1. *

II.

Deum præſcire & præſciſſe æternaliter, & bona quæ boni erant facturi, & mala quæ mali ſunt geſturi, *&c. ut in ſynodo Valentina, can.* 2. *

III.

Sed & de prædeſtinatione Dei placuit, & fideliter placet, juxta auctoritatem apoſtolicam quæ dicit, *&c. in ſynodo Valentina, can.* 3. *

IV.

Item de redemptione ſanguinis Chriſti, propter nimium errorem, qui de hac cauſſa exortus eſt, ita ut quidam, *&c.* * *uſque ad* Multorum exhaurienda peccata. [c] Porro capitula * numero XIX. ſyllogiſmis ineptiſſime ac mendaciſſime a quodam Scoto concluſa, ubi non argumentum fidei, ſed potius commentum perfidiæ paret, nulla omnino philoſophiæ arte, ut arroganter a quibuſdam jactatur, conſtructum, ſed inani fallacia & deceptione imperitiſſime confuſum, a pio auditu fidelium penitus explodimus, *&c. ut in ſynodo Valentina, can.* 4. *

V.

Item firmiſſime tenendum credimus, quod omnis multitudo fidelium ex aqua & Spiritu ſancto regenerata, *&c. ut in ſynodo Valentina, can.* 5. *

VI.

Item de gratia per quam ſalvantur credentes, & ſine qua rationalis creatura nunquam beate vixit, *&c. ut in ſynodo Valentina, can.* 6. *

In mſ. Palatino bibliothecæ Vaticanæ interſeruntur hæc verba: Quid ſupplicatum ſit viis principibus inter alia.

VII.

Poſcendum a Chriſtianiſſimis & piiſſimis principibus noſtris, ut concilia epiſcoporum, juxta antiquam eccleſiæ obſervantiam, & ſtudium catholicorum principum, tum patrum ſuorum, quam etiam eorum qui ante illos extiterunt, nullatenus omittantur: ſed per ſingulas quaſque provincias ſaltem ſemel per annos ſingulos, cum eorum favore & pia exoratione celebrentur. In eorum quoque palatiis ſaltem ſemel intra biennium generalis epiſcoporum conventus agatur. Et quod ſecundum voluntatem Dei, juxta auctoritatem ſcripturarum & ſacrorum canonum, ipſo Deo adjuvante invenire potuerint, confidenter ſtatuant & annuntient. Quia maxima omnino pernicies in hoc eſt, dum neque a ſacerdotibus Dei populorum culpæ examinantur, nec a quoquam eccleſiaſticum judicium formidatur.

VIII.

Ut hi qui ordinandi ſunt, ſecundum ordinem eccleſiaſticum, & inſtitutionem ſanctorum patrum ordinentur. Videlicet ut epiſcopi judicio metropolitanorum, ut eorum epiſcoporum qui circumcirca ſunt, provehantur ad eccleſiaſticam poteſtatem: hi videlicet qui plurimo tempore probantur, tam verbo fidei, quam rectæ converſationis exemplo: & juxta excerpta Martini, ut non liceat populo electionem facere, qui ad ſacerdotium provocantur, ſed judicium ſit epiſcoporum, ut ipſi cum qui

ANNO CHRISTI 859.

* Ibid.

* Ibid. p. 5.

* Expunxerunt jam cautiores epiſcopi illi, quæ Valentiæ inſerverant, *Capitula quatuor, quæ a concilio fratrum noſtrorum* (Carliaci congregatorum) *minus proſpecte ſuſcepta ſunt præter inutilitatem, vel etiam nocietatem & errorem contrarium veritati.*

* Ibid. pag. 5

* Ibid.

* Ibid.

Martin. Brac. cap. 1.

qui ordinandus est probent, si in sermone & fide, & in spiritali vita edoctus sit. ANNO CHRISTI 859.

IX.

Ut congregationes canonicorum & monachorum, ac sanctimonialium, secundum canonicam institutionem a propriis episcopis strenue visitentur, & eorum religio & habitus exquiratur, si vita & moribus sint probi, ac officii & unanimitatis studio solliciti, a leviſſimis quoque & pernicioſiſſimis actibus cauti. Subsidia etiam illorum pia dominorum providentia exquirantur & disponantur: quatenus clementia vestra in omnibus fulti, pro vestra in Christo prosperitate, regni quoque vestri sublimatione, Domini clementiam eos jugiter exorare delectet.

X.

Ut scholæ sanctarum scripturarum, & humanæ quoque literaturæ, unde annis præcedentibus, per religiosorum imperatorum studium magna illuminatio ecclesiæ, & eruditionis utilitâs processit, deprecandi sunt pii principes nostri, & omnes fratres & coepiscopi nostri instantissime commonendi, ut ubicumque omnipotens Deus idoneos ad docendum, id est fideliter & veraciter intelligentes donare dignetur, constituantur undique scholæ publicæ, scilicet ut utriusque eruditionis, & divinæ scilicet & humanæ, in ecclesia Dei fructus valeat accrescere; quia, quod nimis dolendum est, & pernicioſum maxime, divinæ scripturæ verax & fidelis intelligentia jam ita dilabitur, ut vix ejus extrema vestigia reperiantur. Et idcirco ingenti cura & studio remedium procurandum est.

XI.

Ut ecclesiæ sarciantur & restaurentur in ædificiis ab his qui earum rebus utuntur, aut ab unoquoque tale ex earum familia præbeatur adjutorium, per quod si fieri potest reædificetur. Indignum est enim juxta historiam, Domino per prophetam reprobante, nos in domibus laqueatis habitare, & domos Dei esse desertas. Super quo præceptionem nihilo minus Deo acceptam prudentissimi domini nostri videbunt. Agg. 1.

XII.

Ut unicuique congregationi Deo vacantium in timore & amore ejus, a discretissimis principibus, secundum auctoritatem divinam, suæ professionis liceat habere prælatos.

XIII.

Ut de rebus Deo sacratis saltem nonæ & decimæ ecclesiis, quibus jure debentur, fideliter ab iis a quibus retinentur ministrentur. Quia si de proprio Deo ex voto decimæ offeruntur, multo magis divino in lege præcepto, post redhibitionis oblationem, quinta pars insuper ejus ministris jure offertur. Quod præceptum qui contempserint, maledictionem legis in his sibi acquirunt. Et ut deinceps nihil ab ecclesiis abstrahatur, sed his modernis temporibus distracta Deo reddantur, humiliter in commune supplicamus. ANNO CHRISTI 859.

XIV.

Ut hospitalia, peregrinorum videlicet, & aliorum pro remedio animarum receptacula, a piis imperatoribus, * patrum scilicet, & vestrorum in timore & amore Dei præparata, ab omni usu & libitu humanæ temeritatis absoluta, in eos usus, quibus sunt constituta, pietatem prædecessorum sequentes, sub patrocinio vestro dignum est vestro tempore, & vestra sollicitudine restaurentur. Qui enim agapen pauperum, & sustentationem peregrinorum, & eleemosynam defunctorum defraudant, apud sanctos patres eorum necatores vocantur. * leg. bus ſcil. & avis ſtris in.

XV.

Ut justitiæ miserorum ad aures pietatis vestræ clamantium, in omni regno ditioni vestræ subjecto, per ministros a clementia vestra ad hoc institutos, qui Deum timeant, & munera odio habeant, strenue exquirantur, & absque personarum acceptione perficiantur, usquequaque expedit dominis nostris, eorumque fidelibus, & regno; quia per prophetam dicit Spiritus sanctus: *Misericordiam & judicium custodi, & spera in Deo tuo semper*. Etenim sine hac custodia frustra speratur in Deo. Qui vero hanc sollicitus habuerit, cum psalmista in via immaculata Domino psallit & intelligit, quia ei in laude misericordiam & judicium cantat. Oſee 12. Pſal. 10

XVI.

Ut raptores, & adulteri, vel rapaces, qui, sicut ait apostolus, *regnum Dei non consequentur*, cum quibus etiam, sicut ipse præcepit, nec cibus sumendus est, censura & severitate principum, qui non sine causſa gladium portant, insequantur, quoadusque sacerdotum judicio publice ecclesiasticæ subdantur disciplinæ: quia pro talibus & Deum intelligimus in nos esse offensum, & regnum esse divisum atque dispersum. Galat. 5. 1. Cor. 5.

Notæ Jacobi Sirmondi S. J.

1 *Concil. Tullense apud Saponarias.*) Collecta sunt, atque ordine digesta, quæcumque ad hoc concilium attinebant, quorum omnium summam continent canones XIII. qui primo loco exponuntur: reliquorum enim omnium in his canonibus, seu capitulis, fit mentio.

2 *Lotharío & Carolo.*) Filiis Lotharii imperatoris, quorum hic Provinciam inter Rhodanum & Alpes cum Burgundia obtinebat: ille regionem universam, quæ ab eo postea regnum Lotharii dicta est: tertius natu maximus Ludovicus imperium sortitus fuerat cum regno Italiæ.

3 *Relecta sunt denique.*) Capitula sex, prima synodi Valentinæ, quæ paucis ante diebus in synodo Lingonensi confirmata, in hac etiam synodo apud Saponarias proferente Remigio Lugdunensi relecta sunt. Quatuor item Hincmari capitula, de quibus jam dictum est: nam hæc etiam postera die in hac synodo relecta fuisse, Hincmarus ipse est auctor in præfatione posterioris operis adversus Gotheſcalcum. Occasionem porro his omnibus dederant dogmata Gotheſcalci, de quibus inter episcopos, præcipue inter Hincmarum & Re-

& Remigium Lugdunenſem, variæ fuerunt altercationes & ſententiæ.

4 *Andemantunno Lingonum.*) Ita dictum, ut Durocottorum Rhemorum, Lureria Pariſiorum. Nam Lingonum caput Andemantunnum opidum in tabula Peutingeri, & in lapidibus antiquis.

5 *Cum rege ſuo Carolo.*) Lotharii regis fratre, ut paullo ante dictum eſt. Hinc vero apparet, ad Caroli hujus regnum pertinuiſſe Lingones.

6 *Forro capitula num.* XIX.) De his quoque dictum eſt ad can. IV. ſynodi Valentinæ. Cur vero de his agens ſynodus Lingonenſis aliter quædam expreſſerit, quam concepta fuerant in Valentina, & cur quatuor capitulorum mentionem penitus omiſerit, cauſſas exquirit atque exagitat Hincmarus cap. XXX. operis ſuprafcripti.

Ejuſdem P. SIRMONDI Notæ Uberiores.

In ſuburbano Tullenſi.) Exant in Baluz. Capitular; Tom. II. pag. 781.

NOTA SEVERINI BINII.

a *Concilium.*) Cum Vvenilo Senonenſis archiepiſcopus a Carolo rege ad Ludovicum defeciſſet, ad inſtantiam regis Caroli duodecim provinciarum epiſcopi ad Tullum convenerunt; atque præter ea quæ ſupra in actis ſynodalibus reperiuntur, fidem catholicam confirmantes, Prædeſtinatianorum hæreſin atque errores Gotheſcalci condemnarunt occaſione iſta: Remigius Lugudunenſi archiepiſcopus capitula quædam haud pridem in conventu Lingonenſi ſcripta in ſynodali patrum confeſſu legi curavit: quæ cum lecta fuiſſent, commoti ſunt plurimum epiſcopi, eo quod viderent in illis Prædeſtinatianorum hæreſin innovari. Cumque parati eſſent publice reclamare, * cohibiti ſunt a Remigio; quia nimirum ille utilius eſſe judicabat, ut quæ catholicæ fidei eſſent, ipſi proferrent, atque iſta ratione aſſertiones catholicæ fidei adverſantes condemnarent. Acta hujus concilii hactenus numquam edita Baronius ex codice Antonii Auguſtini emiſit in lucem: utinam integra edidiſſet: epiſtola enim illa ſynodalis, qua Vvenilonem a Carolo rege accuſatum ad ſynodum vocarunt, non integram edidit: deſiderantur etiam apud eumdem canones ſexdecim, quorum ſeptem priores ex concilio Valentino deſumptos; reliquos vero ab ipſis ſupperadditos eſſe commemorat. Si quis ex prædicto codice integre deſcriptos ad nos tranſmiſerit, cauſſam dabit, ut quam poteſt fieri citiſſime ad fineto tomi 4. ſubjungantur.

COMMONITORIUM HERARDI TURONUM ARCHIEPISCOPI ad Vvenilonem Senonum archiepiſcopum.

Venerabili Vveniloni Senonum archiepiſcopo Herardus gratia divinæ pietatis Turonenſis metropolis immerito licet epiſcopus, ſalutem in Domino, & perpetuam pacem.

CErtum habeat veſtræ ſagacitatis dilectio, legationem totius ſynodi, quæ in vicinia confluxit Tullenſium, noſmet ad veſtram paternitatem communi decreto ſuſcepiſſe. Litteras etiam ex ſynodica vocatione vobis perferendas more eccleſiaſtico ab eadem ſynodo nos percepiſſe. Deinceps vero noſtram parvitatem gravi ſcitote gravatam incommodo. Et quoniam præfatæ ſynodi inſtitutis pro voto parere non poſſe nunc noſtram conſtat inertiam, fratrem & conſacerdotem noſtrum, noſtræ ſedi officii honore attiguum, Rotbertum Cenomannorum epiſcopum, noſtra vice ſuper injuncta nobis legatione fraterno more remandavimus pariter & poſtulavimus ad vos pergere: qui omnia nobis a ſancta ſynodo reverenter injuncta intrepide juxta divinitus ſibi collatam induſtriam ad vos exequi procurabit. Et hoc ipſum apud memoratam obtinui ſynodum, ut ſi quolibet, ut ſe humana fragilitas habet, languore, ſicut & accidit, detinerer, eumdem noſtra vice, accepta ab eadem ſynodo auctoritate omnium & juſſione, vobis dirigerem. Rogamus ergo, & ut patrem cariſſimum, fratremque familiariſſimum, monere præſumimus, ut diligenti cautaque ſollicitudine, cunctis quæ ad vos deferuntur perſpectis, vobis ipſi conſulere non detrecteris. Sano quoque & ſapienti conſilio procuretis, ne vobis, & omni noſtro ordini, infamiæ notam prætendatis. Et ſi quid in his quæ vobis objiciuntur, conſcientia teſte reprehenſibile, aut forte damnabile judicatur, prævenire modis omnibus, & opportune detergere ſtudeatis. Et quoniam omnis gradus pontificalis ordinis, totius quam præmiſimus ſynodi, ex impacta vobis hujuſmodi calumnia ſcandalizatur, compatitur, triſtatur, & congemiſcit: vos, quem cauſſam hujuſce læſionis eſſe comperimus, & quem oportuerat, ſecundum apoſtolum, teſtimonium habere ab his etiam qui foris ſunt, hortamur, fideliterque ſuggerimus, ut aut uni epiſcopo pro omnibus, aut pluribus pro cunctis, ſatisfacere pro tempore non gravemini veſtris apicibus ſacris: ſimulque quo regiam dignationem vobis acceptabilem, ſicut vobis & omni veſtro expedit gregi, ſatisfaciendo, humiliterque ipſius hilaritatis clementiam impetrando acquirere procuretis, obnixe flagitamus, & in caritate ſincera compatiendo precamur. Valere veſtram paternitatem votis omnibus poſtulamus, & ut noſtram petitionem efficaciter ſuſcipiatis oramus: utque noſtram unanimitatem ex veſtri cauſſa ad aliquantulam, quin potius ad integram, perducere certetis lætitiam, ſupplici poſtulatione monemus, pater beatiſſime.

NOTA JACOBI SIRMONDI S. J.

1 *Commonitorium Herardi,*) In codice ſancti Petri Rhedonenſis, poſt capitura Herardi, ſequebatur hoc ejus commonitorium: quod ad ſynodum Tullenſem, cauſſamque Vvenilonis in ea diſcuſſam pertinere manifeſtum eſt.

SYNODUS SISTERICENSIS

In qua privilegium Saxiacenſis Monaſterii confirmatur anno DCCCLIX.

Siſtericenſis ſynodi anno Chriſti 859. celebratæ memoria habetur in ſequenti documento, quo ſynodus Saxiacenſis monaſterii privilegium confirmat.

ANno Dominicæ Incarnationis 859. Indictione 7. regnante piiſſimo ac mitiſſimo Rege Carolo filio quondam Lotharii Auguſti, pace jam, & diviſione Regni cum fratribus ſuis Hludovico videlicet & Lothario Regibus, miſerante Domino celebrata, factus erat conventus populorum, qui ſub ejus Regno erant per regiam evocationem, ubi & nos, qui ſuperna largiente gratia, etſi indigni epiſcopi dicimur, convenimus, ut ſcilicet per ſacrorum conſtitutum maxime concilium, qui de diverſis partibus aderant, ea, quæ in quibuslibet ordinibus eccleſiæ minus conſtare utiliter videbantur ob incuriam negligentium, aut propter civilis belli tranſactam violentiam, juvante Chriſto in melius reformare ſategerit, & quæ hactenus bene conſtituerant, regali providentia amplecteretur, ac firmius roborare ſtuderet.

Dum ergo talibus invigilat præfati Regis glorioſa nobilitas, & ſancti Genitoris ſui ſtudia diligit, pietatis quoque illius opere perſeverare deſiderat; juſſi ſumus communi tractatu perquirere, qualiter omnis ordo eccleſiaſticus congrue ac decen-

center administretur. Hoc itaque dum perficere A pali convenienter munitum, præsentibus futuri-
ANNO CHRISTI 859. optaremus, inter cetera visum est nobis ad ejus ordinis recuperationem atque sublimationem, qui apostolicæ perfectioni vicinius adhæret, hoc est monachorum, qui relictis omnibus Christum sequuntur, sacratissimi Regis curam infectere. Congruebat enim, ut quem propter curam gregis dominici sibimet commissam de spiritalibus damnis fidelium contigerat contristari, de præfati etiam ordinis correctione, atque exaltatione lætificare cuperemus. In plurimis namque locis regni ejus prædicti ordinis fervor tepuerat, violentia quoque temporum in eodem, sicut in cunctis ordinibus, plurimum juris infregerat: quia bona, quæ acquisita cum labore providentur, & servantur, per inquietudinis assiduum impedimentum solent minui, B vel penitus aboleri.

Itaque placuit nobis propter curæ pastoralis obsequium intendere, ut eos, quos in monasticæ sanctitatis vigore bene perdurantes agnoveramus, amplius diligeremus, atque in cunctis necessitatibus eis libenter opem ferre procuraremus, ut per illorum exaltationem sanctitatis eorum exempla clarescerent, ac dilatarentur.

Igitur cum quorumdam in præfato ordine accendendis studiis insisteremus, & perseverantium religioni non mediocriter congratularemur, pervenit ad Conventus nostri notitiam, qualiter venerandus Vir Aurelianus Abbas Athanacensis supernæ hæreditatis amore succensus, ex rebus, quas a Parentibus pio affectu petiit, & impetra- C vit, omnipotentem Deum elegerit, eas denique res pro rei firmitate vice Christi reverentissimo atque sanctissimo Remigio archiepiscopo tradiderit, & præfatus archiepiscopus rogatu ipsius Aureliani abbatis iterum vice Christi Badiloni, qui loco abbatis prodesse, & præesse debeat, & monachis ibidem servientibus sub regula pii Patris Benedicti per testamentum firmissimum promptissima, ac devotissima voluntate tradiderit, ea scilicet ratione, ut idem Badilo abbas & monachi in prædictis rebus in Pago Lugdunense, in loco, qui vocatur Saxiacus, non longe a Rhodano fluvio, monasterium monachorum in honore omnipotentis Dei, & veneratione egregii confessoris Benedicti, & Martyrum Florentini & Hilarii æ D dificarent: ut & divinam in jam dicto loco exercerent militiam, & pro totius ecclesiæ statu supernam implorare clementiam decertarent. Utrorumque ergo tam sanctis studiis, piisque desideriis plurimum congaudentes summa cum reverentia Christianissimi Regis adivimus clementiam, ut jam dicto cœnobio in honore salvatoris, & veneratione beatissimi confessoris Benedicti, & sanctorum martyrum Florentini, & Hilarii consecrato privilegium quoddam de rebus necessariis concedere dignaretur secundum regalem magnificentiam, atque nobis assensum præberet, ut nostra illud subscriptione roboraremus: quatenus hinc inde, & regali magnificentia, & auctoritate episque temporibus idem Cœnobium valeret permanere. Itaque Deo Amicus sæpe dictus KAROLUS ANNO CHRISTI 859. Rex hujus rei nobis assentum præbuit, ut hujuscemodi privilegium propria singuli subscriptione roboraremus, addens insuper, ut specialius Dei suosque fideles præsentes pariter futurosque obtestaremur, ut possessiones, quas prædictus Aurelianus Abbas Remigio archiepiscopo, & idem archiepiscopus Deo, & beatissimo Benedicto, & sanctis martyribus jam dictis obtulit, aut quas in futuro ex fidelium donatione divina pietas in eodem loco contulerit ad solius Dei servitium ejus loci Monachi, sicut in eodem testamento insertum est firmissimam teneant libertatem.

Et Nos igitur, licet indigni, tamen sacratum, atque venerandum pontificatus gerentes officium, ea quæ supra memorata sunt, in venturis generationibus stabilia semper atque inconcussa perseverare, voluntatem Dei considerantes decrevimus, & propria singuli subscriptione roboramus. Si quis vero, quod absit, hujus privilegii destructor, aut in ejus destructione fraudulentus machinator in posterum emerserit, salutem propriam negligens, aliorumque salutem persequens, secundum potestatem ligandi, atque solvendi ab ipso D. Jesu Christo nobis traditam, æterno vinculo perpetuæ damnationis extra beatorum requiem alligamus, cum omnibus, qui in tam nequissimam voluntatem consentiunt, nisi hoc correxerint, qui quod ad multarum salutem animarum pie provisum est, impie non timent infringere.

Placuit etiam Domino ac piissimo Regi, rectumque nobis videtur, atque obsecramus coepiscopos nostros, qui præsentes conventui non adfuerunt, sed & religiosos Abbates, dum nostræ constitutionis paginam legerint, unam nobiscum ineant voluntatem ac subscriptione sententiam. Placuit etiam huic privilegio inseri, pio tamen Principe assensum præbente & consentiente, ut ipsius Badilonis tempore sub ejus dispositione atque potestate inibi Domino famulantes consistant. Quod si evenerit, ut ipse post multum laborem a tam gravissima prælationis sarcina humiliter declinare voluerit, quam in prædicto Cœnobio suæ vitæ melioris parciorisve invenerit, una cum consensu fratrum suorum eligat, & subroget in loco suo. Post ipsius quoque Abbatis ab hac vita discessum, nec largitoris, nec parentum ipsius, nec fastibus regiæ magnitudinis, nec cujuslibet potestatis jugo subjaceant: sed quemcumque prædicti monachi ex semetipsis Abbatem ac Pastorem suique rectorem secundum beneplacitum Dei, & Regulam S. Benedicti eligere voluerint, libero in omnibus eligendi, absque ullius potestatis inquietudine potiantur arbitrio.

Factum hoc privilegium anno Incarnationis dominicæ 859. Indictione 7. regnante Karolo Rege filio quondam Lotharii Imperatoris. Actum Sisterico.

CONCILIUM CONSTANTINOPOLITANUM

In quo Photius ab Ignatianis damnatur.

Ex P Pagi ad an. Ch 859. n. 11.

PHotio Patriarcha Constantinopolitano consecrato, & Barda in Ignatium & Ignatianos gravissime sæviente, hi Ignatium tanto vehementius repoposcere. *His ergo compertis*, inquit Anastasius in historia synodi octavæ, *cœperunt nonnulli Metropolitani Antistites ac inferioris sacerdotii, vel ordinis clerici, vel laici, Pontificis sui tormentis com-* E *patientes, dejectionemque dolentes, Rectorem sibi proprium veddi magnopere clamitare.* Episcopi in duas partes distracti erant, alii Ignatio adstantibus, aliis Photio accedentibus. Metrophanes Smyrnensium in Jonia Metropolitanus, cujus epistolam ad Manuelem Patricium datam Baronius an. 870. n. 46. & seq. recitat, in quem statum redacta

res

res esset, his verbis narrat: *Cum primum vidimus universam episcoporum multitudinem corruptam, operæ pretium fore duximus, nostra etiam manuscripta assensione Photium nostræ Christi Ecclesiæ filium declarare, & sanctissimi ejus Præsulis Ignatii socium & collegam, ut hoc pacto Bardæ edicta nullo modo refragari deprehenderentur. Edixerat enim ille, ut nostræ Christi Ecclesiæ Patriarcham constitueremus, licet coram nobis sua scripserit manu, se Ignatium ab omni culpa immunem Patriarcham existimare; nec unquam adversus illum aliquid se dicturum. Si quis vero dicat, Photium fuisse admissum Patriarchæ coliegam; admissus certe fuit Photius a nobis, tamen invitis, vi quidem, atque ejus qui imperabat imperio. Qui paullo post quod sua manu chirographum scripserat, ipse etiam delevit, & Ignatium deposuit, quando coram universo episcoporum cœtu C. P. provinciæ ipse anathemate fuit damnatus, & depositus, & segregatus a Patre & Filio & Spiritu sancto declaratus.* Excogitatum fuit temperamentum illud ad majora mala vitanda; sed cum inutile esset, in sanctæ Irenes æde synodum per quadraginta dies celebrant, Photium damnant, eique Patriarchatum abjudicant. Photiani vero Concilium in SS. Apostolorum templo coegere, & Ignatium absentem, & dignitatis Patriarchalis, & ecclesiasticæ communionis indignum declararunt, & in eum anathema dixerunt. Subdit enim Metrophanes: *Ita cum episcopi omnes* (scil. S. Ignatio addicti) *suffragiis consentirent, ut se ipsos quoque damnarent, si quis unquam Photium Patriarcham confiteretur, & per dies quadraginta synodum in æde S. Irenes celebrarent; ille* (nempe Photius) *adjutore Barda Concilium in Apostolorum Templum colligit, & iterum repudiat Ignatium, & anathematizat.*

ANNO CHRISTI 859.

[a] CONCILIABULUM CONSTANTINOPOLITANUM SIVE PHOTIANUM II.

Adversus Ignatium celebratum anno Domini DCCCLIX. tempore Nicolai papæ I. & Michaelis III. imperatoris orientalis.

[a] *Conciliabulum.*) Post relegatum Ignatium videns quamplurimos adhuc pro Ignatio stare, imperatori Michaeli ministerio Bardæ persuasit, ut congregaret concilium sibi adhærentium episcoporum, qui eumdem Ignatium damnarent, atque hac arte episcopos & populum ab Ignatii affectione divellerent. Quod cum imperatori non ingratum fuisset, *Photius*, inquit Nicetas in vita Ignatii, *congregata sua iniquorum caterva in sacro templo glorioforum apostolorum privationem promulgat adversus Ignatium absentem, nec non illum anathemate damnat: ipse scilicet accusator factus & judex; & quoscumque videbat huic animo suo & iniquæ huic actioni adhærentes, & rebus quæ fiebant subscribentes, inter præcipuos amicos & caros comministros habebat: qui vero huic judicio inique habito se objicientes hæc approbare nolebant, hos prætorio & carceribus variis modis puniendos tradebat.* Cumque acta Photii velut injusta plurimi reprehenderent, ipseque a propria conscientia redargueretur, legationem misit ad Nicolaum papam, per summam fraudem allegans, quod Ignatius propter senium & imbecillitatem ecclesiæ præfecturam resignasset, & in quamdam insulam profectus cum omni honore, cultu & obsequio tum ab imperatore, tum etiam ab universa civitate habitus in monasterio viveret; pietatem quamdam singularem simulate præ se ferens petebat, ut ecclesiam corrigeret, illosque a Christiano nomine rescinderet, qui Iconomachorum hæresin tuerentur: sub quo pietatis simulatæ prætextu hoc interim curabat, ut Ignatii depositionem Romanæ ecclesiæ auctoritate firmiorem redderet. Suasu Photii Michael imperator suam adjunxit legationem, literis, donis, ac muneribus (quæ ab Anastasio supra in vita Nicolai papæ describuntur) instructissimam. Impetratum est hoc unicum dumtaxat, ut Rhadoaldus Portuensis, & Zacharias Anagniæ civitatis episcopi ad causam non tam dirimendam, quam pervestigandam Constantinopolim mitterentur. Quid vero illi hac in re effecerint, infra patebit. Vide Baronium anno 859. numero 54. & 860. numero 1.

Rhadoaldus & Zacharias legati sedis apostolicæ

Vide ex synodico supra pag. 519. A. & quæ postea observabuntur de conciliabulis Photianis.

[b] LIGONENSE CONCILIUM IN ABBATIA SS. GEMINORUM SUESIPPI, ELEUSIPPI, ET MELEUSIPPI,

In quo largitio quædam pia asseritur,

Anno 859. habitum.

Concilii hujus sola superest mentio in charta piæ largitionis factæ a Jona Episcopo Eduensi relata in Gallia Christiana tom. IV. pag. 55. append. novæ editionis, quam hic subjicio.

JOnas, superna permittente clementia, Eduorum episcopus, sedulo perpendens mortales Deo servire diu non posse sine terrenarum rerum adminiculo; atque pastoris officium esse gregibus sibi creditis geminam impendere pastionem, spiritualem videlicet, & carnalem, quia dum carnalis impendit, spiritualis uberius crescit; adhibito presbyterorum, diaconorum, ac sequentis ordinis ejusdem ecclesiæ consensu, ob divini cultus amorem supperaddere studuit, quæ ratio dictavit, atque necessaria fore existimavit. Quare licet jam antea quædam res ad canonicorum victum administrandum a prædecessoribus essent collatæ: quia tamen pro quantitate sui, & itineris longioris difficultate quotidiani victus penuriam paterentur Canonici, Simponiacum Villam indominicatam, cum omni sua integritate ad quotidianum eorum potum beneficium superaddens, quod ex eodem fundo Ragopedus habebat, ut idem prædium cum omnibus ad se pertinentibus ipsorum usibus integrum deserviret, quatenus ad supplementum sui

ANNO CHRISTI 859.

ſuffulti, in Chriſti militia devotiores exiſtant; nec ſolum pro principibus, ut ſanctus inſtituit Leodegarius, ſed pro rectoribus totius eccleſiæ & univerſo grege jugiter divinam exorent miſericordiam: & quia ſæpiſſime evenire ſolet, ut quæ pie & devote ad divini cultus honorem ordinantur, occaſione multifaria convelluntur; neceſſarium judicavit privilegium illud auctoritate Pontificali firmandum: quatenus de ſupradictis, vobis occaſione qualibet nihil a ſucceſſoribus auferatur, aut pro eiſdem aliquid terreni ſervitii aut muneris exigatur. Actum in Territorio Lingonenſi in Abbatia SS. Geminorum Seuſippi, Eleuſippi, & Meleuſippi, XIII. Kal. Maii, XVIII. Karoli glorioſiſſimi Regis, indict. VII. Teſtes adfuerunt infraſcripti, quos ſynodalis celebritas convocarat. Remigius Gratianoplitanus, Godeſaldus Cabilonenſis, Grundicus Matiſcenſis, Abbo Maurienenſis, Remigius Dienſis, Ratherus Valentinenſis, Ebrardus Chorepiſcopus, Bernardus Abbas Melundenſis. Chartam confirmavit Carolus Ludovici Auguſti filius, Caroli item Auguſti nepos, Tuſſiaci XVIII. Kal. julii eodem anno, quo facta eſt. Confirmavit item Johannes pontifex, procurante Hermæo Hirmingardis comitiſſæ Cabilonenſis filio, epiſcopo Heduenſi.

ANNO CHRISTI 859.

ANNO CHRISTI 860.

CONCILIUM AQUISGRANENSE DUPLEX

ANNO 860.

ANNO DCCCLX. IN CAUSSA

Theutbergæ uxoris Lotharii regis.

Ex editione P. Simondi.

THEUTBERGÆ *repudium meditante Lothario; cum divortii cauſſa quæreretur, ſparſa eſt fama Theutbergam flagitium olim ab Hucberto fratre paſſam fuiſſe: atque hoc illa crimen, vi ac dolo, ut poſtea potuit, fateri, veſtemque ſibi ut mutare liceret petere compulſa eſt, ut alias deinceps, tum hoc anno primum in duplici epiſcoporum conventu, quorum alter menſe Januario, alter Februario habitus eſt Aquiſgrani. Utriuſque mentio eſt apud Hincmarum Rhemenſem, de divortio Lotharii & Theutbergæ reſp.* 1. *Prioris quidem, ex libello* VII. *capitum quem refellit*: Convenerunt, *inquit*, principis juſſu, anno incarnationis Dominicæ DCCCLX. & regni ejus v. indictione VIII. v. Idus Januarii, Aquis palatio, Guntharius ſummus capellanus, & Theutgaudus archiepiſcopi, Adventius & Franco epiſcopi, Hegil & Odelingus abbates, quibus jubendo monuit, ut de prædicta fama apud eam omnem rei veritatem perquirerent, ſicuti & fecerunt. Nam ipſa confeſſa eſt eis: ipſique reverſi nuntiaverunt regi, quod ad uxorem non liceret illi eam habere. *Poſterioris vero, ex actis ipſius ſynodi, quæ circumferebantur hoc initio*: Anno ab incarnatione Domini DCCCLX. indictione VIII. mediante Februario menſe, decernentibus glorioſis regibus Hludouvico, Carolo, atque Hlothario juniore, in generali conventu optimatum ex regno almi Hlotharii, actum eſt concilium epiſcoporum Aquiſgrani palatio, Guntharii Agrippinenſis, Theutgaudi Trevirenſis, Vvenilonis Rothomagenſis, Franconis Tungreſis, Hattonis Viridunenſis, Hildegarii Meldenſis, Halduini Avinienſis. *Et poſt excepta quædam aliquot capitum de libello confeſſionis a Theutberga oblato, & aliis, ſubjicitur ſynodi ſententia his verbis*: His ergo conſideratis, & diligenter perſpectis, lugendam inceſti pollutionem in publicum exhalatam publicæ pœnitentiæ ſatisfactione purgandam decrevimus.

Auctor annalium Bertinianorum ad annum 860. Lotharius reginam ſuam Teutbergam irrevocabili odio habitam, ut ipſa coram epiſcopis confiteretur fratrem ſuum Hucbertum ſibi commixtum. Unde & pœnitentiæ continuo addicta eſt, atque in monaſterium retruſa. *Tum paullo poſt*. Uxor Lotharii timens odium viri ſui, atque inſidias, ad fratrem ſuum Hucbertum in regno Karli aufugit.

EPISTOLA EPISCOPORUM REGNI LOTHARII, QUI SUPERIORI SYNODO adfuerant, ad Nicolaum papam I.

Exponunt quid in ſynodo actum ſit, orantque ne calumniantibus aures præbeat, priuſquam Lotharii legati in urbem veniant.

Domino vere ſanctiſſimo ac beatiſſimo, totiuſque ſanctæ matris eccleſiæ pii regis Chriſti ſanguine acquiſitæ pontifici, & univerſali papæ Nicolao, archiepiſcopi & coepiſcopi in regno domni ac glorioſiſſimi regis Holthарii conſiſtentes, in Chriſto paſtorum principe, fidelia orationum vota, ſummæque felicitatis & pacis gaudium.

APoſtolicis documentis, & pontificalibus decretis multipliciter inſormamur, ut veſtri ſanctiſſimi apoſtolatus apicem, principis apoſtolorum fide & nomine conſecratum, quoties ſancta eccleſia aliqua novitate pulſatur, humiliter adeamus: ibique veri conſili ſaluberrima inſtituta ſinceriter hauriamus, ubi mitis magiſter Chriſtus, & ſummum caput noſtrum, fundamentum eccleſiæ poſuit. Et quia omnipotens Deus noſtris jam periculoſis temporibus miſericorditer nobis veſtræ auctoritatis jubar, fauſtiſſimis divinæ ſapientiæ floribus, & ſanctiſſimis virtutum ſtudiis inſignitum prævidit, illum laudamus qui præſtitit, ejuſque clementiam votis imploramus aſſiduis, ut talem ac tantum patrem nobis incolumem cuſtodiat temporibus diuturnis. Quippe ſi temporum opportunitas arrideret, veſtræ ſanctitati multum deſideraremus noſtram unanimem exhibere præſentiam; ſed hoc ne fiat malefidis Dei fluctuoſa tempeſtas intercipit, ac multiplex rerum varietas impedire non ceſſat. Ille tamen qui duobus mœſtis in via apparuit, amplitudinem veſtræ caritatis illo dilatare dignabitur, ut tandem aliquando de veſtra deſiderabili præſentia conſolemur. Enimvero nec verbis fari, nec juſtæ æſtimationis poterit compendio ponderari, quanta divinæ legis inſtituta, quantave diu optatæ pacis incrementa, a ſuo paullatim recto tramite exorbitantia, reſtaurari poterant, ſi veſtræ dignationis viſitatione frui mereremur. Revera totius humani generis inimicus, zizaniorum ſator tanto amplius ovile Chriſti lupina rapacitate circuire non ceſſat, quanto citius ſanctorum gloriam appropinquare conſiderat: eoque largius venena ſuæ perfidiæ ſpargere ſatagit, quo abundare iniquitatem, & multorum

rum caritatem refrigeſcere ſerpentino aſtu intelligit. Hinc eſt quod virulenta ac nefaria vitiorum germina, olim divina animadverſione ſubverſa, immo letheo ac flammivomo barathro juſto Dei judicio deputata, quaſi redivivis radicibus, heu! heu! frondeſcunt in frutice. Porro, quod nos non ſine gravi mœrore deſcribimus, funeſta vulnera divinis oraculis, atque apoſtolico antidoto, in cæca gentilitate ſalubriter procurata, jam male fœtentia ad veſtras iterum redeunt manus: impleturque illud propheticum: *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata*. Sed unde modo pauca ſcripſimus, per fratres noſtros Theutgaudum Trevirenſis eccleſiæ venerabilem archiepiſcopum, atque Attonem coepiſcopum latius exponere procurabimus. Per illos ergo veſtræ celſitudini pura & viva voce, verbis ac ſcriptis, fideliter ac veraciter ſignificare deſideramus de quibus veſtram ſanctatem conſulendam noſtra decrevit unanimitas. De cetero prævios noſtræ humilitatis apices veſtris ſacris obtutibus perferendos direximus, quia quorumdam relatione comperimus, quod veritatis æmuli, noſtrique ſenioris domni Hlotharii evidentiſſimi inimici, admodum adverſa velint in cauſſa uxoris ſuæ, & hoc argumento falſitatis non modicas ordiri ſatagunt ſimultates: ſuoſque legatos ad veſtram ſanctam dignoſcentiam mittere non verentur, & noſtram nondum definitam ſententiam ſiniſtra interpretatione pervertere conantur. Præſertim cum noſtra unanimitas de uxore noſtri principis (ſi forte uxor dici debeat, quæ ſe germano inceſtu maculaverat,) nihil aliud hactenus determinaverit, niſi quod perſpecto ſuæ confeſſionis libello, publice confitenti remedio pœnitentiæ ſubvenire decrevimus. Inter hæc illa fuga lapſa. Unde humiliter petimus, ut veſtræ paternitatis, veræque caritatis anchoram ſolido figatis in litore, nullaque mendoſi ſtatus impulſione veritatis & juſtitiæ libra vacillet: * ſed fidiſſimus almifluentis factus, præſcriptos legatos domni ac ſemoris noſtri Hlotharii glorioſi principis, & dilecti filii veſtri, præſtoletur, ut fucata mendacia nullis ſe gaudeant delituiſſe latibulis. Oramus ſanctiſſimam paternitatem veſtram, ſummo pontificatus apice cælitus ſublimatam, ad cuſtodiam gregis Dei feliciter vigere, ac proſperato temporum curſu æternam nanciſci remunerationem, multum venerande ſemperque deſiderande pater. Amen.

* *For. lege.* Sed fidiſſimos amnis fluentis fluctus, *&c.*

ANNO CHRISTI 860.

CONCILIUM CONFLUENTINUM,

QUO INTER QUINQUE REGES GALLIARUM

Pax & concordia ſancitæ fuerunt,

Anno Domini DCCCLX. *tempore Nicolai papæ I.*

HÆc ſunt nomina epiſcoporum qui anno incarnationis dominicæ DCCCLX. Nonis Junii, in ſecretario baſilicæ ſancti Caſtoris conſideraverunt cum [a] nobilibus laicis firmitatem, quam glorioſiſſimi reges noſtri Ludovicus, Caroſus, atque Lotharius inter ſe fecerunt [b] octavo Idus Junii in eodem monaſterio, & qui hæc capitula ab omnibus [c] obſervanda acceptarunt: Hincmarus, [d] Juntherius, Alefridus, Salomon, Adventius, Atto, Theudericus, Leutbertus, * Gedebardus, Chriſtianus, Vvalfadus abbas, Vvitgarius abbas. Hæc nomina laicorum: [f] Conradus, Everardus, Vicarnarius, * Exſtangarius, Arnulphus, Berengarius, Luitharius, Luthardus, Hunfriardus, Adalbertus, Letulphus, Hernodulphus, Adalardus, Luitfridus, Gislebertus, Huto, Matfridus, Boſo, Rithuenus, Bernoldus, Burchardus, Heſſi, Arnuſtus, Hynodulphus, Ratbotus, item Chuanradus, Sigeri, Harmanius, Vvigricus, Atto, Chriſtianus, Herimannus, Sigardus.

Ludovicus & rex Carolus frater ejus, nepoſque eorum Lotharius cum primatibus ſuis in Confluento caſtello convenientes, pacem inter ſe & fidelitatem mutuam, ſinguli juramento confirmaverunt, cujus ſacramenti ſeries hujuſmodi fuit; Amodo & quandiu vixero, iſtum fratrem meum Carolum, & nepotes meos Ludovicum & Lotharium atque Carolum, ac Dei voluntatem & ſanctæ eccleſiæ ſtatum & honorem atque defenſionem, & ad noſtram communem ſalutem & honorem, & ad populi Chriſtiani nobis commiſſi ſalvamentum & pacem, & ad legis & juſtitiæ & rectæ rationis conſervationem (quantum mihi Dominus ſcire & poſſe donaverit, & ipſi me obaudierint [g]) vero conſilio, & ſecundum quod mihi rationabiliter & ſalubriter poſſibile fuerit, recipiens, ſincero auxilio adjutor ero ad regnum illorum continendum, & nec in vita, nec in membris, neque in regno illorum eos * fors conſiliabo in hoc ut ipſi erga me ſimilem promiſſionem faciant, & conſervent. [h]

* *al.* forconſiliabo.

Ut omnium præteritorum malorum, & contrarietatum, & ſupplantationum, atque malarum machinationum, atque molitionum, ſeu nocumentorum invicem actorum abolitio ita inter nos & apud nos fiat, & noſtris cordibus penitus avellatur * [i] communi malitia & rancore, & nec in memoriam ad retribuendum dumtaxat mali, vel contrarietatis, atque exprobrationis, ſeu improperii de cetero exinde quidquam veniat.

* *for.* deeſt cum.

Ut tanta inter nos, Domino cooperante, veræ caritatis benignitas abhinc inante ſemper manet de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta, ſine dolo & ſimulatione, ut nemo [k] ſuo fratri ſuum regnum, aut ſuos fideles, & quod ad ſalutem, ſive proſperitatem ac honorem regum pertinet, diſcupiat, aut [l] forte conſiliet, aut per occultos ſuſurrones libenter compoſita mendacia, ſeu detractiones acceptet. Ut unuſquiſque fideliter ſuum [m] fratrem, ubicumque neceſſitas illi fuerit, & ipſe potuerit, aut per ſe, aut per filium, aut per fideles ſuos & conſilio & auxilio adjuvet, ut re-

a *Baluz.* nobilibus ac fidelibus laicis. b *Baluz.* VII id. Junias. c *Baluz.* conſervanda.
d *Baluz.* Guntherius, Afefridus. e *Baluz.* Gebehardus.
f *Baluz.* Chuonradus, Everardus, Adalardus, Arnaſtus, Vvarnarius, Luitfridus, Hruodulfus, Erkintadus, Gislebertus, Ratbodus, Arnulfus, Hugo &c.
g *Baluz. addit:* & a me ipſi quæſierint.
h *Baluz. addit:* ſic me Deus adjuvet, & iſtæ ſanctæ reliquiæ. i *Baluz.* cum omni malitia.
k *Baluz.* ſuo pari. l *Pro*, forconſiliet. *Vide Gloſſarium Du-Cangii, verbo* Foriſconſiliare. *Hard.*
m *Baluz.* parem.

ANNO CHRISTI 860.

ut regnum fidele, prosperitatem, atque honorem regium debite valeat obtinere; & veraciter unusquisque erga alterum certatim demonstret, quia in [a] fratris sui adversitate, si sic venerit, fraterno modo contristetur, & in prosperitate illius lætetur; & talem fidem sicut inter nos modo abhinc inante conservaturos confirmatum habemus, sic unusquisque infantibus fratris sui, si obierit, [b] qui superfuerit conservabit,

Et quia per vagos & tyrannica consuetudine [c] irruentes homines pax & tranquillitas regni perturbari solet: volumus, ut si ad quemcumque nostrum talis venerit, ut in his quæ egit, rationem ac justitiam subterfugere non possit: nemo ex nobis illum ad aliud recipiat & retineat, nisi ut ad rectam rationem & debitam emendationem perducatur. Et si rationem rectam subterfugerit, omnes in commune in cujus regnum venit, illum [d] persequantur, donec ad rationem perducatur, aut de regno deleatur. Similiter de eo agendum est, qui pro aliquo capitulo & publico crimine, a quolibet episcopo corripitur, & excommunicatur, aut de excommunicatione crimen faciens, regnum, & regis regimen mutat, ne debitam pœnitentiam suscipiat, ut susceptam legitime peragat. Interdum etiam incestam propinquam suam, aut sanctimonialem, & raptam, sive adulteram, quam illic ei non licebat habere, fugiens secum duxit: hic talis, cum episcopus, ad cujus curam pertinebit, nobis notum fecerit, diligenter perquiratur, ne morandi & [e] latitandi locum in regno alicujus nostrum inveniat, & Dei ac nostros fideles suo morbo inficiat, sed a nobis & ministris reipublicæ constringatur, ut & simul cum diabolica præda, quam secum duxit, ad episcopum suum redeat, & de quocumque crimine publico pœnitentiam [f] ut susceptam legitime peragat, compellatur.

Ut nemo episcoporum hominem peccantem ab ecclesia Christiana alienet, donec illum secundum evangelicum præceptum, ut ad emendationem & pœnitentiam redeat, commonitum habeat. Qui peccans si commonitus inobediens & incorrigibilis permanserit, & ad emendationem redire noluerit, regiam [g] & reipublicæ potestatem [h] per seipsos, & per ministros suos adeant, ut constringatur, & ad emendationem & pœnitentiam peccator redeat. Qui etiam si ita ad correctionem perduci nequiverit, tunc secundum leges ecclesiasticas, medicinali separatione [i] communionis ecclesiasticæ segregetur.

Ut illis hominibus, qui in talibus perturbationibus (sicut in his præteritis annis [k] accidit) in Deum & in sanctam ecclesiam atque in eos peccaverunt, si ex veritate recognoscentes veniam petierint & deinceps nobis veraciter fideles esse voluerint, & in regnis nostris pacifici & quieti, & legibus ac justitiæ obedientes extiterint, rationabilis misericordia impendatur, non solum in indulgentia commissorum, & in concessionem proprietatum; verum etiam & in largitione honorum secundum nostram rationabilem possibilitatem.

Ut de rapinis ac deprædationibus, & de conspirationibus, ac seditionibus, & de raptis feminarum, sicut ecclesiasticæ & Christianæ leges, atque progenitorum capitula continent, ita in omnibus & ab omnibus conserventur.

ANNO CHRISTI 860.

Ut alia etiam capitula eorumdem progenitorum nostrorum de sanctæ ecclesiæ honore & immunitate ac conservatione, & [l] de regis etiam honore, & populi nobis commissi lege & justitia in omnibus & ab omnibus conserventur.

Ut nostri fideles unusquisque in suo ordine & statu veraciter sint de nobis securi, quia nullum abhinc inante contra legem, justitiam, & auctoritatem, ac justam rationem aut damnabimus, aut dehonorabimus, aut opprimemus, [m] & indebitis machinationibus affligemus, sed illorum scilicet veraciter nobis fidelium communi consilio, secundum Dei voluntatem, & commune salvamentum, ad restitutionem sanctæ Dei ecclesiæ, & ad statum regni, & ad honorem regium, atque pacem populi commissi pertinenti assensum præbebimus in hoc, ut non illi solum non sint nobis contradicentes, & resistentes ad ista [n] consequenda, verum etiam sic sint nobis fideles & obedientes, ac veri adjutores atque cooperatores vero consilio atque sincero auxilio ad ista peragenda quæ præmisimus, sicut [o] per rectum in suo ordine ac statu suo principi & seniori esse debent.

Ut sic simul & conjuncti & nos fratres & nepos noster adinvicem & nos cum fidelibus nostris, & fideles nostri nobiscum, & omnes simul cum Deo nos [p] conjugamus, & ut nobis sit propitius, illi pro devoto munere offeramus, & unusquisque omnium nostrum absque sua propria excusatione & justificatione recognoscamus, in quibus aut sigillatim, aut communiter, aut contra illius mandata, & decreta suorum sanctorum fecimus, aut consentimus in ordine ecclesiastico & statu regni, & per singula in medium illa producamus; & nemo nostrum suo aut amico, aut propinquo & confœderato, immo nec sibi ipsi sæcularitter parcat, ut spiritualiter & salubriter parcere possit: [q] quoniam sicut præmisimus in præcedenti capitulo, vero consilio & sincero auxilio illa in commune certatim emendari totis viribus procuremus, quantocius rationabiliter poterimus.

Et si aliquis de subditis in quocumque ordine & statu de hac convenientia exierit, aut se retraxerit, & huic communi decreto contradixerit: seniores cum veraciter fidelibus suis hanc secundum Dei voluntatem & legem & justam rationem, velit nolit ille qui divino consilio & decreto, & huic convenientiæ resistens & contradicens fuerit, exequantur. Et si aliquis de senioribus de hac convenientia exierit, aut se retraxerit, & huic communi decreto, quod absit, contradixerit: [r] complurium seniorum nostrorum consilio, & episcoporum judicio, ac communi consensu, qualiter de eo qui debite admonitus, incorrigibilis perseveravit, agendum sit, favente Domino, decernatur, & ut obnixius suprascripta capitula a nobis, auxiliante Domino, inviolabiliter observentur, & nos illa observaturos, ut certius credatur, manibus propriis subterfirmavimus.

Annuntiationes domni Ludovici regis apud [f] *Confluentem, lingua Theotisca.*

Vos scitis quid in isto regno evenit. Et ideo huc convenimus, ut de Dei voluntate, & sanctæ ejus

---

a *Baluz.* paris. b *Baluz.* ille qui. c *Baluz.* inreverentes.
d *Baluz.* persequamur. e *Baluz.* vel latendi. f *Baluz.* suscipiat, aut susceptam. g *Baluz.* vel.
h *Baluz.* per se episcopus, vel min stros suos adeat. i *Baluz.* a communione ecclesiastica.
k *Baluz.* acciderunt. l *Baluz.* de regio etiam honore atque vigore.
m *Baluz.* vel. n *Baluz.* exsequenda. o *Baluz.* per rectum unusquisque in suo.... esse debet.
p *Baluz.* reconjungamus. q *Baluz.* quin sicut. r *Baluz.* cum plures seniorum nostrorum fideles, & regnorum nostrorum primores in unum convenerint; eorum qui observaverint consilio & Episcoporum &c.
f *al.* Confluentes.

ANNO CHRISTI 860.

ejus ecclesiæ statu, & de nostra, ac vestra communi salute & honore, & de pace populi Christiani cum Dei adjutorio; & fidelium nostrorum consilio tractaremus. Et misimus hoc super episcopos & ceteros fideles nostros, ut illi hoc invenirent, qualiter nos ad hæc quæ diximus, exequenda adunaremur. Et volumus, ut sciatis; quia sicut illi invenerunt, & scripto nobis nuntiaverunt, adinvicem adunati sumus sicut fratres per rectum esse debent, & vos simul cum isto nepote nostro, & ille nobiscum, & etiam suos fratres & nepotes nostros in hac adunationis firmitate nobiscum recepimus, ita tamen ut si ipsi hanc firmitatem erga nos fecerint & observaverint.

Et sciatis quia non volumus, ut ullus inter nos abhinc inante alia verba portet nisi talia quę Deo sint placita, & ad nostram communem salutem, & ad nostrum honorem pertineant; ut sic simus sicut fratres invicem, & patrui cum nepotibus & nepotes cum patruis esse debent. Et si aliquis fuerit, qui hoc facere tentaverit, perducatur in medium ad rationem, & taliter inde castigetur, ut nemo alius similiter agere tentet.

Volumus ut ecclesiæ & casæ Dei, & episcopi & Dei homines, clerici, & monachi, & nonnæ talem mandeburdem & honorem habeant, sicut tempore nostrorum antecessorum habuerunt.

Et volumus ut vos & ceteri homines fideles nostri talem legem & rectitudinem & tale salvamentum in regnis nostris habeatis, sicut antecessores vestri tempore antecessorum nostrorum habuerunt, [a] & justitia & lex omnibus conservetur, & pauperes homines talem defensionem habeant, sicut tempore antecessorum nostrorum lex & consuetudo fuit, & sicut fideles nostri communiter consenserunt, & scripto nobis demonstraverunt, & nos cum illorum consilio consentimus, & [b] communiter volumus. Et si aliquis hoc perturbare voluerit, a nullo nostrum recipiatur, nisi ad rectam rationem aut rationabilem indulgentiæ concessionem deducatur. Sed de istis rapinis & prædationibus quas jam quasi pro lege multi per consuetudinem tenent, ab hoc die & deinceps de Dei banno & nostro bannimus, ut nemo hoc amplius præsumat, sed unusquisque intra patriam cum pace & sine oppressione pauperum & circummanentium consistat, & in hostem, & ad placitum, seu ad curtem veniens de suo sicuvarintæs, * & de domo sua moveat, ut cum pace venire & nobiscum stare, & ad domum suam redire possit. Et qui hoc transgressus fuerit, sicut tempore antecessorum nostrorum fuit, & in illorum capitulis continetur, volumus ut hoc in illis transgressionibus emendetur.

Sic Waitzius: ut edidi Serm. cap. Capitula Caroli Calvi quod sequitur.

Similiter & de conspirationibus & de raptis feminarum tam viduarum, quam puellarum atque nonnarum, bannimus ex Dei & nostro verbo, ut nullus hoc in nostris * regulis agere præsumat; & si quis hoc præsumpserit, secundum legem, & sicut in capitularibus progenitorum nostrorum continetur, sic hoc emendare cogatur. Hæc eadem Carolus Romana lingua pronuntiavit, & maxima parte lingua Teotisca recapitulavit.

* al. regule.

Post hæc domnus Ludovicus ad domnum Carolum fratrem suum lingua Romana dixit: Hoc si vobis placet, vestrum verbum habere volo de illis hominibus, qui ad meam fidem venerunt.

Et domnus Carolus excelsiore voce lingua Romana dixit: Illis hominibus, qui contra me [c] fecerunt, & sicut scitis, ad meum fratrem venerunt, propter Deum, & propter illius amorem, & pro illius gratia totum per dono quod contra me [d] nimis fecerunt, & alodes de hereditate & de * conquisima, & quod de donatione nostri senioris habuerunt; excepto illo quod de mea donatione venit, illis concedo, si mihi firmitatem fecerint, quod in regno meo pacifici sint, & sic vivant sicut Christiani in Christiano regno vivere debent. In hoc si frater meus meis fidelibus, qui contra illum [e] nihilo minus fecerunt, & me quando opus fuit adjuverint, similiter illorum alodes quos in regno illius habent, concesserit: sed & de illis alodibus quos de mea donatione habuerunt, & etiam de honoribus sicut cum illo melius considerabo, illis qui ad me retornabunt, voluntarie faciam.

ANNO CHRISTI 860.

* conquisitu ex Sirm. edit.

Et domnus Lotharius lingua Theotisca in supra annuntiatis capitulis se consentire dixit, & se observaturum illa promisit. Et tunc domnus Carolus iterum lingua Romana de pace commonuit, ut cum Dei gratia sani & salvi irent, & ut eos sanos revideret oravit, & annuntationi finem imposuit. *

* Plura addidit Sirm. cap. 27.

Auctor annalium Bertinianorum ad annum 860. Ludovicus, Karlus & Lotharius reges Kal. Junias apud Castrum quod Confluentes vocatur, conveniunt, ibique de pace inter se diu tractantes tandem concordiam atque amicitiam ipsi per se juramento firmant.

P. Jacobi Sirmondi Notæ.

Basilicæ S. Castoris.) Monasterii S. Castoris prope Confluentes ad Rhenum. Quem in locum, ut Nithardus lib. IV. narrat, convenerant olim, de paterni regni divisione tractaturi, Ludovicus & Karolus fidem cum Lothario fratre Imp. *quotidie ob commune colloquium sanctum Castorem petentes.* Ibi nunc pacem, quam superiore anno in insula Rheni ejusdem frustra tentarant, inter se & cum Lothario nepote componunt. Annales Pithœani DCCCLX. *Ludovicus rex, & Karolus frater ejus, neposque eorum Lotharius, cum primatibus suis in Confluente castello convenientes, pacem inter se & fidelitatem mutua sigilli juramento firmaverunt. Cujus sacramenti series hujusmodi fuit,* A MODO ET QUANDIU VIXERO, &c. integrum denim describit.

Altfridus.) Transrhenensis episcopus dicitur Flodoardo lib. III. c. XXIII. Hildesheimensis episcopus in synodo Moguntina DCCCXLVIII. cui interfuit. Vir insignis, Saxo genere, e primariis Ludovici regis consiliariis, ut ex iis etiam patet, quæ T. XXX. XXXIII. & XXXVI. Capitulorum narrantur, & in annalibus Pithœanis anno DCCCLXIV. atque ex Hincmari epistola nondum edita ad Ludovicum eumdem. Regino DCCCLXIX. *Altfridum episcopum de Saxonia prudentissimum virum.*

Franco, Christianus.) *Franconis nomen addit Sirmondi editio.* Franco Tugrensis episcopus Tit. XXXV. & XXXVIII. iterum occurret. Christianus Tit. XXX. episcopus Autisiodorensis, Abbonis successor, atque adeo collega, cum uterque hoc anno interfuisse & subscripsisse legatur synodo apud Tusiacum.

Vvulfadus abbas.) Resbacensis, opinor, quem synodo Pistensi anno DCCCLXII. interfuisse, unaque cum aliis privilegium S. Dionysio concessisse, ostendunt tabulæ ejusdem monasterii.

Nec vos forconsiliabo.) Tit. XXVII. & Tit. XXXVI. Annales Pithœani legunt *forsconsiliabo*, quomodo & superius Tit. VIII. scriptum *forsconsiliet*. Quod idem est, sicut forfactum & forisfactum idem. Ut igitur forisfacere hominem homini dicebant, in quem ille forfactum committeret: sic vitam vel honorem, alteri, aut alterum in vita vel in honore forconsiliare, qui malo consilio in illius vitam vel honorem machinaretur.

Et nonnæ.) Deo devotæ sanctimoniales, Tit. XXVII. Et in Flotildis visionibus: *Vidit se in quodam amœno loco,*

---

a *Baluz. addit:* & nos talem honorem & rectam potestatem in nostro regio nomine apud vos habeamus, sicut nostri antecessores apud vestros antecessores habuerunt.

b *Baluz.* observari communiter.

c *Baluz.* sic fecerunt sicut scitis, & ad.

d *Baluz.* misfecerunt.

e *Baluz.* nihil misfecerunt.

ANNO CHRISTI 860.

eo, velumque nigrum se super caput habere. De quo cum requisissi, audivit quod fieri nonna deberet. Flodoardus lib. III. c. XXVII. de Hincmari epistolis: *Teutbergæ abbatissæ, pro ordinatione Avennaci monasterii, de numero clericorum & nonnarum: significans se dispositisse* XX. *clericos, &* XXXX. *nonnas, ibidem consistere posse.* Sic etiam appellantur in synodo Bonifacii anno DCCXLII. & in altera Leptinensi. Vocabantur & nonnanes, ut in capitulis Karoli M. *De monasteriis minutis, ubi nonnanes sine regula sedent, volumus ut uno in loco congregatio fiat regularis, & episcopi prævideant ubi fieri possit.* Et in synodo Moguntina sub Karolo eodem c. XX. & passim. Nomen ex reverentia inditum, quo modo apud Græcos calogeges monachi dicti, & calogræ monachæ. Nonnos enim, & nonnas, nunc etiam Itali avos & avias dicunt. Quare ut hic nonnæ sunt monachæ, sic inter monachos etiam, eos qui priores erant, nonnos a junioribus ob paternam reverentiam vocari jussit regula S. Benedicti.

Talem mundeburdem.) Tuitionem ac defensionem. Ideo fere cum horum altero conjungitur. Tit. XXX. c. V. *sub tuitione ecclesiastica, & regia mundeburde.* T. XXXIII. *Mundeburdem autem, & defensionem sanctæ Romanæ ecclesiæ, pariter conservabimus.* Et apud Marculfum in formula de mundeburde regis. Alii mundæburdum scribebant, ut in epistola Karoli majoris domus pro S. Bonifacio in codice S. Remigii: *Et nobis suggessit, quod sub nostro mundeburdo, vel defensione, eum recipere deberemus.* Et in Karoli Calvi præcepto pro monasterio Gellensi: *quod monasterium sub tuitione & mundeburdo ex longo tempore constat esse comitis prædictæ civitatis*

De Dei Banno & de nostro verbo bannivimus.) Tit. XXVII. sub finem: *De quibus omnes admonere, atque omnes ex Dei banno & nostro cavere præcipimus.* Hic bannus est edictum; & bannire, publico banno edicere. Decretio Childeberti regis c. VIII. *Similiter Colonia convenit, & ita bannivimus, ut unusquisque judex latronem ut audierit ligare faciat.* In capitulis quæ missis dominicis data fuerunt a Karolo M. c. XX. *De banno domni Imperatoris, quod per semetipsum solitus est bannire. Id est de mundeburdio ecclesiarum, & viduarum, orphanorum, & minus potentum.* Quod igitur in commune vocabant aut præcipiebant, id quia banno, id est publica denunciatione, indicebatur, bannus erat. Aliæ fuerunt hujus vocis ab eodem fonte notiones, de quibus postea suis locis.

ANNO CHRISTI 860.

De suo sic vvarnitus.) Tit. XXXXIII. c. XXIV. *& ad hoc omnes vvarniti sint*, id est parati & necessariis rebus instructi. Quæ nunc eadem in vernacula nostra ejus vocis est notio. Ut cum domum vvarnitam dicimus, omni instrumento & supellectile sua ornatam atque instructam. Sive in hostem igitur, hoc est in exercitum, sive ad placita & publicos conventus, sive ad curtem & palatium regis veniendum est: sic de suo paratum unumquemque domo sua progredi jubet, ut nulli gravis esse cogatur, atque ab omni præda & direptione abstineat.

Etiam de honoribus.) Beneficiis, aut dignitatibus & muneribus publicis quibus fungebantur. Contendebat Ludovicus, ut qui a Karolo ad ipsum defciverat, pristinos honores reciperent, quibus spoliati a rege fuerant: sed obtinere non potuit. Annales Pithœani DCCCLIX. *Ludovicus tamen eis qui priore anno a Karolo deficientes sui effecti sunt, honores quos prius habuerunt impetrare non potuit. Dilata enim res est in proximo placito finienda.* At nunc etiam suspensa remanet.

ANNO CHRISTI 860.

CONCILIUM TULLENSE II.

APUD TUSIACUM.

ANNO CHRISTI 860.

Ab episcopis quatuordecim provinciarum in Tullensis territorii * villa Tusiaco Caroli Calvi & Lotharii regum auctoritate celebratum, sub die XI. Kalendas Novembres, indictione IX. id est, anno Christi DCCCLX. Nicolai papæ anno III. Caroli ejuidem regis XXI.

* Valle, *bibes mſ. c. S. Germani Autiſiodorenſis.*

editione Sirmondi.

TITULI CANONUM.

I. *Adverſus rerum ſacrarum pervaſores.*
II. *De velatis, Deoque ſacratis virginibus ac viduis incontinenter viventibus.*
III. *De perjuris, & falſis teſtibus.*
IV. *De iis qui rapinas, & alia ſcelera committunt.*
V. *Ut clerici & monachi vagi ad epiſcopos & abbates ſuos revocentur.*

PRÆFATIO.

XIV. alibi memorantur epiſtolis.

CUM in nomine Dei omnipotentis nos epiſcopi * ex provinciis * XII. Veſontionenſi ſcilicet, Lugdunenſi, Trevirenſi, Rhemenſi, Viennenſi, Senonica, Agrippinenſi, Biturigenſi, Turonenſi, Burdigalenſi, Narbonenſi, Rothomagenſi, & ſi qui alii ex aliis provinciis, conveniſſemus in territorio Tullenſi, in villa Tuſiaco, anno incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCLX. indictione IX. cœpimus auxilio Dei noſtri tractare de ſtatu temporis noſtri, & de periculo pereuntis populi ſub manu noſtra conſtituti: & quomodo peccatis noſtris agentibus omnes leges, tam divinæ, quam humanæ, contemptæ ſint, omniſque ordo religionis confuſus, ſolumque maledictum, & mendacium, & adulterium, & homicidium inundaverint, & ſanguis ſanguinem tetigerit, & propterea vorata ſit terra, & infirmatus ſit omnis qui habitat in ea. Cum igitur de his & ſimilibus tractaremus, juxta manum Dei noſtri propitiam nobiſcum, ut ſecundum regulam patrum noſtrorum ſtaremus in viis Dei noſtri, decrevimus ſingulis malis emergentibus, zelo canonicæ pietatis, cenſura diſtrictionis obviare, ac ſacrilegos, & flagitioſos, atque facinoroſos, de domo Dei noſtri flagello diſciplinæ cædendo eliminare. Et quia inveteratum vulnus malitiæ plaga deſperationis fecit, ferrum ſectionis adhibere, ne quod ſanum remanſerat putredine tabefieret.

CANONES.

I.

In primis igitur propter pertinaciam multorum, qui cum ſint ſacrilegi, templum Dei in ſemetipſis corrumpentes, ſacras res, ex oblatione & voto fidelium ſacris votis contraditas, invadere non timent, ſtatuimus, ſecundum regulam antiquam patrum noſtrorum, ut ſi quis oblationes fructuum, & rerum omnium, quæ miniſtris eccleſiæ conferuntur, aut collatæ ſunt, extra eccleſiam accipere vel dare voluerit præter conſcientiam epiſcopi, vel ejus qui conſtitutus eſt ab eo ad diſpenſanda officio eccleſiaſtico diſpoſita, tam is qui dat, quamque is qui accipit, anathema ſit, judicio omnipotentis Dei, niſi reſipuerit, perpetuo damnatus, & dum vivit, ita a cœtu & ſocietate fidelium remotus, a corpore & ſanguine Domini ſe-

pa-

ANNO CHRISTI 860.

paratus, ut nec in fine communione accipiat, neque corpus ipsius more fidelium, cum oblationibus & psalmis atque hymnis ad sepulturam deducatur. Si clericus tanta cupiditate sacrilegii corruptus, aut laicus quicumque hac iniquitate deceptus fuerit, & cognoscens damnationem suam, pœnitentiæ remediis secundum ordinem & dispensationem sui episcopi se submiserit, volumus ut pervasa & præsumpta secundum qualitatem personæ, aut in triplum, aut in quadruplum ecclesiæ, cui damnum illatum est, primum restituat: inde pro sacrilegio ab episcopo suo consilium salutis, & pœnitentiæ modum suscipiat.

II.

De velatis & sacratis Deo, tam viduis quam virginibus, si clam adulteraverint, vel si publice nupserint, sive de viduis incontinentibus, quæ luxuriando turpissime in domibus suis vivunt; ita ut etiam quædam filias suas lascivis juvenibus in concubinas substituerint, licet a patribus nostris, quorum loca & vices tenemus, sufficienter qua districtione feriantur definitum sit, volumus ut usque ad finem vitæ in ergastulis retrusæ pœnitentiam agant: viri autem, qui vim eis intulerint, & ipsi censura ecclesiastica ad pœnitentiam constrigantur, habeantque principes & judices hanc in populo Dei diligentiam, ut ubicumque tales in potestate eorum ab episcopis requisiti fuerint, absque mora eos exhibeant: ne forte, si dissimulaverint, aut mandatum episcopi contempserint, ab ecclesia Dei projecti nec sepulturam cum fidelibus accipiant.

III.

De his quoque, qui jurant & perjurant in nomine Dei omnipotentis mendaciter, quod genus mali nimis prævaluisse dolemus, & de falsis testibus, quorum exsecrabilis malitia usquequaque prævaluit, quod a sanctis patribus nostris ex eis definitum est servetur, atque duræ & districtæ pœnitentiæ subdantur, quamdiu in crimine manent, foras ab ecclesia projecti, neque nomen eorum inter fideles recitatum habeatur.

IV.

De his etiam qui rapinas exercent, incendia, stupra inaudita committunt, cædes & homicidia perpetrant, res ecclesiarum subtrahunt atque diripiunt, quantum ad judicium nostrum attinet, volumus ut sive auctores tanti criminis, sive fautores eorum qui cum eis collecti participant, a sacro missarum officio, a foribus ecclesiarum, ab omni societate Christiana, usquedum pœnitentiæ se humiliter submittant, removeantur. Invicem sibi episcopi pro his scripta transmittant, quatenus omnes sciant cum talibus damnatis nullam communionem habere: parique sententia teneatur obnoxius, qui post interdictum cum eis communicaverit.

V.

Quia peccatis nostris agentibus plurima loca Deo sacrata incensa & vastata sunt a perfidis Christianis, & a crudeli etiam gente Northmannorum, sub hac occasione multi lascivi clerici & monachi relicto religionis habitu retro abierunt, & absque ulla canonica licentia & reverentia vagabundi feruntur, ab ovili gregis Dei errantes. Ideoque patrum auctoritate volumus, ut talibus omnibus necessitas imponatur, quatenus ad ordinationem & dispositionem episcoporum & abbatum suorum revertantur, & sub disciplina eorum maneant.

Post hæc ultima verba in ms. codice S. Germani Autisiodorensis adscripta sunt quæ sequuntur.

Hæc, fratres carissimi & consacerdotes nostri, quæ unanimi vobis intentione secundum sententiam XI.[1] episcoporum promulgata, tenenda omnino & conservanda sunt, videlicet ut omnes raptores sanctimonialium virginumque atque viduarum, cujuscumque etiam rei prædones, incestos, perjuros, oppressoresque pauperum, invasores rerum ecclesiasticarum, usurarum exactores, hoc videlicet qui judicantes, magis pauperes compellunt reddere quam acceptum fuerat in prima donatione, nec non subtractores decimarum..... *desunt reliqua.*

SUBSCRIPTIONES EPISCOPORUM.

Ego Arduicus Vesontionensis episcopus, has constitutiones zelo pietatis perfectas relegi, consensi, & subscripsi.

Ego Vvenilo Senonicæ urbis episcopus consensi, &c.

Hincmarus sacræ Rhemorum ecclesiæ episcopus consensi, &c.

Ado humilis Viennensis episcopus consensi & subscripsi.

Theutgaudus Trevirorum episcopus consensi, &c.

Guntharius Agrippinensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Rodulfus sacræ Biturigensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Herardus Turonum episcopus consensi & subscripsi.

Frotarius Burdigalensium episcopus subscripsi.

Predoldus Narbonensium episcopus subscripsi.

Remigius Lugdunensis episcopus subscripsi.

Vvenilo Rothomagensis episcopus subscripsi.

Hildegarius Meldensis episcopus subscripsi.

Adventius Mediomatricorum episcopus subscripsi.

Æneas

1 Hinc discimus Episcopos duntaxat 40. Concilio Tusiacensi interfuisse, tametsi & subscribunt Episcopi 57. Ut enim Mabillonius tom. 1. Analect. p. 58. animadvertit, hoc accidit duabus ex causis; quia scilicet ejusdem sedis Episcopi duo interdum subscripsere; Episcopi nempe Noviomenses duo, *Rainelmus* & *Immo* ejus successor: duo item Autisiodorenses, *Christianus* & *Abbo*. Ad hæc subscripsere etiam absentes nonnulli, ad quos ejusdem Concilii exemplar transmissum est. *Pagius ad An. Ch.* 860. *num.* 5.

Æneas Parisiorum episcopus subscripsi.
Atto Virodunensis ecclesiæ episcopus subscripsi.
Erpuinus Silvanectensium episcopus subscripsi.
Hincmarus Laudunensium episcopus subscripsi.
Christianus Antisiodorensium episcopus subscripsi.
Eurus Carcasonensium episcopus subscripsi.
Audesindus * Roscellensium episcopus subscripsi.
Godelsadus Cebilonensium episcopus subscripsi.
Gundebertus Ebrocensium episcopus subscripsi.
Isaac Lingonensium episcopus subscripsi.
Jonas Æduorum episcopus subscripsi.
Breindincus Matisconensium episcopus subscripsi.
Adahulfus Barcinonensium episcopus subscripsi.
Agius Aurelianorum episcopus subscripsi.
Erchanraus Catalaunensium episcopus subscripsi.
Huntfridus Morinensium episcopus subscripsi.
* Rainelmus Noviomagensium episcopus subscripsi.
Erchambertus Bajocacensium episcopus subscripsi.
Hilduinus Avennicorum episcopus subscripsi.
Vvisadus Orgellitanus episcopus subscripsi.
Stodilo Lemovicensium episcopus subscripsi.
Stabilis Arvernensium episcopus subscripsi.
Arduinus Vellaunensium episcopus subscripsi.
Engenoldus Pictavensium episcopus subscripsi.
Dagbertus Agathensium episcopus subscripsi.
Launus Æcolenensium episcopus subscripsi.
Arnulfus Tullensis episcopus subscripsi.
Rataldus Stratburgensis episcopus subscripsi.
Franco Tungrensis episcopus subscripsi.
Teutramus Darantasiæ metropolitanæ episcopus, &c.
Immo Noviomagorum episcopus subscripsi.
Ebbo Gratianopolitanus episcopus subscripsi.
Ungerius Trajectensis episcopus subscripsi.
Fredebertus Basileensis episcopus subscripsi.
Rothadus Suessonicus episcopus subscripsi.
Irminfridus Bellovacus episcopus subscripsi.
Abbo Antisiodorensis episcopus subscripsi.
Gislebertus Carnotensis episcopus subscripsi.
Ratbertus Valentinensis episcopus subscripsi.
Dodo Andegavensium episcopus subscripsi.
Hilmeradus Ambianensium episcopus subscripsi.
Vvaltbertus Abrincatensium episcopus subscripsi.
Abbo Maurianensium episcopus subscripsi.

Observatio Philippi Labbe, S. J.

Subscriptiones illæ admonent veteris cujusdam diplomatis, quod jam a tredecim annis memini me publicasse tomo II. Miscellaneorum curiosorum cap. VIII. §. 4. pag. 464. Illud vero depromptum fuit ex archivo celeberrimæ toto orbe S. Martini Turonensis ecclesiæ in hæc verba.

Sancta generalis synodus episcoporum XIV. provinciarum: Lugdunensium scilicet, Rothomagensium, Turonensium, Senonensium, Viennensium, Arelatensium, Vesontionensium, Moguntinorum, Agrippinensium, Trevirensium, Rhemorum, Biturigensium, Burdegalensium, Narbonensium, qui secundum instituta ecclesiastica favore sedis apostolicæ, ac nutu dominorum nostrorum Caroli Calvi & Clotarii regum glorioſorum anno dominic. incarnat. DCCCLX. indict. IX. VII. Idus Novembris convenimus in villam Tussiacum Tollensis parochiæ, omnibus ordinibus, potestatibus, personis, ac dignitatibus universis, gratia vobis & pax a Deo patre, & D. N. J. C. vero filio ejus, & a SS. Trinitate individuæ deitatis, &c. Cum

ANNO CHRISTI 860.

A apud nos ecclesiæ utilitatis atque necessitatis negotia more ecclesiastico ventilarentur atque definirentur obtulit nobis venerabilis abba Hilduinus privilegia monasterii S. Martini, quorum tenorem cum primis beatorum episcoporum ac prædecessorum nostrorum subscriptionibus roborata, inter quæ ostendit nobis testamentum S. Aredii de rebus a se S. Martino datis, quod ipse manu sua conscripsit, & sub maximis attestationibus confirmavit. Testamenta etiam de Bladonio & de Burgogio, & de Lirado, necnon & præcepta regum atque imperatorum, qui tempore obitus B. Martini ipsum cœnobium honorabiliter coluerunt, & rebus atque donis admodum ditarunt, sacra synodo præsentavit. Prosecutus est etiam idem venerabilis abba Hilduinus, quoniam infestatione Normannorum, qui ante hos annos monasterium illud incenderunt, quædam tantorum privilegia episcoporum, præcepta regum ex eodem loco sunt perdita, sed plura paucis pereuntibus ministrorum sunt sollicitudine custodita: sed & in commotione regni, quæ mota est nuper seditiosorum hominum factione, quædam loca & villas minus necessario Deum timentes sibi in suam perniciem usurparunt, inter quos & Emenus B monasterium S. Aredii, quos etiam tertio & regia potestas & episcopalis auctoritas interdixit, sed diabolica obduratione a suo perverso conatu resipiscere noluit. Suavis quoque & durus conamine & actione in damnationem suam sibi usurpare præsumpsit. Quapropter tantorum episcoporum ac prædecessorum nostrorum, qui cum Domino in cælis regnant, & in terris miraculis coruscant, confirmationis privilegia confirmantes, & obtestantes, ut honoris privilegium, quod cœnobium venerandi semperque colendi B. Martini pontificis glorioſi tunc temporis habuit, quando domnus Karolus divæ memoriæ imperator ab isto sæculo emigravit, ab orbe contervetur. Res quoque & mancipia, tam in Alemannia quam in Francia, vel in Italia sive Aquitania, seu in Provincia, vel ubi legitimo jure possedit, vel quæ de cetero collata a quoque extiterint, nemo contra statuta canonum sibi usurpare præsumat, sive pessumdet, & præsumptores qui eas nunc indebite retinent, postquam hæc ex divino mandato præceptionis & C confirmationis nostra auctoritas ad eorum notitiam venerit, nullatenus contra statuta divina vota fidelium infidelium usurpatione sibi evindicent, sed dispositione rectoris monasterii B. Martini, quæ sua sunt licenter & libere ordinari permittant. At si contra hæc statuta forte quisquam præsumpserit, secundum canonicas & apostolicas regulas, ac privilegia beatorum episcoporum, qui nos in Domino præcesserunt, & juxta S. Aredii testamentum a communione redemptionis nostræ, & omnium fidelium societate, judicio sancti Spiritus alienus efficiatur, donec resipiscat, & quæ monasterio S. Martini sunt tradita cum satisfactione restituat.

Herardus Turonensis metropolitanus episcopus.
Rod Ifus Bituricensis archiepiscopus.
Guntharius Agrippinensis ecclesiæ episcopus.
Atto (1) indignus episcopus firmavit.
Launus Æqualesinæ sedis episcopus.
Arduinus (2) Vvillavæ ecclesiæ episcopus.
Stabilis (3) Taravanensis sedis episcopus.
Raginelmus Tornacensis ecclesiæ episcopus.
D (4) Humfredus Morinorum ecclesiæ episcopus.
Jonas Eduorum episcopus.
Christianus Autisiodorensis episcopus.
Hincmarus S. Remensis ecclesiæ episcopus.
Vvamilo Dei munere Senonensis episcopus.
Frotarius Burdegalensis episcopus.
Hado munere divino Viennensis episcopus.
(5) Arius indignus episcopus signavit.
Ercambertus indignus episcopus.
Ercanraus (6) Catalacensis episcopus.
Isaac S. Lingonensis ecclesiæ episcopus.
(7) Baraldinus Matiscensium ecclesiæ episcopus.
(8) Godefalcus Cabilonensium ecclesiæ humilis episcopus.
(9) Adulfus Barcilonensis episcopus.
Hildegarius Meldensis ecclesiæ episcopus.
(10) Gumbertus Ebroicenus ecclesiæ episcopus.
Vvisaus S. Mariæ H. episcopus.
(11) Inganardus Pictavensis episcopus.
Æneas Parisii indignus episcopus.
E Audesindus Helenensis episcopus.
Ego Alduinus indignus episcopus Aralatensis.
Ego Fridolus indignus episcopus.
(12) Stadilo episcopus.

EPI-

(1) *Supra*, Virodunensis (2) *Supra*, Vellaunensium. (3) *Supra*, Arvernensium. (4) *Supra*, Humfridus. (5) *Forte*, Agius. (6) *Supra*, Catalaunensis. (7) *Supra*, Breindincus. (8) *Supra*, Godelsadus. (9) *Supra*, Adahulfus. (10) *Supra*, Gundebertus. (11) *Supra*, Engenoldus. (12) *Supra*, Stodilo Lemovicensium.

ANNO CHRISTI 860.

EPISTOLA SYNODALIS CONCILII EJUSDEM AD RERUM ECCLESIASTICARUM pervasores, & ad pauperum prædatores.

Unde, & quando, ac qualiter acciderit, ut res ecclesiasticæ Domino sint consecratæ, & quantum sit periculum pauperes deprædari.

Anno incarnationis dominicæ DCCCLX. *indictione* IX. XI. *Kalendas Novembres, Sancta Synodus congregata in villa Tusiaco Tullensis parœciæ, episcoporum* XIV. *provinciarum, Lugdunensium videlicet, Rothomagensium, Turonensium, Senonum, Viennensium, Arelatensium, Vesontionum, Mogontinensium, Agrippinensium, Trevirorum, Rhemorum, Biturigensium, Burdigalensium, Narbonensium, omnibus Dei fidelibus, & sanctæ ecclesiæ filiis, ad quos hæc divinæ constitutionis notitia potuerit pervenire, pacem & salutem optat in Domino.*

DEus omnipotens, summus & verus, unus ac solus, Pater scilicet, & Filius, qui est consubstantiale Verbum ejus, & utriusque Spiritus sanctus, utrique coæternus, ac coæqualis, Trinitas inconfusa atque inseparabilis, qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem, quem nemo hominum vidit, nec videre potest, nec locorum vel finito vel infinito spatio continetur, nec temporum vel finito vel infinito volumine variatur; neque enim est in ejus substantia, qua Deus est, quod brevius sit in parte, quam toto; qui sine initio est, & permanet sine fine, incommutabili æternitate vivens; creavit omnia simul, ex quibus currerent tempora, & implerentur loca, temporalibusque & localibus rerum motibus sæcula volverentur. In quibus rebus quædam spiritalia, quædam corporalia, visibilia siquidem & invisibilia condidit: formans materiem, quam nec alius, nec nullus, sed omnino ipse informem ac formabilem instituit, ut formationem suam non tempore, sed origine præveniret; testante scriptura: *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* Et: *In principio fecit Deus cælum & terram*, & omnia opera sua bona valde, quæ in cælo sunt & quæ in terra. Duas quoque harum creaturarum suarum rationales creaturas, scilicet angelicam & humanam, imaginis & similitudinis suæ dote ditatas, cum libero arbitrio condidit: ut sicut ipse non necessitate, sed natura est bonus & voluntarie, & ita ipsæ rationales creaturæ non constrictæ necessitate, sed bonæ essent, ut natura, ita & voluntarie. Quia si tales essent, ut liberæ voluntatis arbitrio malum vitare, & bonum non possent agere, lapidibus, & ceteris rebus insensibilibus, atque irrationabilibus potius quam Deo similes essent, & merito illius retributione carerent, nec esset unde pro qualitate voluntatis & actionis remunerarentur a Deo, qui ideo bonus est, quia vult, non quia cogitur: quique bonum velle non ex accidenti, sed ut & bonus & omnipotens esset essentialiter habet. Cui secundum quorumdam opinionem sententiæ non repugnat, quod dicit apostolus, *Seipsum negare non potest.* Porro nec peccare, nec mori potest. Et tamen non falso angelus & homo, qui potuere peccare, imaginis & similitudinis ejus dignitate donati leguntur. Quia aliud est similitudo, & aliud signaculum similitudinis: & aliud imaginem esse, & aliud ad imaginem factum esse. Solus quippe consubstantialis Filius essentialiter imago invisibilis, & splendor, & figura est substantiæ Dei Patris. Sic ad omnipotentis hoc vel magis omnipotentiam pertinet: quia aliud non potest quam bonum velle, & aliud quam bonus & omnipotens esse, & seipsum negare, peccare quoque, vel mori, mutari, falli, miser fieri, seu vinci non potest. Hæc atque hujusmodi abst ut possit omnipotens. Sed quia non vult, non potest, quia & velle non potest. Non enim potest justitia velle facere quod injustum est, aut sapientia velle quod stultum est, aut veritas velle quod falsum est. Ac per hoc non solum ostendit veritas omnipotentem non esse, quod ista non possit: sed etiam cogit veritas omnipotentem non esse, qui hæc possit. Volens enim est Deus quidquid est, æternus ergo, & incommutabilis, & verax, & beatus, & insuperabilis volens est. Si ergo potest esse quod non vult, omnipotens non est, est autem omnipotens: ergo quidquid vult potest: & ideo quod non vult esse, non potest, qui propterea dicitur omnipotens, quoniam quidquid vult potest. De quo & psalmus dicit: *In cælo & in terra omnia quæcumque voluit fecit.* Nihil enim in cælo vel in terra fit, nisi quod ipse aut propitius facit, aut fieri juste permittit. Qui vult omnes homines salvos fieri, & neminem vult perire. Sed justus Dominus justitiam diligens, & iniquitatem non volens, eis quos ad imaginem & similitudinem suam fecit, nec post primi hominis casum vult tollere violenter suæ voluntatis arbitrium liberum; quibus reddere paratus est meritum, ut scriptura demonstrat: *Quis est*, inquiens, *homo qui vult vitam?* & ac si respondenti, Ego, Dominus dicit: *Diverte a malo, & fac bonum.* Et e regione volens salvari dicit: *Voluntarie sacrificabo tibi.* Et: *Ex voluntate mea confitebor illi.* De quo scriptum est. *Quia non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia.* Ut autem ambulantes ambulent & perseverent in innocentia, sanat & adjuvat eorum arbitrium gratia; attestante apostolo: *Gratia Dei in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi: non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Quibus & aliis scripturæ sententiis, quoniam post casum primi hominis inest homini ad bene volendum, & ad bonum incipiendum & perficiendum, atque in bono perseverandum, liberum arbitrium, gratia liberatum, & gratia de corrupto sanatum, gratia præventum, adjutum, & coronandum. A bono autem deficiens, & in malo proficiens homo, post casum primi hominis habet arbitrium liberum, scilicet justitiæ liberum, peccati servum: quo qui se elongant a Deo volente congregare filios nolentis Jerusalem, peribunt. Unde quia gratia Dei est, salvatur mundus: & quia inest liberum arbitrium homini, judicabitur mundus. Ex his namque rationalibus creaturis, angelica videlicet & humana, angelos ad se cognoscendum atque perpetuo collaudandum in cælesti gloria collocavit. Unde pars quædam angelorum ex superbia debriata per liberum arbitrium cecidit, qui appellantur diaboli; & tales suo vitio sunt effecti, ut jam non velint nec possint meriti esse boni, sicut & illi qui per liberum arbitrium in voluntate conditoris permanserunt, ipsius gratia, & retributione justitiæ, acceperunt in munere, quod creator, cujus signaculum similitudinis sunt, habet essentia, ut non velint, nec valeant esse mali. Hominem vero opifex Deus corpore de limo terræ formavit, cui animam de incomprehensibili nobis suæ virtutis opere, in moribus & æternitate ad imaginem & similitudinem suam conditam, in qua, interiore videlicet homine, per fidem in nobis habitat, insufflavit. In quo etsi exterior homo

Eccl. 18. *Gen.* 1.

1. *Tim.* 2.

Psal.

Psal. Ibidem

Psal. *Psal.* *Psal.*

1. *Cor*

noster

noſter corrumpitur, renovamur induentes novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate, & veritate. Et factum eumdem primum hominem in animam viventem, id eſt factam animam rationalem, factam carnem vivificantem, atque in duabus, & ex duabus, ſcilicet ſpiritus ac luti ſubſtantiis in unitate perſonæ ſubſiſtentem, in paradiſo deliciarum, quem plantaverat ab initio, poſuit, ut operaretur eum, vel in eo, ſicut & quæ ei præcepit, & cuſtodiret ne illa admitteret, quæ & ſicut illi prohibuit. Cui ex latere fabricavit mulierem, dum in ſomno corporis obdormivit, unde & dixit: *Erunt duo in carne una*, itaque jam non ſunt duo, ſed una caro, ſecundum præſcientiam ſuam, qua novit omnia etiam antequam fiant, vero demonſtrans indicio, quoniam ſine transfuſione ſeminis viri, ex femina ipſe venturus eſſet in carnem, ad redimendum hominem, qui in carne condidit hominem. Et qui eum fabricavit ex pulvere, quo ſine ſeminis transfuſione hominem fecit ex homine, homines quoque fabricentur ex ſemine. Quique corporis morte in cruce pro omnibus mortis debitoribus, ſolus inter mortuos liber a mortis debito dormiens, prædeſtinatus Filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis, & prædeſtinatorum omnium caput, ac lumen, atque exemplum factus ex muliere, legiſque lator qui legi nihil deberet, factus ſub obedientia legis, ut eos, qui ſub lege peccati & mortis futuri erant, redimeret, ut adoptionem filiorum, quam in Adam perdituri eramus, reciperemus: de his qui in eum credere voluerint, ſive adventum ejus in carne præceſſerint, ſive etiam forent ſecuti, (nam *per gratiam*, inquit, *Domini Jeſu ſalvari credimus, quemadmodum & illi*) ædificaturus erat eccleſiam aperto lancea latere, de quo produxit aquam & ſanguinem, quibus nunc lavacro rigatur & poculo, id eſt mundatur aqua baptiſmatis, & per fidem illi incorporatur potato ſanguine redemptionis, juſtificata ſpiritu ſanctificationis. Hoc ſacramentum magnum eſt in Chriſto & in eccleſia, quæ eodem Spiritu ſancto ab immaculato divini fontis utero ſuos regenerat natos, quo & de illibata virgine Chriſtus eſt natus. Idem namque primus homo, quia & Eva ipſa eſt Adam, conditus ut dominaretur creaturæ a creatore factæ, & diſponeret orbem terrarum in juſtitia & æquitate, & in directione cordis judicium judicaret, ſi in accepta lege vitæ & diſciplinæ libero arbitrio permanſiſſet; Videlicet ſi in conditoris voluntate perſeveraſſet ut non peccaret; nec ipſe moreretur, nec mortales, neque mortis ac gehennæ filios generaret. Sed merito hujus permanſionis, & retributione juſtitiæ, ſicut & ſancti angeli acceperunt, accepiſſet in munere, quod creator, ad cujus imaginem & ſimilitudinem conditus eſt, habet eſſentia, ut nec peccare vellet, nec jam cadere poſſet. Ipſi autem diabolo invidenti quia illuc erat homo terrenus per debitam obedientiam aſcenſurus, unde ipſe cecidit per ſuperbiam angelicus ſpiritus, & mendacia ſuadenti plus credens, quam voluntati conditoris ſui obediens, abuſus arbitrio libero deſeruit Deum, & deſertus juſte a Deo peccavit ac cecidit, & per malum velle perdidit bonum poſſe, qui per poſſe bonum vincere potuit velle malum. Qua de re facta eſt maſſa perditionis totius humani generis. De qua ſi nullus ad ſalutem eriperetur, irreprehenſibilis eſſet Dei juſtitia: quia vero multi ſalvantur, ineffabilis eſt Dei gratia, qui ab ipſo mundi primordio, incipiens ab Abel juſto, ſalutis humanæ præcones mundo in ſua infirmitate languenti, & in peccatorum ſuorum tenebris tabeſcenti, donec ipſe lux mundi adveniret, per patriarchas, & legis doctores atque prophetas, ac juſtos verbis & prodigiis prædicans, conſolando præmiſit. Tamdem ipſe, qui ſemper unum, & ubique eſt cum Patre & Spiritu Sancto eſſentia majeſtatis, propter nos homines & propter noſtram ſalutem, opere conceptus ejuſdem Spiritus ſancti, natus ex Maria virgine, id eſt ex virginea maternæ carnis ſubſtantia, in duabus & ex duabus naturis atque ſubſtantiis, divinitatis ſcilicet & humanitatis, verus per omnia Deus, & verus homo anima rationali & humana carne in unitate perſonæ ſubſiſtens, ad nos per præſentiam aſſumptæ veniens carnis, factis & dictis ad aliud in ſe credentes ſæculum invitavit, id eſt ad gloriam ſempiternam, quam angeli ſancti habent in cælo, & ad quam obtinendam conditus fuerat primus homo. Et quoniam ad illam pervenire non poſſumus, niſi ſicut nos docuit de quo ſcriptum eſt: *Quia ſic oportuit pati Chriſtum, & intrare in gloriam ſuam*, dux & doctor hujus itineris, ſcilicet per labores ac dolores, quos in primo parente meruimus, promerentes regnum Dei, quia non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis: & in illius agonis ſcammate certantes, ſine viatico non valemus ſubſiſtere: primitiva eccleſia, id eſt fideles in exordio naſcentis eccleſiæ vendebant omnia quæ poſſidebant, & deferebant poſſeſſionum ſuarum pretium ad pedes apoſtolorum, docentes non debere a rationali homine ſerviri, ſed domineri divitiis, & uti eis in tranſitum, non eas amare pro æterna perventione. De quo pretio dividebatur ſingulis, prout cuique opus erat. Cum autem gratia Dei cœpit multipicari credentium numerus, ad quorum ſuſtentationem non ſufficiebat pretii reditus, quoniam omnes ad hoc non dabant, neque valebant compelli, ut a conjugio, & in totum a mundanis vacarent actibus, ne ſæculum deperiret, donec omnes qui ſalvandi ſunt, id eſt omnes prædeſtinati, veluti ſcriptum eſt, filii Dei, qui erant diſperſi, id eſt in maſſæ generaliter perditæ ex debito relictione conſperſi, & ex ea, antequam mundus fieret, prædeſtinatione Dei, cui nihil præteritum tranſiit, acciditque futurum, electi, ſcilicet gratia Dei, congregentur in unum: in plenitudinem videlicet cæleſtis ac ſempiternæ eccleſiæ, ad quam tanti ex hominibus ſalvatis, & eidem ſociandis ſunt aſcenſuri unde diabolus cum ſuis ſequacibus cecidit, quanti illic electi angeli remanſerunt: ut unum ovile unius paſtoris ſcilicet, & individuæ Trinitatis perpetua viſione, & perfecta cognitione, quæ eſt non ſolum hominum, ſed & angelorum vita, ſine fine gaudeat, ſocietate glorioſa repletum: conſtituit idem Dominus & magiſter ſalutis per ſanctos ſuos, in quibus & cum quibus loquebatur, & per quos ſuam gubernabat, & uſque hodie meritis & precibus gubernat eccleſiam; ut credentes non jam ex aſſe poſſeſſiones & prædia venumdarent; ſed de ipſis poſſeſſionibus Domino conſecrarent, unde qui quaſi ſpecialiter eidem Dominorum Domino adhærent, & miniſtri ſermonis, & donorum æternæ ſalutis, atque mediatores inter Deum & homines ope fiunt aſſiduæ interceſſionis, vivant; & in omnibus neceſſariis, ſine quibus humana fragilitas non poteſt ſubſiſtere, eis in eleemoſynas eorum, qui eaſdem poſſeſſiones Domino conſecrarunt, miniſtretur, ut dum Chriſti pauperes, atque miniſtri eccleſiæ, ex his in præſenti ſubſiſtunt ſæculo, largitores poſſeſſionum de ſua fideli eleemoſyna, ſicut & in baptiſmate, a malo tunditus converſi, & cum fide recta perſeverantes

Luc. 24.

in bonis operibus, mundentur a peccato, & effi-
ANNO CHRISTI 860. ciantur Christo, cui eas devoverant, consortes in
Luc 11. cælo, sicut ipse dicit in evangelio. *Date eleemosy-*
Matth. 25. *nam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Et item.
Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.
Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod
vobis paratum est ab origine mundi. Quapropter
sicut illi, qui seipsos ac divitias & possessiones
suas Domino fideli mente consecraverunt, hæredes Dei & cohæredes Christi per prophetas &
apostolos, & ab ipso Domino appellantur, &
fiunt: ita & tales possessiones atque facultates,
Domino in suis ecclesiis, & in specialibus servorum ipsius usibus consecratæ; propter fideles Christi, qui eis & exinde aluntur, Dei hæreditas,
cum orbis terrarum & plenitudo ejus ipsius sit,
quasi specialiter appellantur. Sicut enim, quando
omnis domus Israel Domini hæreditas vocabatur,
tribus tamen Levi, quasi decimatio adhuc etiam
in lumbis Abrahæ a Deo electa, cum decimis &
primitiis, urbibus & suburbiis, villabus atque possessionibus & facultatibus cunctis, specialis Domini hæreditas, pars, vel assumptio dicebatur: ita
& isti, qui clerus, id est sors vel pars Domini
appellantur, cum omnibus ecclesiis, id est divinis
ovilibus ad se pertinentibus, specialis Christi hæreditas dicitur & existit: cum omnes credentes
ac credituri, tam ex circumcisione, quam qui
ex præputio, Christi hæreditas appellentur, dicente propheta: *Deus, venerunt gentes in hæreditatem*
Psal. 78. *tuam.* Et: *Postula a me, & dabo tibi gentes hæ-*
Psal. 2. *reditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.*
De quibus quicumque indebite quodam abutitur,
sine ulla dubitatione illa maledictione mulctatur,
& ipsa tenetur obnoxius, quam & cælestis &
omnis terrena continue Domino decantat ecclesia: *Qui dixerunt*, inquiens, *hæreditate possideamus*
Psal. 82. *sanctuarium Dei. Deus meus, pone illos ut rotam,*
& sicut stipulam ante faciem venti. Sicut ignis qui
comburit silvam, & sicut flamma comburens montes,
ita persequeris illos in tempestate tua, & in ira tua
turbabis eos. Impie facies eorum ignominia, ut que-
rant nomen tuum Domine. Erubescant, & conturben-
tur in sæculum sæculi, & confundantur & pereant,
& cognoscant quia nomen tibi Dominus, tu solus
altissimus in omni terra. Sanctus quoque Anacletus papa, ab ipso beato Petro apostolo presbyter
ordinatus postea in sede Romana successor illius
factus episcopus, cum totius mundi sacerdotibus
judicavit: Qui abstulerit, inquiens, aliquid patri
vel matri, homicidæ particeps est. Pater noster
sine dubio Deus est, qui nos creavit: mater vero nostra ecclesia, quæ in baptismo spiritaliter regeneravit. Ergo qui Christi pecunias & ecclesiæ
rapit, aufert, vel fraudatur, homicida est, atque
ut homicida ante conspectum justi judicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur: qui autem res ecclesiæ abstulerit,
sacrilegium facit; & ut sacrilegus judicandus est.
Item, sanctus Urbanus papa & martyr: Res &
facultates ecclesiasticæ, oblationes appellantur,
quia Domino offeruntur, & vota sunt fidelium,
& pretia peccatorum, atque patrimonia pauperum.
Si quis illa rapuerit, reus est damnationis Ananiæ & Sapphiræ, & oportet hujusmodi tradere
satanæ, ut spiritus salvus sit in die Domini.
Item, sanctus Lucius papa: Rerum ecclesiasticarum & facultatum raptores, a liminibus sanctæ
ecclesiæ anathematizatos apostolica auctoritate pellimus & damnamus, atque sacrilegos esse judicamus, & non solum eos, sed & omnes consentientes eis: quia non solum qui faciunt, rei judicantur, sed etiam qui facientibus consentiunt.
Par enim pœna & agentes & consentientes com-
prehendit. A qua pœna consensus liberi esse non
possunt illi, quorum ministerium est, & qui talia possunt prohibere, comprimere, & emendare,
& ea non student corrigere. Et sanctus Gregorius in epistola ad Sabinum subdiaconum: Sacrilegum, inquit, & contra leges est, si quis quod
venerabilibus locis relinquitur, pravæ voluntatis
studus suis tentaverit compendiis retinere. Et
sanctus Augustinus in sermone evangelii sancti
Joannis dicit: Fur sacrilegus loculorum sacrorum & dominicorum est Judas: & qui aliquid de
ecclesia furatur & rapit, Judæ perdito comparatur. Et item in sacris canonibus a sancto Spiritu Conc.
dictatis, & Christi sanctione confirmatis, scriptum I. can.
est: Si quis de potentibus clericum, aut quemlibet pauperem, aut religiosum exspoliaverit, &
mandaverit ad ipsum episcopus, ut eum audiat:
si contempserit, invicem mox scripta percurrant
per omnes provinciæ episcopos, & quoscumque
adire potuerit, ut excommunicatus habeatur, donec audiat, & reddat aliena. Et item scriptum Conc.
est: Clerici etiam, vel sæculares, qui oblationes Can.
parentum, aut donatas, aut testamento relictas,
retinere præsumpserint, aut id quod ipsi donaverunt ecclesiis vel monasteriis crediderint auferendum, sicut synodus sancta constituit, velut necatores pauperum, quousque reddant, ab ecclesiis
excludantur. Unde summopere caveant potentiores quique, unusquisque in ordine & dignitate
sua, ne præsumant in damnationem suam res sibi ecclesiasticas, neque fatigent, vel affligant inconsuetis consuetudinibus Dei ecclesias, & loca
sanctorum: scientes quia, ut præmisimus, res ecclesiasticæ vota sunt fidelium, patrimonia pauperum, pretia peccatorum, & in tuitione atque defensione Christi consistunt, qui eas terræ principibus atque primoribus ad defendendum & conservandum, non ad affligendum vel usurpandum,
sive præsumendum, commisit. Nam, quæcumque
prætendatur a quocumque utilitatis, sive necessitatis occasio, ille corda omnium conspicit, qui
novit cogitationes hominum, & remunerat actiones, & etiam cogitationes irremuneratas nullatenus derelinquet. Quocirca omnis qui vult salvus
fieri, & ab æterna morte liberari, & ad æternam vitam pervenire, attentissima cordis aure
exaudiat quid Spiritus sanctus per eos locutus est,
quibus dixit Dominus: *Ecce ego vobiscum sum* Matth.
omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.
Et: *Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris* Matth.
vestri qui loquitur in vobis. Et: *Quæcumque alliga-* Matth.
veritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo. Et: *Accipite Spiritum sanctum: quorum* Joan.
remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum re-
tinueritis, retenta sunt. Et: *Qui vos audit, me au-* Luc. 1
dit, & qui vos spernit, me spernit. Dicunt enim
illi, qui in cælo & in terra miraculis coruscant,
qui & usque hodie nobiscum vivunt, & cum successoribus nostris usque in perpetuum vivent,
quoniam apud Dominum est merces eorum: Si Conc.
qui oblationes ecclesiæ extra ecclesiam accipere, gr. ca
vel dare voluerit, præter conscientiam episcopi,
vel ejus cui hujusmodi officia commissa sunt, nec
cum ejus voluerit agere consilio, anathema sit.
Anathema autem interpretatur in Romana lingua alienatio: quia omnis talia faciens, quamdiu
in illis peccatis manet, licet nos episcopi, qui in
apostolis, & cum apostolis, non nostro merito,
sed gratia divina, ligandi & solvendi potestatem
accepimus, interdum tardi, interdum divini sensus ignari, interdum quæ committantur nescientes, aliquando etiam commissa, ut expedit, corrigere non valentes, quæ statuta sunt exequi dis-

simu-

simulemus, vel etiam negligamus, ut talem hominem ab ecclesia, & fidelium societate excommunicantes non segregemus: jam tamen a sacris canonibus excommunicatus, & prædamnatus est, donec peccatum illud deserat, & per satisfactionem ecclesiasticam, & sacerdotalem reconciliationem, Domini gratiam, & fidelium societatem recipiat. Et quicumque in peccatis suis, & talibus sceleribus implicatus, ante satisfactionem necessariam, vitam istam finierit, communionem & societatem cum electis in regno Dei habere nullatenus poterit; nec de interni pœnis, & dæmonum societate unquam liberari valebit. Sed sunt forte tales, qui privilegia de locis & rebus Deo dicatis, sanctorum manibus confirmata, parvipendentes sibi, quia volunt, non quia possunt, excommunicationes usurpatoribus rerum & facultatum ecclesiasticarum a sanctis Domini intentatas alleviant, dicentes se pro hoc illata damnatione, id est anathematis vinculo, non teneri. De quibus sanctus Gregorius in epistola ad Theoctistam patriciam dicit: Ipsi, inquiens, sibi testes sunt, quia Christiani non sunt, qui ligamenta sanctæ ecclesiæ vanis se æstimant conatibus solvere: ac per hoc nec absolutionem sanctæ ecclesiæ, quam præstat fidelibus, veram putant, si ligaturas ejus valere non æstimant. Contra quos diutius disputandum non est, quia per omnia despiciendi & anathematizandi sunt: & unde se fallere veritatem credunt, inde in peccatis suis veraciter ligantur. Si qui sunt igitur, qui sub nomine Christiano hæc aut prædicare audent, aut taciti apud semetipsos tenere, eos & ego, & omnes catholici episcopi, atque universa ecclesia, anathematizamus, quia veritati contraria sentiunt, & contraria loquuntur. Rapinæ quoque, & deprædationes, quæ in istis regnis jam ex consuetudine sic ab omnibus pene tenentur, quasi peccata non sint, aut quasi levia peccata sint, sanctus Paulus apostolus, per quem locutus est Christus, & qui antequam mortis debitum solveret, ad tertium cælum & paradisum fuit raptus, ubi fluduit secreta Domini verba, inter mortalia crimina ea posuit dicens: *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt*; & iterum dicit: *Si quis fornicator est, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere*; id est cum tali non homine, sed cum tali diabolo, non licet Christi discipulo, id est Christiano homini, ante satisfactionem, id est correctionem atque emendationem, & dignam pœnitentiam, cibum sumere. Sanctus quoque Joannes apostolus electus & dilectus Christi, qui in cœna supra pectus ejus recubuit, talem hominem etiam salutare vetat: *Nec Ave ei*, inquiens, *dixeris: neque in domum eum receperis. Qui enim dicit ei Ave, communicat operibus ejus malignis*. Et item sanctus Paulus dicit unicuique Christiano: *Nec communicaveris peccatis alienis*. Et Dominus, quando venturus est judicare vivos & mortuos, & in adventum ejus omnes homines resurgent cum corporibus suis, & reddent de factis propriis rationem, se in judicio dicturum promittit in evangelio, his qui peccata sua eleemosynis redimere cum possent noluerunt: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus*. Unde cogitandum est raptoribus, quo ibunt illi qui aliena rapiunt, si in infernum ibunt qui eleemosynas non fecerunt. Et item Dominus per Isaiam prophetam dicit raptoribus: *Rapina pauperis in domo vestra*. Et: *Lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt: & exclamatio ejus super deducentem eas; a maxilla in cælum coram Deo ascendunt, & Dominus non delectabitur in illis*, scilicet viduæ lacrymis, qui pater orphanorum, & defensor viduarum, queritur contra judices dicens: *Causa viduæ non ingreditur ad eos*. Quapropter sciant raptores, in cujus domo sive corporis, sive mansionis, rapina est pauperis, quia non habitat in illa domo Spiritus sanctus, sed spiritus malignus. Et si accedit ad communionem corporis & sanguinis Christi ante dignam satisfactionem, non mundatur per illam communionem a peccato, sed plenius possidetur a diabolo: sicut Judas, quando in cœnam dominicam plenus rapina, & iniquitate, & avaritia atque cupiditate, communicare præsumpsit de manu Domini Salvatoris. Et forte tales erunt, cum hæc audierint, qui dicant: Non communicabimus. Sed sciant, quia sicut Dominus dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum*. Ita dixit: *Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Et sicut dixit: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*. Ita etiam dixit: *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo: & ego resuscitabo eum in novissimo die, & non morietur in æternum*. Propterea nullum aliud restat salutis refugium, nisi ut declinet quisquis vult salvus fieri ab istis malis, & ab aliis mortalibus criminibus, & per pœnitentiam reconcilietur Deo, & communicet vivificis mysteriis, ut vivere valeat in æternum. Nihil enim prodest ulli homini si Christianus vocatur, si opera Christi, quæ præcipit ipse Christus, non fecerit, immo etiam magis ad suum judicium Christianus vocatur, qui sub nomine Christi idola colit diaboli. Ipsa enim veritas, quæ Deus est, protestatur, quia qui servit mammonæ (sic enim dæmon divitiarum præpositus appellatur) diabolo servit, vel idola colit diaboli: qui servit luxuriæ, voluntati carnis pro Deo servit, unde scriptum est: *Gloria eorum in confusione est*, id est in genitalibus membris, quæ vulgo verecunda appellantur. Deum quippe scriptura gloriam appellavit, quæ dicit de Judæis: *Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum*. Sed & de eis, qui gloriantur, quando sua libidine castitatem expugnant, & aliorum thoros maculant, hæc quæ supra idem dicit apostolus: *Gloria in pudendis eorum qui terrena sapiunt*. & alibi scriptura: *Lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis*. Contra quod præcipit ut *qui gloriatur, in Domino glorietur*. Qui servit avaritiæ, idola colit, sicut Paulus dicit: *Et avaritiam quæ est idolorum servitus*. Qui servit gulæ & ebrietati, ventrem pro Deo colit, unde item dicit: *Quorum Deus venter est*. Quæ ita non utique ad dignitatem dominantium, sed ab infelicitate famulantium, sic appellat apostolus. Qui fratrem, id est, Christianum hominem, injuste per potentiam opprimit; aut pro acceptione munerum justitiam facit, diabolum imitatur, & justitiam vendit, quæ Christus est, sicque similis Judæ est. Qui veritatem pervertit pro invidia, aut veritatem reticet, aut dicit pro muneribus, diabolum imitatur, & Judæ similis est. Et sic de ceteris vitiis intelligendum est, & cui vitio quisque servit, illi diabolo subjectus est, qui eidem vitio præpositus est, & cum eo sine fine torquebitur, nisi digne antea pœnituerit. Et ne principes terræ, vel quilibet Christiani, dicant: Episcopis, presbyteris & monachis strictiora præcepta dedit Deus: nos qui homines laici, & sæculares

ANNO CHRISTI 860.

Eccl. 35.

Isa. 1.

Joan. 3.

Joan. 6.

Marc. 16.

Joan. 6.

Philipp. 3.

Psal. 103.

Philipp. 3.

Prov. 2.

1. Cor. 1.

Coloss. 3.

Philipp. 3.

su-

tumus, hæc omnia attendere non valemus: audiant quid Dominus in evangelio dicat: *Qui est ex Deo, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Et qui non est ex Deo, certum est quia ex diaboli parte est. Et quid lucrabitur, si etiam totum mundum habuerit, & animæ suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Idcirco quicumque est homo, audiat dicentem sibi Dominum per prophetam: *Indicabo tibi homo quid sit bonum: Facere judicium & justitiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Hæc fratres & filii, in quocumque ordine, & dignitate sit quisque Christianus, ad vos ex Domino mandata dirigimus, qui de omnibus hominibus dicit omni episcopo: *Tu autem audiens nuntiabis eis ex me.* Ex me, inquit, & non, Ex te. Propterea hæc sicut Domini mandata suscipite: cujus potentiæ non potestis, & cujus voluntati atque mandato non debetis resistere, si non vultis ut vestri proprii inimici saluti vestræ obsistere. Nos autem talia vobis tacere nec possumus, nec audemus, quibus Dominus per prophetam dicit, quod si non annuntiaverimus vobis, sanguinem vestrum de manu nostra requiret. Et ab illis patribus, & prædecessoribus nostris, quorum vices tenemus in terris, coram Domino degradamur in cælis, si non exequimur, quæ illi statuerunt regulis divinitus inspiratis. Quapropter si vos ab his unde commonemini quantocius non correxeritis, sicut illi in cælo, & nos in terra, una cum apostolicæ sedis præsule, & omni sacerdotum unanimitate, vos a Christi & fidelium ejus consortio segregabimus. Quod ne nos agere compellatis, vos pro Christo & vestra salute obnixius deprecamur. Vos autem si mandatis dominicis obedire studueritis, & vestram salutem, præsentem scilicet & futuram agetis; & gloria atque corona nostra coram Deo eritis, qui de vobis reddemus illi in die judicii rationem: sicut & vos de vobis ipsis, & de omnibus vobis commissis rationem estis sine dubio reddituri. Et ideo multo studio satagite, ut in illa tremenda die ab iniquorum consortio segregati sitis, quod tunc erit, si modo a diabolicis & malis operibus, atque a perversis hominibus vos separaveritis: vindicantes contra diabolum, & vitia atque peccata, honorem vestrum, qui homines ad Dei imaginem facti estis. Ad hoc enim, sicut scriptum est, ut Deum timeat, & mandata ejus custodiat, factus est omnis homo, propter quem factus est Deus homo, qui cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti vivit & regnat in sæcula sæculorum.

Mich. 6.

Exod. 23.

EPISTOLA HINCMARI ARCHIEPISCOPI Rhemensis, synodi ejusdem jussu & auctoritate scripta ad Rodulfum Bituricensem: & Frotarium Burdigalensem, metropolitanos Aquitaniæ.

De nuptiis Stephani, & filiæ Regimundi comitis.

Hincmarus nomine, non merito, Rhemorum archiepiscopus, ac plebis Dei famulus, reverentissimo Bituricensium archiepiscopo & carissimo fratri Rodulfo, & Frotario fratri & honorabili Burdigalensium archiepiscopo, cum omnibus provinciarum vestrarum episcopis venerabilibus, plurimam optat in Salvatorem salutem.

NUper synodo episcoporum XIV. provinciarum, Lugdunensium videlicet, Rothomagensium, Turonensium, Senonum, Viennensium, Arelatensium, Vesontionensium, Moguntinensium, Agrippinensium, Trevirorum, Rhemorum, Bituricensium, Burdigalensium, Narbonensium, apud Tusiacum villam Tullensis parochiæ, anno incarnationis dominicæ DCCCLX. indictione IX. mense Novembrio habita, delatæ sunt litteræ querelam Regimundi comitis adversus Stephanum depromentes, quia videlicet idem Regimundus filiam suam præfato Stephano legaliter ad conjugii copulam dederit: sed ipse non illa utatur ut conjuge, eo quod, ut fatetur, cum aliqua ejusdem puellæ propinqua quondam carnali commercio se miscuerit: sed cum qua, vel quam proxima affinitate conjuncta, indicare non velit. Hic literarum sensus, si rite remetior, quarum verba non teneo, constitit in synodo recitatus. Unde licet talis accusatio non mereretur synodaliter obtinere responsum, quia nemo quemquam per scripturam absens potest regulariter accusare, & si legaliter filiam suam alteri nuptum tradidit, eam a sua potestate dimisit: pro qua ex hoc negotio, quod forte utrum ita an non sit, latere poterat, aut aliter quam sit dictum interpretari, illum cui eam tradidit canonice accusare non poterat. Qua de re accusationem, sive interpellationem adversus maritum suum, si necessitas postulat, uxor debet conferre, consilium autem pater debet pro illa exinde quærere, vel correctionem viri ejus, suadendo, vel suggerendo modis quibus potuerit, & ipse agere satis. Sed quoniam hæc ratio per tres circiter annos a plurimis ventilatur: & ambo viri nobiles & illustres, & juxta sæculi dignitatem potentes, si inter se hinc diutius dissident, maximum scandalum in ecclesia, & detrimentum in regno ob hoc accidere poterit: & quia isdem Stephanus ibidem in domni regis erat obsequio, visum est synodo, ut eum accerseret, & quid de his diceret, per ipsum rescire curaret. Vocato autem ut hæc relata fuere, post quædam suæ responsionis obloquia, petiit ut tantummodo cum episcopis sibi loqui liceret. Et recedentibus aliis, quæ sibi visa fuerunt episcopis intimavit. Cum inter cetera dixerunt episcopi, quia de talibus, ex quibus Regimundi locutæ sunt literæ, & quæ per omnium pene ora in regnis plurimis ventilentur, ei non secretum dare consilium, neque privatum decernere possent judicium. Quapropter & ipse, quod hinc apud se erat, in omnium dixit velle venire notitiam, & necessarium obtinere consilium, & salubre sibi decerni judicium: velle tamen prius, ut synodus patienter ejus audiret sententiam, & tunc demum sibi donaret consilium, & promulgaret judicium. Et ut personam illius inducamus loquentem: Ut assolet, inquiens Stephanus, in fragili juventutis ætate cum quadam femina juvene mihi convenit. Sed & quando tempus mihi advenit, ut more prædecessorum meorum legitimum conjugium peterem, una cum consensu parentum & amicorum meorum, ipsius Regimundi, ut nobilis viri, filiam meis natalibus competentem apud eum in conjugem legaliter petii, & obtentam legaliter desponsavi. In me autem reversus, & sciens quid fecerim, ad confessorem meum perrexi, & consilium ejus quæsivi: ut quoniam juvenis femina, cum qua carnali commercio mixtus fueram, propinqua istius puellæ extitit, & audieram quod a quarto genu, & in reliquum pertinentes sibi copulari non valerent, utrum cum hac desponsata mihi puella sub pœnitentia occulte manens, sine mea & ipsius æterna damnatione, in connubio illam mihi potuissem conjungere. Qui ostendit mihi librum, quem ut spero canones appellavit, & legit coram me, quoniam quamdiu potest affinitatis propinquitas computari, mihi, nec cuiquam Christiano, cum cognata sua, vel quam cognatus habuit, vel

cum

ANNO CHRISTI 860.

cum duabus cognatis salubriter liceret conjungi : & quamdiu in tali incestu maneremus, nec ego, nec ille, fructuosam pœnitentiam agere possemus: neque talis incestus, nisi separatione nostra ab invicem, sanari valeret. Interea accidit discordia inter domnum regem seniorem meum, & meam juventutem, in tantum ut in illo regno solide non possem subsistere. Propterea ex utraque parte constrictus, nec frangere desponsalia potui, nec eamdem sponsam meam in conjugem ducere ausus fui: ne cum discordia senioris mei, etiam ipsius Regimundi, & nobilium parentum ejus, accumularetur discordia: & sic aut de regno funditus pellerer, aut si in regno manere vellem, occumberem. Et idcirco per duo placita subterfugi, ne sponsam meam in conjugem ducerem. Tandem autem necessitate compulsus, quia causa mihi de vita instabat, dotavi eam, & publicis nuptiis honoratam accepi. Sed ne illam, quæ adhuc sana erat, mecum perderem, & mihi cumulatius perditionem acquirerem, intactam hactenus conservare disposui. Et quoniam ita se rationis veritas per omnia habeat, & non dolo, neque odio, sive despectu alicujus, aut amore feminæ alterius, nisi sicut vobis modo Deo teste narravi, hoc egerim: qualicumque modo vobis placet, per meipsum, & per parentes atque amicos, seu fideles meos, hoc vobis verum esse sacramento, vel alio quolibet conveniente modo demonstrabo: & si vultis aç quæritis, quantoscumque servos meos decernitis inde in judicium mitto: & quale consilium mihi inde secundum Deum ad meam salutem, & secundum sæculum ad competentem honorem, & ad pacificationem Regimundi, & ad salvamentum & honorem ipsius puellæ dederitis, paratus sum in omnibus, quibus valuero, obedire. Auditum autem eum synodus jussit secedere; & dicentibus singulis, prout cuique visum fuit, decretum est, ut vos comprovinciales archiepiscopi, cum coepiscopis vestris, in regni illius convenienti loco, & tempore synodum condicatis, & placitum fiat, ubi princeps cum primoribus terræ interfit: ne, quod absit, ex utraque parte, cum parentum & amicorum auxilio, illustres isti viri convenientes, operante diabolo seditiosus valeat exoriri tumultus. Et hanc causam rex, cum viris nobilibus, inter viros nobiles pacificare procuret. Vos autem episcopali auctoritate, & canonica diffinitione eam dirimere, & ad debitum atque salubrem terminum studeatis perducere. Revocato autem Stephano, conditio ista illa proposita, & ab eo est gratissime accepta. Hujus autem rei modum, & ordinem diffinitionis, quoniam pusillitas intelligentiunculæ meæ, quid exinde sentiret, jussa synodo suggerere studuit, communi consensu sanctæ unanimitati complacuit, ut ea litteris commendaret, & sapientiæ vestræ, sicut tunc fuerunt in concilio acceptata, transmitteret. Et idcirco non quasi nescientibus hæc quæ sequuntur vobis necessaria, nec ut arrogans auctoritatem specialis scientiæ, vel jactans diffinitionis audaciam, sed ut ecclesiæ ac vester omnium videlicet servorum Domini servus, & plebis dominicæ famulus, quamquam non ut debui, tamen ut potui, devotionis obedientia colligere, & collecta vobis transmittere procuravi. In quibus nihil de civili judicio, cujus cognitores non debemus esse episcopi, ponere, sed quæ ecclesiasticæ definitioni noscuntur competere, quantum occurrit memoriæ, breviter studui annotare. Ordinem judicii de nondum sponte confessis, vel aperte convictis, quoniam aliter nemo, ut Leo papa decernit, potest regulariter judicari, sanctus Gregorius in commonitorio ad Joannem defensorem demonstrat dicens: Primum ut judicium ordinabiliter fiat, quatenus sint alii accusatores, & alii testes: deinde ut causarum qualitas, si digna exilio, vel condemnatione sit, exploretur: & præsente eo qui accusatur, sub jurejurando contra eum testimonium proferatur, & scriptis actuum inferatur: & accusatus licentiam respondendi & defendendi se habeat: Sed & de personis accusantium & testificantium subtiliter est quærendum: cujus conditionis, cujusve opinionis, aut ne inopes sint, aut ne forte aliquas contra accusatum inimicitias habeant: & utrum testimonium ex auditu dixerint, aut certe specialiter se scire testati sint: & ut scriptis judicata partibus præsentibus sententia recitetur, & sic omnia sollemniter roborentur. De manifesta autem, & nota plurimis causa, vel quæ ita confitetur ut ista, si tamen ita & puella dixerit, ut Stephanus profitetur, quia sæpe inter masculos audimus & feminas, quia quod alter dicit, alter sæpenumero denegat: non sunt quærendi testes, ut sanctus Ambrosius in epistolam ad Corinthios dicit, de fornicatore exponens sententiam apostoli: Judicis, inquit, non est, sine accusatore damnare: quia & Dominus Judam, cum fur esset, quia non est accusatus, minime abjecit, cognito opere isto pellendum illum fuisse de cœtu fraternitatis: omnes enim crimen ejus sciebant, & non arguebant. Publice enim novercam suam loco uxoris habebat: in qua re neque testibus opus erat, neque tergiversatione aliqua poterat tegi crimen. Et paullo post: Absens facie, præsens autem auctoritate spiritus, qui nusquam abest, jam judicavi ut præsens eum qui hoc admisit. Quapropter necesse est, ut Stephanus puellam adducat ad synodum, & pater ipsius puellæ veniat, & interrogetur puella, si verum est quod Stephanus dicit, se illam hactenus servasse intactam. Et quoniam de altera femina audivimus, quia volens liberari a conjuge, persuasa super se aliqua quæ non erant, ut fertur, jam dixerit: debita ei libertas tribuatur, & periculum indicetur, ne persuasa pro veritate mendacium fateatur. Et si dixerit ita ut Stephanus, tunc si necesse fuerit; credulitas rationi & auctoritati conveniens sacramento exinde suscipiatur, vel per convenientem personam satisfactio, si ita necessitas exigit, judicio expetatur, quia non pro dolo, neque pro alia qualibet causa, Stephanus se a carnali copula puellæ hujus subtraxerit, nisi pro ea quam ipse synodo indicavit: videlicet quia cum puellæ sibi desponsatæ consanguinea, & carnis cognatione propinqua, carnaliter concubuerit. Hoc enim sanctus Leo papa, & beatus Gregorius in re dubia a presbytero, vel a quolibet tam viro quam femina, nobili vel ignobili, per sacramentum fieri manifeste decernunt, sicut qui legere voluerit invenire valebit; inter cetera dicente beato juniore Gregorio in epistola per Denualdum presbyterum directa ad Bonifacium Moguntinum episcopum: In causa, inquiens, in qua certi non fuerint testes, qui criminis illati approbent veritatem, jusjurandum erit in medio, & illum testem proferat accusatus de innocentiæ suæ puritate, cui nuda & aperta sunt omnia, habeatque conscientiæ suæ testem, quem habebit & judicem. Quæ sacramenti purgatio, & in ecclesiasticis, & in exteris legibus usitatissima, & de fidei veritate etiam a primis sæculis esse constat exorta. Judicium autem, non nisi pro pacis caritatisque concordia, inter coæquales fieri solet: fit autem a subjectis ad satisfactionem majorum; quod in hac causa nisi ex placito fiat, non potest ex auctoritate requiri. Hinc autem cognita veritate, quoniam dictum est nobis, requiri a Stephano, ut feminam designet ex nomine:

ANNO CHRISTI 860.

ne, & certam propinquitatis affinitatem demonstret, pro cujus concubitu huic puellæ se non valet salubriter carnali copula commiscere: quia contra rationem & auctoritatem ecclesiasticam, & Christianæ devotionis morem, ab eo quæritur, si forte ab eo quæritur, quæ ex hoc apostolica decrevit auctoritas, & catholica tenet ecclesia, hic ponere dignum duximus: Leo universis episcopis per Campaniam, Samnium, & Picenum, atque universas provincias salutem. Magna indignatione commoveor, & dolore multo contristor, quod quosdam ex vobis comperi, apostolicæ traditionis oblitos, & studio sui erroris intentos. Et post aliquanta: De pœnitentia scilicet, quæ a fidelibus postulatur, ne de singulorum peccatorum genere libello scripta professio publicetur, cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur: tamen quia non omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea qui pœnitentiam poscunt non timeant publicare, removeatur improbabilis consuetudo, ne multi a pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta resecari, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quæ primum Deo offertur, tunc etiam sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia pœnitentis. Et quoniam qualiter debeat iniri conjugium, & vetus & nova lex edocet, Domino per Moysem præcipiente, & evangelio demonstrante: *Cum esset*, inquit, *desponsata mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent*, id est antequam nuptiali celebratione convenirent, sicut in nuptiis celebratis idem ostendit, quas sua præsentia sanctificare, & miraculo ibidem patrato illustrare dignatus est. Sed & sanctus Evaristus, quartus a beato Petro Romanæ sedis episcopus, & sanctus Siricius, & beatus Leo, atque ceteri quique doctores ostenduut, quæ omnia hic ponere propter pluralitatem & longitudinem devitamus. Tantum dicere necessarium duximus, & inter æquales legitima fiunt conjugia, cum a parentibus, quorum interest, petita, & legaliter desponsata, & dotata, & publicis nuptiis honorata femina conjugii copulæ sociatur, & ex duobus unum corpus unaque caro efficitur, sicut scriptum est: *Erunt duo in carne una* jam non duo, sed una sunt caro, &: *Quod Deos junxit, homo non separet*. De qua conjunctione magnus Leo papa ad Narbonensem scribit episcopum: Non omnis, inquiens, mulier viro juncta uxor est viri, quia nec omnis filius hæres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima, & inter æquales. Et paullo post: Unde cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut præter sexuum conjunctionem, haberet in se Christi & ecclesiæ sacramentum: dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium. Et nos e regione hinc etiam ostendere possumus, quia non omnes nuptiæ conjugalem copulam faciunt, quas non sequitur commixtio sexuum: sicut nec semper illius est filius omnis & hæres, cujus esse noscitur hæres. Nec habent nuptiæ in se Christi & ecclesiæ sacramentum, sicut beatus Augustinus dicit, si se nuptialiter non utuntur, id est, si eas non subsequitur commixtio sexuum. Nec pertinere poterit illa mulier ad matrimonium, cum qua docetur non fuisse commixtio sexuum: sicut dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium. Quod ita esse præfatus Leo demonstrat dicens: Unde cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi & ecclesiæ sacramentum. Et item idem: Igitur, inquiens, qui filiam suam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi eam conjugato dederit: nisi forte illa mulier & ingenua facta, & legitime dotata, & publicis nuptiis honestata videatur. Paterno arbitrio viris junctæ carent culpa, si mulieres, quæ a viris habebantur, in matrimonio non fuerunt. Quibus sententiis evidenter ostendit, quia tunc est vera legitimi conjugii copula, quando inter ingenuos, & inter æquales fit, & paterno arbitrio viro mulier juncta, legitime dotata, & publicis nuptiis honestata, sexuum commixtione conjungitur. Et tunc habent nuptiæ in se Christi & ecclesiæ sacramentum, & tunc pertinere noscitur mulier illa ad matrimonium, in qua & sexuum commixtio, & nuptiale docetur fuisse mysterium. De quo mysterio Paulus apostolus ad Ephesios dicit: *Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam, sicut & Christus ecclesiam, quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus, & de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & in ecclesia.* Hinc sanctus Ambrosius mysterii sacramentum grande in unitate viri ac feminæ esse significat; nec hoc tantum prodit, sed aliam causam, quæ non discordet a memorato mysterio, flagitat, quam scit ad profectum humani generis pertinere, hoc est ecclesiæ & salvatoris: ut sicut relictis parentibus homo uxori suæ adhæret, ita & relicto omni errore ecclesiæ adhæreat, & subjiciatur capiti suo, quod est Christus. Quoniam una natura in viro & femina est: idcirco vir quasi seipsum & mulierem diligere commonetur. Naturali ratione mulier portio corporis viri est: ac per hoc vir in muliere seipsum diligit, quomodo si fornicetur in seipsum peccat: quia duo in carne una sunt. Non ergo personæ substantiam dividunt, ut per personas numerus fiat naturæ; sed sunt in unitate naturæ. Et S. Augustinus in libro de nuptiis & concupiscentia dicit: Sane non tantum fœcunditas, cujus fructus in prole est, nec tantum pudicitia, cujus vinculum fides est, verum etiam quoddam sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis; unde dicit apostolus: *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam*. Hujus procul dubio sacramenti res est, ut mas & femina connubio copulati, quamdiu vivant, inseparabiliter conjuncti perseverent: nec liceat, excepta causa fornicationis, conjugem a conjuge dirimi. Hoc enim custoditur in Christo & in ecclesia, ut vivens cum vivente in æternum nullo divortio separetur in civitate Domini nostri, in monte sancto ejus, hoc est in ecclesia catholica. Et sanctus Gregorius in epistola ad Theoctistam patriciam dicit: Per se enim veritas dicit: *Quod Dominus junxit, homo non separat*; quæ etiam ait: *Non licet dimittere uxorem excepta causa fornicationis*. Scimus enim quia scriptum est: *Erunt duo in carne una*. Si igitur vir & uxor una caro sunt, & religionis causa vir dimittit uxorem, vel mulier virum in hoc mundo remanentem, vel fortasse ad illicita migrantem, quæ est ista conversio, in qua una eademque caro ex parte transit ad continentiam, & ex parte manet in pollutione? Si vero utrique conveniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusa-

ANNO CHRISTI 860.

Matth. 1.

Gen. 2. Matth. 19.

Eph.

Matt.

Gen.

cutare? quando certum est, quia omnipotens Dominus, qui minora concessit, majora non prohibuit. Et post aliquanta: Si vero continentiam, quam vir appetit, uxor non sequitur; aut quam uxor appetit, vir recusat, lividi conjugium non licet: quia scriptum est: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier.* Et in epistola ad Hadrianum Panormitanum: Nam, inquit, excepta fornicationis causa, virum uxorem relinquere, divina lex nulla ratione concedit: quia postquam copulatione conjugii viri atque mulieris unum corpus efficitur, non potest ex parte converti, & ex parte in sæculo remanere. Et sanctus Augustinus in libro de bono conjugii: Ad hoc enim nuptiæ sunt, ut illa concupiscentia, redacta ad legitimum vinculum, non deformis & dissoluta fluitaret, habens de seipsa irrefrænabilem carnis infirmitatem, de nuptiis autem indissolubilem fidei societatem: de seipsa progressum immoderate coeundi, de nuptiis modum caste procreandi. Debent ergo sibi conjugati, non solum ipsius sexus sui commiscendi fidem, liberorum procreandorum causa, quæ prima est humani generis in ista mortalitate societas: verum etiam infirmitatis invicem excipiendæ, ad illicitos concubitus evitandos, mutuam quodammodo servitutem: ut etsi alteri eorum perpetua continentia placeat, nisi ex alterius consensu, continere non possit. Ad hoc enim uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir: ut & quod non filiorum procreandorum, sed infirmitatis & incontinentiæ causa expetit, vel ille de matrimonio, vel illa de marito, non sibi alterutrum negent; ne per hoc incidant in damnabiles corruptelas, tentante satana, propter incontinentiam vel amborum, vel cujusquam eorum. Et item in eodem libro: Generationis itaque causa fieri nuptias apostolus ita testis est: *Volo*, inquit, *juniores nubere*: & quasi ei diceretur, Ut quid? continuo subjecit: *Filios procreare, matres familias esse*, ad fidem castitatis illud pertinere: *Uxor autem non habet potestatem corporis sui, sed vir: similiter & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier*, ad sacramenti sanctitatem; & illud: *Uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari*; &: *Vir uxorem ne dimittat*. Hæc omnia bona sunt, propter quæ nuptiæ bonæ sunt, proles, fides, sacramentum. Et in libro de nuptiis & de concupiscentia: In nuptiis tamen bona nuptibilia diligantur, proles, fides, sacramentum: sed proles, non ut nascantur tantum, verum etiam ut renascantur. Nascitur namque ad pœnam, nisi renascatur ad vitam; fides autem, non qualem habent inter se etiam infideles zelantes carnem: quis enim vir, quamlibet impius, vult adulteram uxorem? aut quæ mulier, quamlibet impia, vult adulterum virum? Hoc enim in connubio bonum naturale est quidem, carnale tamen: sed membrum Christiani conjugis adultero conjugi debet timere, non sibi, & a Christo sperare fides præmium quodlibet conjugi. Sacramentum vero, quod nec separati & adulterati amittunt conjuges, concorditer caste que custodiant. Solum est enim, quod etiam sterile conjugium tenet jura pietatis, jam spe fecunditatis amissa, propter quam fuerat copulatum. Hæc bona nuptialia laudet in nuptiis, qui laudare vult nuptias. Et in Genesi ad litteram. Quod bonum habent nuptiæ, & quod bonæ sunt nuptiæ, peccatum esse nunquam potest. Hoc autem tripertitum est, fides, proles, sacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum conjugale cum altera, vel altero concumbatur: in prole, ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur: in sacramento, ut conjugium non separetur, & dimissus, aut dimissa, nec causa prolis alteri conjungatur. Hæc est tanquam regula nuptiarum, quia vel naturæ decoratur fœcunditas, vel incontinentiæ regitur pravitas. Nunc cum his quæ sancti doctores dicunt de nuptiis, conferamus Stephani nuptias, non habentes amorem prolis, sed necessitatem vitandi exilii, sive mortis: non habentes servandæ conjugalis castitatis fidem, sed incurrendi incestus mortiferi non parvipendendum timorem: non habentes incorporationis unitate Christi & ecclesiæ sacramentum, sed superducentes turpitudini velamentum: totumque quod in eis est actum, figmentum simulationis fuit, non veritas. Quæ nuptiæ, licet inter ingenuos & inter æquales, paterno arbitrio desponsationem atque dotationem præcedente, fuerunt celebratæ, etiamsi jam sexuum commixtio eas subsequeretur, legitimam conjugii copulam obtinere non possent, nec ratum conjugium stabilire valerent, quin potius irrita omnia fierent: quoniam non sine separatione, propter incestus crimen, quod habere non potest Christi & ecclesiæ sacramentum, vulnera quæ concumbentes inflicta susciperent, medicamento pœnitentiæ in eis sanari non valerent, sicut subsequentes orthodoxorum & ecclesiæ magistrorum sententiæ demonstrabunt. Quapropter tales non mysticæ, neque legales in oculis Dei sunt nuptiæ. Quia si per Stephani & puellæ, non ante Deum legaliter ductæ, sed magis abductæ, coitum carnalis commixtionis ex his duobus unum corpus efficeretur, non secundum nuptiale bonum, sed secundum incestuale malum, propter incestum Stephani unum corpus efficerent, sicut scriptum est: *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur*. Et sic puella ab incestu sana, per coitum juncta Stephano, incestuosi caro fieret: & Stephanus illi junctus, sicut antea fornicator, ita & post conjunctionem illius, quoniam cum propinqua ejus concubuit, quod nondum erat, incestuosus existeret. Et propterea saniore consilio, & puellæ sanitati, quæ necdum infirmata erat, intactam eam servans providit, & se, ne gravius offenderet, cautius secundum Deum juxta quod res conjacuit custodivit. Quia sicut sacri canones dicunt, tale connubium, vel potius adulterium, sine separatione sanari non poterat, si carnaliter miscerentur. Unde ibidem scriptum est: De incestis conjunctionibus nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint. Incestuosos vero nullo conjugii nomine censemus deputandos, quos etiam designare funestum est. Et S. Gregorius in epistola ad Felicem Siciliensem episcopum, quem audierat perverse interpretari quod B. Gregorius Augustino Anglorum episcopo consilium secundum indulgentiam de Paganis a quarto genu, & in reliquum, ne a fide refugerent, dederat, quodque ipsi venerando papæ suggesserat, ad eumdem Felicem rescribens dicit: Progeniem, inquiens, suam unumquemque, de his qui fideliter edocti, & jam firma radice plantati stant inconvulsi, usque ad septimam observare decernimus generationem, & quamdiu se agnoscunt affinitate propinquos, ad hujusmodi copulæ non accedere societatem: nec eam, quam aliquis ex propria consanguinitate conjugem habuit, vel aliqua illicita pollutione maculavit, in conjugium ducere ulli profecto Christianorum licet, vel licebit: quia incestuosus est talis coitus, & abominabilis Domino, & cunctis fidelibus: incestuosos vero nullo conjugii nomine deputandos a sanctis patribus dudum legimus constitutum. Nec hoc quoque in hac sollicitudinis parte relinquimus, quod

ANNO CHRISTI 860.

1. Cor. 6.

Conc. Epaon. can. 30.

quod homines inceſtuoſi a liminibus ſanctæ ec-
ANNO CHRISTI 862. cleſiæ ſunt ſeparandi, uſquequo per ſatisfactionem precibus ſacerdotum eidem ſanctæ eccleſiæ catholicæ reconcilientur. Et in edicto canonico ante corpus beati Petri prolato: Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertio. anathema ſit. Et non dubium eſt huic anathematiſmo nuptias Stephani ſubjacere debuiſſe, ſi cum iſta concumberet, qui ſe cum cognata ejus concubuiſſe fatetur. Et item in canonibus ſcriConc. Ilerd. can. 4. ptum eſt: De his qui ſe inceſti pollutione commaculant, placuit, ut quouſque in ipſo deteſtando & illicito carnis contubernio perſeverant, uſque ad miſſam tantum catechumenorum in eccleſia admittantur; cum quibus etiam, nec cibum B ſumere ullum Chriſtianorum, ſicut apoſtolus juſſit, oportet. Et hinc plura ex canonibus potuiſſemus congerere, ſi inceſtu intercedente quod Stephanus devitavit, ſe & uxorem ſuam propter hoc neceſſe fuiſſet disjungere. Nunc autem, ne nuptiali ſimulationi ſuperaddatur inceſtus, quoniam oportet eos, & coram divinis, & coram humanis oculis legaliter ac rationabiliter disjungi, qui non legaliter in divina juſtitia viſi fuere conjuncti; talia ſanctorum patrum donemus teſtimonia, quæ ad agendam cauſſam ſint manifeſtiſſime pertinentia. S. Ambroſius in epiſtolam ad Corinthios dicit: Non eſt enim frater, aut ſoror, ſervituti ſubjectus in ejuſmodi; hoc eſt, non debet reverentiam conjugii ei qui horruit auctorem conju- C gii. Non enim ratum eſt matrimonium quod ſine Domini devotione eſt. Et S. Hieronymus in tertio libro commenti epiſtolæ Pauli ad Epheſios: Quomodo itaque Chriſto ſubjecta eſt eccleſia, ſic ſubjecta ſit uxor viro ſuo. Quem enim habet principatum & ſubjectionem Chriſtus & eccleſia, huic eidem ordini maritus & uxor aſtringitur. Sed videndum, ut quomodo in Chriſto & in eccleſia ſancta conjunctio eſt, ita & in viro & in muliere ſancta ſit copula. Sicut autem non omnis congregatio hæreticorum Chriſti eccleſia dici poteſt, nec caput eorum Chriſtus eſt; ſic non omne matrimonium, quod non viro ſuo ſecundum Chriſti præcepta conjungitur, rite conjugium appellari poteſt, ſed magis adulterium. De qui- D bus ita ſacri definiunt canones: Sane quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem. Et in ſynodo apud Li-
* Anno Chriſti 792. ptinas * habita, cui ſub Carlomanno principe Georgius epiſcopus, & Joannes ſaccellarius, ac ſanctus Bonifacius, ex præcepto Zachariæ papæ præſederunt, legitur, ut ſi vir mulieri deſponſaræ, dotatæ, ac publicis nuptiis ductæ ſecundum apoſtolum debitum conjugale potuerit reddere, & hoc aut amborum confeſſione, aut certa qualibet approbatione fuerit manifeſtum, ut ſeparentur, & mulier, ſi ſe continere nequiverit, alteri viro legaliter nubat. Videlicet, quia ſecundum diffinitionem ſancti Leonis papæ, & traditionem doctorum ſuperius demonſtratam, dubium non eſt, E eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua conjunctione ſexuum non docetur Chriſti & eccleſiæ ſacramentum, hoc eſt nuptiale fuiſſe myſterium. Multo magis autem hujuſmodi, de quo agitur, ſeparato conjugio, aliam legaliter adire licebit copulam, cui concubitum non contradixit impotentia carnis, ſed reverentia mentis. In copula vero conjugali, in qua deſponſatione dotatione, & nuptiarum ſacramento, corporis ſcilicet unitate, Chriſti & eccleſiæ docetur fuiſſe myſterium, niſi morte corporis intercedente, conjugii non poterit ſolutio fieri, ſicut evangelica & apoſtolica teſtatur auctoritas, & omnium catholicorum doctorum chorus. Et beatus Auguſtinus in libro de adulterinis conjugiis dicit: Quoniam ſi vel pro intolerabili ac diuturna infirmitate concubitum vir exercere, aut femina ſuſtinere nequiverit, nec etiam pro ſterilitate, ſeu religionis continentia, aut pro alia qualibet excepta fornicationis cauſſa, vir & uxor, legaliter & carnaliter commixtione conjuncti, ſeparari valebunt. Quapropter hanc legem a Domino audientes diſcipuli dixerunt: *Si hæc cauſſa ita cum uxore habetur, non expedit nubere.* Non tamen pro hoc Dominus ſuam mutavit ſententiam. Unde & Leo ad Nicetam Aquilejenſem epiſcopum ſcripſit, ut ſi per bellicam cladem, & graviſſimos hoſtilitatis incurſus, ita quædam fuerint diviſa conjugia, ut abductis in captivitatem viris, feminæ eorum remanſerint deſtitutæ, quæ viros proprios, aut interemptos putaverint, aut nunquam a dominatione hoſtium crediderint liberandos, in aliorum conjugum amplexus ſolitudine cogente tranſierint, quia a Domino ſcriptum eſt: *Jungitur mulier viro*; &: *Quod Deus junxit, homo non ſeparet*, ſi reverſi, vel raptæ reverſæ fuerint conjuges, legitima fœdera nuptiarum redintegranda perdocuit. Nec tamen tamquam pervaſorem quemquam judicari, qui perſonam ejus mariti vel uxoris, qui vel quæ jam non æſtimabatur, aſſumpſit: ſed inculpabile judicandum quod neceſſitas intulit, & reſtituendum quod fides popoſcit. Mulieres autem, vel viros, poſteriorum virorum vel uxorum delectatione captos, & ad priorum conjugum amorem redire nolentes, communione privari decrevit. Et quia eccleſiaſticæ regulæ de his etiam definitionis ſententiam proferunt, qui ſponſalitiorum fidem infringunt, videtur nobis, non ſecundum auctoritatem promendo, ſed conſilium, ſi forte vobis ita viſum fuerit, dando, ut quia Stephanus, ſi ſponſalitiorum fidem fregiſſet, ſecundum legem civilem multam eorumdem ſponſalitiorum judicaretur componere: & ipſa puella, poſt deſponſalitia dotem acceptam, quam de ſeipſa, ſi carnaliter jungeretur, mercari debuerat, ut eamdem dotem habere non debeat, non ipſa, ſed Stephanus, ut videtur, commiſit; habeat loco multæ ſponſalitiorum dotem a Stephano ſibi datam, & cum eadem dote patri reſtituatur, & nuoat parentum conſilio cui vult, tantum in Domino, ſitque pax inter parentes ejus & Stephanum. Et ne quis argute his quæ poſuimus volens reſiſtere dicat: Si dos manebit, & deſponſalitia, atque celebratæ nuptiæ non negantur, quomodo eſſe poterit, ut & Stephanus maritus, & illa uxor non maneant? aut quomodo ille alteri feminæ, & illa alteri viro ſe ſine adulterio conjungere poterunt? præſertim cum idem ſanctus Auguſtinus in præfato libro de bono conjugii dicat: Si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamſi plebis congregatio non ſubſequatur, manet tamen in illis ordinatis ſacramentum ordinationis: & ſi aliqua culpa quiſquam ab officio ſuo removeatur, ſacramento Domini ſemel impoſito non carebit, quamvis ad judicium permanente: ſic & in iſtis deſponſatione, dotatione, & nuptiis permanentibus, conjugale vinculum permanebit, & alteri nemo eorum, niſi cujuslibet ex eis morte intercedente, ſine adulterio ſe poterit jungere. Audiat, ſi quis hæc fuerit conatus opponere, quia de dotalitio puellæ habendo, non niſi propter pacificationem parentum ejus & Stephani, loco multæ fractorum ſponſalitiorum diximus, quam multam ſi diſſoluto dotalitio puellæ parentes exigere maluerint, aut utraque indulgere, vel utraque repoſcere, ipſi viderint, & legibus civilibus eorumdemque pacificationi exinde conveniat. Nos autem, quod

ad

ad nos pertinet, astute forte quærenti respondemus, quoniam hanc comparationem de ordinandis positam beatus Augustinus, non de imaginaria viri & uxoris conjunctione, sed de incorporata per sexuum commixtionem copulatione posuit, sicut in proxime præcedentibus infit: Sequentur, inquiens, agnum pueri cantantes canticum novum, sicut in Apocalypsi scriptum est, qui cum mulieribus se non contaminaverunt, nec ob aliud, nisi quia virgines permanserunt. Nec ideo se arbitrentur meliores esse primis patribus sanctis, qui nuptiis, ut ita dicam, nuptialiter usi sunt. Earum quippe usus se ita habet, ut si quid in eis per carnis commixtionem fiat, quod excedit generandi necessitatem, quamvis venialiter factum, contaminatio sit. Et post paullulum: Bonum igitur nuptiarum, per omnes gentes atque homines in caussa generandi est, & in fide castitatis, quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere, dum conjux ejus vivit, nec saltem ipsa caussa parendi, quæ cum sola sit qua nuptiæ fiunt, nec ea re non subsequente, propter quam fiunt, solvitur vinculum nuptiale, nisi conjugis morte. Et statim de ordinatione cleri ad plebem suppositi, sub quo sensu in libro de nuptiis & concupiscentia dicit: Ita manet etiam inter viventes quiddam conjugale, quod nec separatione, nec cum altero copulatione possit auferri. Manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis; sicut apostatæ anima, quæ de conjugio Christi recedens, etiam fide perdita sacramentum fidei non amisit, quod lavacro regenerationis acceperat. Redderetur enim procul dubio redeunti, si amisisset absce lens. Et in præcedentibus ipsius libri dicit de sacramento nuptiarum: Propterea, inquiens, sacramentum nuptiarum temporis nostri, sic ad unum virum & uxorem redactum est, ut ecclesiæ dispensatorem non liceat ordinare, nisi unius uxoris virum. Quod acutius intellexerunt, qui nec eum, qui catechumenus vel Paganus habuerit alteram, ordinandum esse censuerunt. De sacramento enim agitur, non de peccato. Nam in baptismo peccata omnia dimittuntur. Sed qui dixit: *Si acceperis uxorem non peccasti, & si nupserit virgo non peccat, & quod vult faciat, non peccat si nubat;* satis declaravit nuptias nullum esse peccatum. Propter sacramenti autem sanctitatem, sicui femina, etiamsi catechumena fuerit vitiata, post baptismum in Dei virginem consecrari, ita non absurde visum est, cum qui excessit uxorum numerum singulatem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quamdam amisisse sacram, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis ecclesiasticæ signaculum necessariam. Et hinc dicat, si quis ad hæc quæ prædiximus opponere attentaverit. & nunc Stephanus morte præventus fuerit & ilia intacta, sicut hactenus manet, permanserit. & unbere non voluerit, quia catechumena vitiata, post baptismum in Dei virginem consecrari non poterit, utrum hæc in sacram virginem ab episcopo consecrari valebit, qui non nisi virginem in virginitatis professione, vel in legitima conjugii copula, sacrare debet: sicut nec episcopus fieri, qui præter virginem & unam duxit uxorem. Dicat etiam, si post mortem Stephani virgo permaneat, & se continere non potuerit, & nubere magis quam continere elegerit, utrum fratri ejusdem Stephani copulari valebit. Quibus cum contradicere non valebit, aut in quæstione sua deficiat, aut ei nostra solutio satisfaciat. Et hæc in vita Stephani, de consecratione si delegerit, vel de maritatione si maluerit puella, fieri posse ratione & auctoritate monstrante cognoscat, sciatque ut traditione majorem docuimus propter talem desponsationem, dotationem, atque pro talibus nuptiis, sicut istæ fuerunt, non esse conjugium, quibus defuit conjunctio sexuum, ac cum prolis spe fidei sacramentum: quæ ut plurimum in omni salutari actione, tum etiam in hoc negotio, in quo per nuptiale mysterium vir & uxor una caro efficiuntur, sed in baptismate operosius operatur, quo per fidei sacramentum, non solum generaliter omnis ecclesia corpus Christi, ut dicit apostolus, & plenitudo sit ejus, verum sigillatim singulus quisque fidelis Christo incorporatus membrum ejus efficitur. Unde S. Beda in homilia evangelii dicit: Nam videtur, inquiens, qui baptizatur in fontem descendere, videtur aquis intingui, videtur de aquis ascendere: sola autem fidelium pietas novit, quia peccator in fontem descendit, sed purificatus ascendit. Ceterum oculis insipientium videtur talis exire de fonte qualis intravit, totumque ludus esse quod agitur. Et in hac desponsatione, dotatione, atque in his nuptiis, totum simulatio fuit, non veritas. Propterea sicut sanctus Leo, de his qui formam tantum baptismi sine sanctificationis virtute susceperunt, decernit ut episcopali confirmatione firmentur: ita hæc non conjugii fides, sed copulationis imago, ecclesiastica functione solvatur, & in eo qui indiget ecclesiastica medicina sanetur. Ceterum si hæc quæ posuimus studiosis vel curiosis nequaquam sufficiunt, apponere adhuc etiam alia procurabimus. Ait enim beatus Augustinus in libro de nuptiis & concupiscentia: Relinquet homo, inquiens, patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: quod magnum sacramentum dicit apostolus in Christo & in ecclesia. Quod est in Christo & in ecclesia magnum, hoc in singulis quibusque viris atque uxoribus minimum, sed tamen conjunctionis inseparabilis sacramentum. Quapropter legaliter & nuptialiter copulati, excepta caussa fornicationis, separari non possunt: & caussa fornicationis separati, aut permanere innupti, aut mutuo debent reconciliari, sicut evangelica & apostolica docet auctoritas, & Africana synodus definivit: Placuit, inquiens, ut secundum evangelicam & apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri conjungatur; sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur. Et quia uxor a marito, vel maritus ab uxore, nisi caussa fornicationis, non valet neque debet discedere, ex hac evangelica & apostolica doctrina beatus Augustinus in libro primo de adulterinis conjugiis ad Poilentium dicit: Quis est qui dicat, si discesserit mulier a viro non fornicante, ut innupta permaneat, cum ei nisi a viro fornicante discedere omnino non liceat? Et item: Hanc solam caussam fornicationis Dominus magister excepit, cum de dimittenda loqueretur uxore: deditque intelligi talem formam etiam a viro esse servandam, quoniam non solum mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir, sed similiter & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier, & propterea, nisi ex communi consensu, non valent etiam propter continentiam separari: adeo ut si vir contra voluntatem mulieris conversus rondeatur, aut mulier sine voluntate viri conversa veletur, mulieri vir, vel viro mulier, a sancto Gregorio in epistola ad Secundum Tauromitanum episcopum, & in epistola ad Hadrianum Panormitanum, jubeatur restitui. Si autem ex communi consensu se mutare permiserint, & quilibet eorum se inde retraxerit, ad conversionem suum sequi parem præcipitur. Caussa autem fornicationis vir aut mulier ab invicem discedentes,

propter sacramentum nuptialis conjunctionis, aut innuptis quousque alter eorum moriatur maneANNO CHRISTI 860. bunt, aut sibi reconciliari studebunt. Reconciliatio autem, post pœnitentiam & reconciliationem sacerdotalem ejus qui peccavit, fieri debet, ut prius restituatur ecclesiæ sacramento, & postea nuptiali mysterio. Et hinc sanctus Augustinus in secundo libro de adulterinis conjugiis dicit: Licite itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis, sed manet vinculum pudoris, propter quod fit reus adulterii qui dimissam duxerit etiam ob hanc causam fornicationis. Sicut enim in se manente sacramento regenerationis excommunicatus cujusquam criminis reus, nec illo sacramento caret, etiamsi nunquam reconcilietur Domino: ita si manente in se vinculo fœderis conjugalis, uxor dimittitur ob causam fornicationis, nec carebit illa vinculo, etiamsi nunquam reconcilietur viro: carebit autem, si mortuus fuerit vir ejus: reus vero excommunicatus ideo nunquam carebit regenerationis sacramento, etiam non reconciliatus, quoniam nunquam moritur Deus. Remanet itaque ut, si sapere secundum apostolum volumus, non dicamus virum adulterum pro mortuo deputandum, & ideo licere uxorem ejus alteri nubere. Quamvis enim sit mors adulterium, non corporis, sed quod pejus est, animæ: non tamen de
Cor 7. ipsa morte loquebatur apostolus, cum dicebat: *Quod si mortuus fuerit vir ejus, cui vult nubat:* sed de illa sola qua de corpore exitur. Et item in eadem: Hæc namque alligatio quandoquidem non solvitur, etiamsi per repudium conjux a casta conjuge separetur; multo minus solvitur, si non separata mœchetur. Ac per hoc non eam solvit nisi mors conjugis, non in adulterium corruentis, sed de corpore exeuntis. Quapropter si recesserit mulier ab adultero viro, & ei reconciliari non vult, maneat innupta, & si dimiserit vir adulteram mulierem, & eam non vult recipere, nec post pœnitentiam, custodiat continentiam, etsi non voluntate eligendi potioris boni, certe ex necessitate vitandi pernicioſi mali. Et hinc latius in præfatis libris doctor facundissimus disputat, sicut qui intelligenter legerit, nescire non poterit. Sed & in primo libro de nuptiis & concupiscentia dicit, quia lavacro regenerationis, & verbo sanctificationis, omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundantur, atque sanantur, non solum peccata, quæ omnia tunc remittuntur in baptismo, sed etiam quæ posterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur: non ut baptisma, quoties peccatur, toties repetatur, sed quia ipso, quod semel datur, fit ut non solum antea, verum etiam postea, quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. Quid enim prodest vel ante baptismum pœnitentia, nisi baptismus sequeretur; vel postea, nisi præcederet? Et in epistola ad Bonifacium scribit: Non aliquid remanet in baptismo, quod non dimmittatur, præteritorum omnium peccatorum, si tamen ipse baptismus non frustra foris habeatur, sed aut iutus detur, aut si foris datur, non foris cum illo remaneatur. Et quidquid ab eis, qui post acceptum baptismum hic vivunt, humana infirmitate contrahitur quarumcumque culparum, propter ipsum lavacrum dimittitur. Hinc liquido demonstratur, quia sicut semel acceptum baptismi sacramentum, quo quisque fidelis in unitate catholicæ ecclesiæ Christo incorporatur, postea nulla interveniente causa amittitur: sic & vinculum conjugale, legaliter & nuptialiter celebratum, indissolubiliter manet connexum, licet fornicationis causa vel quacumque de causa videatur separatum. Causa vero fornicationis separatum, si post pœnitentiam fuerit reunitum, non tamen ideo erit reiteratum, quia permanet unum. Sed si in continentia pœnitentiali, quod magis pœnitentibus convenit, manere conjuges non valebunt, reconciliatione medicinali ex consensu mutuo, post ecclesiasticam reconciliationem, indulgentia computabitur esse sanatum: sicut nec baptismum, quoties peccatur, toties reiteratur, sed pœnitentiæ medicamento per reconciliationem ecclesiasticam, non iteratum creditur, sed divina gratia reparatur. Reparari autem de non amisso eo modo dicitur, sicut mens & corpus eucharistiæ perceptione reparari, & satisfactione congrua renovari mentis nostræ spiritus legitur. Et sicut quæ ante baptismum, vel post baptismum humana ignorantia vel infirmitate peccantur, baptismatis munere est ut dignis pœnitentiæ fructibus remittantur: ita nuptiarum bono defenditur ne crimina habeantur, quæ ab apostolo secundum indulgentiam conceduntur: illa videlicet, quæ concupiscentia impellente non nisi conjugibus conceduntur, tantum ut cum legaliter nuptis naturaliter concumbatur. Naturaliter autem dicimus, quia de Ona legitur, *Gen. 38.* quod cum uxore naturaliter non concumbens interiit percussus a Domino. Unde beatus Augustinus in libro de bono conjugii, & de nuptiis & concupiscentia, & in aliis suis libris, sufficientissime disputat. Sed & ibidem inter alia dicit: Quod ergo præcipiunt apostoli conjugibus, hoc est nuptiarum; scilicet, uxori vir debitum reddat, & uxor viro, & filios procreare, matres familias esse. Quod autem venialiter concedunt, aut quod impedit ad orandum, non cogunt nuptiæ, sed ferunt. Et sicut opera bona ad salutem æternam non prosunt sine baptismatis sacramento: & non est baptismum verum, quia non est secundum scripturam unum, id est, in unitate catholicæ fidei unicum, si catholice non fuerit celebratum: sic & legitimum & verum non potest esse conjugium, in quo docetur nuptiale non esse mysterium, vel quod non docetur nuptialiter copulatum. Unde & Dominus de nuptiis Joannem volentem nubere, ut tradunt historiæ, non post celebratas nuptias, sed de nuptiis, & ante carnis copulationem, vocando retraxit, qui legem non solvere, sed adimplere venit. De cujus scilicet Joannis futura uxore, nisi eum Dominus, non solum ante carnis unionem, verum & ante nuptiarum percelebrationem, revocaret, sicut de beati Petri uxore, quæ continentissime perseveravit, non legitur utrum in continentia manserit, an secundum legem veterem, ut semen in Israel relinqueret, alii forte nubere delegerit: in cujus arbitrio hoc non maneret, si post legales nuptias fuissent nuptialiter copulati: nec Joanni esset licitum, secundum evangelii documentum, si desponsatam, dotatam, & publicis nuptiis honoratam duxisset, etiam ante unionem carnis relinquere, si non delegisset ex consensu in continentia permanere, sed aliam ducere. Sicut non licet Stephano illam, quam desponsavit, dotavit, & publicis nuptiis honoravit, licet ei non sit mixtus, relinquere, & aliam cum pœnitentia, vel sine pœnitentia ducere, nisi in istius concubitu incestale malum potuisset intervenire: sed aut ex consensu cum ipsa in continentia Stephanus permaneret, aut si se continere non posset, cum ea nuptialiter copulatus maneret. Si autem sine incestu, cum hoc debito ordine commixti forent, nisi ex mutuo consensu propter continentiam separari non possent, aut ptopter fornicationem separati, vel innupti permanere, vel sibimet reconciliari deberent, & si cum incestu fuissent conjuncti, separatione eorum ac pœnitentia adulterium secundum auctoritatem canonicam sanari deberet. Et hæc sibimet ita concinere sacra demonstrat

ſtrat auctoritas, dicens de Maria & Joſeph: *Antequam*, inquit, *convenirent*, id eſt, antequam nuptiarum ſollemnia rite celebrarent. Verbo enim conveniendi, non ipſum concubitum, ſed nuptias, quæ præcedere ſolent concumbendi tempus, inſinuat, quando ea quæ prius deſponſata fuerat, eſſe conjux incepit. Et paullo poſt: *Voluit occulte dimittere eam*. Videns Joſeph ſponſam concepiſſe ſuam, quam bene noverat a nullo vi fuiſſe attactam, cum eſſet juſtus, & juſte omnia vellet agere, optimum duxit, ut neque hoc aliis proderet, neque eam ipſe acciperet uxorem, ſed mutato occulte nuptiarum propoſito, in conditione eam ſponſæ manere pateretur ut erat. Sed ſi eam occulte dimitteret, neque acciperet conjugem, & illa ſponſa pareret, nimirum perpauci eſſent, qui eam virginem, & non potius autumarent eſſe meretricem, & quaſi adultera lapidaretur a Judæis. Unde & ſacri canones in capitulo, in quo de parentibus, qui fidem ſponſalitiorum frangunt, decernentes providentiſſime ſtatuerunt adjungere: Si tamen, inquiunt, ſponſus vel ſponſa in gravi crimine fuerint deprehenſi, excuſati erunt parentes; quia quod parentes fidei fractæ debuiſſent judicium punitionis ſuſtinere, ad eos jam qui meruerant pertinebit. Et ut ad ſuperioris exempli ordinem redeamus, propterea conſilium Joſeph repente conſilio meliore mutatur, ut videlicet ad conſervandam Mariæ famam, ipſe eam celebrato nuptiarum conjugio conjugem acciperet, ſed caſtus caſtam perpetuo cuſtodiret, ut ſequitur: *Hæc autem eo cogitante, ecce angelus Domini in ſomnis apparuit ei dicens: Joſeph filii David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam*. De cujus conjugii genere Siricius ad Himerium Tarraconenſem epiſcopum ſcripſit, dicens: De conjugii violatione requiſiſti, ſi deſponſatam alii puellam alter in matrimonium poſſit accipere. Hoc ne fiat modis omnibus inhibemus, quia illa benedictio, quam nupturæ ſacerdos imponit, apud fideles cujuſdam ſacrilegii inſtar eſt, ſi ulla tranſgreſſione violetur. Et in concilio Ancyrano: Deſponſatas puellas, & poſt ab aliis raptas placuit erui, & eis reddi, quibus ante fuerant deſponſatæ, etiamſi eis a raptoribus vis illata conſtiterit. Quæ ſupra taxato ordine non modo ſponſæ, verum etiam quaſi conjuges factæ, etiam violenter corruptæ, ita ſponſis reddendæ ſunt, ſicut etiam ſeparati, ſive fornicationis cauſſa, & abſque mutuo conſenſu disjuncti conjuges rejungendi ſunt: fornicationis autem cauſſa ſeparati, aut innupti manebunt, aut ex conſenſu ſibimet mutuo reconciliabuntur. De nuptiatis autem, ſed innuptis, id eſt de nuptiarum celebratione, in quibus arrhæ ſponſaliorum, & benedictio ſacerdotalis, & dotationis confirmatio, & Chriſti atque eccleſiæ myſterium ad completionis perfectionem dirigitur, ſed non carnis unione completur, ſed conſilium bonum, ut de Joſeph diximus, conſilio meliore mutatur, ut in continentia perpetuo maneatur, ibidem iterum ſcriptum eſt: *Exurgens autem Joſeph a ſomno, fecit ſicut ei præceperat angelus Domini, & accepit conjugem ſuam, & non cognoſcebat eam*. Accepit autem ad nomen conjugis, ob cauſſas neceſſarias quæ tunc imminebant: & non cognoſcebat eam ad opus conjugale, ſed uterque in continentia permanebant. Quod & Paulus licenter fieri poſſe in epiſtola prima ad Corinthios, & Auguſtinus in libro primo de nuptiis & concupiſcentia demonſtrat dicens: Quibus vero placuerit ex conſenſu ab uſu carnalis concupiſcentiæ in perpetuum continere, abſit ut vinculum inter illos conjugale rumpatur: immo firmius erit, quo magis ea pacta ſecum inierint, quæ carius concordiuſque ſervanda ſunt, non voluntariis corporum nexibus, ſed voluntariis affectibus animorum. Neque enim fallaciter ab angelo dictum eſt ad Joſeph: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, & reliqua, quæ latius ibidem proſequitur. Qua de re his edocti teſtimoniis ſacræ auctoritatis, quicumque deſponſatas, dotatas, publicis nuptiis honoratas uxores ingenuas, vel ob hoc factas ingenuas duxerint, aut in perpetua continentia maneant, aut niſi hoc crimen inceſtuale, vel aliud quodlibet prohibuerit, quod in ſe vel ſecum non recipit Chriſti & eccleſiæ ſacramentum, nuptialiter nubant, ſi ſe ex conſenſu continere non poterunt, & nonniſi fornicationis cauſſa disjungantur: qui disjuncti, aut innupti permaneant, aut ſi continere non poſſunt, ſibi poſt pœnitentiam reconcilientur. Ubi autem, ut in Stephani nuptiis, periculum cum periculo vitandum emerſerit, minus periculum ad majus devitandum periculum, ut ſanctus Gregorius in libris docet moralium, eligatur: ſed & ipſum quod eligitur periculum non negligatur, verum dignis pœnitentiæ fructibus, videlicet piis operibus, & profuſis lacrymis, ne æternaliter periculum maneat, ſed ſalutari remedio temperetur, aut penitus evadatur, apud omnipotentis Domini miſericordiam obtineri modis ombus ſatagatur. Nos autem hæc his idcirco interponere neceſſarium duximus, quia quoſdam, etiam qui ſe doctores eſſe dicebant, audivimus pertinaci contentione intendere, quaſi ex verbis beati Ambroſii, & ſancti Auguſtini, quæ parum diligenter intenderant, virum non fornicantem, & a fornicatore muliere diſcedentem, aliam illa vivente ducere poſſe, & quæ cauſſa fornicationis a viro receſſerit, non poſſe reconciliari: illam autem quæ non cauſſa fornicationis, ſed alia qualibet receſſerit, aut reconciliari, aut innuptam debere remanere, non advertentes, quia ſic adulterino ſenſu interpretabantur verba apoſtoli, ſicut & illi, contra quos olim beatus Auguſtinus iſtos libros deſcripſerat, & Africana ſynodus, quæ præmiſimus, definivit, quando & Cæleſtianos eviſceravit, & ipſas etiam Pelagianorum medullas excuſſit. Nec mirum, ſic enim pravo erant infecti dogmate, ſicut & moderni Prædeſtinatiani, qui veterum Prædeſtinatianorum hæreſim, quaſi de ſancti Auguſtini verbis compilatam inſtaurare laborant. Quorum capita confregit, & verticem capillorum perambulantium in delictis ſuis conquaſſavit, atque contrivit beatus Cæleſtinus papa in epiſtola decretali ad Venerium, & ceteros Gallicanos epiſcopos: & iſdem beatus Auguſtinus in libro de correptione & gratia, & de prædeſtinatione ſanctorum, ac bono perſeverantiæ. Sed & ſanctus Proſper, ex delegatione ſedis apoſtolicæ, in abſolutionibus objectionum Gallorum, Vincentianorum, atque Maſſilienſium, in libris etiam de vocatione gentium, catholico ſenſu, & perfecta evidentiſſime rationis facundaque doctrina eorum argumenta diſſolvit. Verba autem eorumdem auctorum, unde imperiti magiſtri talia inſulſa ceperunt, hic poneremus, ſi non pro ſolutione nodum componere vitaremus. Addendum etiam neceſſarium duximus, ut his ſanctorum ſententiis cognoſcamus, nuptias, quas concubitus pro quibuſdam cauſſis non ſequitur, ſolvi poſſe, & propter incontinentiam feminæ ad alias convolare valere. Sed ſubtilis inveſtigatio, & rationabilis diſcretio in his prius eſt adhibenda, utrum quaſi naturalis in viris ſit hujuſmodi commixtionis impoſſibilitas, (quia & ſunt eunuchi, ſicut ſcriptum eſt, qui de matris utero ſic nati ſunt,) an hoc impedimentum operatione diaboli, ſicut fieri aſſolet, illis accidit. Quod ſi per ſortiarias, atque male-

ANNO CHRISTI 860.

33. q. 1. Si per ſortilegas.

ANNO CHRISTI 860.

maleficas, occulto, sed nunquam vel nusquam injusto, Domini judicio permittente, & diabolo operante accidit, hortandi sunt quibus illa eveniunt, ut corde contrito, & spiritu humiliato, Deo & sacerdoti de omnibus peccatis suis puram confessionem faciant, & profusis lacrymis, ac largioribus eleemosynis, & orationibus, atque jejuniis, Domino satisfaciant, cujus judicio, pro suo merito, & ab illa benedictione privari inviti meruerunt, quam Dominus primis parentibus ante peccatum in paradiso donavit, qua etiam post peccatum genus humanum in totum privari non voluit: & per exorcismos, atque cetera medicinæ ecclesiasticæ munia, ministri ecclesiæ tales, quantum annuerit Dominus, qui Abimelech ac domum ejus Abrahæ orationibus sanavit, sanare procurent. Qui forte si sanari non poterunt, separari valebunt. Sed postquam alias nuptias expetierint, illis in carne viventibus, quibus junctæ fuerint, prioribus quos reliquerant, etiamsi possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt. Incestuosas autem nuptias, propter incestus crimen, quod habere non potest, ut prius diximus, & iterum dicimus, Christi & ecclesiæ sacramentum, non debere manere, sed crimen separatione & pœnitentia debere sanari noscamus. Stephani vero nuptias, de quibus agitur, ne incestus admittatur, debere dissolvi modis omnibus cognoscamus: & nuptias quæ nuptiale habent mysterium, non quacumque alia, nisi sola fornicationis causa, posse dissolvi, docente Veritatis auctoritate, teneamus. Quoniam etsi communi consensu continentiam voverint conjuges, tanto obnixius, quanto spiritalius in Domino juncti manebunt: quorum conjunctioni, ac individuæ separationi, nulla simulatio in oculis ejus intervenire valebit, cui cordium ac renum scrutator esse dignoscitur. Unde Stephanus pro fornicatione, de qua, nisi coactus necessitate eam publicaret, secreta confessione pœnitentiam agere poterat, & quia sacro nuptiarum mysterio, licet necessitate compulsus, simulationis culpam superinduxit, sicut ille qui zizaniam tritico superseminare non metuit: & quoniam post tale connubium, antequam legaliter dissolveretur, quod quasi legaliter visum fuit initum, alios pravo exemplo destruens, concubina usus fuisse dicitur, juxta modum culpæ, cum pietatis modestia, quia reverentiam Deo exhibuit, ne incestum fornicationi adjungeret, a proprio episcopo secundum ejus arbitrium, quia canones sic decernunt, pœnitentiam regularem suscipiat, & cum dignis pœnitentiæ fructibus peragat, ut qui suo neglectu ecclesiam, & multos ecclesiæ filios scandalizare præsumpsit, ecclesiæ & ejus rectoribus atque filiis satisfaciat, & post satisfactionem, si se continere non poterit, juxta sententiam magni Leonis papæ ad Rusticum Narbonensem episcopum, & secundum decreta sancti Toletani concilii, copulam uxoris legitimæ expetat, ne iterum fornicationis crimen incurrat. In quo tamen, cum eodem patre loquentes sanctissimo, non regulam constituimus, sed quid sit tolerabilius æstimamus. Nam secundum veram cognitionem nihil magis ei congruit qui pœnitentiam agit, quam castitas perseverans, & mentis, & corporis. Cui ne laqueum injiciamus, remedii manum porrigimus, non imperium actionis imponimus. Quia etiam sanctus Siricius de benedictione sponsarum in decretis suis quædam ponere studuit. De quibus, quod notum est, sacri canones decernunt, & nos exinde aliqua diximus, & plura alia diceremus, si his nuptiis, de quibus loquimur, benedictionem sacerdotalem datam fuisse ex more ecclesiastico audiremus. Sed quibus debita fides defuit, locum benedictio sacerdotalis non habuit, præsertim cum scriptum sit: *In quamcumque domum intraveritis, primum dicite; Pax huic domui, & si fuerit in ea filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, pax vestra ad vos revertetur:* & Petrus Domino & fidelibus dicit: *Fide purificans corda eorum:* & item scriptum est: *Omnia opera ejus ex fide:* & iterum: *Quod non est ex fide, peccatum est.* Et ubi peccatum manet, ante congruam satisfactionem benedictio locum non habet. Nihil enim, ut beatus dicit Gregorius, prodest oratio, ubi iniqua est actio. Post hæc omnia, si Regimundus filiam suam recipere non voluerit, aut illa in sua libertate manere decreverit, indicandum est eis, quoniam si ipsa illum quodcumque consenserit, ad illum, vel ad illam, non autem ad Stephanum, quod perpetratum fuerit, pertinebit. Debetis etiam vos, sancti antistites, & Regimundo & Stephano, atque illorum parentibus & amicis, ex divino mandato suggerere, intimare, atque præcipere, ut pacem inter se, quam Dominus præcepit, & sine qua eum nisi ad judicium videre non poterunt, habeant: & terræ principes cum primoribus debent satagere, ne pro hac causa in ecclesia, & in regno, scandala & seditiones fiant. Quod qui eorum obedire contempserit, juxta evangelicum præceptum, sicut ethnicus & publicanus efficiatur: & secundum apostolum, qui non obedit verbo notetur, ut nemo ei commisceatur, & qui hanc pacis doctrinam non receperit, nullus ei Ave dicat, ut non communicet peccatis ejus, & sicut canones decernunt, oblatio ejus nec in sacratio recipiatur: & qui ad pacem redire noluerit, tamdiu excommunicatus maneat, quamdiu ad pacem redire contempserit, & ad caritatem, quæ operit multitudinem peccatorum, quantocius redire festinet. Et item in canonibus scriptum est, ut de concilio bini vel terni judices ad quæque diffinienda deligantur atque mittantur, quæ ecclesiastico debent examinari ac definiri judicio, & alibi rationabilius atque convenientius quam in eodem concilio poterunt definiri, & quisquis probatus fuerit pro contumacia nolle obtempetare judicibus, cum hoc primæ sedis episcopo fuerit probatum, det literas ut nullus ei communicet donec obtemperet. Qua de re sancta synodus vos, qui primarum sedium regni Aquitanici estis, ad hanc causam diffiniendam, cum coepiscopis vestris, & principibus, ac terræ illius primoribus, eligere studuit, quorum diffinitioni sine suo periculo, & excommunicationis invectione, quisquis vobis obtemperare distulerit, evadere non valebit. Hæc de evangelica veritate, & apostolica atque canonica auctoritate, seu catholicorum doctrina & traditione, sicut synodus sancta jussit, pro mediocritate ingenioli mei colligere studui. De quibus, sicut audivi quoniam quidam faciunt, nemo contra me debet irasci: quia non meo sensu mea verba composui, neque quod meum non est mihi arrogare præsumpsi, neque statuendo vel imperando in hac causa, quod non est meum, quiddam scribere procuravi, nullius præjudicans sanæ sententiæ, nec dehonorans auctoritatem, aut ad obsequendi quemquam cogere volens necessitatem. Sed cum B. Leone scribente ad Rusticum Narbonensem episcopum, dilectissimam atque reverentissimam fraternitatem vestram commoneo, quia sicut quædam sunt, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oportet temperari: illa semper conditione servata, ut in his quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis

Gen. 20

Decret. cap 15. Conc Tolet. Conc. Tolet. VI. can 8.

licis contrarium, nec decretis ſanctorum invenia- A tur adverſum.

ANNO CHRISTI 860

Notæ Jacobi Sirmondi S. J.

1 *Concilium Tullenſe II.*) Synodi hujus decretorum duplex fuit editio, quam utramque repræſentamus, una brevior cum epiſcoporum ſubſcriptionibus, quam priore loco poſuimus: altera prolixior, quæ ſynodica, quæ mox ſequitur, concilii epiſtola continetur, cujus auctor fuit Hincmarus Rhemenſis. Qua in ſynodo relecta, epiſcopi ob prolixitatem ipſius alteri breviori ſubſcripſerunt. De his ergo inter Hincmarum utrumque fuit controverſia. Nam cum ab Hincmaro patruo reprehenſus eſſet Laudunenſis, quod breviore illa uteretur; ipſe in epiſtola nondum edita ſic reſpondit: *Quod ſcripſiſtis ceterum, cariſſime frater, de ſcedula quaſi epiſcoporum diffinitionem continente in ſynodo quæ apud Tuſiacum fuerat habita, valde miratus ſum, ubi & quomodo adinveniſti quam antequam per Hel* B *tonem clericum tuum audieris nuſquam vidi, vel nuſquam audivi: ſed nec qui modo adfuerunt epiſcopi eam ſe vidiſſe vel audiſſe dixerunt. Et ego illud non ab re admiror, ſi Hardwicus epiſcopus, qui adfuit, eam ſe non vidiſſe nec audiſſe dixit. Nam ab eo illam accepi, & relegens tranſcribi juſſi.* Et iterum poſt alia. *Quod dicitis: Et miranda eſt tua prudentia, qualiter ſic placuit hanc mendacem,* C *& in quibuſdam ſanctæ regulis obviantem ſubtilitatem habere & mihi tranſmittere, quam veram ſynodi definitionem, & ſacris regulis congruentem habere, & a me qualicumque primate tuo juxta regulas ſacras tenendam & ſequendam accipere. Illam epiſtolam, quam vos in eadem ſynodo a vobis archiepiſco. ſi adminiſtratione dictatam recitari feciſtis, penes me habeo, & reminiſcor quia ob prolixitatem ipſius quibuſdam ſatagentibus, hanc compendioſius diffinitam collectæ ſubſcripſimus. Nam veſtram, tetraſtichum Domino regi devotionem præmittentes, ita incipitis*: Sancta ſynodus congregata in villa Tuſiaco Tullenſis paræciæ *In hac autem quæ incipit* Cum in nomine Dei omnipotentis, *primum iſtud ita incheat capitulum*: In primis igitur propter pertinaciam multorum, *&c.*

2 *Ex provinciis* XII.) In epiſtola ſynodali, atque in altera ſynodi juſſu ab Hincmaro ſcripta, quatuordecim provinciæ numerantur.

3 *Anno incarnationis.*) Ex Hincmari Laudunenſis verbis paullo ante prolati, atque ex codice Virdunenſi, conſtat initium hujus epiſtolæ ducendum eſſe a ſequentibus verbis: *Sancta ſynodus congregata*, &c. Quare quæ præcedunt expungenda ſunt.

4 *Quod ſi per ſortiarias.*) Hunc locum ex Hincmaro Rhemenſi, ſed tacito libri nomine, citant Gratianus 33. quæſt. 1. *Si per ſortiarias*, & Ivo Carnotenſis parte VIII. cap. 194.

CONCILIUM MEDIOLANENSE

In cauſſa Engeltrudis adulteræ circa annum 859. vel 860. juſſu Nicolai Papæ I. celebratum.

ENgeltrudis femina dives & nobilis, filia Mattefredi Comitis cum Boſone Comite viro potenti legitime nupſerat; tum viri pertæſa cum adultero viro congreſſus habuit nefarios, cumque, eo forte detecto adulterio, ſibi a viro pertimeſceret; palam ab eo profugit, & cum adultero in Gallias tranſmigravit. Id graviter ferens vir ejus apud Benedictum Pontificem reclamavit; ſed Pontifice licet adnitente nihil ex hoc boni effectus conſecutus eſt. Inter hæc abeunte Pontifice, ſucceſſit Nicolaus, qui nihil habuit antiquius, quam ut publicum hoc ſcandalum removeretur. Multas propterea ea de re ſcripſit literas, nec verbis & adhortationibus pepercit; quibus omnibus incuſtum cedentibus ad concilium citari feminam juſſit, ut ea audita, tum demum ſententia excomunicationis merito ni pareret, damnaretur Concilium habitum fuiſſe Mediolani Pontifex in epiſtola LVIII. narrat, idque a Tadone Archiepiſcopo indictum ducimus ex Concilio Romano III. anno 863. celebrato can. 2 C forte quia ad ea diœceſim Boſo comes vel Engeltrudis ipſa pertinebat. Quid in eo actum ſit literis Nicolai I. num LVIII. ad Epiſcopos regni Ludovici datis legimus in hæc verba.

Juſſum eſt Mediolani Epiſcoporum concilium fieri, ad quod ipſa vocata, ſi certo tempore non occurreret, ab ipſo ſacrato collegio vinculis anathematis vinciretur. Quodque illa ſtatuto tempore non occurrente patratum eſt, ſententiamque in ipſam a ſynodo auctoritate noſtra convocata nos quoque, ut ſacri canones præcipiunt, conſenſu noſtro firmavimus.

Cum vero dein proſequatur Pontifex ſe per literas damnationis in ſynodo latæ admoniſſe epiſcopos regni Ludovici ac præſertim Theutgaldum atque Guuthārium, in quorum diœceſibus D femina degebat impune, & in ſynodo incerti loci circa an. 860. habita Guntharius harum literarum meminerit; ideo Mediolanenſem hanc Gallicæ incerti loci præponendam cenſui. *Manſi.*

CONVENTUS EPISCOPORUM INCERTI IN GALLIA LOCI.

Anno circiter DCCCLX. In quo actum de Ingeltrude Boſonis comitis uxore, quæ virum ſuum rehquerat.

Hujus conventus memoria ſupereſt in epiſtola Hincmari ad ipſum ſcripta, *ad interrogationem*, ut fert inſcriptio, *Guntharii archiepiſcopi Colonienſis.*

Labbei end. to I.

Hincmarus nomine non merito Remorum Epiſcopus, ac plebis Dei famulus, ſacro conventui.

Incarn. niai.

QUidam beato Ambroſio quædam propoſuit, ad quorum ſolutionem in craſtina illum ad eccleſiam invitavit, unde ſermonem adoriens, Ad ſolvendum, inquit, debitum creditori meo adveni. Sed & ego de mihi propoſita heri quæſtione, cujus ſolutionem nunc adſero, tunc domno Gunthario pro tribus cauſſis reſpondere non potui: videlicet quia ad revertendum jam jamque com- E movebamur, & quoniam plures viri ſapientes in conventu conſiſtunt, quorum quidam certant proponere, quidam autem abſolvere, interdum neceſſitate compulſa tanta velocitate cogor verba confundere potius quam proferre, antequam alius mihi ſententiam ab ipſis labiis rapiat, ut nec bucca efferre ſufficiat, quod vel convulſa memoria ſubminiſtrat. Sed & ſicut ſcriptum eſt, *Qui ſortiter premit ubera, exprimit butyrum; & qui vehementer emulget, elicit ſanguinem:* Timui ne ſi inconſulte ac præpropere reſponderem, in carnalem intellectum deciderem, quia occupatum ad alia Prov 30

cor

cor meum me dereliquerat, & lumen intelligentiunculæ serenum mihi vel mecum non erat. Quapropter distuli, donec si forte secundum Prophetam mitteretur manus, quæ me cibaret intellectus volumine. Quæ videlicet totiens mittitur, quotiens quæ ante nesciebamus Divina nobis gratia revelantur. Qua de re propositionem domni Guntharii proferamus, & solutionem ex largitione Divinæ gratiæ pro captu nostræ intelligentiæ referamus.

ANNO CHRISTI 860. *Ezech. 3.*

Si, inquit, *femina Bosonis ad nos venerit, & publice confessa fuerit, dicens, Mea culpa, virum meum adulteravi: quapropter timore mortis perterrita ad vos confugi, qui Dei estis vicarius, ut me & Deo salvetis, & a morte corporali, quæ mihi imminet ex parte mariti mei, me liberetis: utrum debeam illi publicam pœnitentiam imponere, quam aut in parochia mea, in quam confugit, sejuncta a viro suo peragat, aut eam eidem viro suo sub tali conditione reddere debeam, ut nullo modo eam interficiat, sed post pœnitentiam, illam in conjugio habeat; quam si interfecerit, sciat se ecclesiastica damnatione plectendum: quoniam nefas est quemquam in publica pœnitentia positum a quocumque interfici.*

Respondemus, feminam illam in tua vel alterius cujusque parochia natam, baptizatam, nutritam, adultam, facultatum hæreditate ditatam, Boso ex alia non modo parochia, verum ex alia provincia natus, & per omnia incrementa in perfectum virum perductus, sub alterius episcopi cura degens, secundum legem Divinam & humanam, apud eos, quorum intererat, obtinuit, dispensavit, donavit, publicis nuptiis honoravit, & sibi in conjugii copula sociavit, & unum corpus, unamque carnem secum effecit, sicut scriptum est, *Erunt duo in carne una: jam non sunt duo, sed una caro.* Et, *quod Deus junxit, homo non separet.* Nisi forte perpetuo, ex consensu, propter continentiam, unde tanto conjuncti sunt amplius, quanto spiritualius: aut ad tempus, ut vacent orationi, & revertantur iterum in idipsum, ne tententur a satana propter incontinentiam: aut causa fornicationis, qua separati, aut sic, ideſt, innupti & separati maneant, aut mutuo reconcilientur. Quomodo poteris inferiorem partem corporis hominis illius, qui sub alterius providentia degit, separare & tenere sub pœnitentia, quæ nec orationi continenter sine consensu partis superioris vacare potest? mulier enim non habet potestatem corporis sui, sed vir; & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier. Uxori vir debitum reddere debet, uxor viro, ut non tententur a satana propter incontinentiam. Quod qui eorum non fecerit, nisi ex consensu propter Deum dimiserit, parem suum, immo partem corporis sui mœchari facit. Si tu huic feminæ pœnitentiam posueris, quæ pars est corporis viri diœcesis alterius, sine consensu rectoris & viri, contra regulas ecclesiasticas facis, & docente Leone papa, honoris communione privaris. Et item si huic feminæ lege pœnitentiæ manum imponis, & illa membrum caput suum (caput enim mulieris vir) in alteram provinciam secuta fuerit, sub providentia alterius præsulis: quis curam de ejus accipiet pœnitentia? quis ut reconcilietur secundum canones, ad ejus attendet lacrymas & confussionem, quam non audivit? quis ei manum ad reconciliationem imponet, sacris regulis decernentibus, ut nemo episcoporum sub manu positum alterius sacerdotis, ad reconciliationem suscipiat, neque reconciliatum sine literis vel consensu reconciliatoris recipiat? Et quomodo partem corporis, immo hominem alterius episcopi & parochiæ judicabis, quin pœnitentiali judicio condemnabis? cum scriptum sit, quod sanctus Gregorius hinc in suis decretis exposuit: „ *Si transieris per messem amici tui, fricans confricabis spicas manibus tuis, & manducabis, falcem autem non mittas*, sive falce non metas: id est homines parochiæ alterius verbo prædicationis & exemplo operis (ita tamen ut non conculces simpliciorem fratrem tuum, ne incidas in ruinam & laqueum, vanam scilicet gloriam diaboli) in corpus Christi, quæ est ecclesia, festina trajicere, falcem autem judicii non permitteris mittere, vel falce judicii metere, id est incidere, sive abscidere. " Et quoniam, sicut ipse Boso dicit, eidem mulieri quæ caro sua est, nullum crimen impingit, sed non modicam negligentiam, quia ab ejus se subtraxit servitio, & quantum ex ipsa est, illum mœchari fecit, contra auctoritatem atque justitiam eum dimittens, & in aliis regnis circiter per triennium immorans, contumax mandatis illius adeo extitit, ut nec compellata per tanta temporum spatia ad eum redierit, pro domni Apostolici est jussione illi paratus indulgere: restat ut rex, in cujus regno degit, secundum conscriptionem chirographi regum nostrorum, eam ad viri sui præsentiam adduci faciat, & tu episcopus, in cujus parochia immoratur, quia hoc non est regis, sicut sanctus Gregorius de his, qui ad ecclesiam confugiunt, præcipit; si exposcit necessitas, securitatem de æquitate sibi servanda apud virum ejus expetas & obtineas, & post hoc missus reipublicæ viro uxorem fuga lapsam restituat. Qui vir, si sacramentum fregerit, & apostolicis monitis inobediens extiterit: episcopus, ad cujus curam pertinet, canonicum judicium in illum proinde exerat. Si autem mulier confessa, vel legaliter de adulterio convicta, incolumis evaserit, lege ecclesiastica pœnitentiæ illam isdem episcopus subigat, quia & mundanis legibus cautum atque usitatum esse dignoscitur, ut mala quæ perpetrantur, in illis locis emendentur in quibus perpetrata fuisse legaliter comprobantur. Præter hæc nihil mihi videtur agendum, nisi aut domni Apostolici monita exequamur, aut judicium incurramus. De sacramento autem, quoniam quasi ad pietatem confugit ecclesiasticam, quia tuum, id est episcopale poposcit auxilium, quod ex impunitate, in membrorum vel vitæ, si ita qualitas facti exegerit, legali privatione requiris, super id quod sanctus decrevit Gregorius pro eis etiam qui ad sacraria sacra confugerint, requirendum, videlicet de æquitate servanda, subtiliter debes perpendere, ne videaris vel dicaris non solum ecclesiæ, verum & totius mundi statum & ordinem atque vigorem velle confundere atque destruere, & apostolicæ, atque apostolicorum virorum doctrinæ obsistere, qui non solum leges a Christianis regibus promulgatas observaverunt, & observantes tradiderunt, verum etiam promulgandas expetierunt, sicut in Carthaginensis atque Africani concilii, ceterorumque conciliorum canonibus, & in decretis apostolicæ sedis multoties reperitur. Unde & sanctus Gregorius commonitoria ad Joannem Defensorem, & ad alios etiam ex integro de legalibus edictis condiderat: & sanctus Gelasius ad imperatorem Anastasium scripsit: Si enim, inquiens, quantum ad ordinem publicæ pertinet disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna dispositione conlatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis antistites, ne vel in rebus mundanis excusæ, videantur obviare sententiæ: quo, oro, te decet affectu eis & convenit obedire, qui prærogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis? Et S. Leo ad Turibium Astu-

Gen. 2. Matth. 19. 1. Cor. 7.

Epist. sub

Epist. sub

ricen-

ricenſem epiſcopum ſcribens. „ Merito, inquit, A „ rint, illic eos pœna expectat, ubi accuſante ip-
ANNO CHRISTI 860. „ patres noſtri, ſub quorum temporibus hæreſis „ ſa conſcientia punientur. Et ſanctus Cyprianus ANNO CHRISTI 860.
„ hæc nefanda prorupit, per totum mundum in- „ in nono abuſionis gradu dicit: Quia regem
„ ſtanter egerunt, ut impius furor ab univerſa „ non iniquum, ſed correctorem iniquorum eſſe
„ eccleſia pelleretur: quando etiam mundi prin- „ oportet. Et item ibi inter cetera: Deoct furta
„ cipes ita hanc ſacrilegam amentiam deteſtati „ cohibere. adulteria punire, impios de terra per-
„ ſunt, ut auctorem ejus, cum pleriſque diſcipu- „ dere, parricidas & perjurantes non ſinere vive-
„ lis, legum publicarum enſe proſternerent. Vi- „ re, filios ſuos non ſinere impie agere. Et bea-
„ debant enim omnem curam honeſtatis auferri, „ tus Joannes Chryſoſtomus in homilia decima
„ omnem conjugiorum copulam diſſociari, ſi- „ ſexta Matthæi Evangeliſtæ, *Audiſtis*, inquit Do- *Matth. 5.*
„ mulque Divinum jus humanumque ſubverti, „ minus, *quia dictum eſt antiquis, oculum pro oculo, dentem pro dente*. Non enim ut nobis vicif-
„ ſi hujuſmodi hominibus paſquam vivere cum „ ſim effoderemus oculos ſanxit hanc legem, ſed
„ tali profeſſione licuiſſet. Profuit iſta diſtrictio „ ut metu, quo ab alio iſtud timemus pati, ipſi
„ eccleſiaſticæ lenitati, quæ etſi ſacerdotali con- „ quoque tale quidpiam caveremus admittere, ut
„ tenta judicio cruentas refugit ultiones, ſeveris „ & qui ipſo voluntatis bono nollent a crudeli-
„ tamen Chriſtianorum principum conſtitutioni- B „ tate deſinere, ſaltem metu cogerentur oculis
„ bus adjuvatur, dum ad ſpiritale nonnunquam „ parcere proximorum: ſi vero illud crudele di-
„ recurrunt remedium, qui timent corporale ju- „ citur, & homicidam & adulterum coerceri cru-
„ dicium. Ex quo autem multas provincias ho- „ dele dicatur. Sed inſipientium omnino iſta ver-
„ ſtilis occupavit irruptio, & executionem legum „ ba ſunt, & extremo furore dementium. Ego
„ tempeſtates intercluſere bellorum, ex quo in- „ enim adeo meruo dicere hæc eſſe crudelia, ut
„ ter ſacerdotes Dei difficiles commeatus, & ra- „ his contraria etiam iniqua perdoceam, quod
„ ri cœperunt eſſe conventus. invenit ob publi- „ certe communis quoque ratio deprehendit. Tu
„ cam perturbationem ſecreta perfidia libertatem, „ enim dicis, quia oculum pro oculo juſſit au-
„ & ad multarum mentium ſubverſionem his ma- „ ferri, ideirco crudelis: ego autem refero, quia
„ lis eſt incitata, quibus debuit eſſe correcta. “ „ niſi præcepiſſet iſtud, tunc vere apud plurimos
Lege librum XVI. legis Romanæ, lege decreta „ talis fuiſſet, qualem tu eum falſo eſſe conque-
Damaſi, percurre Leonis epiſtolas, & ceterorum pontificum de diverſis conciliis ad imperato- „ reris. Denique ſermone fingamus omnem le-
res tranſmiſſas: revolve Auguſtorum edicta de „ gem eſſe diſſolutam, nec quemquam pro hu-
hæreticis ad petitionem pontificum promulgata; C „ juſcemodi factis formidare ſupplicium, ſed cun-
ſcrutare Cæſarum noſtrorum capitula, & inve- „ ctis prorſus malignis licere uti moribus ſuis,
nies quantum profuerit atque proſit legum ſeve- „ & adulteris, & homicidis, & furibus, & per-
ritas, non ſolum eccleſiaſticæ lenitati, verum to- „ juris, & parricidis: nonne ſub hac licentia om-
tius Chriſtianitatis optandæ paci & colendæ tranquil- „ nia pariter una confuſio iniquitatis involveret?
litati. Sapientia namque, videlicet Chriſtus Dei „ nonne mille ſceleribus & cædibus urbes, fo-
virtus & Dei ſapientia, dicit: *Per me reges regnant, & conditores legum juſta decernunt*. Et Apo- „ ra, domus, maria, totuſque omnino mundus
ſtolus, *Lex quidem eſt ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum & bonum*. „ Unde Ambroſius, „ fuiſſet impletus? nam ſi legibus certe dominan-
„ Mandatum legem intelligi, evangelicus ſermo „ tibus, & vigente comminatione atque terrore,
teſtatur, ait enim, “ *Si vis ad vitam venire, ſerva mandata*. Et item Apoſtolus: *Lex propter* „ vix tamen voluntates cohibentur malignæ: ſi
„ etiam hoc præſidium defuiſſet, quanam poſſet
„ malitia ratione frænari? aut quæ non in vitam
„ hominum peſtis irrueret? nec tamen ſolum
tranſgreſſiones poſita eſt. Et. *Lex non eſt poſita juſtis, ſed injuſtis, & non ſubditis, impiis & peccatoribus, ſceleratis, contaminatis, patricidis & matri-* D „ iſtud crudele eſt permittere, ſcilicet malis age-
„ re quæ velint; ſed aliud quoque iſto certe ni-
„ hil minus, id eſt læſum & immerito afflictum
„ negligere atque deſpicere? Dic enim mihi, ſi
„ quis feros homines ac ſemper malignos in unum
„ colligens, gladiis armaret totamque circumire
„ civitatem juberet, atque obvios ſibi quoſque
„ confodere, quid tandem hoc eſſet immanius?
„ at ſi alius eos quidem, qui ab illo armati eſ-
„ ſent, ligaret, violenterque conſtringeret, eos
„ vero qui interimendi erant, ab iniquis illis
„ manibus liberaret: quid e regione iſto invenire-
„ tur humanius? Hæc igitur etiam ad legem
„ tranſfer exempla. Quæ enim oculum pro oculo
„ effodere præcepit, timorem quaſi carnificum
„ peccatoribus immittens, “ illius ſimilis inve-
nitur, qui illos quos dixi cohibuit armatos: qui
vero nullam omnino pœnam decrevit nocenti, * E
ſed armaſſe tibi iniquitatem videtur, eumque
imitatum fuiſſe, qui ſceleratos illos gladiis in-
ſtruxit, inque totius civitatis immiſit exitium.
Videſne quemadmodum non ſolum nullius crude-
litatis, verum etiam maximæ pietatis ſunt illa
præcepta? Et in epiſtolis beati Gregorii idem com-
petenti ultione plectendis maleficis & iniquis ſæ-
pe numero qui legere voluerit, invenire valebit.
Unde, frater cariſſime, collige, quia contra hæc
agere aut exigere, non ſolum eſt pietatis jura
confundere, verum & ſacerdotali innocentiæ ac
puritati detractionis moleſtias importare, & dero-
gationis blaſphemias inrogare. Dicent enim ma-

Cur. illum armaſſe impunitate videtur, eumque imitatur, qui.

ov. 3.
om. 7.
anib. 19. lat. 3. Tit. 6.
om. 23.
idem.

ANNO CHRISTI 860.

liuoqui, Paulus dicit, *Non ſolum qui faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus, digne ſunt morte*, iſte iniquos coerceri non ſinit. Unde & Dominus per Pſalmiſtam tali, ſicut iſte eſt, ſacerdoti, *Quare*, inquit, *tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? tu vero odiſti diſciplinam, currebas cum fure, cum adulteris portionem tuam ponebas*. Non enim foveret malos, ſi bonum diligeret: ſed diligens Dominum, & odiens vitium, quod ſuum ageret, & quod a Deo per conditores legum juſta decernentes decretum eſt, non oppugnaret. Et iniquæ mulieres ac perverſi homines inquient, faciamus quod volumus, & adeamus eccleſiam, vel epiſcopum, & erimus impuniti. Hinc namque vituperabitur miniſterium noſtrum, & erimus contemptibiles, ut videlicet legalem juſtitiam injuſtis a Domino poſitam contemnentes, quia unaquæque lex juſta crimen non habet, ne ſit injuſta, & tamen criminoſum punit, ut vere ſit juſta. Et e regione quidam jactabunt, ſcriptura dicit, *Ne ſis multum juſtus. Beati quoque miſericordes*. Et, *judicium illi ſine miſericordia qui non facit miſericordiam*. Et, *ſuperexaltet judicium miſericordia*. Et Dominus adulteræ, *Nec ego te condemnabo, vade, & amplius noli peccare*. Et tu ſacerdos cui miſericordiam niſi miſero debes impendere? & illi claudis non miſerendo miſericordiæ viſcera, qui in eum liber es a punitione? Quam utriuſque partis derogationem erga ſacris myſteriis ſervientes provide atque diſcrete cavens beatus Gregorius, ad Leontium exconſulem ſcribit: " Debet, inquiens, gloria veſtra meminiſſe, quia nunquam meas epiſtolas pro commendatione alicujus accepit, niſi ut protectionem veſtram faciente juſtitia præſtaretis, quia turpe eſt defendere quod prius non conſtiterit juſtum eſſe. Ego quidem homines propter juſtitiam diligo, non autem juſtitiam propter homines poſtpono. Et ad Romanum defenſorem, Patrocinia eccleſiaſtica, ſive mea ſuſcipiatis ſcripta, ſive etiam minime fuerint directa, ſub tanto moderamine debeatis impendere, quatenus hi qui in furtis publicis implicati ſunt, a nobis non videantur injuſte defendi, ne opinionem male agentium ex indiſcretæ defenſionis auſu in nos ullo modo transeramus, ſed quantum decet eccleſiam, admonendo, & verbum interceſſionis adhibendo, quibus valetis ſuccurrite, ut & illis opem feratis, & opinionem ſanctæ eccleſiæ non inquinetis." Sed & de his quis ad ſepta eccleſiæ, & etiam ad ipſa ſacraria confugerint ſanctuarii, ad Joannem epiſcopum Calaritanæ civitatis ſcribit. „ Si, inquiens, de quibus eſt quæſtio, ad eccleſiam forteſſe refugerint, ita debet cauſſa diſponi, ut nec ipſi violentiam patiantur, nec hi qui dicuntur oppreſſi, damna ſuſtineant. Cura ergo veſtra ſit, ut eis ſacramento ab his, quorum intereſt, de ſervanda lege & juſtitia promittant, & per omnia commoneantur exire, atque ſuorum actuum reddere rationem.

Hæc, Domini & fratres, rogatus, vobis audientibus, a ſupra ſcripto venerabili conſacerdote noſtro, ſapientiæ veſtræ depoſui: quæ ſi illi ad interrogationem ſuam non videntur ſufficere, plura hinc poterit in ſanctorum paginis legere, & a noſtra mediocritate in ſolutionibus quæſtionum, de quibus ab aliis interrogatus ſum, viceſimæ ſecundæ, & viceſimæ octavæ latius inveniet.

Quoniam quidem ſupra chirograph regum noſtrorum memoriam feci, quæ de his ibidem conſtituta ſunt, hic ſubnectere procuravi. Et quia per vagos, & tyrannica conſuetudine inreverentes homines, & pax & quies regni perturbari ſolet: „ Volumus ut ad quemcumque noſtrum talis „ venerit, ut de his quæ egit rationem & juſti„ tiam ſubterfugere non poſſit, nemo ex nobis „ illum ad aliud recipiat vel retineat, niſi ut ad „ rectam rationem & debitam emendationem per„ ducatur: & ſi rationem rectam ſubterfugerit, „ omnes in commune, in cujus regnum venerit, „ illum perſequamur, donec aut ad rationem per„ ducatur, aut de regno deleatur. Similiter & „ de eo agendum eſt, qui pro aliquo capitali & „ publico crimine a quolibet epiſcopo corripitur, „ vel excommunicatur, aut ante excommunica„ tionem crimen faciens, regnum & regis regi„ men mutat, ne debitam pœnitentiam ſuſcipiat, „ aut ſuſceptam legitime peragat: interdum etiam „ inceſtam propinquam ſuam, aut ſanctimonia„ lem, vel raptam, ſive adulteram, quam illic „ ei non licebat habere, fugiens ſecum ducit. „ Hic talis, cum epiſcopus, ad cujus curam pertinebit, nobis notum fecerit, diligenter perquiratur, nec morandi vel latendi locum in regno alicujus noſtrum inveniat, & Dei ac noſtros fideles ſuo morbo inficiat, ſed a nobis, „ vel per miniſtros reipublicæ conſtringatur, & „ ut ſimul cum diabolica præda, quam ſecum „ duxit, ad epiſcopum ſuum redeat, & de quocumque crimine publico debitam pœnitentiam „ ſuſcipiat, aut ſuſceptam legitime peragere com„ pellatur."

Eccl. 7. Matth. 5. Jacob. 2. Joan. 8.

Capitul. Carol. C. tit. 8.

ANNO CHRISTI 861.

ANNO CHRISTI 851.

[a] CONCILIABULUM CONSTANTINOPOLITANUM

[b] OECUMENICUM FALSO NUNCUPATUM,

Quo [c] trecenti octodecim circiter epiſcopi, [d] Ignatii injuſtam condemnationem & Photii illegitimam intruſionem confirmarunt, anno Domini DCCCLXI. tempore Nicolai Papæ & Michaelis imperatoris.

Acta hujus conciliabuli recitantur ſummatim infra a Niceta in vita ſancti Ignatii patriarchæ, quæ eſt præfixa actis ſynodalibus octavæ ſynodi.

Numerus epiſcoporum quantus.

[a] *Conciliabulum.*) In hac pſeudoſynodo a trecentis & octodecim (ut ipſi jactabant) ſchiſmaticis epiſcopis, Ignatius ab exilio ad judicium & ſententiam evocatus, iniquiſſimæ damnatur, & quaſi contra triceſimum canonem apoſtolorum ordinatus fuiſſet, a ſede patriarchali deponitur & plane degradatur. Legati ſedis apoſtolicæ diu multumque reluctati, horrendis tandem terroribus inducti, iniquæ ſententiæ ſubſcripſerunt. Cumque nullo ſupplicio Ignatium inducere poſſent, ut ſuam ipſius condemnationem ille propria manu & ſubſcriptione approbaret, ſubſcripſit pro eo Photius ita: *Ignatius indignus Conſtantinopolitanus confiteor me ingreſſum eſſe ſine calculis, & his annis non ſancte me geſiſſe, ſed tyrannice*. Unde Nicolaus papa in epiſtola 9. ad Michaelem imperato-

Ignatii rum condemnatio quare

ratorem hanc synodum latrocinalem merito appellat. Primum quod in ea omnia per vim, minas & terrores, nec quidquam secundum ordinem sacrorum canonum gestum fuerit: secundo, quia a schismaticis & damnatis episcopis synodus celebrata est: tertio quia eidem imperator contra canones interfuit & præsedit: denique quod in ea literæ apostolicæ partim non fuerint recitatæ, partim etiam Photius easdem depravarit & corruperit. Hæc omnia prolixe Nicolaus papa in epistola 9. ad Michaelem imperatorem, & Nicetas prædicto loco. Duæ hujus conciliabuli actiones habitæ fuerunt; una pro cultu sanctarum imaginum: altera in causa Ignatii: ambarum meminit Nicolaus papa in epist. 10. ad orientales. Apud Balsamonem duplex dicta reperitur, non alia de causa, quam quod duæ actiones prædictæ in ea habitæ fuerunt. Idem præ se fert titulus duorum ejusdem pseudosynodi canonum apud eumdem Balsamonem his verbis præfixus: *Canones editi a sancta & magna Constantinopolitana synodo prima & secunda, quæ congregata est in venerabili templo sanctorum & beneditorum apostolorum* Post hæc meditatus est opus quod Nomocanonem appellari voluit; quodque collectionem sacrorum canonum & sacrorum patrum responsiones continet præter septimæ synodi, aliosve 17. canones. Vide Baronium anno 861. numero 1. & sequentibus.

[b] *Oecumenicum*.) Ita apud Theodorum Balsamonem nominatum invenies, idque ob numero-

A sitatem episcoporum, & præsentiam legatorum sedis apostolicæ. Quo nomine eam Nicolaus papa appellet, supra dixi. ANNO CHRISTI 861

[c] *Trecentorum octodecim episcoporum*.) Ita Michael cum schismaticis episcopis gloriabatur: epistola enim quinta ad eum reddita hæc scribit Nicolaus papa: *Igitur quia ad instar Nicæni, venerandi cœtum concilii, vestrum, qui in depositione Ignatii patriarchæ adsuistis, totidem fere numerosa dicitis, miramur. Et quid prodesse consideramus ejus numeri collegium præesse, ubi ipsius sententiæ prævaricantur, cujus & numerus imitatur?* Ita Photius veritatis & justæ causæ præsidio destitutus, numero & vi regia vicendum esse putabat.

[d] *Ignatii*.) De Ignatii vita plura reperies in-

B fra in concilio œcumenico VIII.

Adnotatio P. Antonii Pagi
Ad Annum Christi 861. *n.* 2

Hæc Pseudo-Synodus, cujus meminit Auctor libelli Synodici, qui hoc tempore vivebat, post Pascha anni Chr. 861. celebrata. Niceras enim, postquam Ignatium in Synodo CP. depositum fuisse asseruit, de Photio subjungit *Suggerit Imperatoribus, ut Ignatius ad ædem Apostolorum deductus, primus exauctorationem suam ipse publice pro ambone legat &c. Pentecostes sancta dies complebatur, cum ecce tibi armatorum manus domicilium in quo degebat, corona præter omnem expectationem repente cingit.* Sed Ignatius vilem a servis sumit vestem, & deceptis custodibus profugit, ut ex Nicera refert Baronius num. 20. & seqq. Quare cum Pentecostes festum anno 861. in diem 25. mensis Maii inciderit, mense illo Synodus hæc celebrata,

C

[a] CONCILIUM ROMANUM I.

IN CAUSSA JOANNIS RAVENNATIS

Episcopi celebratum anno Domini DCCCLXI. tempore Nicolai papæ & Ludovici secundi imperatoris.

☞ JOANNIS DOMINICI MANSI

MONITUM AD LECTORES.

Concilii hujus Romani pauca dedit Labbeus, longe plura Bacchinius, sed & multo correctiorem codicem reperit P. Franciscus Antonius Zaccharia S. J. V. C. in codice vetusto sæculi, ut ipse censet, XI. asservato in Archivo Illustris Capituli Ecclesiæ majoris Modoetiensis. Cum vero variantes ex eo vir ille doctissimus ad me transmiserit, operæ pretium duxi eas hic adnotare.

[a] *Concilium*. Cum Joannes Ravennatis ecclesiæ archiepiscopus subditos suos fideles graviter afflixisset, innocentes excommunicasset, peregrinantium studiis, & piis operibus restitisset, monitusque de causa a pontifice, nequaquam abstinuisset, vel etiam a synodum vocatus aliquoties non comparuisset, pontifex eum in hoc patrum consessu justa anathematis sententia condemnavit. Cumque ab imperatore Ludovico subsidium & auxilium frustra imploraſſet, omni præsidio destitutus tandem comparuit, actaque de commissis pœnitentia, in communionem ecclesiæ iterum receptus fuit. Acta hujus concilii tribus actionibus distincta extant apud Burchardum in libris decretorum. Padem recitantur ab Anastasio in vita Nicolai papæ. Quæ cum * supra excusa inveniantur, hoc loco omittenda esse putavi.

D *Actorum hujus synodi summarium ad singulos Ravennati Metropoli subditos episcopos ex Concilii præscripto transmissum primus edidit ex Cathedralis Mutinensis tabulario Cl. Abbas D. Bened. Bacchinius in appendice ad Agnellum Ravennatem a se editum, & nos hic ex eo subjicimus.* Ex Bacchinii Agnello Ravennate in Appendice.

E IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Pontificatus (*a*) Domini Nicolai summi Pontificis, & universalis Papæ anno III. Imperii piissimi Augusti Ludovici anno XI. de octavo decimo mense Novembris Indictione X Capitula, quæ in sancto Concilio a Beatissimo Domino Nicolao Papa Romæ collecto statuta, atque (*b*) canonice firmata sunt contra Johannem Ravennatem (*c*) archiepiscopum.

(*d*) *Epi-*

(*a*) Domini *ubique*. (*b*) *desit* canonice. (*c*) episcopum

ANNO CHRISTI 861.

I.

(*d*) Episcopos per Æmiliam non consecres, nisi post electionem Cleri & populi. (*e*)

II.

Eosdem quoties ad apostolicam sedem venire voluerint, nequaquam prohibeas. Sed & nullam dationem contra canonicam auctoritatem ab eis exigas. (*f*)

III.

Prædia, quæ præceptis diruptis a jure S. Petri ad jus S. Apollinaris transtulisti, & per emphyteosim vel libellum ex singulis hominibus contulisti, diligenter exquire, & inventis ipsis emphyteosim vel libellum dirumpe, & ad jura S. Petri cujus fuerunt, restitue, & (*g*) talem ultra facere nunquam præsumas. (*b*)

Sollicitudinem omnium ecclesiarum Dei circumferentes convenit nos universorum necessitatibus consulere, & (*i*) omnibus vulneribus salubria conferre remedia; Dominicarum quippe ovium Pastores sumus. Sed tanto nobis præ ceteris specialiter (*k*) præsens cura major incumbit, quanto vicem illius gerimus, cui divino oraculo ipsæ oves specialiter commendantur, cui (*l*) & præcipiens ait: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Et ideo (*m*) sanctitas vestra (vobis episcopis in Æmilia commorantibus) a Johanne archiepiscopo Ravennate multis impulsionibus queritur agitari. Debemus manum apostolatus nostri (*n*) vobis quantocius porrigere; & quia (*o*) vos ex illis fratribus estis, quos S. Petrus (*p*) est confirmare, necesse est, ut a tantis ejus impulsionibus vestram fraternitatem eruentes, in petra, quam ipse confessus est, ne ulterius ..... valeatis, statuamus. Constat autem sanctitatem vestram, una cum fratribus & coepiscopis Æmiliæ regionis Pontificio nostro lamentabiles querelas flebili voce coram synodo, quam Romæ celebravimus, exposuisse, cui cum numeroso Campaniæ videlicet, Tusciæ, & Pentapoleos, & aliarum regionum sanctissimorum episcoporum cœtu, & ipse Johannes archiepiscopus interfuisse dignoscitur. (*q*) Oppressio vero injuriarum, quibus a præfato archiepiscopo vos querebamini affectos, prima fuit, quam perhibuistis, eumdem Johannem Archiepiscopum Ravennatem per binos annos semel episcopia (*r*) vestra circuire, & tandiu per singula residere, quousque (*s*) ipsa paupertas, quæ ad utilitatem episcopii, & sustentationem Clericorum, & (*t*) pauperum, & gubernationem familiarum, ac susceptionem peregrinorum, atque restaurationem Basilicarum, vel episcopii, hinc inde (*u*) separatur, cum suis hominibus illam consumat, & non antea inde recedere, quam ab episcopo loci (*x*) illius ad archiepiscopum & familiares ejus, quæ non debentur, dona non modica tribuantur. Insuper omni anno, quod in toto mundo minime invenitur, colonicio more, berbices, & oblatas, vinum, & pullos, & ova archiepiscopo, & ad suum archipresbyterum similiter & ad Archidiaconum, & ad Vicedominum, & ad Arcarium, & ad majorem cubiculi, & ad Cartularium, & ad Scriniarium, & ad Defensores, & ad Cubicularium, & ad majorem domus tribus pro omnibus his supradictis omnes annualiter sine intermissione ad unumquemque supradictum redditum sicut tribuarii facere. Plebes quoque vestras, & titulos, ac curtes, atque monasteria episcopii vestri pertinentia ad gubernationem vestram (*z*), alienare & sibi subjicere, & delere. Aliud autem non minori querimonia afferuistis, vos compelli ab eo episcopia vestra deserere, & more (*a*) populorum, Ravennæ per singulos menses alternis, vel mutatis vicibus (*b*) ministrare, & infantuli parochiæ vestræ illis diebus sine chrismate obire. Clericos præterea quoscumque novatur alicujus utilitatis existere, pro suo libitu asseveratis (*c*) ad vestram subjectionem, & disciplinam eum esse subtrahere solitum. Nec minus magno clamore firmastis, quod idem archiepiscopus vos non dimittat, quoties ad limina apostolorum amplectenda, vel (*d*) ad sedem venire vultis. Quas nimirum querulas voces, & inauditas assertiones reverendissimi episcopi, qui in eodem residebant sancto Concilio, audientes omnes pariter clamaverunt, (*e*) hæc præter canones fieri, & ut in perpetuum prohibuissemus, Præsulatum nostrum supplices postulare. Quapropter tam pernicioſa gravamina, (*f*) & tam mala consuetudo in ecclesia Dei tyrannice cum pullulasset, dolentes maxime cum contra (*g*) omnes sanctorum Patrum regulas, & contra omnem ecclesiarum Dei morem in sola Ravennate metropoli a præsumptoribus sint temere usurpata, ne aliis metropolitanis episcopis talia præsumendi occasio remaneret, & ecclesiæ Dei tali inficerentur exemplo; statuimus una cum omni sancto Concilio hoc a vobis, & vestris successoribus, immo a vestris sanctis ecclesiis penitus resecandum. Unde coram eodem reverendo Concilio ipsi Johanni archiepiscopo, & omnibus suis suc-

ANNO CHRISTI 861.

(*d*) *In codice incipit aliud caput quod hic deest*: Remota omni excusatione præter gravem corporis molestiam, quæ te venire omnino prohibeat, ad sedem Apostolicam, semel in duabus annis occurrere studeas, nisi forte remorandi licentiam ab Apostolica sede percipias. *Hæc omnia desunt in Ædit Bacchini; tum in Modoetiensi codice sequitur caput II. quod in Bacchinio est primum, & sic deinceps abundant in eodem codice uno numero canones.*

(*e*) *Addit codex*; per epistolam Apostolicæ sedis percipias licentiam.

(*f*) *Hic in codice interseruntur duo Canones, qui in Bacchinio desunt*:

IV. Numquam res cujuscumque personæ qualicumque ingenio vel chartulas adquisitas & possessas, aliquo modo occupes, aut titulum super imponas, donec in præsentia Apostolici vel Missi illius aut Vesterarii Ravennæ legali ordine illas in judicio convincas.

V. Homines liberos tam de Ravenna, quam de civitatibus Pentapoleos & Æmiliæ tam nobiles, quam ignobiles nullo modo a publica districtione excusare aut vindicare pertentes. Similiter autem & Colonos, qui ingenui sunt, nullatenus publica districtione excusare aut vindicare præsumas.

VI. Prædia &c. ut est in Bacchinio capite III.

(*g*) & tale. (*b*) *Post hæc in codice* sequitur nomina autem Episcoporum &c. *quod hic datur post totam illam allocutionem* sollicitudinem &c. (*i*) omnium. (*k*) pro eis cura. (*l*) etiam Dominus. (*m*) quia Sanctitas tua a Johanne archiepiscopo &c. (*n*) tibi. (*o*) unus ex illis fratribus esse dinoscaris quos &c. (*p*) jussus est confirmare Fraternitatem tuam eruentes in petra ..... ne ulterius mergi valeas statuamus. (*q*) oppressionis vero.

(*r*) vestra cum fere quingentis hominibus totidemque cavallis circumire. (*s*) omnia. (*t*) pauperum ac susceptionem peregrinorum atque &c. (*u*) reparantur cum magna multitudine illa consumat.

(*x*) illius archiepiscopo ducenti mancosi, familiaribus vero ejus quæ non debentur dona non modica tribuantur. Insuper tres vel quatuor equos per omne tempus ab eo vos ad nutriendum nolentes recipere & cortes fodere, & vineas palinare tanquam procuratores cortium suarum annualiter & sine intermissione studere. Plebes &c.

(*z*) vestram illum studuistis alienare & sibi subjicere. Aliud &c. (*a*) presbyterorum.

(*b*) ministrare, & non adempta recedendi licentia super hos viginti vel triginta diebus Ravennæ violenter teneri in quibus omnibus diebus nullus Clericus cujuscumque Episcopi per Ravennam equitando incedere Archiepiscopi jussione compressus sine sui discrimine prorsus audere. Clericos præterea quoscumque noverat alicujus &c.

(*c*) a vestra subjectione & disciplina. (*d*) ad Sedis Apostolicæ visitationem Romam more prædecessorum vestrorum venire &c. (*e*) hoc præter Canones fieri & ut hæc in perpetuum &c. (*f*) & tam mala consuetudo etiam in ecclesia Dei tyrannice pullulasse. (*g*) omnium.

ANNO CHRISTI 861.

successoribus interdiximus, & de unaquaque præsumptione pronunciatis capitulis, promulgatisque sententiis, apostolica auctoritate (*b*) præcipimus, videlicet ut tale quid ulterius nequaquam nec ipse, nec ejus successores agere præsumant; quæ scilicet capitula apud nos retinentes, exemplaria eorum vobis pro futuris temporibus retinenda mandavimus. Sed quoniam fraternitas (*i*) vestra apostolatum nostrum pro futura cautela, & propter omnimodam securitatem suam præceptum auctoritatis nostræ (*k*) vobis specialiter, vestrisque successoribus episcopis in perpetuum mittendum obnixe poposcit; inclinati precibus vestris per hujus præcepti seriem præcipimus expresse. jubemus, atque omni interdictione prohibemus, ut nullus amodo, & deinceps archiepiscopus Ravennæ ad vestra episcopia sine voluntate vestra accedere tentet, vel aliquam pecuniam a vobis exigere, vel res ecclesiæ vestræ, aut monasteria vestra, sive plebes, aut titulos, sive prædia, per quodvis ingenium diripere audeat, neque vocare Ravennam præter tempora a patribus diffinita, quibus Concilia episcoporum bis in anno celebranda sanxerunt, vos ullo modo præsumant. Hoc præ ceteris (*l*) supprimendum, ut illud quod trigesimale dicunt, Ravennæ ullo modo vos facere, aut cogere audeant. (*m*) Itaque nec dationem aliquam archiepiscopis Ravennatibus sit licentia a vobis, vestrisque successoribus episcopis amodo, & deinceps, id est in perpetuum exquirendi; (*n*) nec non & vobis licentiam tribuimus, ut quoties pro beatorum apostolorum amore, vel pro visitatione apostolicæ sedis præsulum more decessorum vestrorum Romam occurrere vultis, nullum impedimentum vobis archiepiscopus Ravennæ nec palam, nec occulte facere præsumat, sed Deo comite (*o*) vobis occurrere liceat. Sed & hoc decernimus, ac diffinimus, ut cum statutis temporibus archiepiscopus Ravennas vos ad Concilia convocaverit, nullo modo vos diutius retinendi licentiam habeat, itaut ultra xv. dies pro gravi necessitate Ravennæ nullo modo remoremini. Secundum saluberrimum S. Leonis Papæ decretum nec licentiam habeat Clericos matricis ecclesiæ vestræ, vel diœceseos absque vestra voluntate, a vestra disciplina, & subjectione subtrahere. Sed neque ecclesias, neque plebes, neque titulos, nec monasteria episcopio vestro pertinentia a vestro regimine & ditione, ac ordinatione, eis licitum sit auferre. Siquidem (*p*) vobis, vestrisque successoribus episcopis manere decernimus, tam quidem clericos, quam omnia ecclesiæ vestræ regendi, fruendi, ac ordinandi licentiam. Archiepiscopo vero Ravennati nullam volumus habere super vos valitudinem, vel facultatem, præter quam sacri canones præcipiunt. Sane si in aliquo tempore quilibet Ravennas archiepiscopus prænotata gravamina super vos renovare, vel reducere tentans per longa jam tempora hæc vos solvisse affirmare conatus fuerit, & tale jus in vos habuisse Ravennatum (*q*) archiepiscopum ante multa tempora probare nisus extiterit, nullas talis assertio vires obtineat, nec possit longitudo temporis suffragari, quod constet præter justitiæ regulam perniciose diu fuisse præsumptum · præcipue cum sacri Canones doceant, non minus malam consuetudinem, quam pernicioſam corruptelam esse vitandam. Proinde decernimus, ut nihil exhibeatis archiepiscopo Ravennati, qui per singula tempora fuerit, nisi quod Canones sancti præcipiunt, quodque ceteri episcopi per Liguriam, & Venetiam, atque Istriam suis metropolitanis exhibere probantur. Archiepiscopum autem Ravennatem nihil a vobis exigere debere censemus, (*r*) nec in vos aliquid jus exercere diffinimus, nisi ut superius libavimus. Si quis autem archiepiscopus Ravennas amodo & deinceps contra nostræ auctoritatis præceptum, vel contra huius decreti tenorem in toto, vel in parte venire tentaverit, & (*s*) vobis vestrisque successoribus episcopis superius prohibita injunxerit, vel (*t*) tulerit, vobisque aliquid de præsignatis oneribus imposuerit, & non in omnibus hujus paginæ textui obedierit, sit sententia Dei omnipotentis, beatique Petri & Pauli apostolorum principum, & apostolica auctoritate anathematis innodatus vinculis, & tanquam contumax sacrorum Canonum, & apostolicarum violator institutionum, ab omni sacerdotali alienus in perpetuum existat officio. Hæc vero, quæ superius scripta continentur, in perpetuum confirmamus, ac roboramus, salvo dumtaxat honore, & subjectione sanctæ Romanæ Ecclesiæ, atque (*u*) docibili reverentia, & congruo Pontificum apostolicæ sedis obsequio.

Cujus præcepti (*x*) tenori scripto per manus Leonis Scriniarii indictione subscripsit decima.

Nomina autem episcoporum, qui huic sancto Concilio interfuerunt, consensetunt, & subscripserunt, hi sunt, videlicet

Ildebrandus [1] Verulinus.
Johannes [2] Velitri.
Petrus [3] Gabo.
Magistrus [4] Porti.
Arsenius [5] Ortano.
Petronacius [6] Albano.
Luitprandus Clusinus.
Petrus Aretinus.
Geremias [7] Sabroni.
Ragio [8] Niarasis.
Ropertus [9] Nocerinus.
Arigisus [10] Fulinatus.
Johannes Forchoninus.
Leodrisius Marsicanus.
Colo Reatinus.
Arnulphus [11] Bellue.
Osipus [12] Pestorensis.
Anselmus [13] Camortinus
Lanstrriensis [14] Petrosinus.
Dominicus Eugubinus.
Justinus [15] Gallicanus.
Silianus de Humana.
Articarius [16] Sinogallia.
Johannes [17] Fanestrriensis.

Ra-

(*b*) præcipimus. (*i*) tua. (*k*) tibi Petrus Episcopus tuisque.
(*l*) reprimendum. (*m*) Itaque nec angariam nec agri culturam, nec dationem. (*n*) nec sit illi Clericos vestros quominus per Ravennam, & quæ voluerint, equitando incedant, nec non & vobis &c. (*o*) nobis.
(*p*) tibi Petrus Episcopus tuisque. (*q*) Archiepiscopos. (*r*) *post* censemus *desunt reliqua usque ad* n quis autem.
(*s*) tibi tuisque. (*t*) intulerit. (*u*) decibili. (*x*) tenorem scriptum per manus Leonis Scriniarii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Novembrio Indictione X.

1 Verulanus. 2 Veliternensis. 3 Gabiensis. 4 Leg. *Magistus Ostiensis*, qui his temporibus sedem hanc regebat. Portuensis autem Antistes erat Rodoaldus an. 860. GP. missu. pro causse Ignatii; Romam revertit nonnisi an. 862. 5 Hortanus. 6 Albanensis. 7 Leg. *Hieremias Aprutii*, seu *Aprutinus*. 8 Forte *Nursiæ*, seu *Nursinus*. 9 Nucerinus. 10 Fulginatensis. *Fulinæ* dialectus Umbrorum est. 11 Legc, *Balnensis*, seu *Velvensis*. 12 Oschisius Pistoriensis. 13 Camertinus. 14 Perusinus. Petrosinus etiam episcopus pro Perusino legimus in distiis Alexandri VI. a Jo. Burchardo relictis. 15 Forte, *Labicanus* 16 Senogallienſis. 17 Fanensis.

ANNO CHRISTI 861.

Raguel [18] Benſaurienſis.
Johannes Ficoclenſis.
Dominicus [19] Calliſinus.
Johannes Falaritanus.
Martinus Narnienſis,
Leo Amerinus.
Aldericus [20] Tibertinus.
Dominicos [21] Centumcefenſis.
Andreas Nepeſinus.
Paulus [22] Corninus.
Otto Roſſelanus.
Stefanus Montefeletranus.
Leo Sylvæ Candidæ.
Sergius [23] Balneariciius.
Landulphus Capuanus.
Petrus [24] Spolitinus.
Donatus Feſulanus.
Petrus Florentinus.
Johannes Tuſcanenſis.
Raſtaldus Suanenſis.
Bonifacius [25] Bilarinus.
Martinus [26] Priverinus.
Johannes Subtrinus.
Sergius [27] Abinenſis.
Leo Gajetanus.
Leo Tiburtinus.
Petrus [28] Urbianus.
Johannes [29] Terracinus.
Petrus [30] Ferentinatus.
Johannes Ariminenſis.
Johannes Signinus.
Georgius Trajectanus.
Rodericus Caſtello Felicitatis.
Lepardus Ancona.
Dominicus [31] Trive.
Neo [32] Aratinus.
Conſtantinus Ferrarienſis.
Apollinaris Bobienſis.
Romanus Faventia.
Petrus Imolenſis.
Leopertus [33] Aforienſis.
Florus Cæſenatis.
Johannes Forumpopulienſis.
Apollinaris Livienſis.
Leo [34] Orbertano.
Aldualdus [35] Balneregienſis.
Paulus Subdiaconus Romanus.
Petrus presbyter viceagens Romanæ Eccleſiæ.
Johannes Archidiaconus Romæ.
Adrianus Presbyter Romæ.
Leo Presbyter Rom.
Romanus Presbyter Rom.
Petrus Presbyter Rom.
Lunicius Diaconus Rom.
Johannes Diaconus Rom.
David Subdiaconus Rom.
Benedictus Subdiaconus Rom.
Salomon Subdiaconus Rom.
Benedictus Subdiaconus Rom.
Martinus Subdiaconus Rom.
Donatus Subdiaconus Rom.
Georgius Subdiaconus Rom.
Petrus Subdiaconus Rom.

A Romanus Subdiaconus Rom.
Leoninus Subdiaconus Rom.
Stephanus Subdiaconus Rom.
Elia Olacionarius Rom.
Joſeph Primiſcrinius Rom.

☞ *Catalogus eorumdem Epiſcoporum prout extat in cod. Modoeſienſi.*

SUBSCRIPTIONES CODICIS MS.

Johannes Velitri
Petrus Gabo
Megiſtus Portu
Arſenius Ortano
B. Petronacius Albano
Leo Sylvæ Candidæ
Sergius Bulli marcio
Landulpho Capuano
Petro Spolitino
Donatus Feſulano
Petrus Florentino
Tagiprandus Cluſino
Petrus Aretino
Hieremias Abruccio
Raino Aſſiſi
Ragiperto Nucerino
Arigiſus Fulginato
Johannes Forchonino
Liuderiſi Marſicano
C Arnulphus Ballua
Oſciſus Piſtorienſis
Aſuino Camerino
Lanfredo Peruſino
Dominicus Egubino
Martinus Calli
Leo Orbinati
Johannes Arimino
Julianus Humana
Articarius Sinogallia
Johannes Faneſtrienſis
Raguel Penſaurienſis
Johannes Ficloclenſis
Dominicus Calliſano
Johannes Falaritano
D Martine Narnienſis
Leo Amerino
Ildericus Tudertino
Dominicus Centum cellis
Andreas Nepeſino
Paulo Ernino
Otto Roſellano
Stephanus Monteſeletrino
Johannes Feletrano
Johannes Tuſcanenſis
Reſtaldus Suanenſis
Bonefacius Blerano
Martius Priverno
Johannes Sutrino
Sergius Savinenſis
E Leo Gajetanus
Leo Tiburtino
Petrus Urbetano

Jo-

---

18 Piſaurenſis. 19 Galleſianus. 20 Tudertinus. 21 Centumcellenſis. 22 Fuit quidem Cornus Sardiniæ civitas; ſed cum huic concilio nonniſi Provinciarum Romam circum exiſtentium Antiſtites interfuiſſe videam, legendum puto, ſeu intelligendum de Paulo epiſcopo *Populonienſi* in Tuſcia, qui his temporibus illam regebat eccleſiam. Exſtit enim *Corninum* in comitatu Populonienſi, uti ex documento ab Ughello Ital. ſac. t. 1. in Lucenſibus col. 800. edito; & Populonio paullo ante exciſo Corninum migraſſe epiſcopum veroſimile eſt.
23 Num *Nomentanus* dicendus, a Bulneis Labanen. vulgo *i Bagni di Gratta Marozza* Balneariciius nuncupatus? an *Manleanenſis*, ſeu *Foronovanus* in Latio, quo tempore ibi ſediſſe Sergium epiſcopum legimus tom. x. Ital. ſac. in Antiquatis. 24 Spoletinus. 25 Blerinus, *ſeu* Blerenſis. 26 Priverninus. 27 Sabinenſis. 28 Urbinas.
29 Terracinenſis. 30 Ferentinas. 31 Triventinus. 32 Alatrinus. 33 *Forte*, Adrianſis.
34 Urbevetanus. 35 Balneoregienſis.

ANNO CHRISTI 861.

Johannes Tarracinenſis
Hildebrandus Verulano
Adualdus Balneo regis
Johannes Simias
Sergius Trajectano
Petrus Presbyter vicem agens
Rodericus Epiſcopus Caſtello felicitatis
Leopardus Ancona
Dominicus Tribe
Leo Alatrino
Martinus Presbyter vicem agens
Aripertus Epiſcopus Fundano
Dominicus Presbyter vicem agens
Apolenaris Bobienſis
Romanus Faventiæ
Petrus Imolæ
Leopertus Adrianenſis
Florus Ceſinate
Johannes Foropopuli
Apolenaris Forolive
Georgius Presbyter
Adrianus Presbyter

A Leo Presbyter
Romanus Presbyter
Benedictus Presbyter
Romanus Presbyter
Benedictus Presbyter
Majo Presbyter
Petrus Presbyter
Johannes Archidiaconus
Benedictus Diaconus
Leontius Diaconus
Johannes Diaconus
David Subdiaconus
Helia Albatianarius
Petrus Subdiaconus
Benedictus Subdiaconus
B Joſeph Subdiaconus
Romanus Subdiaconus
Salomon Subdiaconus
Romanus Subdiaconus
Salomon Subdiaconus.

(1) CONCILIUM SUESSIONENSE

IN QUO ROTHADUS EPISCOPUS

Sueſſionenſis epiſcopali privatus fuit communione, donec obediret.

De eo paucis vetus annalium Bertinianorum auctor ad annum 861. Hincmarus Durocortori Remorum archiepiſcopus ſynodo comprovinciali apud martyrium ſanctorum Criſpini & Criſpiniani ſecus civitatem Sueſſionis Rothadum ipſius urbis epiſcopum regulis eccleſiaſticis obedire nolentem epiſcopali privat communione ſecundum decreta canonum, donec obediat.

Observatio Philippi Labbe, S. J.

De variis apud Piſtas conventibus, placitis, ſynodiſque, tum politicis, tum eccleſiaſticis, ab anno 861. *ad* 870. *nec non de conciliis in cauſſa Rothadi coactis.*

Piſtæ locus fuit in diœceſi Rothomagenſi ad ripam fluvioli Andellæ haud procul Sequana fluvio & Ponte qui dicitur Arcæ ſitus, atque occaſione Normannorum qui in Oſcello peninſula ſedem fixerant labente ærâ Chriſti ſæculo nono celeberrimus. *Piſtres*, ſive *Piſtes*, atque inde ſubjecta vallis *le Val Pitan* vulgari idiomate nuncupatur, ut jam ab anno 1646. in chronologica conciliorum Galliæ ſynopſi omnium primi monuimus virilſque eruditis Orderici Vitalis, annalium Bertinianorum, Flodoardi, ac Sirmondi ad capitularia Caroli Calvi, aliorumque teſtimonia ſubminiſtravimus. Ibi villa regia fiſcuſve dominicalis aut palatium magnifice extructum extitit, ſæpiſſime a Carolo Calvo Francorum rege, ejuſque proceribus, atque epiſcopis ab anno 861. ad 870. frequentatum, dum collatis operis, totiuſque pene regni opibus firmiſſima munitio adverſus ſubitas Danorum piratarum excurſiones jactis in proximum Sequanam molibus caſtelloque ſuperimpoſito pararetur. Adjungemus quoque ſtrictim omnia quæ in cauſſa Rothadi Sueſſionenſis epiſcopi, factione Hincmari Remenſis archiepiſcopi ac Caroli regis ſtudio depoſiti, opera vero Nicolai I. papæ in priſtinum gradum reſtituti, geſta fuiſſe ex certis monumentis accepimus.

I. Si qua fides auctori annalium Bertinianorum an. 861. ut mox docuimus, Rothadus ab Hincmaro in ſynodo comprovinciali apud martyrium SS. Criſpini & Criſpiniani ſecus civitatem Sueſſionis epiſcopali communione privatus eſt.

II. Ex iiſdem annalibus conſtat anno 862. Carolum regem omnes primores regni ſui ad locum qui Piſtis dicitur, ubi ex una parte Andella, & ex altera Audura Sequanam influunt, circa Junii Kalendas cum operariis & cartis convocaſſe, ut in Sequana munitionibus conſtructis aſcendendo vel deſcendendo navibus aditus intercluderetur.

III. Anno eodem certum eſt rediiſſe regem ad Piſtas, quo placitum ſimul procerum & ſynodum epiſcoporum ante condixerat, & inter operandum de ſancta eccleſia ac regni negotiis cum fidelibus ſuis tractaſſe. Ibi Rothadum in ſynodo provinciali (anni 861.) epiſcoporum communione privatum cum ſua ſe contumacia quatuor provinciarum concilio (apud Piſtas ſcilicet) præſentaſſe.

In hoc concilio arbitror decreta fuiſſe capitula quatuor illa longiuſcula anno regni Caroli Calvi 22. ind. 2. hallucinantur enim qui ad annum 863. poſt Binium in editionibus conciliorum referunt: duo enim illi characteres omnino repugnant & annum deſignant præſentem Chriſtianæ æræ 862. ante 20. Junii aut Kalendas Julias. Sirmondus annum regni 22. in 23 mutavit, atque in notis meminit privilegii de villa Lirado pro S. Martino Turonenſi: *Cum ſuper fluvium Sequanæ in loco, qui Piſtas dicitur, unanimiter concilium ageretur anno* DCCCLXII. *& ſubſcriptio, data menſe Auguſto* 20. *ejuſdem menſis.*

IV. Fraternum illum conventum ne Rothadus penitus deponeretur ſub appellatione ſedis apoſtolicæ ſervare diſpoſuiſſe, ſed eumdem poſt ejuſdem concilii (Piſtenſis) judicium, cum corrigi nollet, in ſuburbio Sueſſionum civitatis (a pluribus epiſcopis eo a rege miſſis) depoſitum fuiſſe. Verba annalium iſtorum haud dubie corrupta ſic ſe habent: *Sed iiſdem*, &c. quæ poſtea ſuo loco referentur.

V. Ad ſynodi illius (in urbe Sueſſionica, aut vicino aliquo loco juſſu regis, ejuſque anno 23. hoc eſt poſt Kalendas Julias coactæ) partes diverſarum provinciarum atque urbium acceſſiſſe Ludovicum San-Dionyſiani monaſterii abbatem cum monachis ſuis, ac ſtatuta quædam ad victum veſtitumque monaſticum ſpectantia patribus confirmanda obtuliſſe, quorum maximam partem paullo poſt proferemus ex Duplerio. Ibidem quoque confirmatum S. Landerici privilegium.

VI. Hincmarum Remenſem antiſtitem veniente Carolo rege in eamdem civitatem accitis comprovincialibus ſuis epiſcopis matrem eccleſiam in honore ſanctæ Mariæ dedicaſſe eodem anno 862.

VII. Carolum regem 8. Kalendas Novembris anni 863. ſynodum in Vermerienſi palatio habuiſſe, ibique abbatiam S. Karilephi ſuper Robertum epiſcopum Cenomanicæ urbis, qui eam per apoſtolicam commendationem jure ſui epiſcopatus mancipatam tenere volebat, legaliter dijudicaſſe, & Rothadum nuper depoſitum, ſicut domnus papa ei mandaverat cum ſuis & epiſcoporum literis atque vicariis Romam miſiſſe.

Hanc vero Vermerienſem ſynodum præceſſerat eodem anno altera ſynodus in Concilino villa publica proprer Silva-

(1) Cauſſam Rothadi Sueſſionenſis Epiſcopi cum Hincmaro Remenſi Archiep. accurate tractavit Natalis Alexander in Diſſert. VI. ſæc. 9. & 10. par. 2.

ANNO CHRISTI 861.

Silvanectensem urbem, in qua ab Hincmaro variisque episcopis gradu suo dejectus est Rothadus, & in monasterium retrusus, ut ex epistola Nicolai papæ & libello proclamationis Rothadi constat.

Addit Sirmondus & alteram synodum in Suessionicæ civitatis suburbio convocatam, in qua Carolo rege præsente damnatus Rothadus per varia loca distractus vexatusque sit, altero in ejus cathedra ordinato episcopo. Verum Suessionicas synodos ante Silvanectensem collocandas arbitror, ex fide annalium Bertinianorum.

VIII. Sequenti anno 864. eumdem Carolum regem ex mandato papæ Rothadum Romam direxisse, regnique episcopos cum synodicis suis vicarios suos misisse. Iis Ludovicum imperatorem transitum denegasse. Ipsos legatos cum regis tum episcoporum antequam ad propria remearent caussas moræ Nicolao cognitas feciſſe, Rothadum vero simulata infirmitate Vesontione substitisse, atque ad Ludovicum imperatorem profectum ab eo veniam eundi Romam impetrasse.

IX. Eodem anno 864. Carolum regem Kalendis Junii Pistis generale placitum habuisse, in quo annua dona receperit & firmitates in Sequana ne Normanni per eum ascendere possent fieri jussisse: tum quoque capit. 37. consilio fidelium suorum constituisse, & ut legalia per omne regnum suum observari præcepisse. Vide titulum 31. capitularium Caroli Calvi a Sirmondo editorum: ubi editum Pistense dicitur ind. 12. regni 25. VII. Kal. Julias, sive adnuntiatio domni Karoli apud Pistas, qui inde profectus circa Kalendas Julii Compendium intravit.

X. Anno 865. memorat idem auctor anonymus Carolum perveniſſe ad Pistas, ubi, ideſt, prope quam villam, in Oscello scilicet peninsula, immorabantur Normanni, deputatisque custodibus qui fluminum ripas custodirent ad Odriacum villam mense Septembrio pertexisse.

Concilium Romanum ordine VII. ipsis fere ejusdem anni primordiis celebratum fuerat, in quo Rothadus oblato proclamationis libello, nullis accusatorum suorum præsentibus, e iscopalib s indumentis vestitus die festo S. Agnetis 12. Kal Febr. in pristinum honorem a papa restitutus est, ut pluribus docet Anastasius, quæque supersunt acta & epistolæ.

XI. Normannis mense Julio anni 866. ab insula S. Dionysii moventibus & per Sequanam descendentibus Carolum hostiliter ad Pistas veniſſe cum operariis & carris ad perficienda opera, ne iterum pirotæ sursum valerent ascendere.

XII. Carolum regem medio mense Augusti anni 868. ad Pistas veniſſe, & castello munito pedituras singulis ex suo regno dedisse. Ad eum locum Hincmarum Remensem ducto secum Laudunensi episcopo nepote suo Hincmaro cum aliis episcopis scripris & verbis regem adiisse, &c. Quaterniones regi tunc ab archiepiscopo pro ecclesiastica libertate oblatos aliaque eodem spectantia a R. P. Ludovico Cellotio primum edita concilio Duziacensi primo subjiciemus.

XIII. Eumdem prinoidem de centum mansis unum haistaldum, & de mille mansis unum carrum cum duobus bobus ad Pistas mitti præcepisse, quatenus ipsi haistaldi castellum quod ibidem ex ligno & lapide fieri præcepit excolerent & custodirent.

XIV. Miscellaneorum curiosorum a nobis anno 1651. editorum parte II. pag. 471. editum fuit diploma ex cartulario abbatiæ S. Benigni Divionensis datum apud Pistas XII. Kal. Augusti ind. 12. anno trigesimo regnante Carolo glorioſissimo Francorum rege, Heriboldo notario ad vicem Gauzleni recognoscente. Qui characteres eumdem annum 869. non 870. designant. Videſis in eamdem rem titulum 34. capitularium Caroli Calvi & constituta Pistis capitula 12. cum adnuntiatione. Synodum certe episcoporum ibidem celebratum eodem anno 869. docet carta donationis ab Egilone Senonensi archiepiscopo factæ monasterio S. Petri, quam suo postea loco proferemus nullo mensis die adscripto.

XV. Idem qui sæpe laudatus a nobis historicus sub finem periochæ anni 873. a continuatore Aimoini libri v. cap. 31. verbatim expressus, testatur Carolum Calvum mense Octobrio ejectis ab Andegavis Normannis per Cenomanensem civitatem & Ebroicense oppidum ac secus Castellum novum apud Pistas Ambianos Kal. Novembris perveniſſe. Verum de his pro instituti nostri ratione jam satis, ut quæ sequuntur hactenus intricatiſſima melius imposterum intelligantur.

ANNO CHRISTI 862.

CONCILIUM SENONENSE

INCERTO LOCO HABITUM ANNO DCCCLXII.

De deponendo Herimanno episcopo Nivernensi.

Synodicam nobis suppeditat Petrus Delalande V. Cl. ex codice Floriacensi: Pontificis responsionem, Gratibnus.

Ex Labbei Append. to. VIII.

Reverentiſſimo & sanctiſſimo Domino patri ac papæ Nicolao, Vvenilo Archiep. Senon. & coepiscopi ejus.

SUggerimus mansuetiſſimæ paternitati vestræ, in nostra diœcesi, in oppido quod Nevernum dicitur, esse quemdam episcopali officio præditum nomine Herimannum, qui frequenter admonitus & diu expectatus ut revalesceret, implere non sufficit ipsum officium, mente non integra. Dicitur autem Melchiades papa decreviſſe, ne quis umquam pontifex sine consensu papæ Romani deponeretur. Unde supplicamus, ut statuta illius integra, sicut penes vos habentur, nobis dirigere dignemini: ut hinc dictis ipsius confirmati, aut sicut beatus Gregorius doctor fecit de Ariminensi episcopo, simili incommodo laborante, sequamur: aut sicut sanctus Gelasius docet, removendus sit mente percussus. Quo verum absque dubietate sciamus, expetimus & expectamus vestrum judicium, ne in temeritatis calumniam aliquatenus incidamus, sed vestro instituti moderamine, veritatis & rectitudinis tramitem nullatenus deseramus. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere.

Responsio Nicolai papæ.

INdicas Herimannum episcopum, super quibusdam frequenter fuisse accusatum: pro quibus, quia ex parte ipsius persona deest, nos uni parti ad discrimen alterius credere procul dubio non possumus. Quamvis nec usque adhuc qui fuerint illi excessus dixeris, nec utrum sanæ mentis erat idem antistes, necne, cum ipsos excessus perpetrabat, evidenter ostenderis: satiusque arbitramur, quamlibet interim infirmitatem ad pœnam peccati, quam ad ipsum pertinere peccatum, cui magis consulendum sit & compatiendum, quam puniendum, vel aliquo modo feriendum.

G. C. Ad idem forte Senonense concilium pertinet fragmentum epistolæ Nicolai Papæ, quod subjicio.

Nicolaus Vvanilone archiepiscopo Senonensi. Revera justus mediator non est, qui uno litigante & altero absente, amborum emergentes lites decidere non formidat. His ita præmissis volumus, & auctoritate apostolica monemus, ut si presbyter de quo agitur, post excommunicationem suam, apostolicam sedem adire volerit, nullus iter ejus impedire præsumat.

RO-

1 Integra Nicolai Papæ epistola extat inter epistolas Nicolai.

☞ ROMANA CONCILIA DUO

ANNO CHRISTI 860.

Aliud a quo Rhadoaldus & Zacharias episcopi Constantinopolim missi ad causam Ignatii & Photii implorandam; aliud, in quo gesta a legatis illis infecta declarantur.

Anno 860. & 861. habita.

ROmana concilia plura sub Nicolai I. pontifice celebrata Labbeus diligenter recensuit; unum aliquod scriptor ille ceterique omiserunt, quod hic dare opportunum arbitror. Nicolaus I. pontifex certior factus de turbis, quæ Constantinopolitanam ecclesiam agitabant, quid facto opus esset, cogitandum sibi duxit. Quare coadunato ex ecclesiæ Romanæ clero ceterisque, qui forte Romæ aderant, concilio, lectisque, quas a legatis Photii exceperat literis, una cum universo illo concilio sententia statuit eo mittendos Rhadoaldum Portuensem, & Zachariam Anagninum episcopos, ut totam rei actæ in depositione Ignatii, & Photii assumptione causam diligenter investigarent, eamque integram ad pontificem dein referrent: insuper & concilio episcoporum coacto dogma de sacrarum imaginum cultu nova definitione confirmarent. Concilium hoc ad legatos Constantinopolim mittendos habitum indicat Nicolaus ipse pontifex in epistola I. ad universos catholicos his verbis: *Duos episcoporum, qui nobiscum erant, una cum ecclesiis, quæ apud nos est, datis literis Constantinopolim e latere nostro direximus.* Idipsum de episcopis a se, & ab ecclesia, quæ secum convenerat, directis repetit idem Nicolaus in epistola IX. ad Michaelem imperatorem: *Rhadoaldum, & Zachariam una cum ecclesia, quæ apud nos est, Constantinopolim direximus.* His onerati a Nicolao, & concilio Romano mandatis legati Constantinopolim venerunt, ibique intra fines a pontifice sibi præscriptos minime se continentes, non explorarunt tantum causam & rationem depositionis Ignatii, ut rem integram ad pontificis judicium referrent, sed & de tota causa sententiam, Ignatium abdicantes, & Photium assumentes, tulerunt. Id vero ut rescivit pontifex, referente Leone Michaelis imperatoris legato, statim coram eodem imperiali nuncio collecto novo concilio declaravit, nihil se admittere eorum, quæ contra Ignatium & pro Photio coram legatis suis Constantinopoli gesta fuerant. Narrat id pontifex in eadem epistola I. ad universos catholicos: *Dum idem adesset legatus, convocata tota, quæ apud nos est, ecclesia, decrevimus, & statuimus, atque professi sumus coram ipso pro dejectione Ignatii, & consecratione Photii, nunquam misisse, nunquam missuros esse; & in depositione Ignatii, & promotione Photii nunquam consensisse, nunquam consensuros esse.* Duo hæc concilia ann. 860. & 861. celebrata fuisse ex Baronii, & Pagii supputationibus constat. Nec a scopo omnino aberraverim, si concilium hoc Romanum ad mittendos Constantinopolim legatos habitum indicari censuerim verbis illis Nicolai pontificis in epistola ad Adonem Viennensem, quam in exordio episcopatus ejus datam, ex ipsa epistolæ serie discimus; mittere se enim ad illum monet pontifex acta synodi, quam, ait, *Romæ celebravimus in mense martio pro diversis ecclesiæ utilitatibus, eademque acta*, subdit, *vestræ sanctitati custodienda, seu confratribus vestris archiepiscopis per vos custodienda direximus.* Viennensem episcopatum ab Adone anno 860. auditum fuisse, Pagius contra Baronium egregis demonstrat ad A. 863. 2.

☞ MEDIOLANENSE CONCILIUM

In causa Engeltrudis, quæ marito relicto cum adultero degebat, jussu Nicolai I. convocatum,

Anno circiter 860. coactum.

ENgeltrudis, Bosonis comitis uxor, mariti domo relicta cum mœcho suo per Gallias errabat. Perditam feminam variis artibus Boso reducendam tentavit; sed voto suo se frustratum intelligens, apostolicæ sedis opem popposcit. Benedictus III. qui tunc Romanæ ecclesiæ præerat, nihil quidem reliquit intentatum, ut scandalum illud tolleret; at morte occupatus, nihil prævaluit. Res igitur integra ad successorem ejus Nicolaum I. transiit, quam ille sedulo, ac strenue tractavit. Cum vero nec literæ ad episcopos, nec monita valerent, concilio episcoporum Mediolani indicto sistere se Engeltrudem jussit. Venerunt ad destinatum tempus episcopi; non venit Engeltrudes: quare a patribus in synodo coactis anathema in mulierem adulteram, & refractariam dictum est, quorum dein sententiam Nicolaus auctoritate sua confirmavit. Rem gestam narrat Nicolaus in epistola LVIII. ad episcopos regni Ludovici, his verbis: *Decretoque & auctoritate præmissa justum est Mediolani episcoporum concilium fieri, ad quod ipsa vocata, (Engeltrudes) si certo tempore non occurreret, ab ipso sacro collegio vinculis anathematis vinciretur. Quodque, illa statuto tempore non occurrente; patratum est, sententiamque in ipsam a Synodo, auctoritate nostra convocata, nos quoque, ut sacri canones præcipiunt, consensu nostro firmavimus.* Cum vero hæc omnia aliquandiu præcesserint nuptias adulterinas Lotharii cum Valdrarda, ut ex tota rei gestæ narratione in epistola illa expressa deducitur, Mediolanense concilium cum anno circiter 860. recte illigavimus. Præfuisse vero huic Tadonem Mediolanensem archiepiscopum ex canone I. Romani concilii III. anno 863. celebrati discimus.

CONCILIUM ROMANUM II.

QUO, OCCASIONE QUORUMDAM

Orientalium, hæresis Theopaschitarum iterum pullulans damnata est anno Domini DCCCLXII. tempore Nicolai papæ.

* Hoc Tom. *In epistola septima * Nicolai papæ duo canones in hoc synodo constituti reperiuntur post hoc præambulum.*

INsuper autem quid in alia synodo a nobis olim A collecta decreverimus adversus eos, qui divinitatem Domini nostri Jesu Christi cum Valentino, Manete, Apollinari & Eutyche sectatoribus eorum contra primum pastorem & apostolum, qui Christum carne passum dicit, passibilem ore sacrilego in quibusdam regionibus vestris prædicare dicuntur, subter annexis capitulis declaratur.

I.

Veraciter quidem credendum est, & omnimodis profitendum, quia redemptor noster & dominus noster Jesus Christus Deus in Dei Filius pal- B sionem crucis tantummodo secundum carnem sustinuit, deitate autem impassibilis mansit, ut apostolica docet auctoritas, & sanctorum patrum lucidissima doctrina ostendit.

II.

Hi autem, qui ajunt, quia redemptor noster & Dominus Jesus Christus Deus & Dei Filius passionem crucis secundum deitatem sustinuit (quod impium est, & catholicis mentibus execrabile) anathema sit.

Nota Severini Binii.

a *Concilium.*) Hujus & alterius cujusdam synodi Romanæ meminit Nicolaus epistola 70. his verbis: *Deinde in Romanis facto concilio & lectis profanis gestis quæ prædictus Leo a secretis detulerat*, &c. Cum enim sub Nicolao papa undiqua magni momenti negotia ab oriente simul & occidente ingruerent, sanctissimus pontifex frequentia voluit congregari concilia, ne quid inconsultis fratribus ageret. Baronius anno 862. num. 3.

Cur tam... in Rom... cilia fu... colao ... brata ...

CONCILIUM AQUISGRANENSE III.

IN CAUSSA THEUTBERGÆ

Uxoris Lotharii regis,

In quo permissum est Lothario, ut aliud conjugium iniret.

ANno DCCCLXII. indictione X. die III. Kalen- C darum Majarum, ex vocatione domni Hlotharii gloriosissimi regis, archiepiscopi eorumque coepiscopi Aquis convenerunt: videlicet Guntharius Agrippinensis archiepiscopus, & sacri palatii archicapellanus, nec non & Theutgaudus Trevirensis archiepiscopus, Adventius Mediomatricorum episcopus, Atto Viridunensis episcopus, Arnulfus Tullensis episcopus, Franco Tungrensis episcopus, Hungarius Trajectensis episcopus, Ratoldus Argentoratensis episcopus, ut divina auxiliante clementia, pro utilitate ac necessitate sanctæ matris ecclesiæ, apud memoratum serenissimum principem fideliter ac salubriter pastorali provisione intervenirent; unde nostris jam periculosis temporibus saltem sero pastoralis tuba insonare prophe- D tica admonitione debuerat, ubi dicitur: *Clama, ne cesses: quasi tuba exulta vocem tuam.* Isa 58.

I.

Ergo multipliciter & fideliter malefidis Dei discrimina, & senescentis mundi pericula replicantes, non sine gravi gemitu nostro Christianissimo principi ad memoriam reduximus, ut non immemor vocationis suæ, quod nomine censetur opere compleat, ut rex regum Christus, qui sui nominis vicem illi contulit in terris, dispensationis sibi creditæ dignam remunerationem reddat in cælis.

II.

Ad hæc ille, sicut verus Dei cultor, nostræ E puriter ac veraciter annuit unanimitati, per omnia irrefragabiliter promittens, nostris se obedire velle consiliis, & rationabilibus obtemperare monitis. Et ut ita dixerimus, ultra quam credi potest, ita nobiscum suum benignissimum informavit affectum, ut procul dubio pateret, quod suum cor illius amplexatur dextera, in cujus manu corda sunt regum.

III.

Interea de his quæ ad statum sanctæ Dei ecclesiæ, & utilitatem regni, atque salutem populi sibi commissi pertinent, salubribus responsis, & spiritalibus consiliis, nostram consolatus est unanimitatem, se in omnibus paratissimum esse affirmans, ut verus adjutor, atque indefessus auxiliator nostri ordinis, & totius sanctæ religionis existat.

IV.

Posthæc humiliter ac devote pastorale consilium requisivit, * libellum proclamationis, & suæ summæ necessitatis, in manibus nostrorum fratrum imponens: ubi satis lugubriter divinum & pastorale consilium expetiit, suæque imbecillitatis caussas querulosis vocibus retractavit, qualiter in quadam femina, Theutberga nomine, factiosis perfidorum hominum argumentis fuerat defraudatus, immo non mediocriter repetebat, quod judicio episcoporum discidii sententiam pertulisset. Quam, si idonea fuisset conjugali thoro, & pestifera incestus pollutione fœdata non esset, & vivæ vocis confessione publice condemnata, sponte retineret. Porro se incontinentem esse professus est, & sine conjugali copula juvenilis ætatis ardorem ferre non posse asseruit. Procul dubio replicans, quod illi Theutbergam incestuosam diximus, & ab omni concubina abstinere præcepimus, & quod illi perdifficile est in juvenili ætate taliter permanere. Hinc vero testis adfuit Theutgaudus archiepiscopus, quod juxta divinum atque suum consilium, si aliquid in adhibita sibi concubina deliquit, ecclesiastico medicamine adjutus, secretis jugibusque hoc lacrymis, & vigiliis, ac spiritalis continentiæ macerationibus, insuper eleemosynarum largitionibus salubriter delevit. Et ut de multis pauca dicamus, si læta caro illum tra-

* In co... Palatin... Vatican... tat Con... tio hu... Hlotha... quam ... Actoru... gistemu...

traxit ad culpam, afflicta ut credimus reduxit ad veniam.

V.

Igitur paſtoralis regiminis cura, ac divinorum eloquiorum documenta, noſtrorum fratrum animos ſollicitare cœperunt, quid nobis agendum, quidve tractandum eſſet, atque pro hujuſmodi querula proclamatione rationabiliter definiendum; illudque ante omnia formidantes, ne forte, quod abſit, poſt dignam ſatisfactionem, & ſaluberrimam reconciliationem, fragilitatis noxam tantus princeps incurrerit, reverſus ad vomitum, & quaſi ſus lota in volutabro luti, illicitos aliquoties repeteret amplexus.

VI.

Inde actum eſt, quod pia fratrum ſollicitudo retractare decrevit, qualiter eccleſiaſticæ auctoritatis cenſuram in præſcripta femina Theutberga, ſua publica confeſſione exigente, complevit.

VII.

Allato itaque diverſorum conciliorum volumine, ex concilio Ilerdenſi capitulum IV. recitari fecimus, ubi ita ſcribitur: De his qui ſe inceſti pollutione commaculant, placuit, ut quouſque in ipſo deteſtando, & illicito carnis connubio perſiſtunt, uſque ad miſſam tantum catechumenorum in eccleſia admittantur: cum quibus etiam nec cibum ſumere ulli Chriſtianorum, ſicut apoſtolus juſſit, oportet.

VIII.

Hinc quoque ſancti Ambroſii in expoſitione epiſtolæ beati Pauli apoſtoli ad Corinthios capite XXXIII. hos alloquitur, qui matrimonio juncti ſunt, ore dominico: *Uxorem a viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam.* Hoc apoſtoli conſilium eſt, ut ſi diſceſſerit propter malam converſationem viri, jam innupta maneat; quod ſi continere ſe non poteſt, quia pugnare non vult contra carnem, ſuo viro reconcilietur. Non enim permittitur mulieri, ut nubat, ſi virum ſuum cauſſa fornicationis dimiſerit, aut apoſtaſiæ, aut illicita impellente laſcivia vir uſum quærat uxoris invertere: quia inferior non omnino hac lege utitur, qua potior. Si tamen apoſtet vir, aut uſum quærat uxoris invertere, nec alteri poteſt nubere mulier, nec reverti ad illum. *Et virum uxorem non dimittere.* Subauditur autem, excepta cauſſa fornicationis. Et ideo non ſubjecit, ſicut de muliere dicens: Quod ſi diſceſſerit, manere ſic: quia viro licet ducere uxorem, ſi dimiſerit uxorem peccantem. Non enim ea lege conſtringitur vir, ſicut mulier. Caput enim mulieris vir eſt. *Nam ceteris*, inquit, *ego dico, non Dominus.* Hoc dixit, ut oſtendat quid proprio ore Dominus juſſit, & quid huius auctoritate conceſſit, quia & per iſtum Dominus loquitur, qui ait: *An exprimentum quæritis ejus qui in me loquitur Chriſtus?*

IX.

Ex [a] concilio Agathenſi cap. LXII. De inceſtis conjunctionibus nihil prorſus veniæ reſervamus, niſi cum adulterium ſeparatione ſanaverint. Inceſtos vero nullo conjugii nomine deputandos, quos etiam deſignare funeſtum eſt; ibidem poſt aliqua ita ſcribitur: Sane quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem.

X.

De cetero his atque hujuſmodi canonicis ſanctionibus, & ſancti patris Ambroſii oraculis liquido perſpectis, credimus non illam fuiſſe idoneam, aut legitimam conjugem, neque a Deo præparatam uxorem, quæ publica, ut dictum eſt, confeſſione inceſtuoſo fornicationis crimine denotata probatur. Quocirca glorioſo principi noſtro, pro ſua in divino cultu devotiſſima affectione, atque victorioſiſſima regni tuitione, cui non ſolum nos, verum etiam canonica auctoritas inceſtuoſum conjugium interdicit, legitimum atque idoneum conjugium a Deo illi conceſſum non denegamus, juxta indulgentiam dicentis apoſtoli: *Melius eſt nubere quam uri.* 1. Cor. 7.

ANNO CHRISTI 861.

CONTESTATIO HLOTARII REGIS, appellantis epiſcopos de conjugio ſibi concedendo. *

* ex codice Palatino Bibl. Vaticanæ deſcripſit Holſtenius, miſit ad nos Eminent. Card. Fr. Barberinus.

VOs, o ſancti pontifices & venerandi patres, qui eſtis poſiti mediatores inter Deum & homines, quibus commiſſa eſt noſtrarum cura animarum, qui medicinam præſtatis vulneribus peccatorum, qui ligandi atque ſolvendi habetis poteſtatem, & eſtis doctores atque ductores noſtri, ad vos humiliter proclamo, & veſtrum benignum atque fidele conſilium fiducialiter expoſtulo. Regalis enim poteſtas ſublimem debet recognoſcere ſacerdotalis dignitatis auctoritatem, quibus videlicet duobus ordinibus eccleſiaſticorum credentium, auctore Deo, & regitur & gubernatur. Sed tantum ſuperiorem unum altero novimus, quanto excellentiam cæleſtis magiſterii Deo propinquiorem merito veneramur. Ideo qui vobis propter Deum humana fragilitate delinquimus aut leviter vel ſponte oberramus, ad veſtram paſtoralem dignitatem ſollemniter recurrimus atque confugimus. Egomet igitur divina inſpirante clementia proprios cognoſcens errores, & tantarum maculas culparum expaveſcens atque exhorreſcens ſuppliciter confitendo veniamque poſtulando per vos a Chriſto remedium ſalutis exquiro. Multum certe de pietate veſtra confido, qua me ſpirituali compaſſione miſericorditer, & diſcrete ſuſcipi atque tractari minime dubito juxta illud apoſtoli:

Hic videtur aliquid deeſſe. *H.*

Quis infirmatur & ego non infirmor? Et ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis inſtruite hujuſmodi in ſpiritu lenitatis conſiderans te ipſum ne & tu tenteris. Et alia ſcriptura monet, Calamum quaſſatum non conterendum. De cetero, patres, immenſas vobis gratias referimus, quoniam & ſeniori patri noſtro fidem debitam conſervaſtis, ac poſt ejus obitum nobis in omnibus benigni & fideles extitiſtis. Et cum multipliciter ac generaliter noſtram adoleſcentiam & labilem ætatem * procuraſtis quoque ſpecialiter, & diligenter circa fraudem nobis in nuncupata uxore illatam vigilaſtis; de quo ſiquidem negotio qualiter veſtris conſiliis actum fuerit, ſcimus quia vos in memoria penitus habetis. Nam ipſam feminam de infando, & inceſtuoſo fornicationis contagio ſponte confeſſam juxta beati Pauli præceptum qui ait: *Ne commiſceamini fornicariis*; a nobis veſtra juſſione ſequeſtravimus. Quicquid tamen poſtea incontinentiæ fragilitate commiſi ſive neceſſitate ſive voluntate, veſtrum eſt opportune & rationabiliter emendare, atque meum eſt libenter obedire. Vos etenim ſcitis quia ab infantia ſeu pueritia inter feminas converſatus propter caſtitatis bonum, & impudicitiæ malum devitandum, ad portum legitimi conjugii pervenire deſideravi. Non ergo ignoro, quia quicquid ex hoc præter licitam copulam fuerit, malo fornicationis & noxæ pollutionis aſcribi poſſit. Scio concubinam non eſſe uxorem, & nolo habere illicitam ſed licitam. Vos tamen memores juventutis meæ videte quid agendum ſit, cui nec uxor conceditur, nec concubina permittitur. Vobis notum eſt quid apoſtolus dicat: *Volo juniores nubere, filios procreare.* Et, *qui ſe non continet,*

2. Cor. 2. Galat. 6. Iſa. 42.

* Hic deeſt verbum, *attendiſtis* aut aliud ſimile. H.

2. Cor. ..

2. Cor. 7.

nubat. Melius est enim nubere quam uri. Et iterum: *Unusquisque suam uxorem habeat propter fornicationem.* Et Matthæus apostolus; * Deus nuptias benedixit, & permisit amorem dominari in corporibus hominum. Itaque simpliciter loquor fateorque me non omnino posse durare absque aliqua conjugali copula. Verumtamen cupio secundum interiorem hominem ab omni esse fornicatione alienus. Et nunc, carissimi, nos supplices vestram imploramus sanctitatem, ac pro illius amore qui nos redemit deprecamur, ut nostro periculo corporis, & animæ ad utilitatem sanctæ Dei ecclesiæ, & regni nobis commissi benigna caritate & devota fidelitate subvenire non differatis, quatenus & de prosperitate ac nostra erga vos promptissima devotione pariter nos in Domino gaudeamus & exultemus.

ANNO CHRISTI 862.

* Hic deesse aliquid videtur. H.

SENTENTIA EPISCOPORUM AQUISGRANI coactorum, qua Lothario regi permissum est ut abjecta Theutberga uxore aliam eo adhuc vivente duceret.

Ex eodem ms. codice.

CUm ex diversis provinciis totius regni serenissimi regis Hlotharii ad Aquas Granipalatii archiepiscopi & episcopi convenissemus, ac pastorali cura, & sollicitudine ecclesiastica jura ventilaremus, ejusdem principis nostri causa ad medium deducta est, quæ de conjugii sui controversia jampridem nostris in manibus fuerat evoluta. Pastoris igitur summi Domini videlicet nostri Jesu Christi, qui venit in hunc mundum peccatores salvos facere, exemplo informati, & auctoritate muniti, peccatoribus terrorem supplicii nisi resipiscant incurrere, veniamque si resipiscant permittere & concedere fiducialiter posse & debere scientes, præfatum regem divina nobis dispositione donatum; & in ipso regni tyrocinio fallaciter sauciatum ut comperimus, acriter condoluimus, eumque laqueis quibus inretitum se ingemiscebat, provide & fideliter (a) erigere decertavimus, juxta illud apostoli: *Si quis erraverit ex vobis a veritate & converterit quis eum, scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ salvabit animam ejus a morte.* Quod ergo omnibus impertiri jubemus, regi & principi nostro negare nequaquam debemus, qui priori conventui nostro se humiliter exhibens lamentatus est in conjugii nomine se horribiliter defraudatum; nec tamen absque tali consortio juventutis suæ conscius consistere se posse adjecit, libellumque proclamationis & viam suæ salvationis deposcentem divinitus aspiratus porrexit. Cujus nos mœrori & anxietati, ut competebat, compatientes intellecto puræ devotionis affectu pœnitentiæ remediis præterita delere peccata & futura bonorum operum exhibitionibus præcavere monstravimus. Quod & ille necessario & libenter amplectens ad exhortationem nostram adhibitis sibi quibusdam ex collegio nostro toto quadragesimæ tempore, jejuniis, elecmosynis ac reliquis Deo placitis operibus vigilanter insistens congrua satisfactione Dominum placare desiderans id se promereri velle etiam discalciatis pedibus incedens patulo ostendit. Deinde in hoc quoque concilio fragilitatis suæ casus enucleavit, & salutis suæ consilium utiliter ac laudabiliter a nobis quæsivit. Itaque secundum petitionem & devotionem suam servata sollertissime humanæ pietatis forma & vigilantissime ministerii nostri moderata censura, qualiter ei prospexerimus memoriæ mandare decrevimus. Feminam sibi uxoris nomine & improbo conamine injectam potius quam legitime conjunctam pluribus didicimus documentis, & conjugem esse non potuisse quam plurimis attestationibus immo detestationibus ad postremum spontanea confessione sua liquidius agnovimus. Quomodo enim possit matrimonio copulari quam juxta suam assertionem frater non pertimuit contaminare? dicente Domino ad Moysen: *Turpitudinem sororis tuæ non revelabis*, & eodem Moyse Domino inspirante terribiliter intonante. *Maledictus qui dormierit cum sorore sua filia patris vel matris suæ.* Hinc alia scriptura dicit. *Qui tenet adulteram stultus & impius est.* Hinc & apostolus. *Qui adhæret meretrici unum corpus efficitur.* Hinc & in concilio Agathensi cap. III. (b) ita dictum est. *Qui se incesti pollutione commaculant, placuit quousque in ipso detestando & illicito carnis contubernio perseverant, usque ad missam tantum catheeumenorum in ecclesia permittantur. Cum quibus etiam nec cibum sumere ulli Christianorum, sicut apostolus jussit, oportet.* Hinc etiam beatus Ambrosius in expositione primæ epistolæ ad Corinthios cap. XXXIV. scribit. *Postquam innuptis locutus est, & viduis, hos alloquitur, qui matrimonio junctis sunt, ore dominico uxorem a viro non discedere, quod si discesserit manere innuptam. Quod si continere se non potest, quia pugnare non vult contra carnem, suo viro reconcilietur.* Non enim permittitur mulieri ut nubat, si virum suum causa fornicationis dimiserit, aut apostasia aut illicita impellente lascivia, vir usum quærat uxoris quia inferior non hac lege uritur qua potior, si tamen apostata vir non usum quærat uxoris invertere, nec alii potest nubere mulieri, nec reverti causa fornicationis ad illum. *Et virum uxorem non dimittere.* Subauditur autem excepta fornicationis causa. Et ideo non subjecit sicut de muliere (c) discedens, quid si discesserit manere sic: quia viro licet (d) ducere uxorem peccantem quia non ea lege constringitur vir sicut mulier: caput enim mulieris est vir. *Nam ceteris ego dico, non Dominus.* Hoc dixit ut ostendat quid proprio ore Dominus jussit, & quid hujus auctoritate concessit, quia & per istum Dominus loquitur qui ait: *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* Ad hæc forte inter alia quis dicat. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Optime nimirum aptissimeque hoc in his observandum quos Deus conjungit, quia *a Domino*, ut alibi scriptum est, *præparabitur viro uxor.* Sed quis audeat dicere hanc a Deo conjunctam vel præparatam, quæ tot ac tantis veteris, & novi testamenti inhibitionibus non solum non copulanda, sed magis lugenda & in interitum carnis tradenda est ut spiritus salvus fiat ex proprii oris confessione monstratur? juxta illud, *Ex verbis tuis justificaberis & ex verbis tuis condemnaberis:* & David eum qui se Saulem regem interemisse jactaverat, mox jugulare præcepit, dicens: *Sanguis tuus super caput tuum, os enim tuum locutum est, ego interfeci christum Domini.* Hinc Innocentius papa ad Tolosanos scribens affirmat, nullo modo absolvi posse qui in se aut veri confessione aut testimonio falsitatis dixerit sententiam mortis quæ dicta in alium puniretur, cum omnis qui sibi fuerit mortis causa major homicida sit. Sed & hoc ex epistola Valentini concilii ad Forojulienses, & in concilio Africano cap. XCI. abundantissime demonstratur. His quocirca aliisque divinorum instrumentis eloquiorum

ANNO CHRISTI 862.

Levit.

1. Cor.

Matth.

2. Reg.

(a) Hanc sententiam contuli cum Vaticano-Palatino Cod. 576. & paucula sequentes Variantes notavi *Manu-eripere.*
(b) Cap. IV. (c) *Decens.* (d) *uxorem peccantem si dimiserit uxorem peccantem.*

rum non signiter imbutos ac mediocriter fultos si quis nos inrationabiliter, & inconsiderate in omni hoc negotio vel egisse vel definisse dicere præsumpserit, nisi detractionis, & injustitiæ deprehensionis maculam deterserit, noverit se ante tribunal æterni judicis nobiscum de his districtiorem habiturum rationem. Quippe cum nullo livoris toxico aut amaritudinis zelo Deo teste adversus eamdem feminam moti aut alicujus favoris gratia ducti quippiam de ea fecisse aut dixisse nos coram Deo protestemur, nisi quod moderatius, & mansuetius salva canonicæ auctoritatis regula quam violare nullatenus permittimur diligentissimo examine, & studiosissima indagatione agendum reperimus, sicut ex litteris discussionis nostræ super hac re a nobis conscriptis dignoscere fas est. Porro eidem principi ac seniori nostro Hlothario post excessuum (*a*) cognitionem, & errorum suorum convenientem mira afflictione punitionem, scientes juxta ejusdem professionem aliam legem in membris ejus repugnantem legi mentis suæ, ne in deteriora labatur, uxorem ducere, filios procreare vetare non possumus, dicente apostolo. *Qui se non continet nubat, tantum in Domino, melius enim nubere quam uri.* Et iterum. *Unusquisque propriam uxorem habeat propter fornicationem*: quæ scilicet necessitatis concessio est, non apostolicæ voluntatis, qui rursus ait: *Vellem omnes homines esse sicut & ego.* Et nos ergo idcirco ista non omnimodis inhibere audemus, ut graviora facilius caveantur; & omnis (*b*) indebita caussatio sollicitiori deinceps custodia devitetur. Hujus seriei rationis in commune a nobis Domino inspirante repertæ duobus ex nostris fratribus literis sequestratim commendari injunctum est. Quod nocturno actum tempore primo mane sacro concilio uterque scripturam suam præsentavit, & mira sensuum convenientia redolentem omnis cœtus noster collaudavit, & de concordi sententia Domino gratias egit, quod ideo subjiciendum censuimus, ne si alterius scripturæ tenor in verbis discrepans in cujuslibet manus devenerit, non moveatur de dissonantia sermonum quem fidem accommodare compellit consonantia sensuum.

COLLECTIO VARIORUM LOCORUM ex sacra scriptura, conciliis, opusculisque patrum a duobus episcopis facta in conciliabulo Aquisgranensi ad solutionem hujus quæstionis: Si liceat homini uxore dimissa aliam ducere adhuc illa vivente.

SUper quæstione de qua reverentia vestra præcepit, ut inspectis opusculis patrum, quæ viderentur, vobis describeremus, curavimus ut potuimus breviter & consequenter quæ pertinent ad eam respondere.

Quæstionis summa hæc est. *Si liceat homini uxore dimissa aliam ducere adhuc illa vivente.* In evangelio Dominus secundum Matthæum ita dicit: *Dictum, est quicumque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii, ego autem dico vobis quia omnis qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis caussa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit adulterat.* Hic quidem dimitti uxorem posse, sed fornicationis caussa Dominus testatur. Aliam vero nullam dicit esse caussam cur possit dimitti: dimissa vero præter caussam fornicationis nubere non potest alii, sed neque duci ab alio. In utroque enim mœchia deprehenditur. An vero is qui mulierem caussa fornicationis dimiserit, aliam ducere non possit, in hoc loco non aperte significatur. Alio vero in ejusdem evangelistæ loco manifestius exprimitur: ubi interrogatus Dominus a Pharisæis: *Si liceat homini dimittere uxorem quacumque ex caussa*, respondet: *Non legistis quia qui fecit ab initio masculum & feminam fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Interim videtur præcipere ne uxor dimittatur, qua dimissa unius corporis factam esse divisionem. Cum enim dicit, *jam non duo sunt, sed una caro*, ostendit quicumque dimiserit, quod unius carnis, id est corporis, faciat solutionem. Apostolus vero inferius: *Dico autem vobis: Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Quod in sermone obscurius posuit, hic manifestius ostendit: illic enim ait: *Quia omnis qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis caussa, facit eam mœchari, & qui missam duxerit, adulterat*; mulieris caussam si nupserit denotans, & ejus qui dimissam duxerit, ejus vero qui dimiserit non manifestans. Hic vero ait: *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit nisi ob fornicationem, mœchatur*, designans quia si dimiserit non liceat ei aliam ducere, si mœchus esse noluerit. Unam tamen rem posuit quæ faciat quæstionem, dicens *nisi ob fornicationem*. Sed videamus quid alii dicant evangelistæ, in Marco legitur: *Quicumque dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, adulterium committit, & si uxor dimiserit virum suum & alii nupserit, mœchatur.* Nulla interponitur caussa sed simpliciter innuitur quod vir si dimiserit uxorem suam & duxerit aliam, adulterio polluitur. Quæ res in uxore quoque similiter accipitur, ut si dimiserit virum quacumque de caussa & alii nupserit, adultera denotabitur. Videmus in isto excludi evangelista, quod in Matthæo positum quæstionem faciebat; Illud videlicet quod interpositum fuerat caussa fornicationis, veluti si propter fornicationem mulier dimissa fuerat, quod is qui dimiserat aliam ducere potuisset; sed præsentis testimonii verbis agnoscimus quod nequaquam sive adulterii sive alia quacumque caussa dimissa fuerit uxor, liceat dimittenti aliam ducere: quod si fecerit adulterii culpa non erit immunis. Lucas vero: *Omnis qui dimittit uxorem suam & ducit alteram, mœchatur, & qui dimissam a viro ducit, mœchatur.* Gradatim igitur & quod in alio minus aperte, in alio manifestius significatur. Matthæus fornicationis caussam interponit, qua dimittenda sit uxor. Marcus quod nulla de caussa dimittenda sit, quod si dimittitur nequaquam alii copulanda. Lucas vero dimitti posse dicit uxorem, ut intelligatur, sive religionis sive fornicationis caussa, alteram tamen nullo modo fore ducendam. Quibus omnibus instruimur uxorem a viro non esse dimittendam, nisi vel fornicationis vel religionis caussa intererit: quod si dimissa fuerit, nec vir qui dimittit ducere possit alteram, nec dimissa alii nubere, donec uterque, id est & qui dimittit & dimissa superstes fuerit. Paulus apostolus: *His autem*, inquit, *qui matrimonio juncti sunt præcipio non ego sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quod si discesserit manere innuptam aut viro suo reconciliari, & vir uxorem non dimittat.* Manifesse uxoris determinat caussam virum dimittentis ut maneat innupta, aut proprio viro reconcilietur. An vero virum si dimiserit uxorem eadem

ANNO CHRISTI 862. Matth. 19. Marc. 10. Luc. 16. 1. Cor. 7.

(a) *recognitionem.* (b) *indebitæ occasionis caussatio.*

ANNO CHRISTI 862.

dem lege constringat, quæstionem facit propter illud quod in commentario beati Ambrosii legitur: *Quod quia penes vos est, non fuit necesse subjicere. Dicimus tamen Paulum nequaquam ab evangelio dissentire, nec aliud docere quam docuit Christus.* Quid sentiant evangelistæ testimonia superius posita liquido demonstrant. Unde quod hic minus positum est ab apostolo super viri conditione dimittentis uxorem, & ex superioribus ipsius apostoli datur intelligi, & ex evangelistarum testimoniis * convenerunt de uxore a viro discedente loqueretur, ait: *Quod si discesserit, maneat innupta, aut viro suo reconcilietur.* Ostendit non debere discedere, aut si discesserit innuptam permanere, aut postremo quod restat viro suo reconciliari. Cum vero subjunxit: *Et vir uxorem non dimittat*, nihil ultra addens a superioribus * subintelligendum ut ait uxorem non dimittat, aut si dimiserit, aliam non ducat, aut postremum quod est, uxori suæ reconcilietur. Quæ sententia tam ipsius apostoli dictorum consequentia quam evangeliorum consonantia confirmatur.

* Forte, convenit. Nam cum de uxore *H.*

* Forte, subintelligendum ait, ut uxorem. *H.*

Transeamus ad doctorum ex præsenti loco sententias. Venerabilis Augustinus in sermone Domini secundum Matthæum: Non enim qui præcepit, inquit, dare libellum repudii * huic præcepit ut uxor dimittatur. Sed qui dimiserit, inquit, det illi libellum repudii ut iracundiam temerariam projicientis uxorem libelli cogitatio temperaret. Qui ergo dimittendi moram quæsivit, significavit quantum potuit duris hominibus se nolle discidium. Et ideo ipse Dominus alio loco de hoc interrogatus ita respondit: *Hoc Moyses propter duritiam vestram fecit.* Dominus ergo ad illud confirmandum ut non facile uxor dimittatur solam causam fornicationis excepit. Ceteras vero universas molestias si quæ forte extiterint jubet pro fide conjugali pro castitate fortiter sustinere, & mœchum dicit etiam virum qui eam duxerit quæ soluta est a viro. Cujus rei apostolus Paulus terminum ostendit, quia tamdiu observandum dicit *quamdiu vir ejus vivit*; illo autem mortuo dat nubendi licentiam, præsens auctor solutionem mulieris a viro faciendam esse non facile dicit, & solam causam fornicationis esse qua fieri possit, facta vero solutione aut reconciliandos sibi invicem, aut neutrum alteri jure matrimoniali sociandos.

* Forte, hic. *H.*

Matth. 19.

In commentario Hieronymi secundum Matthæum: *Dictum est, quicumque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii. Ego autem dico vobis: Quia omnis qui dimiserit uxorem suam*, & reliqua. In posteriori parte istum locum plenius salvator exponit: Quod Moyses libellum repudii dari jusserit propter duritiam cordis maritorum non discidium concedens, sed auferens homicidium. Multo enim melius est licet lugubrem evenire discordiam, quam per odium sanguinem fundi. Auctor iste Domini fultus auctoritate discidium potius eligit ne homicidium fiat. Ut vero vel dimissus vel dimissa experiri possit denuo alias nuptias utroque vivente non dicit. In eodem commentario: sola fornicatio est quæ uxoris vincat affectum, immo cum illa unam carnem in aliam diviserit, & se fornicatione separaverit a marito, non debet teneri ne virum quoque sub maledicto faciat dicente scriptum: Qui adulteram tenet stultus & impius est. Ubicumque est igitur fornicatio & fornicationis suspicio, libere uxor dimittitur. Et quia poterat accidere ut aliquis calumniam faceret innocenti, & ob secundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret, sic priorem dimitti jubet uxorem ut secundam prima vivente non habeat. Non interdicit beatus Hieronymus uxorem dimittendam in adulterio deprehensam, & quod majus est etiam suspicionis infamia denotatam, si non alias mariti potuerit ira frænari: ut tamen excludatur alterius causa ducendæ uxoris & castitatis zelo abjici proprie dicit non esse secundam ducendam * qui primam tenere noluerit.

ANNO CHRISTI 862.

* Hi aliqu detur

Venerabilis Beda presbyter in commentario evangelii Marci. Una ergo solummodo carnalis causa fornicatio, una spiritualis timor Dei, ut uxor dimittatur sicut multi religionis causa fecisse leguntur. Nulla autem causa est Dei lege præscripta ut vivente ea quæ relicta est alia ducatur. Et hic dimitti posse non negat uxorem sive fornicationis sive religionis causa, aliam vero duci posse vivente priore, sequens auctoritatem majorum non consentit.

Sanctus Ambrosius in explicatione evangelii secundum Lucam. Prius dicendum est arbitror de lege conjugii ut postea de prohibendis divortiis disputemus. Quidam enim putant omne conjugium a Deo esse maxime quia scriptum est: *Quæ Deus conjunxit, homo non separet.* Ergo si omne conjugium a Deo, omne conjugium non debet solvi. Et quomodo dicit apostolus: Quod si infidelis discedit, discedat? in quo & mirabiliter noluit apud Christianos causam residere divortii. Et ostendit non a Deo omne conjugium. Neque enim Christianæ gentilibus Dei judicio copulantur cum lex prohibeat. Ex verbis hujus doctoris datur intelligi & non esse omne conjugium a Deo, & in quibus hoc sit intelligendum. Videlicet si Christianus infidelem ducat, aut Christiana Judæo nubat, hujusmodi conjugium quia non est a Deo fore solvendum. Si vero Christianus Christianam ducat, & quæ legaliter fieri debent compleantur, conjugium tale non negat esse a Deo, in sequentibus inquit: Noli ergo uxorem dimittere ne Deum tuæ copulæ diffitearis auctorem. Etenim si alienos multos, magis uxoris debes tolerare & emendare mores. Audi quid dixerit Dominus: *Qui dimittit uxorem, facit eam mœchari*: etenim cui non licet vivente uxore mutare conjugium, potest obrepere libido peccandi; itaque qui auctor erroris etiam reus culpæ est. Non esse dimittendam uxorem omnino protestatur: Quod si dimissa vel nupserit vel clanculo se corruperit in eum culpa redundabit auctor discidii qui extiterit. Item in consequentibus: Dimittis vero uxorem quasi jure sine crimine, & putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet, sed divina prohibet. Qui hominibus obsequeris Deum verere, audi legem Domini quam obsequuntur etiam qui leges ferunt: *Quæ Deus conjunxit, homo non separet.* Tangit hoc loco quod apud sæculi solet homines fieri in uxoribus dimittendis. Lege divina hoc penitus interdicitur, humanæ vero leges concedunt. Sed beatus Ambrosius potius divinis dicit quam humanis legibus obtemperandum. Et cœleste jus humano præferendum esse juri, cui debent etiam ipsi subjici humana qui condunt jura. Item in consequentibus: Pateris ne oro vivente te esse liberos tuos sub vitrico, aut incolumi matre degere sub noverca? Pone si repudiata non nubat, & hæc tibi debuit displicere cui adultero fidem servat. Pone si nubat, necessitas illa tuum crimen & conjugium quod putas adulterium est. Quid enim refert utrum id aperta criminis confessione an mariti specie adulterium admittas, nisi quod gravius est lege criminis feciſſe quam furtim. Plures innectit causas quibus discidium dissuadeat, quod & impium sit & iniquum. Impium si habens ex dimissa liberos, & illa nupserit filiique proprii sub vitrico fuerint, quod fieri solet quando una cum matre etiam

Ibid.

iam filii pelluntur, vel certe si sola matre pulsa filii retineantur, & alia ducta uxore filii sub noverca duxerint inliberalem vitam. Hæc quidem omnia impietatem protestantur. Porro si dimissa nubere noluerit continentia sua adulterum virum condemnat. Et iniquum est castam ab incontinente dimitti. Vir quoque si alteram duxerit, nihilo minus iniquum * esse quia contra Dei leges facit, & idcirco in hac etiam parte iniquus existit. Docet ergo nusso modo uxorem dimitti, quod si dimissa fuerit, alteram duci minime nec liberum posse matrimonium dici aut esse sine peccato, quamvis ex lege sæculi habere patrocinium videatur, quandoquidem contra leges Christi nubitur.

Augustinus in libris de adulterinis conjugiis latis superque disputat: quos qui studiose legerit, nulla quæstionis hujus cunctatio animam illius obtinere valebit. Ex quibus pauca curavimus in præsenti capitulo breviter annotare. Ut qui totius operis plenitudinem vel non valuerit vel noluerit procurare; ex paucis cognoscat quid in hac re auctor ille catholicus a catholicis teneri velit. In libro primo post multa sic ait: Quid si enim secundum Matthæum. Non quidem quod ad hanc rem pertinet dictum est totum, sed ita pars dicta est ut intelligeretur a parte totum quod tanquam explanantes Marcus & Lucas ut clarescieret plenius sententia totum dicere maluerunt. Cum itaque primum non dubitantes verum esse quod apud Matthæum legitur. *Quicumque dimiserit uxorem suam præter causam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur*, quæsierimus utrum tantum iste mœchetur ducendo alteram uxorem qui præter causam fornicationis priorem dimiserit, an omnis qui dimissa uxore alteram duxerit, ut ibi sit etiam ille qui fornicantem dimiserit. Nonne secundum Marcum respondebitur nobis: Quid quæritis utrum ille sit mœchus & ille non sit, quicumque dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, adulterium committit. Nonne etiam secundum Lucam dicetur nobis: Quid ambigitis utrum ille qui propter causam fornicationis uxorem dimiserit, & aliam duxerit non mœchatur. Omnis qui dimittit uxorem suam & ducit alteram mœchatur. Ac per hoc quoniam fas non est ut evangelistas quamvis diversis verbis de una re loquentes ab uno sensu eademque sententia dissentire dicamus. Restat ut Matthæum intelligamus a parte totum significare voluisse, eamdem tamen tenuisse sententiam, ut dimittens uxorem & alteram ducens quidam mœchetur, id est qui præter fornicationem dimiserit: quidam vero non mœchetur, id est qui propter fornicationem dimiserit. Sed omnis qui dimittit uxorem suam & ducit alteram mœchari minime dubitatur. Nam & illud quod etiam secundum Lucam sequitur, qui dimissam a viro ducit, mœchatur, quomodo est verum quomodo mœchatur, nisi quia illa quam duxit eo vivente a quo dimissa est adhuc uxor aliena est? Si enim jam suæ non alienæ miscetur uxori, utique non mœchatur: mœchatur autem, aliena est ergo cui miscetur. Porro si aliena est hoc est ejus a quo dimissa est, etiamsi propter fornicationis causam dimissa est, nondum dimittentis uxor esse cessavit, sin autem illius esse cessavit, jam hujus est cui alteri nupsit. Et si hujus est non mœchus judicandus est sed maritus; sed quia non eum maritum sed mœchum dicit scriptura, adhuc illa illius est a quo etiam fornicationis causa abjecta est; & ideo quamcumque etiam jam illa dimissa ducit uxorem, quia cum alieno marito concumbit, adultera est. Unde autem fieri potest ut adulter etiam ipse non sit quem constat adulterare cum ea quam duxit? Pluribus rationibus venerabilis ostendit Augustinus quod sive fornicationis causta dimittat quis uxorem, sive præter fornicationem, & alteram duxerit, mœchatur. Et illa quæ sive propter fornicationem, sive fornicationis causa excepta dimissa alii nupserit vivente viro mœchetur, nec tales nuptias legitimi posse matrimonii esse secundum ecclesiæ leges quas adulterio constat esse solutas.

ANNO CHRISTI 862.

Item in secundo libro Christianis equidem loquor qui fideliter audiunt, caput mulieris sunt: ubi se agnoscunt duces, illas autem comites esse debere, & ideo cavendum viro illa ire vivendo qua timet uxor sequatur imitando. Sed istis quibus displicet ut inter virum & uxorem par pudicitiæ forma servetur, & potius eligunt maximeque in hac causta mundi legibus subditi esse quam Christi, quoniam jura forinseca non eisdem quibus feminas pudicitiæ nexibus viros videntur obstringere. Legant quid imperator Antoninus non utique Christianus de hac re constituerit, ubi maritus uxorem de adulteri crimine accusare non sinitur, cui moribus suis non præbuit castitatis exemplum, ita ut ambo damnentur si ambos pariter impudicos constictus ipse convicerit. Nam supradicti imperatoris hæc verba sunt, quæ apud Gregorianum leguntur. Sane, inquit, litteræ meæ nulla parte causæ præjudicabunt. Neque enim si penes te culpa fuit ut matrimonium solveretur, & secundum legem Juliam Eustasia uxor tua nuberet. Propter hoc rescriptum meum adulterii damnata erit, nisi constet esse commissum. Habebunt autem ante oculos hoc inquirere an cum tu pudice viveres, illi quoque bonos mores colendi auctor fuisti, periniquum mihi videtur esse, ut pudicitiam vir ab uxore exigat quam ipse non exhibet, quæ tes potest & virum damnare non ob compensationem criminis mutui rem inter utrumque componere vel causam facit tolerare. Si hæc observanda sunt propter decus terrenæ civitatis, quanto castiores quærit cælestis patria, & societas angelorum. Quæ cum ita sint: numquid ideo minor est an potius major, & pejor virorum impudicitia quia inest illis superba, & licentiosa jactantia? Monstratur igitur doctoris auctoritate præsentis parem uxoris maritique culpam communi pœna feriendam non licere viro quod non licet uxori, & sicul illa non servando fidem marito mœchatur, sic & vir fidem non servando uxori mœchus habetur.

His breviter prælibatis qui vult hujus auctoris sententiam super hac re plene cognoscere, libros legat de quibus ista decerpsimus, & videbit quia si uxor dimittitur, alii secundum evangelicam doctrinam sociari nuptialiter non potest, nec tale matrimonium appellandum conjugium, sed potius adulterium.

In canonibus apostolorum: Si quis laicus uxorem propriam pellens alteram vel ab alio dimissam duxerit, communione privetur. Item in concilio Africano placuit ut secundum evangelicam & apostolicam doctrinam neque dimissus ab uxore neque dimissa a marito altero conjungantur, sed ita maneant ut sibimet reconcilientur, quod si contempserint ad pœnitentiam rediganter, in quam causam legem imperialem petendum promulgari: In decretali Innocentii papæ. Et illud desideratum est sciri cur communicantes viri cum adulteris uxoribus non conveniant, cum contra uxores in consortio adulterorum virorum manere videantur. Super hoc Christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat, sed viros suos mulieres non facile adulterio accusant, & non habent latentia peccata vindictam.

Viri

ANNO CHRISTI 862.

Viri autem liberius uxores adulteras apud sacerdotes deferre consueverunt, & ideo mulieribus prodito earum crimine communio denegatur. Virorum autem latente commisso non facile quisquam ex suspicionibus abstinetur, recte utique summovebitur si ejus flagitium detegatur. Cum ergo par causa sit, interdum probatione cessante vindictæ ratio conquiescit. Hoc capitulum propterea interpositum est ut videamus in adulterii crimine parem esse pœnam tam viri quam uxoris, quamvis in uxore facilius solet puniri non dispari causa, sed cessante delatore. Duo vero superius capitula cum sententiis patrum suppositis conveniunt, videlicet ut uxore dimissa vel marito dimisso aut sibi reconcilientur aut alteri non nubant.

Hactenus quod egimus probare contendimus quod is de quo agitur aut cælebs manere aut uxori debet reconciliari, si tamen divinis litteris vel auctoritate patrum maluerit obtemperare. Quod autem opponitur non fuisse copulam illam legitimum matrimonium, quia non virgo nupserit marito, sed corrupta & hoc a fratre, quicquid ante fuerit priusquam nupserit, si fidem postquam nupsit marito castitatem tenendo servavit, antiqua corruptela posteriori castitati non præjudicat. Licet fuerit meretrix, licet prostituta, licet multis corruptoribus exposita, si nuptiale incontaminatum fœdus servaverit, prioris vitæ maculas posterior munditia diluit. Dicit enim apostolus: Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justi facti estis. Hinc beatus Augustinus ad Pollentium scribens ait: Quod autem tibi durum videtur, ut post adulterium reconcilietur conjux conjugi, si fides adsit non erit durum. Cur enim adhuc deputamus adulteros quos vel baptismate ablutos vel pœnitentia credimus esse sanatos. Videmus igitur quod prioris vitæ corruptionem sanctimonia conjugali credere debeamus esse mundatam, & quod deletum est vel baptismo vel pœnitentia id est continentiæ professione, cujus testimonium conjugii pacta confirmant, non debet denuo in culpa vocari, nec deputari immundus qui sordes pollutionis abjiciens, castitatis munditia conjugali fœdere diligenter conservat. Nec contra apostolicam doctrinam ecclesiæque fidem videamur venire. In concilio Agathensi: De incestis conjunctionibus nihil prorsus veniæ reservamus nisi cum adulterium separatione sanaverint. Incestos vero nullo conjugii nomine deputandos quos etiam designare funestum est.

Hactenus ex præsenti capitulo in litteris quas meministis positum recognoscitis, volentes qui posuerunt probare quod conjugium de quo agitur, incestum potius quam conjugium sit appellandum. Sed videamus sequentia, hos enim esse censemus: subauditur incestos. Si quis relictam fratris quæ pene prius soror extiterat, carnali conjunctione polluerit. Si quis fratris germanam uxorem acceperit. Si quis novercam duxerit. Si quis consobrinæ se sociaverit. Si quis relictæ vel filiæ avunculi misceatur aut patrui filiæ aut privignæ suæ, aut ex propria consanguinitate aliquam aut quam consanguineus habuit, concubitu polluerit aut duxerit uxorem, quos omnes & olim atque sub hac constitutione incestos esse non dubitamus.

Hinc igitur videmus incestum esse vel designari conjugium si consanguineam vel quam consanguineus habuit ducat uxorem, & tales nuptias reprobandas. Personæ vero de quibus agitur nulla sibi sanguinis propinquitate copulantur. Etsi dicitur a fratre polluta, non fuit tamen in uxorem accepta. Et vel latet vel purgata est culpa dum vel nullis certis testibus comprobatur idoneo deficiente accusatore seu manifesta convictione vel quod delictum est in adolescentia puerili fragilitate purgavit satisfactio emendatione congrua per maritalem confœderationem; siquidem in majorum constitutis exempla nos docent adolescentiæ lapsibus quantum indulgeri oporteat, siquidem adolescentem cum sorore lapsum pœnitentiæ remedio dicunt esse sanandum, non a conjugio penitus removendum. Quæ res ex sanctorum dictis manifeste comprobatur. Unde superiori capitulo nuptiæ quas dicimus non videntur comprehendi quia remota sunt a sanguinis propinquitate. Nam etsi carnalis quædam per lubricum ætatis pollutio subripuit, delendum est pœnitentiæ remedio, non puniendum separatione conjugii, nec maritus in uxoris lapsu polluitur, si nec opere nec consensu miscetur. Denique si quemadmodum fertur, illa pollutionem incidit, quid ad virum pertinet si cum ea caste vixit? aut quomodo conjugis pollutio conjugem polluere potest; si caste postquam nupta est vixit cum conjuge? Nec timendum ne maledicto sit maritus cum tali junctus, propter illud quod Salomon dixit; *qui tenet adulteram stultus est*; quoniam postquam ei nupsit, castitatem servavit, non enim antiqua reputanda sunt delicta, si melior conversatio jam purgavit illa, sicut enim fidelis jam non est infidelis, & sicut humilis jam non est superbus, & sicut sanctus jam non est immundus, sic castus jam non est impurus, sic quoque conjugium continentiæ sanctitate mundum adulterii sordibus non est addictum. Quamvis forte contingat ut priusquam nubant uterque sexus per quædam illicita se polluerit. Unde quamvis quondam illa contraxerit fortassis priusquam nupserit corruptionem, nupta tamen non legitime vocabitur adultera, castitatis fidem si servaverit marito. Quod si ita est quomodo potest fornicationis causa dimitti a marito quandoquidem casta mansit cum ipso, quicquid uterque ante corruptionis pertulerit, & non sit licitum solvi matrimonia nisi fornicationis intercesserit nævum. Nec hujusmodi nuptias esse velut incestas deputandum, quoniam etsi prius fortassis incesta fuit, jam tamen non est quod fuit, dum legitimum tori fœdus inivit, & vivendo caste cum legitimo conjuge damnavit illud quod ante fortassis per adolescentiam admisit. Nam si volumus perpendere omnem illicitum coitum incestum esse non dubium est, sed canones cum de incestis præscribunt, de conjugatis loquuntur non de his qui non licite passim coeunt, quos vel luxuriosos vel adulteros vocari manifestum est. Adulteros si in matrimonio constituti fidem sibi vel unus eorum non servando illicitum cum alieno vel aliena exercet coitum. Ceterum vel qui nondum nupti sunt vel qui intercedente morte separati sunt, si concumbunt cum alieno vel aliena, non tales adulterio, sed luxuriæ crimine denotantur. Ac propterea de talibus cum canones loquuntur non incestos vocant, quoniam omnis illicitus coitus incestus * est, sed corruptionis libidine polluti. Qua de re nec ille de quo agitur illam si teneat quæ dicitur a fratre polluta, vocabitur incestus vel quasi adulteram tenens, quandoquidem illa nondum fuerat adultera nondum habendo maritum quamvis non servando castitatem fuerit polluta, * nec cum abnegato facinore conjugii castimoniam delegit, & fidem marito servavit, potest sancta non adultera ita nec incesta vocari. Quicquid enim antequam nupserit egerit, in eam redundat non in maritum, & si se purgavit ab illis, & postquam nupsit casta permanlit, non est jam quod fuit. Dicit namque beatus Augustinus in libro de bono conjugali: Mulier si fide conjugali violata fidem servat adultero, utique ma-

* Prov. vi. 32.

* Forte & cum

la

la est, si nec adultero pejor est : Porro si eam flagitii pœniteat, & in castitatem rediens conjugalem pacta ac placita adulterina rescindat, miror si eam fidei violatricem vel ipse adulter putabit. Nulli dubium quod mulier adultero juncta polluta sit, sed si rediret ad proprium thorum adultero repudiato, & caste vixerit secundum beati Augustini auctoritatem, jam non debet vocari adultera, nec is qui ei conjungitur judicabitur tanquam stultus, vel est sub maledicto veluti adulteram tenens, quandoquidem jam non sit adultera adulterii flagitium quæ respuit, & cum viro suo vivere deinceps delegit. Alioquin si quæcumque committuntur ante nuptias postquam nuptum fuerit in crimine detineantur, licentia non modica tribuitur & viro & mulieri solvendi conjugium. Ut de mulieribus taceam, rarus, aut nullus est vir qui cum uxore virgo conveniat. Et si propter prioris vitæ maculas liceat maritum in litem constituere, judicabitur tanquam adulter, vel quia concubinam habuit vel quia fortassis fornicatus est antequam nupserit, sed nulla lex hoc dicit neque auctor quisquam conatur hoc astruere, immo videtur iniquum & nulla fultum auctoritate ut iudicium subeat ex eo quod jam vel pœnituit vel damnavit. Unde videtur juste retineri posse matrimonium de quo agitur; nec posse judicari maritus tanquam vel incestam vel adulteram retineat, quandoquidem jam non sit nec incesta postquam legitime nupsit, nec adultera possit dici, cum etsi aliter coierit ante, non postquam nupsit hoc egerit. * Et quidem talis coitus luxuriæ sed non adulterii. Hæc quidem rogati sequentes patrum dicta scripsimus, ceterum an recte dicta sint, vos judicabitis.

Notæ Jacobi Sirmondi S. J.

1 *Concilium Aquisgranense III.*) Triplex de Lotharii & Theutbergæ conjugio habita est synodus Aquisgrani. Priores duæ anno DCCCLX. in quarum altera regi renuntiarunt adulteram ipsum uxorem retinere non posse : in altera publicam Theutbergæ pœnitentiam decreverunt. Tertia hoc anno DCCCLXII. in qua Lothario, ut aliud iniret conjugium, permiserunt.

2 *Concilio Agathensi cap.* LXII.) Est canon LXI. de numero eorum qui synodo Agathensi postea sunt adjecti, & illi tamen adscribi jam solebant.

Nota Severini Binii.

a *Concilium Aquisgranense III.*) Hunc conventum episcoporum Lotharius rex Francorum hac de causa indixit, ut honesto aliquo prætextu Theutbergam uxorem legitimam dimitteret, & Vvaldradam pellicem, quam a puericia adamaverat, in conjugem duceret. Promiserat Guntario Colonienſi archiepiscopo Lotharius, teste Reginone, futurum ut ejus neptem acciperet in uxorem : qua vana spe ille elatus, Theutgaudum Trevirensem archiepiscopum in suam sententiam pertraxit. Variis itaque cavillis repudiandæ uxoris legitimæ excogitatis, per gravem errorem declararunt, quod cum Theutberga adulterii, ac incestus cum fratre Hucberto commissi se ream confiteretur, Lotharius ejusdem conjugio solutus, tamquam innocens, post dimissam adulteram cum alia matrimonium licite contrahere posset. Ad ejusdem regis causam firmius corroborandam, Adventius oblato libello (qui extat apud Baronium anno 862. numero 29.) longam texuit fabulam, qua conatur probare Vvaldradam Lotharii pellicem, ei jam a tenera ætate matrimonio junctam fuisse : Theutbergam vero postea eidem invito, a patre Lothario Augusto obtrusam esse : ac proinde non Theutbergam, sed Vvaldradam legitimam regis Lotharii uxorem esse. Eos qui concilio interfuerunt Nicolaus pontifex excommunicavit, ut patet ex epistola ejusdem Nicolai, quam in approbationem conjugii falso asserti Vvaldradæ, & in rejectionem Theutbergæ legitimæ uxoris ad suos legatos Metim ablegatos perscripserat. Acta concilii ex pervetusto codice Trevirensi a patre Christophoro Broverio societatis Jesu presbytero accepta & descripta profitetur Baronius anno 862. num. 22. Eadem summatim refert Regino in chronico his verbis : *Non multo post interjecto tempore, iterum conventum synodalem Aquisgrani coadunant, ubi rex libellum suæ proclamationis obtulit, ubi continebatur, qualiter in quadam femina Theutberga nomine factiosa perfidorum hominum argumentis fuerat defraudatus, immo non mediocriter repetivit, quo judicio episcoporum discidii sententiam pertulisset. Quæ si idonea esset conjugali thoro, & pristinæ successus pollutione fœdata non fuisset, nec viva vocis confessione publice condemnata, sponte eam vetaret. Porro se incontinentem ipse professus est, & sine copula juvenilis ætatis ardorem ferre non posse. Aliatis itaque diversorum conciliorum voluminibus, multa de incestuosis replicata sunt. Quibus recitatis, hanc definitivam sententiam protulerunt : Credimus illam non fuisse idoneam ac legitimam conjugem, neque a Deo præparatam esse uxorem quæ publica confessione incestuoso fornicationis crimine denotata probatur. Quocirca glorioso principi nostro, pro sua in divino cultu devotissima assertione, ac victoriosissima regni tuitione, cui non solum nos, verumetiam canonica auctoritas interdixit incestuosum conjugium, legitimum matrimonium a Deo illi concessum non denegamus, juxta indulgentiam dicentis apostoli ; Melius est nubere quam uri. His ita patratis, Vvaldrada in publicum procedit stipata obsequentium multitudine ; omnisque regia aula resultat, Vvaldradam reginam esse.*

ANNO CHRISTI 862.

Sententia pro Vvaldrada.

1. Cor. 7.

☞ PRÆMONITIO

IN SEQUENTEM LIBELLUM.

IN celebri causa Lotharii Regis postulantis ut dimissa Theutberga legitima conjuge alteram sibi adscire uxorem permitteretur, Episcopi in hoc Aquisgranensi Concilio coeuntes antequam sententiam pro Rege ferrent, geminos ex ordine suo viros consulendos duxerunt rogantes ut scriberent quid de re tota sentirent. Alterius ex illis libellus a Labbæo hic excusus est, quem legas sub titulo : Collectio variorum &c. *Alterius vero fragmentum me reperisse credo in Codice Palatino Vaticano 576. in quo Concilium istud continetur. Dubito tamen num reipsa idem sit scriptum ad alterutrum ex istis Episcopis Concilio exhibitum ; quin potius existimo alterutrum ex illis viri alicujus docti licet non Episcopi sententiam exquisivisse, eamque ab illo in scriptis acceptam pro Concilio legisse. Utcumque res habeat sese, e re eruditorum me facturum arbitror si illam depromsero.*

Domino gratia Dei beatissimo, & dignitate Pontificali reverentissimo A. Præsuli dignissimo suus in Christo filius immo devotissimus servulus A. orat salutem & sempiternam remunerationis coronam.

EXuperat omnes parvitatis meæ sensus perpetua circa me affluentia benignitatis vestræ, qua sic a die prima me dignati estis favere ut facilius in promptu mihi sit eam mirari quam mente penitus concipere, vel quibuslibet modis, ut dignum est, expedire. Unde quia impar sum, sive gratiarum actionibus persolvendis, sive obsequiorum officiis exhibendis, satius duxi ea breviter commemorare, quam his prosequendis diutius immorari; siquidem res quæ caret effectu inefficax studium sit necesse est. Hoc animo semper volo ut qui sermone & vicissitudine officiorum deficio, voluntate & desiderio famuland: nunquam desistam. Accedit autem illud anxietatibus meis, quod diuturni temporis spatio decurso vix datum est mihi prudentissimo nobilitatis vestræ colloquio frui. Quod abrepto tempore sic avide invasi, ut nihil eo aut jocundius, aut magis necessarium duxerim. Quod quia mihi citissime subreptum est, visum est pauca quædam suggerere sapientiæ vestræ de ea quæ apud quosdam versatur controversia, videlicet utrum legitime inita copula nuptiarum causa præcedentis cognationis debeat, vel possit dissolvi. Non quia possit eruditioni vestræ quidquam conferri, non dicam a me, qui nullius momenti sum, sed ab his, qui præstantissimi sunt. Sed quonam mihi solatio sit, ut vel hoc modo vestram alloquar nobilitatem, & mei memoriam vestræ occupatissimæ sollicitudini quolibet

ANNO CHRISTI 863.

pacto repræsentem. Hoc facere hac ratione præsumpsi, quia confido insipientiam meam vestra eruditione vel informari, vel clementer supportari. Quid enim a quovis etiam studiosissimo vobis posset sinuari; quod vestram non prætervolet sapientiam? Quocirca quia tanta subtilitate calletis, securius vobis scribo, quoniam scitis vel meam, vel aliorum mihi similium ignorantiam non deridere, sed leniter ferre. Sin aut ex sententia cesserit, ut aliquid dicam, quod vobis cordi sit, mihi gratiosius esse profiteor. Tamen ne fastidium impoliti sermonis prolixitate dicendi faciam, non aliunde dicturum affirmo, nisi quantum mihi venerit in mentem auctoritate divina, vel ratione humana præscribi his qui nuptias debere, vel posse dissolvi negant præcedente cognatione, vel quia dicunt, his dissolutis, quasi licere alterius thori subire consortia. Illis asseverantibus conjugii benedictione, & satisfactione pristina excludi flagitia, ac proinde divortium succedere non debere; illis vero astruentibus posse, vel debere dissidium intervenire, alieni facinoris ex horrendo consortio, quandoquidem licitum sit non æquo jure in matrimonio agentibus viro & conjuge, alteram conjugem viro sociari, muliere capitis pœna mulctata, ut nulli vivente viro nubere possit.

Ac primo illud considerandum, quod munus conjugale Dei benedictione institutum, & consecratum est; sic enim Liber Geneseos testatur: & creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum, & feminam creavit eos, benedixitque illis Deus, & ait: crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & universis animantibus, quæ moventur super terram. Quia vero uxor prudens a Domino detur, ita Salomon loquitur: domus & divitiæ dantur a parentibus; a Domino autem proprie uxor prudens. Ubi subit in mentem, quod quidam hac occasione, qua dicitur a Domino dari proprie uxor prudens, forte dicturi sunt non hujuscemodi uxorem a Domino dari, sed illa quæ bona sit, ideſt prudentem. Quod quamvis floccipendendum sit, tamen ne nobis tendiculæ obiiciantur conjugii male initi dissolvendi, respondemus, quod licet proprie uxor prudens dicatur a Domino dari, tamen & alterius modi non negatur dari. Nam præcepta conjunctionis inter virum, & feminam a prima conditione manarunt. Et si illud recipimus, ut uxor insipiens non divina institutione jungatur, cum nihil sit creaturarum, quod non sit in natura sui bonum, etiam illud recipiendum est, ut vir perditis moribus, & prophanis actibus, non divina institutione conjugii copula nectatur. Neque vero hoc dicens, illud non video, quod in hujusmodi locis etiam allegoriæ subtilitatibus quidam simplicem sensum subruere conentur. Sed memor illius sententiæ quæ dicit: ecce descripsi eam tibi tripliciter in cogitationibus, & scientia; sic in hujusmodi locis allegoriæ vela pandimus, ut historiæ veritatem non renuamus, nisi forte locus talis occurrat, qui mystico intellectu sit solummodo insignis, & historicæ veritati refragetur.

Cum igitur liquido clareat conjugii officium a Deo institutum, & sanctificatum, videamus breviter, utrum divortium, & quibus de causis debeat, vel possit intervenire. Illudque prima fronte occurrit, quod unum corpus vir & conjux fiant per illam conjunctionem, qua sibi carne, & spiritu dilectionis vinculo copulantur. Quod ne obscurum relinquamus apostolico astruatur eloquio. Viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Et cum interposuisset exemplum libri Geneseos: propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una; quod est præmium nuptiarum: sicut præmium continentiæ, & virginitatis, qui adhæret Domino unus spiritus est. Ad ultimum intulit: unusquisque suam uxorem sicut seipsum diligat; uxor autem ut timeat virum. Si ergo unum corpus efficitur viri, & conjugis, sive conjunctione carnis, sive quia de viro mulier ad istiusmodi officium formata est, videamus utrum qualibet intercedente causa hujusmodi copula possit vel debeat abjungi. Quod quidem veteri lege passim permittebatur cum propter fœditatem, si non non convenisset gratiam, quo cum nupta esset licebat. At nunc duabus de causis tantummodo conceditur.

Quarum una est si fuerit quis incaute, & ignoranter sociatæ sibi consanginitate carnis devinctus, siquidem hoc apertissime Deus prohibet, ita loquens per Moysem: omnis homo approximans sanguini suo non accedat, ut revelet turpitudinem ejus; ego Dominus. Altera est causa fornicationis, de qua sic loquitur Dominus in Evangelio secundum Matthæum: omois qui dimiserit uxorem suam excepta causa fornicationis facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat. Claret igitur quoniam causa fornicationis, qua cum adultero unum corpus efficitur, potest mulier, & debet repudiari, nisi incontinentiæ morbus orbrepat. Ex quo conjicitur quantum sit malum adulterii, quod benedictionem divinam, & instituta conjugii irrita facit.

Si igitur hoc de muliere dicimus sub lege viri constituta; nunquidnam adulteri viri a mulieribus repudiandi sunt, aut possunt? Quandoquidem de concubinis ita inolevit, ut canonica nobis auctoritate præscribatur.

Hic vacat duplex pagella.

Nequidquam loquamur, doceat nos vas electionis in quo Christus loquebatur: his autem, qui matrimonio juncti sunt præcipio, non ego sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quod si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari, & vir uxorem ne dimittat. Præcipit ergo ne uxor discedat a viro, ostendens id se prohibere, quod fieri poterat. Quamquam hoc istius loci continentia doceat, maxime istud ad illa tempora pertinere, quando viris evangelii sacramenta recipientibus, vel mulieribus amplectentibus ea, utralibet pars infidelitatis laqueo tenebatur. Quod ex eo colligitur, quod subinfertur, quod si fidelis discedat, discedat. Non enim servituti subjectus est frater, aut soror..... hujusmodi. Habemus sane in libro Judicum quod vir quidam Levites habitans in latere montis Ephraim accepit uxorem de Betlehem Juda, quæ reliquit eum, & reversa est in domum Patris sui Betlehem, mansitque apud eos quatuor mensibus.

Patet igitur liquido, quod fornicationis causa sicut verbo Evangelii referatum est, & incestus crimine, ideſt consanguinitatis violatione, sicuti lege constitutum est, conjugia divortium subeant. Sed hoc aperte post conjunctionem matrimonii fieri decernitur. Utrum vero, & ante conventionem legitimam si fuerit stuprata repudiari possit, vel debeat; nec in ambiguo relinquamus. Consideremus quid legislator in Deuteronomio dicat: si duxerit vir uxorem, & postea eam odio habuerit, quæsieritque occasiones, quibus dimittat eam, obiiciens nomen pessimum, & dixerit: uxorem hanc accepi, & ingressus ad eam non inveni vir-

ni virginem, tollent eam pater, & mater ejus, & ferent secum signa virginitatis ejus ad seniores urbis, qui in porta sunt, & cetera, quæ in eodem loco leguntur. Item post aliqua: quod si verum est quod objicit, & non est inventa in puella virginitas, ejicient eam extra fores domus patris sui, & lapidibus obruent viri civitatis, & morietur, quoniam nefas fecit in Israel, ut fornicaretur in domo Patris sui, & auferes malum de medio tui.

Et ne forte aliquis dicat, quod nihil simile, vel in Evangelicis, vel in Apostolicis literis inveniatur, vel in auctoritate canonica, videlicet, ut præcedentia crimina ducantur..... Apostolus ipse dicat: hæc quidem fuistis, sed abluti estis aqua baptismatis. Quod huic rationi præjudicat, nihil.... manifeste censetur, ut quicunque non cogniti sine examine ad ecclesiasticam promoti fuerint dignitatem, cum sint præcedenti crimine infames cogniti, deponantur.

Sed si hujusmodi causa est uxoris, ut possit repudiari etiam ante conventionem legitimam coinquinatæ, quid erit de viris passim fornicantibus, utrum possint ab uxoribus repelli? Et hoc quidem ante conjunctionem Matrimonii potest, cujus viri dominio subigatur, (F. cum nullius viri) sed postea posse nullo exemplo apparet; præsertim cum viri imperio sit addicta postquam mulier facta est origo prævaricationis, sic enim loquitur sermo divinus ad Evam: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Quod quidem si nulla prævaricatio accessisset, amore potius quam metu ageretur, siquidem adulterii dedecus, unde metus præcipue generatur, minime subintraret. Quia vero ut ait Apostolus Adam non est seductus, mulier autem seducta, in prævaricatione fuit, merito coercetur domini metu.

Interjacet duplex pagella vacua.

ne effligeret illicito accessu. Quod beatus Augustinus in Quæstionibus Deuteronomii, ubi capitulum supra memoratum breviter enodavit, his verbis demonstrat. Satis hic apparet quemadmodum subditas feminas, & pene famulas lex esse voluerit uxores, quod dicens adversus uxorem vir testimonium, unde lapidaretur illa, si hoc verum esse demonstraretur; ipse tamen non vicissim lapidatur, si hoc falsum esse constiterit, sed tantummodo castigatur, & damnificatur, eique perpetuo jubetur adhærere, quarum merito..... in aliis autem causis eum qui testimonium falsum gerit, quam non..... quo si probaretur, jussit occidi; eadem pœna plecti..... fuerat, esset ipse plectendus, unde intelligimus quod in quibusdam

Cetera desunt.

[a] CONVENTUS TRIUM REGUM FRANCORUM ET EPISCOPORUM GALLIÆ IN VILLA

Ad Sablonarias dicta, quo inter tres Ludovicum, Carolum & Lotharium fratres & reges Galliæ pax est constituta; anno Domini DCCCLXII. tempore Nicolai papæ.

[a] *Conventus.*) Cum Lotharius apud sedem apostolicam accusaretur, quod Ingeltrudem uxorem Bosonis comitis fugitivam & adulteram, aliosque homines nefarios & sceleatos in regno suo contra literas pontificias reciperet, scripta ad reges Galliæ nova epistola hunc conventum congregari mandavit. Laboravit in accelerando conventu rex Ludovicus; ideo in primis, quod Carolus se a Lothario plane sejunxisset, donec jussa pontificis adimpleret. Res in conventu gestas ex codice Ant. Augustini recitat Baronius anno 862. numero 26. & sequentibus.

De eodem conventu hæc auctor annalium Bertinianorum ad an. 862.

Ludovicus rex Germaniæ, directis missis blandiloquis ad fratrem suum Carolum, obviam sibi in territorium Tullense venire petit. Et quia Carolus cum Lothario ante alloqui noluit, quam fratri suo causas diceret, quæ ei in Lothario displicebant, non mediocri querela inde sermonibus est conflictum. Tandem Carolus cum episcopis qui secum aderant Ludovico & episcopis qui cum eo erant, scripto capitulatim ostendit, pro quibus Lothario communicare nolebat, nisi profiteretur quod inde aut certam redderet rationem, aut secundum auctoritatem dignam ostenderet emendationem. Post quam professionem sub hac convenientia, Carolus & episcopi qui cum eo erant, in communionem Lotharium receperunt, & scriptas, ac a consiliariis recitatas adnunciationes, quas de illorum conventu debuerunt populo nunciare, usi consilio præcipue Ludovicus & Lotharius Chuonradi sui consiliarii, Caroli autem avunculi, qui supercilios, sed frivola, & nec sibi adeo nec pluribus proficua more sueto scientia nitebatur, ne innotescerentur populo causæ, quas Carolus Lothario reputabat, penitus rejecerunt. Verum Carolus contra eorum vota omnibus pleniter notum fecit, quia pro uxore contra evangelicam & apostolicam auctoritatem relicta altera ducta est: & quia uxori Bosonis, & Balduino, qui filiam ejus furatus fuerat in uxorem, excommunicatis communicaverunt, Lothario ante prædictam professionem communicare nolebat. Sicque condicentes placitum sui conventus in futuro mense Octobrio in confinio Mosomagensis & Vonzensis comitatus, ab invicem secesserunt.

Idem auctor anonymus paullo ante sub ejusdem anni periocha hæc habet plurimum lucis sequentibus conciliis allatura, quæ tum in causa Rothadi Suessionensis episcopi, tum in loco Pistis dicto ab episcopis regnique primoribus celebrata sunt. Cum Judith relicta Edelboldi regis Anglorum Balduinum comitem ipso lenocinante & fratre suo Ludovico consentiente mutato habitu secuta esset, Karolus rex episcopos & ceteros regni sui primores consulens, post mundanæ legis judicium, canonicam in dictum Balduinum & Judith, quæ cum fure cucurrit, & adulteri portionem se fecit, secundum edicta beati Gregorii: ut si quis viduam in uxorem furatus fuerit & consentientes ei anathema sint, depromi sententiam ab episcopis petiit. Indeque Silvanectum perrexit. Ubi dum moraretur, &c.

Primores regni sui ad *locum qui Pistis dicitur, ubi ex una parte Andella, & ex altera Andura, Sequanam influunt*, circa Junii Kalendas cum multis operariis & carris convenire facit, & in Sequana munitiones construens, ascendendi vel descendendi navibus propter Nortmannos aditum intercludit. Ipse cum uxore super Ligerim, in

loco qui Maidunus dicitur, datis per ſuos ſacramentis, cum Carolo filio loquitur; & eo quaſi ſubito, ſed voce ſubmiſſa & animo contumaci, erecto, in Aquitaniam remeante, ipſe ad Piſtis, quo Placitum ſimul & ſynodum ante condixerat, redit, & inter operandum de ſanctæ eccleſiæ ac regni negotiis cum fidelibus ſuis tractat. Ubi Rothadus Sueſſorum epiſcopus, homo ſingularis amentiæ, in ſynodo provinciali regulariter epiſcoporum communione privatus, cum ſua ſe contumacia quatuor provinciarum concilio præſentavit. Quem fraternus conventus, ne deponeretur penitus, ſub appellatione ſedis apoſtolicæ ſervare diſpoſuit. Sed iſdem poſt ejuſdem concilii judicium inde appellaverat, expetens, * conſtitutis XII. ab eadem ſynodo judicii exequendi judicibus, novus Pharao propter ſui cordis duritiam & vetera ſæcula repræſentans, homo mutatus in belluam propter deſignatos exceſſus geſtorum * ſerie continentur, quoniam corrigi noluit, in ſuburbio Sueſſorum civitatis deponitur.

ANNO CHRISTI 862.

* *Locus corruptus.*

* *corrige*, qui geſtorum ſerie.

Ejuſdem Piſtenſis ſynodi expreſſa quoque mentio habetur in diplomate, quod in hiſtoria monaſterii San Dionyſiani vulgavit Dupletius.

Anno ab incarnatione Domini octingenteſimo ſexageſimo ſecundo, indictione decima, regni vero glorioſiſſimi Domini noſtri regis Caroli vigeſimotertio. Evocatis nobis epiſcopis, quorum nomina ſubſcriptionibus in fine declarantur, diverſarum provinciarum & urbium ad regalem ſynodum, & jam diu in tractatu rerum eccleſiaſticarum occupatis in loco qui dicitur Piſtis, rurſuſque a regia poteſtate Sueſſionica urbe conductis pro cauſſis quibuslibet eccleſiæ audiendis: Dilecti filii noſtri monachi ex monaſterio pretioſorum martyrum Dionyſii, Ruſtici & Eleutherii, aſſiſtente reverentiſſimo & cariſſimo nobis abbate ejuſdem cœnobii Hludouvico, & petitiones eorum conſentu firmante, ac pro eorum commodis nos humiliter deprecante, ſupplicaverunt unanimitatem noſtram, quo adverſus cupidorum inſidias eos præmuniremus, ac auctoritate eccleſiaſtica fulciremus: ne forte aliquando ſubſidii corporalis penuria, ſancti propoſiti diſpendium animæ eorum paterentur, ſed potius divinæ gratiæ affluentia, & regia munificentia largente, noſtræ quoque mediocritatis non nihil ſuffragante diligentia, ſuppetentibus neceſſariis abſque ulla excuſatione valerent implere quod bonorum omnium auctori voverunt. Denique Hilduinus venerabilis abbas ipſius monaſterii ad eorum ſtipendis neceſſaria quondam teſtamentum conceſſionis, ſub nomine privilegii, eis benigne largitus fuerit, quod ſubſcriptionibus ſynodalium epiſcoporum plene admodum roborari fecerat, clementer divinæ recordationis Hludouvico ſereniſſimo Auguſto annuente, de quibus & ipſe piiſſimus Cæſar, flagitante eodem Hilduino abbate, ipſis fratribus regale præceptum imperatorio jure firmaverat, inibi ad liquidum denominatis, unde ſtipendialis neceſſitas eis generaliter ſubminiſtrari debuiſſet. Quod privilegium, quia ob regni diviſionem & diverſarum incommoditatum rationem, ac temporis inſperati variatam mutabilitatem, ſub conſtituta lege ex integro ſervari non poterat: Placuit Hludouvico venerabili abbati, pro commoditate ipſorum fratrum, cum conſenſu epiſcoporum, petentibus eiſdem fratribus, quaſdam villas concedere ad neceſſitates eorum ſupplendas quæ ex edicto Cæſaris Hludouvici, & privilegio Hilduini abbatis minus plene perſolvi poterant. Contulit ſiquidem eis Hludouvicus abba, villam Cormilias in pago Pariſiaco ſitam: Itemque Cormilias in pago Vilcaſſino, cum omni integritate, ſicut Gailenus regia donatione eamdem villam adeptus patribus ſancti Dionyſii rebus de ipſa caſa Dei in commutatione acceptis ex integro condonavit. Villam quoque Vvarniacum, &c. Juxta ſtatutum numerum refectiones fratribus quas piæ memoriæ Hludouvicus (Hilduinus *legendum eſt*) nobiliter ordinavit atque conſtituit de præfixis miniſteralibus in feſtivitatibus ſanctorum, quorum corpora in eodem loco ſunt humata, hoc eſt ſancti Dionyſii, ſancti Hippolyti, ſancti Innocentii, ſancti Cucufatis, atque anniverſario Dagoberti regis ex Auriciaco & de rebus eccleſiæ irrefragabiliter eis ſubminiſtrentur. Caritates etiam in anniverſariis regum & abbatum de cellario abbatis juxta ſolitum accomodentur. Item refectiones fratribus de rebus eccleſiæ ac theſauri, veluti Hilduinus ordinaverat, ſubminiſtrandas, hoc eſt purificatione ſanctæ Mariæ, aſſumptionis ejuſdem, nativitatis, miſſa ſancti Petri apoſtoli, anniverſario Hludouvici imperatoris, feſtivitate omnium ſanctorum, dieque depoſitionis ſuæ decernimus. Ex ſuperiori vero curte ſimiliter in anniverſariis domni Karoli imperatoris & Hildegardis reginæ ac domnæ Berthæ, ſicut ipſa de rebus a ſe datis rationabiliter ordinavit. A parte vero fratrum, &c.

Obnixe denique nos quos ſancta eccleſia habet pontifices, & ego Hludouvicus ipſius ſancti cœnobii abbas, omnes ſucceſſores noſtros iſtius ſanctæ eccleſiæ futuros prælatos obſecramus ut quod ſalubri & neceſſaria devotione ob Dei amorem & iſtorum ſanctorum honorem, ac animarum ſalvationem, firmavimus, inviolabiliter perpetim obſervare procurent: & ſi aliter, quod abſit, iniqua ſcilicet cupiditate ſeu alicujus pravi conſiliatoris hortatu fecerint, ſe ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti in die terribilis & juſti ejus examinis, in conſpectu ſanctæ & intemeratæ, ac ſemper virginis genitricis ejuſdem Dei omnipotentis, omniumque virtutum cæleſtium, ſanctique apoſtolorum principis, ſeu iſtorum glorioſiſſimorum martyrum, in quorum honore monaſterium eſt iſtud conſtructum, necnon & ſancti Benedicti, hujus ſanctæ profeſſionis inſtitutoris, cunctorumque Dei electorum, damnabiliter judicandum cognoſcant: ſicut e contra, quod optamus potius & oramus, mercedem æternæ beatitudinis ſua diligentia noverint recepturi, ſi in hoc pietatis opere, pro fideli obſervantia portionem ſtuduerint adipiſci. Flagitaverunt igitur ſæpe dicti fratres, ſicut ſupra tetigimus, ut poſt edictum regium continens nominatim prædicta & omnium ſumptuum rationes annuatim ab abbate præbendorum, quod a regia poteſtate Domini noſtri Karoli, & a largitione ſereniſſimi Auguſti Hludouvici, ejus genitoris, dudum obtinuiſſent, omnibus neceſſariis ex his duobus præceptis in unum collectis, noſtræ auctoritatis privilegium merentur, ut regali & eccleſiaſtico freti favore ſecurius Domino militarent. Quorum petitionem omnino neceſſariam juſtamque judicantes, univerſa quæ domni Regis Caroli edictum comprehendit, atque indulget, opitulante Deo rata & inviolata ſemperque ſervanda decernimus uſui famulorum ejus profutura, & ad reddendum intentius debitum obſequium eos accenſura, ſicut oportet veros ejus cultores. Quod ſi quis tanti regis, immo Dei beneficium, noſtramque benevolentiam fraudulenter ac violenter imminuere vel potius ſubvertere præſumpſerit, & ſui periculi competenter admonitus non illico feralis cupiditatis auſum rejecerit, & in ſtatum priorem cuncta redire permiſerit, eum velut rapacem atque ſacrilegum, a populi Dei ſocietate,

juſto

ANNO CHRISTI 862.

juſto atque tremendo anathemate, ſeparamus, A niſi digna pœnitentia, & ſubſequenti emendatione quæ perpere egit correxerit.

Hoc autem noſtrum decretum ſicut eſt, ut verum eſſe credatur, & firmiſſime ab omnibus catholicæ fidei teneatur præſentibus ac futuris, ſubſcriptionibus propriis cuncti roborare ſtuduimus, & ut idem faciant in celebrandis deinceps ſynodalibus conciliis omnes noſtri ordinis obſecramus.

* † Ego Vvanilo munere divino Senonenſis epiſcopus, prius per advocatum, poſtea per memetipſum ſubſcripſi.

† Baltmundus archidiaconus ad vicem domini & patris mei Vvanilonis Senonum urbis archiepiſcopi ſubſcripſi.

Hincmarus ſanctæ metropolis eccleſiæ Remorum epiſcopus ſubſcripſi.

† Herardus Turonenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

† Vvanilo humilis Rotomagorum epiſcopus ſubſcripſi.

† Erpuinus eccleſiæ epiſcopus Silvanectenſis ſubſcripſi.

† Helmeradus Ambianenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

† Hildegarius Meldenſis epiſcopus ſubſcripſi.

† Otmundus diaconus ad vicem domini & patris mei Æneæ Pariſii epiſcopi ſubſcripſi.

Relegens ego ipſe Æneas Pariſii epiſcopus ſubſcripſi.

† Ego quidem Hairardus Lixovienſis epiſcopus ſubſcripſi.

Freculphus Sanctonicenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Vvaltbertus Abrincatenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Actardus Namneticæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

† Hildebrandus Sagenſis epiſcopus ſubſcripſi.

† Guntbertus Ebrocenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Ingenandus Pictavorum humilis epiſcopus ſubſcripſi.

Dodo Andegavenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Helias gratuita Dei diſpoſitione Equaliſmorum B epiſcopus ſubſcripſi.

* Guiliborus Catalaunorum epiſcopus ſubſcripſi.

Folchricus indignus epiſcopus eccleſiæ * Auguſtætricorum ſubſcripſi.

Raginelmus Tornacenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

† Rodulfus Biturigum epiſcopus ſubſcripſi.

Hincmarus ſanctæ Laudunenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

† Erchenraus epiſcopus ſubſcripſi.

Odo Bellovagorum epiſcopus ſubſcripſi.

Hunfridus Morinenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Iſaac ſanctæ Lingonenſis eccleſiæ indignus epiſcopus ſubſcripſi.

Chriſtianus Aurelianenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Frotharius Burdegalenſis epiſcopus ſubſcripſi.

† Hludouvicus abbas ſubſcripſi.

Jonas humilis Eduorum epiſcopus ſubſcripſi.

Godeſadus Cabilonenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Braidingus Matiſcenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Aglus humilis Aurelianorum epiſcopus ſubſcripſi.

Angilmodus Sueſſionicæ eccleſiæ indignus epiſcopus ſubſcripſi.

ANNO CHRISTI 851.

Gislebertus Karnutenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

† Erluinus Conſtantionæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

In Dei nomine ego Lupus abbas monaſterii Ferrarienſis ſubſcripſi.

Bernardus abbas ſancti Benedicti ſubſcripſi.

Frodonus indignus abba Corbionenſis monaſterii ſubſcripſi.

Engelgarius abba monaſterii ſancti Karileſi ſubſcripſi.

Gauſelmus abba monaſterii ſanctæ crucis ſubſcripſi.

B Guilhelmus abba Karroſenſis monaſterii ſubſcripſi.

Ymbertus humilis abba ſancti Floriacenſis monaſterii ſubſcripſi.

Vvalfadus Resbacenſis monaſterii abbas ſubſcripſi.

Abbo Nevernenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Gualtarius epiſcopus Aurelianorum ſubſcripſi.

Odo abba Foſſatenſis monaſterii ſubſcripſi.

Arnulfus abba monaſterii ſancti Sabini ſubſcripſi.

Verum enimvero in diplomatis hujus ſubſcriptionibus latere plurima menda obſervavit Hadrianus Valeſius pag. 351. deſenſionis diſceptationis de baſilicis.

C *Ibidem quoque confirmatum fuit privilegium monaſterii ejuſdem ſancti Dionyſii epiſcopi & martyris conceſſum a Landerico Pariſienſi epiſcopo.* Diploma illud editum fuit a D. Luca Dacherio O. B. pag. 377. ſexti ſpicilegii.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Anno ab incarnatione Domini octingenteſimo ſexageſimo ſecundo, indictione decima, regni vero glorioſiſſimi domini noſtri Caroli regis XXIII. evocatis nobis epiſcopis, quorum nomina ſubſcriptionibus in fine declarantur, diverſarum provinciarum & urbium ad regalem ſynodum, & jam diu in tractatu rerum eccleſiaſticarum occupatis, in loco qui vocatur Piſtis, & rurſus a regia poteſtate Sueſſonica urbe conductis pro cauſſis quibuslibet eccleſiæ audiendis, dilecti filii noſtri monachi ex monaſterio pretioſorum martyrum Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii, aſtante reverentiſſimo & cariſſimo nobis abbate de eodem cœnobio Hludovico, & petitiones eorum ſuo conſenſu firmante, & pro eorum commodis nos humiliter rogante, petierunt unanimitatem noſtram, quo adverſus cupidorum inſidias eos præmuniremus, & eccleſiaſtica auctoritate fulciremus, ne forte aliquando perverſorum infeſtationibus concuſſi, ſancti propoſiti diſpendium animæ eorum paterentur, ſed potius divinæ gratiæ affluentia, & regia munificentia largiente noſtræ quoque mediocritatis aliquid ſuffragante diligentia, omni prorſus & maxime clericorum infeſtatione ſecluſa, abſque E ulla inquietudine valerent implere quod bonorum omnium auctori voverunt. Igitur hoc poſtulantes obtulerunt noſtris obtutibus, præſente etiam domno Carolo rege qui petitionibus prædictorum fratrum piiſſimo favebat affectu, quædam privilegia ſanctiſſimorum pontificum, necnon & præcepta clariſſimorum regum, de libertate prædicti monaſterii ab eiſdem ſuis temporibus honorifice confirmata, inſuper & apoſtolica auctoritate inviolabiliter corroborata. Ergo reſidens idem Deo amabilis

---

* In his ſubſcriptionibus menda latere plurima Hadrianus Valeſius obſervavit in defenſione Diſceprat. de Baſilicis p. 341. *Harduinus.*

ANNO CHRISTI 861. * Extat ad an. 658.

mabilis rex Carolus in ipsa universali synodo, prædecessorum suorum præcepta & privilegia, seu confirmationes apostolicis auctoritatibus roboratas, maxime autem privilegium Landerici * religiosi Parisiorum episcopi sollicite consideratum, quod ut hic regularis ordo inviolabiliter conservaretur, terribiliter & mirabiliter obtestando ob deprecationem D. Hludovici filii Dagoberti inclyti regis factum, & sanctorum qui usque hodie in miraculis coruscant, manibus roboratum ipsi ecclesiæ tradidit, & libertatis eam privilegio honoravit, publice recitari jussit. Quo facto, hortatu pariter ac deprecatione ipsius præcellentissimi regis, Hludovici abbatis, ceterorumque sancti Dionysii monasterii fratrum, petitionibus assensum præbuimus, scilicet, ut ea quæ superius comprehensa sunt nostra qua prævalemus auctoritate roboraremus. Statuentes igitur sancimus, omnes videlicet episcopi qui prædictæ synodo interfuimus, ut ea omnia quæ in prædictis privilegiis seu præceptis continentur, jam dicti monasterii sancti Dionysii monachi, tam ipsi quam successores eorum per ventura tempora absque cujuslibet Parisiacæ urbis episcopi repetitione, seu cujuscumque reclamatione vel contradictione, quiete in perpetuum possideant. Quin etiam ego ipse Æneas, ac si indignus Parisiacæ urbis episcopus, hoc consentiens laudavi, privilegiumque domni Landerici antecessoris mei omnino æquitatis tramite servare approbans corroboravi, corroboratumque nunc & futuris temporibus mandavi, omnibusque successoribus meis per omnipotentem Deum, qui verbo suo cuncta creavit, & spiritu oris sui universa formavit, interdico, ne quicquam ex his omnibus quolibet modo unquam repetere audeant. Si quis autem tanti regis, domni scilicet Caroli, immo Dei beneficium, hujusque universalis synodi benevolentiam fraudulenter seu violenter subvertere præsumpserit, eum velut rapacem atque sacrilegum a populi Dei societate, justo atque tremendo anathemate separamus, nisi digna pœnitentia, & subsequente emendatione quod perpere egit correxerit. Hoc autem nostrum decretum, sicut est, ut verum esse credatur, & firmissime ab omnibus catholicæ fidei cultoribus præsentibus & futuris teneatur, subscriptionibus propriis firmavimus.

A

B

C

D

Hincmarus sanctæ metropolis ecclesiæ Remorum episcopus subscripsi.

Angilmoldus Suessionicæ ecclesiæ episcopus subscripsi.

Helmeradus Ambianensis episcopus subscripsi.

Herpuinus Sylvanectensis episcopus subscripsi.

Hincmarus Laudunensis episcopus subscripsi.

Odo Belvagorum episcopus subscripsi.

Hunfridus Morinensis episcopus subscripsi.

Raginelmus Tornacensis episcopus subscripsi.

Guiliborus Cathalaunorum episcopus subscripsi.

Vvanilo sanctæ metropolis ecclesiæ Senonensis episcopus subscripsi.

Æneas Parisiensis episcopus subscripsi.

Gislebertus Carnotensis episcopus subscripsi.

Agius Aurelianorum episcopus subscripsi.

Hildegarius Meldensis episcopus subscripsi.

Abbo Nivernensis episcopus subscripsi.

Vvenilo sanctæ metropolis ecclesiæ Rothomagensis episcopus subscripsi.

Hairardus Luxoviensis episcopus subscripsi.

Vvalbertus Abrincatensis episcopus subscripsi.

Gombertus Ebroicensis episcopus subscripsi.

Hildebrandus Sagensis episcopus subscripsi.

Herluinus Constantianæ urbis episcopus subscripsi.

Rodulphus sanctæ metropolis ecclesiæ Bituricæ episcopus subscripsi.

Herardus sanctæ metropolis ecclesiæ Turonensis episcopus subscripsi.

Dodo Andegavensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Actardus Nanneticæ civitatis episcopus subscripsi.

Jonas Æduorum episcopus subscripsi.

Godelsaldus Cabilonensium episcopus subscripsi.

Radingus Mattiscensium episcopus subscripsi.

Frotarius sanctæ metropolis ecclesiæ Burdegalensis episcopus subscripsi.

Freculfus Sanctonicensis episcopus subscripsi.

Ingenaldus Pictavorum episcopus subscripsi.

Folcherius Augustætricorum episcopus subscripsi.

Adalgarius notarius ad vicem Gavslheni regiæ dignitatis cancellarii recognovit.

ANN CHR 862

☞ AD PISTENSE CONCILIUM

Habitum anno 862.

A D D I T I O,

IN hoc pariter Concilio confirmatum est privilegium pro Monachis Anisolensibus adversus Episcopum Cenomanensem, quod Privilegium integrum exhibetur in Concilio apud Bonilum Villam anno 855. celebratum, quod Concilium ex anecdotis P. Martene superius exhibitum est. Confirmatio vero in hæc verba promitur a Martene in libro Veterum Scriptorum &c. Collectio nova edita Rotomagi anno 1700. pag. 219.

Anno ab Incarnatione Domini DCCCLXII. indictione x. regni glorioſi regis Karoli XXIV. in Synodo habita in loco, qui dicitur Pistis, quibusdam huic privilegio renitentibus, inspectis rursum auctoritatibus priorum, & recentiorum regum, approbatum, & confirmatum est ab omnibus, & decretum, ut absentes, & eorum, qui obierant, successores, idipsum subscriptionibus propriis roborarent.

E

Hierardus pietate Divina Turonicæ Metropolis Episcopus huic privilegio ordine successorio subscripsi.

Hincmarus Laudunensis Ecclesiæ Episcopus huic privilegio prædecessoris mei vices restitui, & vires.

Æneas Parisii episcopus.

Folchricus Augusti Tricorum indignus Episcopus hoc privilegium denuo relectum & a SS. Patribus corroboratum vice prædecessoris mei adimplevi.

Herchenraus indignus Episcopus similiter.

Gislebertus humilis Carnotensium Episcopus hoc privilegium denuo a Sanctis Præsulibus relectum, ac roboratum gerens vices prædecessoris mei Frotbaldi firmare curavi.

Odo Belloacensis Ecclesiæ Episcopus consensum Patris mei Hirminfridi confirmans, subscripsi.

Er-

Ercambertus Sanctæ Bajoacensis Ecclesiæ Episcopus consensum prædecessoris mei huic privilegio, & vires reddidi, & subscripsi.

Christianus Autisiodorensis sedis Episcopus huic privilegio subscripsi, & vices prædecessoris mei confirmavi.

Exemplar Epistolæ, quam miserunt Sancti Præsules, Concilium in loco, qui dicitur Pistis, celebrantes, Rotberto Cenomanensium Episcopo pro confirmatione ejusdem Privilegii, & de concordia Abbatis Ingilgarii, fratrumque Anisolensis cœnobii.

Unanime Concilium habitum in loco, qui appellatur Pistis, carissimo Fratri, & Coepiscopo Rotberto Cenomannicæ urbis perpetuam salutem.

EXspectata diu fraudati vestra præsentia metropolitano vestro dilectissimo nobis Herardo Turonorum Præsuli literas, vobis tradendas, commisimus, quibus significamus, quæ libentius viva, ut ajunt, voce indicaremus. Causa Monachorum S. Charilefi, quæ principis voluntate nobis suadentibus dilata est donec cum vestris auctoritatibus rediretis, postquam vos ventutos desperavimus, diligenter examinare curavimus, priscorum regum, & recentium dictis sollicite consideratis comperimus privilegium indulgentiæ ejusdem glorioſi domini nostri regis Caroli concessum juste rationabiliterque dudum nostra auctoritate firmatum, quod etiam decernentibus nobis fratres nostri, qui fuerant absentes vel qui migrantibus ad Dominum successerant, subscriptionibus propriis roborarunt. Quamobrem hortamur Sanctitatem vestram ut in stabiliendo vestra subscriptione eidem privilegio, quamquam decessor vester Hardricus . . . . id facere declinaverit, nequaquam vos difficiles præbeatis, Veritas enim, & justitia absque rubore, & dolore sequenda sunt, maxime his qui prædicationem suam aliter solidare non possunt, recipiatisque venerabilem Ingilgarium Abbatem, & fratres ejus Monachos vestra pace, & concordia sine dubio perfrui optantes, hoc vos sine cunctatione, ac dilatione agere desideramus. Sin autem id, quod Deus avertat, non obtinuerimus in societate caritatis, quam nobis vicissim debemus, nequaquam valebimus permanere, cum ab observatione æquitatis nequaquam audeamus recedere. Hæc respectu vestri honoris taliter temperavimus, ne si totum rei gestæ ordinem texeremus, indecorum aliquid scriberetur.

CONCILIA DUO SUESSIONENSIA,

PRÆSENTE CAROLO CALVO REGE.

Anno Christi DCCCLXII.

UTrumque *suppeditant annales Bertiniani ad annum* DCCCLXII. *Et prius quidem in hæc verba*: Karolus per Remi, civitatem Suessionis venit, ubi non incerto nuncio comperit, quia filia ejus Judith, relicta scilicet Edelboldi regis Anglorum, (quæ possessionibus venditis, quam in Anglorum regno obtinuerat, ad patrem rediit, & in Silvanectis civitatem, debito reginæ honore, sub tuitione paterna, & regia atque episcopali custodia servabatur, donec si se continere non posset, secundum Apostolum, scilicet competenter ac legaliter, nuberet) Balduinum comitem, ipso lenocinante, & fratre suo Ludovico consentiente, mutato habitu est secuta. Unde rex Karolus episcopos, & ceteros regni sui primores consulens, post mundanæ legis judicium, canonicam in jam dictum Balduinum, & Judith, quæ cum fure cucurrit, & adulteri portionem se fecit, secundum edicta beati Gregorii, ut si quis viduam in uxorem furatus fuerit, & consentientes ei, anathema sint, depromi sententiam ab episcopis petiit. *Post quæ Nicolaus papa spondet eidem Carolo regi epistola* 23. *se penitus observaturum, quod ab episcopis in hos conjuges decretum fuit*. Noverit, *inquit*, dilectio vestra, Balduinum, unde nobis intimastis, qui natam vestram sibi furto in uxorem contra fas sociavit, quem ideo venerandi præsules, ecclesiam Domini in regno vestro gubernantes, vinculis anathematis obligarunt, ad limina apostolorum accessisse, & ut a vinculis solveretur, atque per nos gratiam inveniret, sedem adiisse apostolicam. Nos autem non solum eum a vinculis minime absolvimus, aut in communione nostra recepimus, sed potius tam præsumptuosam temeritatem detestati sumus.

Secundum fuit appendix quædam concilii Pistensis ejusdem anni: in quo Rothadus Suessionensis episcopus, jam excommunicatus ab altero Suessionensi concilio, ad sedem apostolicam appellavit: Sed iisdem post, *inquiunt annales iidem*, ejusdem concilii judicium, unde appellaverat, expetens, constitutis duodecim ab eadem synodo judicii exequendi judicibus, novus Pharao propter sui cordis duritiam, & vetera sæcula repræsentans, homo mutatus in belluam, propter excessus, quoniam corrigi noluit, in suburbio Suessorum civitatis deponitur. *Aliquid amplius addit Rothadus, videlicet huic synodo Suessionensi Carolum regem adfuisse, ibique suffectum Rothado alterum episcopum*. Acceleratur, *inquit*, de convocanda synodo: qua in suburbio nostræ civitatis congregata, rex inclytus a concilio est invitatus, &c. Denique Hincmarus archiepiscopus meus in eodem concilio mihi intrepide, & ut reor, impie, judicium depositionis emisit. Interea ordinatur episcopus in cathedra viventis, quamvis, ne unquam, post appellationem Romani pontificis hoc fiat, sacri canones evidenter vetare noscuntur. *Quæ omnia jam supra descripta sunt, sed confuse, nec inscripto ullius synodi nomine, nisi Pistensis, & quidem obscurius indicato*.

CON-

ANNO CHRISTI 862. Ex Galani Concil. Eccl. Armeniæ cum Romana tom. 2. par. 2.

CONCILIUM SCHIRACHAVANENSE

IN SCHIRACHAVAN

Armeniæ majoris urbe, præsente Asciut Pacratide Armenorum Principe Anno DCCCLXII. celebratum.

CANON I.

SI quis non confitetur sacrosanctæ ac vivificæ Trinitatis unam naturam, & tres personas; hoc est, Patrem a nullo principio; Filium a Patre; & Spiritum sanctum ab utriusque essentia existentem, & utrique coæqualem: anathema sit.

II.

Si quis non confitetur, unum de sancta Trinitate, Dei filium unigenitum, substantialiter & paterno sinu demissum, & in sanctæ virginis utero habitantem Deum illum interminum, cum circumscriptibili carne (*intellige, ex eadem Virgine sumpta*) compositum, permansisse nihilo minus a Patre, & Spiritu sancto inseparabilem: anathema sit.

III.

Si quis non confitetur Deum Verbum, ineffabili, & admirabili modo substantialiter cum carne unitum sine confusione, ac sine divisione, Deum æternum esse, & hominem verum: anathema sit.

IV.

Si quis confitetur beatam Virginem Mariam vere ac proprie Deiparam esse, utpote quæ Deum Verbum ex Patre ante sæcula genitum, quem nec cæli, nec Seraphim comprehendere possunt, & suo intemerate gestavit in utero, & sub servi forma modo investigabili genuit, vitam hominibus allaturum: anathema sit.

V.

Si quis juxta impium Nestorium asseruerit Dei filium in viro perfecto habitasse; atque naturas seorsim ab invicem duos filios, duo suppositа, ac duas personas, alteram hominis, alteram Dei, separaverit: anathema sit.

VI.

Si quis juxta Eutychis stultitiam temere dixerit, carnem divini Verbi fuisse de cælo allatam, aut alterius, quam nostræ, substantiæ; vel naturam divinam cum carne confusam, aut in carnem conversam: adeoque vanam reddiderit nostram Redemptionem: anathema sit.

VII.

Si quis non confitetur humanatum Dei Patris Verbum esse perfectum Deum, & perfectum Hominem; ex duabus naturis in uno supposito, & una persona compositum; consubstantiale Patri secundum divinitatem, & consubstantiale nobis in omnibus excepto peccato secundum humanitatem: anathema sit.

VIII.

Si quis sanctam Trinitatem passibilem dixerit, aut crucifixam; vel Filium non carne, sed divinitate passum juxta Eutychis, & Manichæorum ineptias; vel solum hominem passum juxta nugas impii Nestorii: anathema sit.

IX.

Si quis non confitetur, Deum Verbum, ac Dominum nostrum Jesum Christum, sanctum, fortem, & immortalem, pro nostra salute, secundum carnem crucifixum, ac misericordiam humano generi largientem, quique hostia simul, & sacerdos tollat peccata mundi: anathema sit.

X.

Si quis non confitetur, filium Dei propter salutem gentium factum esse filium Virginis, ut nimirum filios hominum faceret filios Dei, ac Terrigenas patri consecrans, in illa coruscantium exercituum frequentia cum cælicolis sociaret: anathema sit.

XI.

Si quis non confitetur, Dominum nostrum Jesum Christnm jam inde ab utero Virginis perfectum, & glorioſum fuisse; nec non quantum ad sepulcri, aut peccati corruptionem, incorruptibilem: vel eumdem dixerit subjectum necessario passionibus, tanquam purum hominem; & non potius, quod sponte pro nobis nostra sit passus excepto peccato, ut nos ab insidiis diaboli liberaret: anathema sit.

XII.

Si quis dissenrire dixerit traditiones apostolorum a traditionibus prophetarum; vel doctrinas priorum trium Conciliorum, Nicæni, Constantinopolitani, & Ephesini, a doctrinis apostolorum & prophetarum: anathema sit.

XIII.

Si quis Chalcedonensem synodum, aliasve post illam sequentes, contrarias, aut repugnantes esse cognoverit doctrinis apostolorum, vel prophetarum, vel trium sanctorum præcedentium Conciliorum: & tamen præ humana captanda benevolentia, aut suis privatis commodis, eas nequaquam anathematizaverit: anathema ipse sit. (*Ut hypothesis hujus canonis explicetur, audiendus est alius subsequens.*)

XIV.

ANNO CHRISTI 862.

XIV.

Si quis Chalcedonenſem ſanctam ſynodum, aut alias eam ſubſequentes, videlicet quintam, ſextam, & ſeptimam, concordes, & conſentientes fuiſſe cognoverit doctrinis apoſtolorum, & prophetarum, & trium ſanctorum præcedentium Conciliorum; & temere nihilominus præſumpſerit, eaſdem ſynodos anathematizare, aut calumnioſe dicere, fuiſſe turpi Neſtorio conſentaneas: ſciat, hujuſmodi anathema in ipſummet cadere: cum ſcriptum ſit: Qui innocentem execratur, execratur animam ſuam, & in caput ſui ipſius execratio revertetur: quin etiam & anathema ipſe ſit.

XV.

Si quis non confitetur, Deum Verbum ita ſecundum unitam ſibi carnem paſſum eſſe, ut ejus impaſſibilis, & inſeparabilis a carne Divinitas fuerit in paſſionibus expers paſſionis: anathema ſit.

OBSERVATIO.

Scripſerat ad Zachariam Armeniæ Catholicum Photius Patriarcha CP. miſſa per Joannem Nicææ Epiſcopum Epiſtola, qua Synodi Chalcedonenſis doctrinam de Incarnatione & duabus in Chriſto naturis pluribus argumentis confirmavit. His commotus Zacharias, Epiſcoporum Abbatumque ſuorum Concilium convocavit, quo damnata ſunt Neſtorii, Eutychetis, Dioſcori, Theopaſchitarum, & Manichæorum dogmata, doctrina catholica de duabus naturis reſtituta, Synodus Chalcedonenſis admiſſa quidem, ſed rectius, & per obſcuras verborum ambages, cum præ metu populi mentem ſuam hac de re γυμνῇ κεφαλῇ non auderent explicare. Conditi ſunt hanc in rem Canones xv. qui Armenice cum Latina verſione habentur apud Cl. Galanum *Conciliat. Eccleſ. Armen.* par. 2. tom. 1. p. 139. ubi Canonum IX. XI. XIII. XIV. in quibus aliquid obſcuritatis latere videbatur, uberrimam hanc explicationem addidit.

Explanatio IX. *Canonis*.

Contentio erat inter Armenios: Catholici enim juxta decreta toties a ſuis Patribus edita in præcedentibus Synodis, præſertim Charnenſi, rejiciebant a Triſagio, *Sanctus Deus*, Theopaſchitarum additionem illam, *qui crucifixus es pro nobis*; ne viderentur, divinam Trinitatem, in quam idem Triſagium refertur, paſſam, aut crucifixam aſſerere. Contra vero Schiſmatici eos calumniabantur, quaſi quod conſentientes Neſtorianis, nollent dicere unum de Trinitate, Deum Verbum, ſanctum, fortem, & immortalem, carne paſſum, ac crucifixum. Unde volens Synodus contentioni occurrere; atque idem Triſagium cum additione illa, a pleriſque Armeniis tenaciter ſuſcepta, & propugnata, ab hæretico in orthodoxum ſenſum revocare, & in filium ſolum dirigere; poſtquam in octavo Canone eos damnavit hæreticos, qui aſſerebant, Chriſti Divinitatem, atque adeo ſanctam Trinitatem, paſſam, & crucifixam; nunc in nono, ne ipſamet in ſuſpicionem a calumniatoribus adducatur, quod cum Neſtorianis conſentiat, pariter damnat, qui negarent, unum de Trinitate, Deum filium, ac Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſanctum, fortem, & immortalem ſecundum divinitatem, pro nobis in carne crucifixum eſſe &c.

Hinc manifeſtum fit, quod hæc Synodus non modo non ſuffragatur, ſed etiam horrendum denunciat anathema iis Armeniis, qui nunc eundem ter ſanctum hymnum cum eadem additione, ac nulla facta Chriſti filii, neque carnis ejus mentione, erga Trinitatem concinunt, præſertim dum ſacra peraguntur myſteria; in quibus poſtquam Sacerdos una cum choro cecinit, dicens: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, qui crucifixus es pro nobis, miſerere noſtri*; referens in ſanctam Trinitatem eumdem hymnum ſic immediate proſequitur: *Deus ſancte, qui in Sanctis habitat, & voce ter ſanctus a Seraphim celebraris, & a Cherubim glorificaris, atque ab omni cœleſti Virtute adoraris; qui creaturas omnes ex non eſſe ad eſſe produxiſti: qui creaſti hominem ad imaginem, & ſimilitudinem tuam: tu Domine ſuſcipe ex ore noſtro, qui peccatores ſumus, ter ſanctum hunc hymnum.* Vide, uti non ſolum erga filium, ſed in totam etiam Trinitatem dirigunt hic Triſagium cum additione, *qui crucifixus es*: ac ſi aperte dicant Trinitatem crucifixam. Multum autem miramur, cur Armenii execrabilem hunc Theopaſchitarum errorem, quem alioquin diſertiſſimis ubique verbis deteſtantur, in Triſagio tamen videri velint cum ſcandalo aliorum Chriſtianorum, peſtilentem iſtam Petri Fullonis appendicem, ſuſcipere. Quod ſi, ut dicunt, non in Trinitatem, ſed in ſolum filium illud referunt, quare non eo ſaltem modo, juxta quem Synodus hæc videntur eis permittere canunt: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, Chriſte, qui ſecundum carnem crucifixus es pro nobis, miſerere noſtri*

Explanatio XI. *Canonis*

Caute legenda ſunt ambigua hujus Canonis verba, quæ Synodus, recta licet mente, non ea tamen, qua par erat, prudentia hic poſuit, ut eorum Pſeudomagiſtrorum tumultus impediret, qui Julianitarum erroribus imbuti docebant, Chriſti corpus fuiſſe ſubtile, & leve, & incorruptibile, & impatibile, & glorioſum, etiam ante reſurrectionem; neque Chriſtum paſſum eſſe noſtras infirmitates ex lege, & neceſſitate naturali, ſed quia eas pati voluerit, etſamſi naturaliter non fuerit illis ſubjectus: immo & aliquas ne vere quidem, ac proprie paſſum eſſe; ſed ita voluiſſe oſtendere, ut nos ſuo erudiret exemplo, tutoſque ab inſidiis Diaboli redderet. Ut hiſce igitur ab hæreſibus Synodus declinaret ſine hæreticorum tumultu, tres propoſitiones ambiguas hoc Canone concluſit, in quibus ejus mens explicanda breviter eſt.

Prima propoſitio eſt: *Chriſtus ab utero matris fuit perfectus, & glorioſus*: intelligit quantum ad animam, non quantum ad corpus. Oportuit enim animam Chriſti & perfectam eſſe per habitus ſcientiarum, virtutum, & gratiæ; ut facultatem haberet ſatisfaciendi pro peccatis hominum: & glorioſam eſſe per viſionem beatam divinæ eſſentiæ, ut intuitive Deum, cum quo hypoſtatice uniebatur, videret. Quare tum glorioſa viſio, tum omnes aliæ virtutes, & perfectiones in anima Chriſti ſequutæ ſunt ad unionem hypoſtaticam, tanquam proprietates ad naturam. Et oportuit etiam, quod Chriſti corpus nec perfectum omnino eſſet, nec glorioſum, niſi poſt reſurrectionem; ſed eſſet ſubjectum infirmitatibus, pœnalitatibuſque humanis; ut Chriſtus materiam ſatisfactionis haberet: & ideo ejus divinitas voluit, ut animæ gloria non redundaret in corpus, niſi ſemel in Thabor, ne opus redemptionis impediretur, ſed Chriſtus eſſet, & videretur per omnia fratribus aſſimilatus, ac pateretur, quæ conveniunt naturæ paſſibili. Quare, cum tres ſint ſtatus hominum, ſcilicet innocentiæ, culpæ, & gloriæ: ſicut de ſtatu gloriæ Chriſtus aſſumpſit comprehenſionem; & de ſtatu innocentiæ immunitatem a peccato; ita de ſtatu culpæ aſſumpſit ſubjectionem pœnalitatibus hujus vitæ.

Secunda propoſitio eſt: *Chriſtus quantum ad ſepulcri, aut peccati corruptionem, fuit incorruptibilis*. Diſtinguere videtur Synodus triplex genus corruptionis in homine, primum, quod importet diſſolutionem corporis mortui in elementa, ex quibus compoſitum eſt, quam vocat corruptionem ſepulcri. Secundum, quod ſignificet defectus culpabiles tum animæ, tum corporis, ut vitia, fomitem concupiſcentiæ &c. quæ & animam, & corpus polluunt, corrumpuntque; quam vocat corruptionem peccati juxta illud 2. Petri 2. *In corruptione ſua peribunt*. Tertium, quod indicet reliquas affectiones humanas, pœnales quidem, ſed minime culpabiles, ut pati ſitim, famem, frigus, calorem, laſſitudinem, dolorem, mortem, aliaſque humanas infirmitates. Quod ergo ſpectat ad corruptionem ſepulcri, docere voluit corpus Chriſti mortuum permanſiſſe incorruptum, juxta illud Act. 2. *Neque derelictus eſt in Inferno, neque caro ejus vidit corruptionem*. Quod ad corruptionem peccati, Chriſtum fuiſſe incorruptibilem juxta illud Hebr. 7. *Sanctus, innocens, impollutus*. Quod autem ſpectat ad corruptionem tertii generis, ex eo quod excluſit ab illo tantum primam, & ſecundam corruptionem, aperte videtur voluiſſe includere tertiam; ſecundum quam nemo negabit, Chriſti corpus fuiſſe corruptibile, niſi qui voluerit cum Manichæis aſſerere illud non fuiſſe paſſibile, nec mortale, nec ejuſdem nobiſcum ſubſtantiæ.

Tertia propoſitio eſt: *Chriſtus non erat ſubjectus neceſſario paſſionibus, tanquam purus homo; ſed voluntarie paſſus eſt noſtra, ut nos ab inſidiis Diabeli liberaret*. Hæc propoſitio duplicem ſignificationem habere poteſt. Altera eſt, & catholica, juxta quam Synodus loquitur: Chriſtus, quamvis ut homo ex neceſſitate naturali obnoxius eſſet humanis infirmitatibus, juxta illud Rom. 8. *Miſit Deus filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati*: conditio enim carnis peccati eſt, quod habeat neceſſitatem ſubſtinendi mortem, & alias hujuſmodi paſſiones: tamen quia non purus homo erat, ſed etiam Deus, cui ſoli naturalia, utpote auctori naturæ, ſubduntur; poterat quidem, ut Deus, omnes illas naturales infirmitates in humana natura impedire, vel miraculoſe continendo curſum naturalem carnis paſſibilis, vel etiam naturaliter permittendo, ut animæ gloria redundaret in corpus; atque ideo non fuit neceſſario illis ſubjectus, ſed voluntarie ſimpliciter, quantum ad voluntatem divinam, paſſus eſt noſtra: vel etiam voluntarie

ANNO CHRISTI 862.

secundum quid, voluntate humana, quia non coacte, & invite, sed, volens, ac lubens naturalem illam patiendi necessitatem pro redemptione hominum acceptavit; & hoc, ut nos ab insidiis Diaboli liberaret, exhibendo nimirum nobis exemplum patientiæ, ac ferendo auxilium juxta illud Hebr. 2. *In eo, in quo passus ipse est, & tentatus, potens est & his, qui tentantur, auxiliari.* Altera significatio est, & hæretica juxta mentem Pseudo-magistrorum: Christus, ut homo, non erat ex naturali necessitate subjectus humanis infirmitatibus, ut reliqui subduntur homines: utpote qui glorioso, & impatibili, aut cælesti corpore præditus fuerit: sed vel ideo passus est illas, quia pati eas voluit, cum alioquin ejus natura humana non fuerit talis, qualis & nostra, ut ex naturali lege infirmitatibus hujusmodi subderetur: vel ne illas quidem vere, ac proprie passus est; sed voluit ita ostendere, ut suo nos erudiret exemplo, & sic ab insidiis Diaboli liberaret. Quod autem juxta secundam hanc significationem loquuta Synodus non sit, constat ex præcedentibus verbis, præsertim tum Canonis septimi, ubi subjiciuntur anathemati, qui Christum non fatcretur secundum humanitatem nobis consubstantialem in omnibus excepto peccato; tum ejusdem undecimi Canonis ubi dicitur Christus incorruptibilis solum quoad sepulcri & peccati corruptionem, & non etiam quoad reliquas humanas infirmitates.

A

B

Explanatio XIII. & XIV. *Canonis.*

Probe admodum noverat Synodus Schirachavanensis quartum Concilium generale, neque Chalcedonense (& idem dico de quinto, sexto, & septimo) orthodoxum fuisse, & tribus aliis præcedentibus consentaneum, falsumque quidquid virulenti, ac Nestoriani adversus illud Syrorum Eutychianorum impostoris vulgatum fuerat. Nec ignorabat decessores alios Armenos Episcopos ad idem Concilium approbantium, non temere, & inconsulte, neque (ut insanis ille tumor in populo a schismaticis sparsus jactabat) humanis incitamentis, illecebrisque illectos; sed debitis prius fermentis, consultationibusque adhibitis, a sancto potius spiritu, & efficacia veritatis inductos processisse. Verum enimvero cum venerabile illud ejusdem Concilii nomen a Pseudo-magistris eo usque infamiæ & contemeliæ perductum esset, ut plerique Armenii, etiamsi illius fidem profiterentur, abhorrerent tamen a nomine; verita Synodus est, ne qua adversum se, si aperta & absoluta sanctione illud suscipiendum decerneret, factiosæ plebis seditio (uti alias sæpe contigerat) eorumdem Pseudo-magistrorum instigatione concitaretur. Et quidem, quod sectabatur ad fidem Chalcedonensem jam in sexto & septimo Canone, Eutychem damnando, & duas naturas inconfusas in una Christi persona definiendo, optime rei prospexerat. Supererat autem satisfacere nomini, honorique Concilii, nefandis hæreticorum calumniis ubique per Armeniam diffamati: ad hoc illa ut, non turbata sui ipsius & populi pace, procedat, in isto duplici canone periphrasi utitur: nimirum circuitione, anfractuque verborum (dum non audet aperte loqui) flexiloque studet in prudentium lectorum animos occulte insinuare suam sententiam.

C

Idcirco anathema primum constituit adversus eos, qui deprehendentes, per hypothesin impossibilem, Synodum Chalcedonensem (aut alias subsequentes) Nicænæ, Constantinopolitanæ, & Ephesinæ Synodo adversariam extitisse, eam nihilominus ob respectus humanos nequaquam anathematizarent. Plane, ut populum a falsa suspicione retraheret, quasi imprecatorie dejerare voluit Synodus, ac si diceret: in memetipsam constitutum anathema revertatur, si ex eo Concilium Chalcedonense nequaquam anathematizo, sed suscipio, quia moveor humano respectu; & non potius, quia illud orthodoxum inveniam, & triplici priori Synodo consentaneum. At enim, siquidem ipsa post hujus canonis sanctionem nullum adversus illud pronunciavit anathema, quid aliud palam verbis iis indicare voluit? certe alterutrum: aut ipsam mentc phanatica suo se anathemate percussisse; quo quid absurdius? aut se probe cognoscere, idem Concilium rectum omnino fuisse, nec a tribus aliis præcedentibus dissentaneum: ac proinde antecessores Episcopos permotos non esse humanis respectibus ad illud suscipiendum.

Quod autem hac mente sit ipsa loquuta, clarius in sequenti Canone manifestat; dum ibi eandem Chalcedonensem Synodum *Sanctam* appellat; eosque execratur, velut temerarios impostores, qui etiamsi illius innocentiam noscerent, animo tamen iniquo & obstinato maledictis infectabantur. Ceterum hac in re ne ipsum quidem Schirachavanensem Conventum culpa vacare duxerim. Dum enim humano ductus timore non audet aperte, ut par erat in re tam gravi, suam dicere sententiam; sed utitur circumloquutione, nonne experitur in eam culpam vere ipse incidere, quam simulate in aliis reprehendit?

ANNO CHRISTI 863.

CONCILIUM SILVANENECTENSE (1)

IN QUO ROTHADUS EPISCOPUS SUESSIONENSIS

Hincmari archiepiscopi factione damnatus, graduque suo dejectus, & in monasterium retrusus est, anno Christi DCCCLXIII.

Synodum hanc in Convicino villa publica propter Silvanectum congregatam, in eaque diversarum provinciarum episcopos convenisse, docet Nicolai papæ ad illos rescriptum. Interfuisse præterea Hincmarum archiepiscopum, ac synodo velut omnium dominum præsedisse, narrat in libello suo Rothadus. Qui cum ab Hincmaro, vetere in ipsum odio, id agi videret, ut damnationis in eum sententia, ob presbyterum immerito, ut objectabant, depositum proferretur, sedem apostolicam appellavit: sed ne Romam iret variis artibus prohibitus est. Quin & synodo iterum in Suessonicæ civitatis suburbio convocata, cui rex Carolus interfuit, Hincmaro instigante damnatus, graduque suo dejectus est. Tum & altero in ejus cathedra ordinato, per varia loca distractus vexatusque, vix tandem Nicolai papæ auctoritate, crebrisque epistolis, ut Romam ire liceret consecutus est: Romæ autem pristinæ dignitatis insignia in concilio Romano publice recepit. Synodi porro Silvanectensis acta per Odonem episcopum Bellovacensem Romam missa non extant, sed cujusmodi ea fuerint, intelligi licet ex Nicolai ejusdem papæ responso, quod superius inter illius epistolas repositum fuit.

D

E

Nota Jacobi Sirmondi S. J.

1 *Concilium Silvanectense.*) Plurimorum episcoporum concilium fuisse docet Hincmarus, causam suam adversus Rothadum muniens in epistola ad Nicolaum papam, quam recitat Flodoardus lib. III. cap. XII. *Diu illum*, inquit, *non sine timore de periculo animarum sibi commissarum portavi, & cum amplius portare non debui, ad plurimorum episcoporum concilium, ut vel eos audiret, deduxi: quorum non audire consilium, sed adversum me postulare judicium maluit.* De hoc enim concilio intelligit, quod Silvanectense appellavit, quia juxta Silvanectensium civitatem in Convicino villa celebratum est.

Nota Severini Binii.

a *Concilium.*) Cum Hincmarus Suessionensis concilii confirmationem a Nicolao papa surreptitie obtinuisset, opus quod diu contra Rothadum episcopum Suessionensem mente conceperat, perficere aggreditur, indictoque hoc concilio eumdem episcopatu depositum in monasterium detrusit. Cumque ille ad sedem apostolicam appellaret, eidem non modo nihil honoris detulit, sed etiam alium quemdam in ejus locum surrogavit. Quod factum Hincmari iniquissimum, cum vicini complures detestarentur, non tantum ipsi injuriam Rothado illatam pontifici denuntiarunt, verum etiam libellum supplicem ipsius Rothadi (qui extat supra * post epistolam Nicolai 37.) eidem Nicolao pontifici

Acta concil

* Vide in conc. Rom VII.

Legatio s synodo R mam miss

(1) Baronius ad an. 863. n. 82. & Sirmondus to. 3. Concil. Gal. damnationem Rothadi an. 863. in Synodo Silvanectensi factam perperam scripsere, decepti inscriptione Epistolæ Nicolai Papæ ordine 31. quæ dicitur *ad Episcopos Synodi Silvanectensis* data, cum tamen, ut notavit Natalis Alexand. sæcul. 9. & 10. par. 2. differt. 6. loco *Silvanectensi* restituendum sit *Suessionensi*, quemadmodum ex Annalista Bertiniano eruitur. *Pagius ad an. Ch.* 863. *n.* 5.

ANNO CHRISTI 863.

sici obtulerunt. Ab ipsa synodo missa est Romam legatio per Odonem Bellovacorum episcopum, quæ peteret auctoritate apostolica confirmari, quæ ab ipsis in hac synodo acta fuissent. Addiderunt synodicam ad eumdem acerbissimam, quibus illi ea, quæ in Metensi concilio consensu legatorum sedis apostolicæ pro illegitimo Lotharii conjugio gesta erant, a Nicolao papa etiam approbata fuisse putantes, eumdem papam rogarunt, ut sententiam suam mutaret, & generale concilium convocaret. Quibus omnibus acceptis, quid pontifex egerit, quidque responderit, ex epistola 32. Nicolai papæ supra patet, & in notis sequentis concilii Romani V. subjungam. Vide Baronium anno 863. num. 69.

ANNO CHRISTI 863.

EPISTOLÆ SYNODALES EPISCOPORUM REGNI LOTHARII.

Observatio Philippi Labbe S. J.

Silvanectensis concilii, quodque proxime sequitur, Metensis jacturam utcumque lenient duæ epistolæ ab episcopis regni Hlotharii scriptæ, in quibus & synodi Metensis dies prius indicta, ac postmodum, ut volunt, mutata designatur; & in laudem Hilduini, qui Hincmari dominus & nutritor fuisse dicitur, atque Rothadi Suessionensis episcopi, multa proferuntur scitu non indigna. Utramque porro ex schedis V. C. Lud. Holstenii descriptam jussu eminentissimi S. R. E. Cardinalis Francisci Barberini misit ad nos R. P. Petrus Possinus S. J.

EPISTOLA PRIMA.

Hincmaro. *Optabili in Christo fratri * Igmaro Theodgaudus primas Belgicæ Galliæ, Guntharius Agrippinensis Coloniæ, & Arduicus Vesontionensis ecclesiæ episcopi salutem & pacem.*

RElegimus frater, & utinam frater Igmare, libellum tuæ accusationis adversus Hilduinum dilectum filium & fratrem nostrum, ut credimus idoneum virum, in quo ipsum officio pastorali indignum asseveras, & causas te scire, pro quibus isdem electus ordinari non debeat, exclamas. Quamvis ab hac improbitate hoc solummodo te revocare vel temperare debuisset, quod ille tuus domnus & nutritor fuerit carus, si tamen memor & non ingratus fore voluisses, cujus iste & affinitatem refert & nomen. Nunc quoniam delator esse voluisti, quod restat non omittas. Te enim exspoliasti judicio, dum criminationis chartulam, quod tuo officio & honori, ut æstimamus, non competebat, propria manu, quod negare non potes, in conventu regum principi nostro Hlothario inconsulte porrexisti, ac memoratum Hilduinum, nosque pariter suspectos reddidisti. Ergo quia te objecta probaturum promisisti, consequens est, ut exequaris quæ promisisti: unde & te canonica commonemus auctoritate, ut accusationis tuæ executionem canonice prosequaris. Quod si te accusationi subtraxeris, & probationi defueris, noveris te canonicis de accusatoribus regulis subjacere. Calumniæ vero quas synodalibus decretis obumbrare nisus es, in te atque in æquivocum nepotem tuum, qui ita provecti estis, reflectuntur. Quorum neuter ex illa fuit ecclesia, in qua ambitione atque favore potentatus inthronizatus esse dignoscitur. Hac conditione dehinc exigente synodo te adesse oportebit, quæ Idus Martias apud urbem Mediomatricum, Christi favente gratia, celebrabitur: ubi sæpefatus frater aut tua probatione convincatur, aut sua defensione liberetur. Ubi quoque & nos tibi ex omnibus, quæ de ecclesia Cameracensi scribens monuisti & reprehendisti, rationes reddendo respondere valeamus. In Christo te valere optamus.

EPISTOLA II

Venerabilibus in Christo fratribus archiepiscopis & episcopis in regno eximii regis Hludovici constitutis Theodgaudus Belgicæ Galliæ primas, Guntharius Agrippinensis Coloniæ, Arduicus Vesontionensis, Rotlandus Arelatensis, Tado Mediolanensis ecclesiarum archiepiscopi, eorumque coepiscopi salutem & pacem orant & optant.

DIversis ecclesiam Dei perturbationibus concuti & percelli quotidie exterius cernimus ac suspiramus: interius vero vexari eam atque exuri in suorum dissensione membrorum, videntes nimium perhorrescimus & dolemus. Neque enim dolere & lugere non possumus, quod sanctos Dei sacerdotes, Hincmarum videlicet archiepiscopum religione & sapientia longe lateque vulgatum, & Rothadum longiturnæ & venerabilis conversatione sanctitatis famosum, ita comperimus ab invicem discordasse, ut non veritus sit metropolitanus idem suffraganeo eidem excommunicationis sententiam intorquere, & officio privatum divino custodiæ deputare. Sed quem e duobus magis defleamus admiratione simul ac stupore vallati nescimus. Rothadum scilicet ita a vero exorbitasse, ut ei digne talia infligerentur, aut Hincmarum ita justitiæ & dignitatis limitem transiliisse, ut aliquo amaritudinis aut ambitionis zelo devinctus seu devictus sancto, ut credebatur, & annoso episcopo talia inferre minime dubitaret. Ille etenim se injuste damnatum proclamat, qui etiam inter alia excusationum suarum munimina in appellatione Romani perstabat pontificis. Ista autem inter cetera invectionum commenta de contemptu & inobedientia sui juste eum ab officio sacerdotali removere denuntiat. Quod quia nobis per omnia incertum est, quippe qui neutrius causam palam cognovimus, rumoribus nec facile credere audemus, nec absentium dissensiones temere dijudicare debemus. Ob hoc tamen multos, immo pene omnes ad quoscumque hæc fama pervenit, nobiscum scandalum passos non sine gravi mœrore sanctitati vestræ mandamus, orantes & unanimitatem vestram poscentes, ut discordiam prædictorum antistitum animadversis antiqui hostis insidiis, & consideratis humanæ fragilitatis excessibus, qualiter cœperit, & increverit, sollicitius intendatis ac perpendatis, & nobiscum Domino mediante convenientes, dubietatis hujus nebulas studiosissima indagine abstergamus, & ad veritatis lucem vera luce revelante perducamus: quo aut Rothadus si juste depositus comprobatur, omnium judicio conticescat, aut Hincmarus de injuste damnato merito erubescat. Et scandalum sive murmur, quod in sancta ecclesia super hac controversia plurimos diverberat, nostra vigilantia destructum atque sedatum fatiscat, ne tantum offendiculum Christianum populum diutius perturbet. Neque ergo ullis hoc debet argumentis prætermitti, aut occasionibus differri, quoniam meminisse nos arbitramur, & sedes apostolica quondam suam sententiam in melius commutavit, cum sibi subreptum de quodam perspexit, & Dioscorus, quia sanctum virum dignæ memoriæ Flavianum injuste deposuerat, a sede apostolica damnatus evanuit, remanentibus aliis indamnatis, qui ei non sponte, sed quasi coacte in depositione sancti con-

ANNO CHRISTI 863.

senserant episcopi, quos ipse Dioscorus multiformiter & argute fallere callidus argumentator elaborayerat. Nolite jam nunc morari crescente periculo, & insultantibus sancto ordini atque detrahentibus multis, qui gloriantes sibi fiduciam promittunt, quod nobis invicem mordentibus atque dissentientibus, usquequaque nocere valeant. De quibus autem Rothadus queritur, nosque plurimum movet, sanctitati vestræ breviter subter annectimus. Si debeat presbyter aut diaconus a proprio episcopo juste depositus, a metropolitano aut alio quolibet in gradum pristinum sine ejusdem episcopi consensu restitui: cum in concilio Antiocheno cap. 3. de hoc ita habeatur: Si qui presbyteri aut diaconi a proprio episcopo excommunicati, rusi fuerint, &c. Item in eodem concilio cap. 6. Si quis a proprio episcopo communione privatus est, &c. Si debeat presbyter criminatus atque damnatus post quatuor annos reconciliari, cum de hoc in concilio Africano cap. 12. ita habeatur: Si quis infra annum causam suam purgare contempserit, &c. Si debeat quilibet episcopus alterius ordinatum retinere, quanto minus capere vel in carcerem trudere, cum de hoc in decretalibus ita statuatur: Nullus episcopus alterius parochianum præsumat retinere, &c. Et post aliquanta: Si quis metropolitanus episcopus, nisi quod ad suam solummodo propriam pertinet parochiam, &c. Si debeat episcopus alterius episcopi ministros scriptis invitare, aut aliquo modo sollicitare, aut plebes alterius potestati suæ usurpare; cum de hoc in Africano concilio ita dicatur cap. 10. Nullus debet collegæ suo facere injuriam, &c. Multa quin etiam in eodem concilio de his alia promulgantur. Si debeat episcopus minus quam a 12. audiri, quanto magis damnari, quod in Sardicensi concilio evidentius inhibetur. Si debeat damnari vel in locum ejus episcopi subrogari alter episcopus, qui in appellatione perstat Romani pontificis, nisi fuerit causa appellantis in ejus determinata judicio. Si possit suspectum & minus certum judicium renovari, vel si suspectus metropolitanus vicinos provinciæ judices convocare, unde multa in conciliis synodalibus & in decretis Romanorum pontificum continentur. Si debeat innocens vel inauditus damnari. Si debeat damnari eo quod ægritudine detentus synodo occurrere non potuit, cui non pro impossibilitate hoc sed pro contemptu imputatur. Si debeat condemnari pro eo, quod & metropolitanum omnemque conventum suspectum habeat, & contra se conspiratos metuens aut sciens, ad tempus synodi locum ingredi differt, Romanum pontificem semper appellans. Si debeat accusator testis esse vel judex: vel si episcopum hæc universa conveniat agere pariter. Hæc itaque vos sacerdotes Domini, comministri Dei nostri, qui in lege Domini meditamini die ac nocte, perscrutatis & evolutis divinarum auctoritatum paginis rimari curate, utrum sit hujusmodi sapientia desursum; quæ juxta apostolum primum quidem pudica est, deinde pacifica: an quod absit, ea quam præmisit, terrena, animalis, diabolica. Redeat itaque quantocius, pia solertia vestra & labore, sancta ecclesia ac fraterna caritas in pacem, quæ scandalizata videtur aliorum improbitate.

ANNO CHRISTI 863.

CONCILIUM METENSE

IN SYNODO ROMANA MOX DAMNATUM.

De divortio Lotharii & Theutbergæ, conjugioque Vvaldradæ, quod coram sedis apostolicæ legatis Radoaldo & Joanne, ab episcopis regni Lotharii celebratum est, mense Junio, anno Christi DCCCLXIII.

Coactum Nicolai papæ jussu fuisse hoc concilium, illius epistolæ declarant: cui & præesse legatos suos volvit, ut de Lotharii divortio definirent, sed irrito consilio. Lotharius enim, tametsi sedis apostolicæ judicium expetierat, illudque expectaturus videbatur, antevertit tamen, & Vvaldradam rejecta Theutberga sibi copulavit: factumque arguentibus in synodo legatis, consilio & auctoritate episcoporum se feciſſe testatus est. Annales incerti auctoris anno DCCCLXIII. In regno, *inquiunt*, Lotharii, pro eo quod dimissa uxore legitima alteram duxit, synodus in Metis congregata est omnium episcoporum ejus, præter Hungarium Trajectensem, quem ægritudo detinuit. Aderant & missi Nicolai Romani pontificis, ob eamdem causam diligenter investigandam directi. In quo negotio venditato, rex factum suum, propter quod arguebatur, consilio & auctoritate episcoporum se feciſſe testatus est. Quod illi non inficiantes, quasdam assertiones rationum verisimilium, quibus gestæ rei qualitatem munire nisi sunt, opposuerunt, easque literis comprehensas, ut legati apostolici suggesserunt, per Guntharium Agrippinæ Coloniæ, & Theutgaudum Trevirensem Galliæ Belgicæ archiepiscopos, apostolicæ sedis pontifici probandas transmiserunt. Qui convocato Romanæ sedis episcoporum concilio, & Metensem anathematizavit synodum, & ad se missos episcopos deposuit, & communione privavit. *Regino legatos pecunia corruptos fuisse scribit: Nicolaus ipse pontifex in prævaricationis barathrum demersos Lothario regi scribens conquevitur. At Regino idem concilium Metense Aquisgranensi præponit; ordine ut res docet præpostero. In Aquisgranensi enim facta est potestas Lotharii alterius conjugii ineundi; nondum ergo inierat. At Vvaldradam jam duxerat, cum celebratum est Metense; quod & synodi ipsius gesta probant, & Nicolai epistola ad episcopos Galliæ & Germaniæ, in qua Lotharium ait legitima repulsa conjuge, secundam sibi adsciviſſe, neque sedis apostolicæ judicium expectasse.*

Annales Bertiniani ad an. 863. de Metensi concilio ac proxime sequenti Romano hæc observarunt.

Carolus missos Domni apostolici Nicolai, Rodualdum scilicet Portuensem episcopum, & Joannem Ficoclensem episcopum satis honorifice Suessionis in monasterio S. Medardi recipit. Quos aliquamdiu secum retinuit, & concessa Balduino, qui ad limina apostolorum confugia fecerat, indulgentia, pro cujus obtentu venerant, cum epistolis ad apostolicam sedem redire, muneratos absolvit. Idem autem apostolicæ sedis legati Metis adeunt, synodum habituri ex delegatione apostolica circa medium mensem Junium pro divortio, quod inter Lotharium & uxorem suam Theotbergam acciderat, & pro superinductione concubinæ Vvaldradæ, quam contra leges ecclesiasticas & mundanas in uxorem sibi asciverat. In qua

sy-

synodo præfati missi corrupti muneribus, epistolas domni apostolici occultantes, nihil de his, quæ sibi commendata fuerunt, secundum sacram auctoritatem egerunt. Ut autem aliquid viderentur egisse, Guntharium Colonien sem archiepiscopum, & Theutgaudum Treverensem æque archiepiscopum, cum veniis quas in eadem synodo subscripserunt episcopi, Romam ire jusserunt, ut judicio domni apostolici ipsa diffiniretur. Domnus apostolicus quæ acta fuerant plene cognoscens, & Rodoaldum similiter cupiditate in Constantinopoli cum Zacharia socio suo episcopo nuper corruptum damnare volens, synodum convocavit. Quod sentiens Rodoaldus, noctu fuga lapsus disparuit. Guntharius vero & Theutgaudus Romam pervenientes, primum in synodo, & postea in ecclesia S. Petri, sicut habetur in subditis, ab apostolico sunt damnati.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, reverentiss. sanctiss. confratribus nostris, Hincmaro Remensi, & Vvaniloni Rothomagensi, seu omnibus confratribus nostris, archiepiscopis & episcopis in regno Caroli glorioſi regis consistentibus. Scelus, quod Lotharius rex, &c. *quæ paullo post excudentur.*

NOTA JACOBI SIRMONDI S. J.

1 *Concilium Metense.*) Præceperat in superioribus epistolis Nicolaus papa, ut synodo Metensi cum legatis interessent bini episcopi ex regno Caroli, totidemque ex Germania & Burgundia, ubi Ludovicus & Carolus alter imperabant. Sed horum nullus adfuit, satagente Lothario ut soli regni ipsius episcopi convenirent, quia consilium suum aliis omnibus improbari sentiebat.

NOTA SEVERINI BINII.

a *Concilium.*) Hic conventus episcoporum, quem Nicolaus papa in epistola synodali concilii Romani subsequentis, synodi nomine indignum esse judicat, congregatus est ista occasione. Post pacem & concordiam in conventu præcedente initam, Lotharius rex, ut fratrem Carolum eluderet, ejusque pœnam & vindictam subterfugeret, ad sedem apostolicam provocavit, rogans pontificem, ut synodum in Gallis celebrandam indiceret, & ad eam legatos mitteret, qui una cum episcopis causam suam cognoscerent & judicarent. Colonien sem enim & Previrensi archiepiscopis, quos in suas partes pertraxerat, confidebat, eorumque patrocinio suam causam approbandam esse firmiter sibi persuadebat. Detulit appellationi regis sanctissimus pontifex, indixit synodum Metis in Gallia celebrandam, convocavit Galliæ & Germaniæ episcopos, & ad eamdem Radoaldum & Joannem sedis apostolicæ legatos, dato iis rerum agendarum commonitorio ablegavit. Factum est initium concilii anno 863. per indictionem undecimam, mense Junio in urbe Metensium. Præter Hungarium Trajectensem, omnes episcopi cum prædictis legatis apostolicis interfuerunt. De legatis hæc Regino. *In Franciam venientes pecunia corrupti magis faverunt iniquitati quam æquitati. Tandem ad regem pervententes cum et declarassent legationis suæ causas, tale responsum acceperunt: Se nihil aliud egisse, nisi quod episcopi ipsius regni in generali synodo sibi agendum præmonstrassent. Dederunt autem iidem legati consilium regi, ut illos episcopos, qui illi synodo præfuerunt ad sedem apostolicam destinaret, qui verbis ac scriptis universali papæ satisfacerent.* Hæc de legatis pontificiis Regino.

ANNO CHRISTI 863. Qui interfuerint?

Tempus concilii ab.

De rebus in hoc conventiculo gestis, deque repudio Lotharii injuste comprobato, in annalibus Francorum a Pithæo editis hæc summatim recitantur. *Hoc anno 863. in regno quoque Lotharii pro eo quod dimissa uxore legitima alteram duxit, synodus in Metis congregata est omnium episcoporum ejus præter Hungarium Trajectensem, quem ægritudo detinuit. Aderant & missi Nicolai Romani pontificis ob eamdem causam diligenter investigandam directi. In quo negotio ventilato rex factum suum propter quod arguebatur, consilio & auctoritate episcoporum se fecisse testatus est. Quod illi non inficiantes, quasdam assertiones rationum verisimilium, quibus gestæ rei qualitatem munire nisi sunt, opposuerunt, easque literis comprehensas, ut legati apostolici suggesserunt, per Guntharium Agrippinæ Coloniæ, & Theutgaudum Trevirensem Galliæ Belgicæ archiepiscopos, apostolicæ sedis pontifici probandas transmiserunt.* Hæc annales Francorum. Anastasius bibliothecarius supra in vita Nicolai his addit, quod supradicti episcopi una cum Haganone Bergomensi episcopo non tantum dimittendæ Theutbergæ, & in conjugium sumendæ Vvaldradæ auctores extiterint, verum etiam dissolverint illam sententiam, quæ in Ingeltrudem, quæ per septem annos virum suum Bosonem comitem reliqueras, auctore pontifice pronuntiata fuerat. Vide epistolas Nicolai 17. 18. 22. 23. & 28. Item quam una cum commonitorio ad Radoaldum & Joannem legatos Roma transmissam invenies in appendice epistolarum supra. Vide item Baronium anno 863. numero 18. & seq. & acta concilii Romani III. immediate subsequentis.

CONCILIUM ROMANUM III.

IN QUO SYNODUS METENSIS

Damnata est, ejusque acta rescissa, & Guntharius ac Theutgaudus archiepiscopi, præcipui Lothariani divortii assertores, depositi sunt, Romæ in Lateranensi palatio celebratum, anno Christi DCCCLXIII, Nicolai papæ VI.

TITULI CANONUM.

I. De synodo in Metensium urbe a Theutgaudo & Gunthario archiepiscopis congregata penitus abolenda.
II. Depositio Theutgaudi & Guntharii archiepiscoporum.
III. De ceteris episcopis, qui complices fuerunt.
IV. De Ingeltrude Bosonis comitis uxore.
V. De sententiis antiquis, & interdictis sedis apostolicæ.

PRÆFATIO, SIVE EPISTOLA NICOLAI PAPÆ AD UNIVERSOS EPISCOPOS.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, reverentissimis ac sanctissimis fratribus nostris, archiepiscopis & episcopis per Galliam, Italiam, & Germaniam constitutis.

SCelus quod Lotharius rex, si tamen rex verasciter dici possit, qui nullo salubri regimine corporis appetitus refrænavit, sed lubrica enervatione magis ipsius illicitis motibus cedit, in duabus feminis, Theutberga scilicet & Vvaldrada, commisit, omnibus manifestum est. Sed & dudum episcopos Theutgaudum & Guntharium in tali facto eum habuisse tutores & fautores, pene totus orbis undique ad limina, seu sedem apostolicam confluens referebat, absentibus quoque idipsum scribentibus nostro apostolatui. Quod nos tanto credere renuimus, quanto de episcopis tale quid audire nullatenus sperabamus; donec ipsi Romam tempore concilii venientes, coram nobis & sancta synodo tales inventi sunt, quales fuerant a multis sæpissime prædicati: ita ut scriptura, quam suis stipulaverant manibus, quamque volebant ut nostro roboraremus chirographo, caperentur: & dum muscipulam innocentibus apponere satagerent, insidiis suis illaqueati sunt ipsi. Sicque completum est, Deo auctore, quod in proverbiis legitur: *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.* Prov. 8. Siquidem ipsi obligati sunt, & ceciderunt: nos vero, qui in hoc flagitium falso cecidisse dicebamur, favente Domino, cum justitiæ propugnatoribus resurreximus & erecti sumus. Igitur decernente nobiscum sancta synodo in præsentia depositi, & ab officio sacerdotali excommunicati, atque Psal. 19

que a regimine episcopatus alienati indubitanter existunt. Unde vestra fraternitas canonum normam custodiens, & decretorum sanctiones observans, caveat ne hos, quos nos abjecimus, recipere in sacerdotum catalogo præsumat. Depositionis autem sententia quam in prædictos Theutgaudum & Guntharium protulimus, cum ceteris capitulis, quæ sancto concilio nobiscum sanciente promulgavimus, inferius annexa monstratur.

ANNO CHRISTI 863.

CAPITULA,

SEU

DECRETA ROMANÆ SYNODI.

I.

Synodum quæ nuper, id est sub piissimo imperatore Ludovico per indictionem XI. mense Junio in Metensium urbe ab episcopis, qui nostrum prævenerunt judicium, collecta est, quique apostolicæ sedis instituta temere violarunt, extunc & nunc, in æternum judicamus esse caussatam, & cum Ephesino latrocinio reputatam, apostolica auctoritate in perpetuum esse sancimus damnandam, nec vocari synodum, sed tamquam adulteris faventem, prostibulum appellari decernimus.

II.

Theutgaudum Trevirensem primatem Belgicæ provinciæ, & Guntharium Agrippinæ Coloniæ archiepiscopos, nunc coram nobis, & sancta synodo, sub gestorum insinuatione, qualiter caussam Lotharii regis, & duarum mulierum ejus, Theutbergæ scilicet & Vvaldradæ, recognoverint & judicaverint, scriptum super hoc propriis roboratum manibus offerentes; nihilque se plus vel minus, aut aliter egisse ore proprio multis coram positis affirmantes; & sententiam, quam a sede apostolica in Ingeltrudem uxorem Bosonis sanctissimus frater noster Mediolanensis archiepiscopus Tado, & ceteri coepiscopi nostri petierant emittendam, & nos divino succensi zelo sub anathematis obtestatione canonice protuleramus, publice viva voce se violasse confitentes; in quibus omnibus invenimus eos apostolicas atque canonicas sanctiones in pluribus excessisse, & æquitatis normam nequiter temerasse: ab omni judicamus sacerdotii officio permanere penitus alienos. Et ideo Spiritus sancti judicio, & beati Petri per nos auctoritate, omni episcopali exutos regimine consistere definimus. Quod si juxta præcedentem consuetudinem tamquam episcopi ausi fuerint aliquid de sacro ministerio contingere, nullo modo liceat eis, nec in alia synodo restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis: sed communicantes eis omnes abjici ab ecclesia, & maxime si posteaquam didicerint adversus memoratos prolatam fuisse sententiam, eis communicare tentaverint.

11. q. 3. Theutgaudum.

III.

Ceteri autem episcopi qui complices horum, Theutgaudi scilicet & Guntharii, vel sectatores esse feruntur, si cum his conjuncti seditionem, conjurationes, & conspirationes fecerint, vel si a capite, id est a sede beati Petri, illis hærendo dissenserint, pari cum eisdem ratione teneantur adstricti. Quod si cum sede apostolica, unde eos principium episcopatus sumpsisse manifestum est, sapere de cetero per semetipsos, vel missos ad nos legatos suos cum scriptis suis professi extiterint, noverint sibi a nobis veniam negandam, nec amissionem honorum suorum pro retro actis præsumptionibus aut subscriptionibus, quas pro insanis fecerunt gestis, per nos ullomodo formidandam.

IV.

Ingeltrudem filiam quondam Mattefredi comitis, quæ a Bosone proprio viro relicto, ecce jam per septem circiter annos hac atque illac vagabunda discurrit, nuper cum fautoribus suis regulariter anathematizavimus: sed propter contumaces eam iterum anathematis vinculo duximus innodandam. Sit igitur a Patre, & Filio, & Spiritu sancto, uno & vero Deo, ab omnibus sanctis patribus, & ab universa sancta Dei catholica & apostolica ecclesia, & a nobis penitus anathema, cum omnibus complicibus & communicatoribus, atque auxiliatoribus suis; ita ut sicut jam decrevimus, si quis ei canonice vel favere in aliquo præsumpserit, si quidem clericus fuerit, eodem vinculo constrictus officium clericatus amittat: monachi vero, & laici, si inobedientes decreto præsenti fuerint, similiter anathematizentur. Sane si eadem mulier ad virum suum reversa fuerit, vel ad apostolicam beati Petri sedem Romam properans accesserit, veniam ei post dignam satisfactionem procul dubio non negabimus. Verumtamen sub priori vinculo anathematis, quo illam prius & nunc obligavimus, interim constricta permaneat. Si quis autem eidem Ingeltrudi, ad apostolicam beati Petri sedem Romam specialiter properanti vel occurrenti, nescius communicaverit, aut sciens opem inveniendo præstiterit, nullo pro hoc vinculo teneatur innexus.

V.

Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, vel decreta pro catholica fide, pro ecclesiastica disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel interdictione imminentium vel futurorum malorum, a sedis apostolicæ præside salubriter promulgata contempserit, anathema sit.

Execrandam sæculis omnibus Guntharii ejusdem adjutoris Theutgaudi insaniam pluribus enarrat auctor annalium Bertinianorum ad annum Christi 864.

Lu-

NNO RISTI 64.

Ludoicus imperator Italiæ nominatus incentore Gunthario ad ſuam injuriam referens, quoniam Legatos ſui fratris Lotharii per ipſius fiduciam & interventionem Romam directos apoſtolicus, ut ſupra monſtravimus, degradavit: ſeque ipſum furore non capiens, comitantibus ſecum Legatis Theutgaudo atque Gunthario, cum conjuge, Romam ea intentione pergit, quatenus aut papa Romanus eoſdem reſtitueret epiſcopos, aut hoc facere non volenti noxie quodammodo manum mitteret. Quod audiens apoſtolicus, cum litaniis generale jejunium ſibi & Romanis indixit, ut Deus apoſtolorum ſuffragiis præfato imperatori mentem bonam & reverentiam erga divinum cultum, & apoſtolicæ ſedis auctoritatem donaret. Imperatore autem perveniente Romam, & ſecus baſilicam B. Petri degente, clerus & populus Romanus cum crucibus & letaniis jejunium celebrantes, beati Petri memoriam adeunt, & ab hominibus imperatoris, cum gradus ante baſilicam beati Petri cœperunt aſcendere, in terram proſtrati, & variis ictibus flagellati, & crucibus ac vexillis confractis, qui evadere potuerunt fugati ſunt. In quo tumultu & crux mirabilis & veneranda a ſanctæ memoriæ Helena decentiſſime fabricata, in qua lignum mirificæ crucis poſuit, & ſancto Petro munere maximo contulit, confracta & in lutum projecta eſt, unde a quibuſdam ut fertur, Anglorum gentis hominibus collecta, & cuſtodibus reddita eſt. Quæ flagitia ut apoſtolicus in Lateranenſi palatio degens comperit, & paullo poſt illum capiendum non incerto nuncio didicit, latenter navem intravit, & per Tyberim ad eccleſiam S. Petri ſe contulit, ubi duobus diebus ac noctibus ſine cibo ac potu manſit. Interea homo, cujus præſumptione præfata crux veneranda confracta fuerat, moritur, & imperator febre corripitur. Quapropter conjugem ad apoſtolicum mittit, cujus fidei juſſione apoſtolicum ad imperatorem venit, & habita mutua ſermocinatione, ſicut inter eos convenit, apoſtolicus Romam ad Lateranenſe palatium rediit. Tunc imperator Guntharium & Theutgaudum degradatos, ut ſecum venerant, Franciam redire præcepit. Tunc Gunthariusque hæc diabolica capitula, & hactenus inaudita, præmiſimus, in Ludoici obſequio rediit, epiſcopis regni Lotharii miſit, per Hilduinum fratrem ſuum clerum, adjunctis ei ſuis hominibus, apoſtolico miſit: dans illi in mandatis, ut ſi apoſtolicus illa nollet recipere, ſuper corpus beati Petri ea jactaret.

Sanctis ac venerandis fratribus & coepiſcopis Guntharius atque Theutgaudus in Domino ſalutem. Rogamus ſuppliciter cariſſimam fraternitatem veſtram, ut nobis pro vobis aſſidue orantibus, ſanctarum precum ſolatia impendatis & ne turbemini, neque terreamini pro his, quæ fama forte de nobis ac vobis ſiniſterius nunciat. Confidimus de Domini noſtri clementiſſima bonitate, quia neque in regem noſtrum, neque in nos, opitulante Deo inimicorum prævalebunt inſidiæ, neque gaudebunt de nobis adverſarii noſtri. Nam quamvis domnus Nicolaus, qui dicitur papa, & qui ſe apoſtolum inter apoſtolos adnumerat, totiuſque mundi imperatorem ſe facit, ad illorum inſtinctum & votum, quibus conſpiratus favere dignoſcitur, nos damnare voluiſſet: tamen modis omnibus Chriſto propitio ſuæ inſaniæ renitentes invenit, & quidquid inde fecit non mediocriter illum poſtmodum pœnituit. Miſimus vobis hæc ſubſcripta capitula, quibus cognoſcatis noſtram adverſus præfatum pontificem querimoniam. Nos autem egreſſi a Roma, longiuſque recedentes, iterum ad Romam revocati ſumus. Quo nos incipientes reverti, has vobis iterulas ſcripſimus, ANNO CHRISTI 863. ut non miremini quod longiores agimus moras. Dominum regem noſtrum tam per vos ipſos, quam per veſtros miſſos & literas ſæpius viſitate & confortate, eique quoſcumque poteſtis amicos & fideles conciliate: maxime Hludovicum regem admonendo ſemper invitate, & cum illo de communi utilitate diligenter inquirite, quoniam in pace eorum * regnum erit pax noſtra. Æquo animo eſtote, & tranquillo corde, domini fratres, quia Deo volente talia vobis nunciare ſperamus, in quibus abſque errore poteritis advertere ſpiritum Domini docentem quid & quomodo agere debeatis. Tantum omnimodis præfatum regem commonere curate, ut inter varias ſuggeſtiones ita maneat immobilis, donec & ipſe rerum cauſſas cognoſcat. Ceterum deſiderantiſſimi fratres, neceſſarium vobis eſt, & laude dignum, ut promiſſam regi noſtro fidem coram Deo & hominibus inviolabiliter conſervemus. Deus omnipotens vos in ſuo ſancto ſervitio conſervare dignetur.

* Forte, regum.

CAP. I. Audi domne papa Nicolae, patres & fratres coepiſcopi noſtri ad te nos direxerunt, & nos ſponte venimus conſulere videlicet tuum magiſterium ſuper his, quæ pariter, prout vobis viſum fuit, & adjicientibus & approbantibus notum eſſe potuit, judicavimus, auctoritates rationeſque, quas ſecuti fuimus, ſcriptis oſtendentes: ut tua ſapientia, perſcrutatis omnibus, quid inde ſentiret, & quid vellet, nobis demonſtraret. Et ſi illud melius tua ſanctitas inveniret, ut inſtrueres & doceres hoc humiliter poſtulamus: parati quidquid rectius & probabiliter inſinuares, una cum confratribus noſtris ſanis acquieſcere documentis.

CAP. II. Sed nos per tres hebdomadas tuum expectantes reſponſum, nihil certitudinis nihilque doctrinæ nobis expreſſiſti, ſed tantum quodam die in publico dixiſti, nos excuſabiles apparere & innocentes juxta noſtri adſertionem libelli.

CAP. III. Ad ultimum nos evocati ad tuam præſentiam deducti ſumus, nihil adverſitatis ſuſpicantes. Ibique obſeratis oſtiis, conſpiratione more latrocinali facta, & ex clericis & laicis turba collecta & permixta, nos opprimere intertantos violenter ſtuduiſti, atque ſine ſynodo & canonico examine, nullo accuſante, nullo teſtificante, nullaque diſputationis diſtrictione dirimente, vel auctoritatum probatione convincente, abſque noſtri oris confeſſione, abſentibus aliis metropolitanis & diœceſanis coepiſcopis & confratribus noſtris, extra omnium omnino conſenſum tuo ſolius arbitrio ex tyrannico furore damnare noſmet voluiſti.

CAP. IV. Sed tuam maledictam * ſententiam a paterna benignitate alienam, a fraterna caritate extraneam, adverſum nos injuſte & irrationabiliter contra leges canonicas prolatam, nequaquam recipimus: immo omni cœtu fraterno, quaſi maledictum fruſtra prolatam contemnimus atque abjicimus. Teipſum quoque, damnatis & anathematizatis, ſacramque religionem abjicientibus ac contemnentibus faventem & commnuicantem, in noſtram communionem noſtrumque conſortium recipere nolumus: contenti totius eccleſiæ communione, & fraterna ſocietate, quam tu arroganter te ſuperexaltans deſpicis, teque ab ea elationis tumore indignum faciens ſequeſtras.

* Hæc omnibus hæreticis familiaria in papam convicia.

CAP. V. Igitur ex tuæ levitatis temeritate propria tibimet ſententia anathematis peſtem inflixiſtis, exclamans, *Quia poſtolica præcepta non ſervat*, ana-

ANNO CHRISTI 863.

anathema sit, quæ tu multipliciter violare & violasse dignoscéris, divinas simul leges & sacros canones, quantum in te est, evacuans, prædecessorum tuorum pontificum Romanorum vestigia sequi nolens.

CAP. VI. Nunc ergo, quia fraudulentiam & calliditatem tuam experti sumus, non quasi ad illatam nobis contumeliam provocati sumus: sed contra tuam iniquitatem zelo accensi, nec nostræ vilitatis personam attendentes, sed omnem nostri ordinis universitatem, cui vim inferre conaris, præ oculis habentes.

CAP. VII. Quid nostræ specialis propositionis summa fuerit, in paucis replicamus. Lex divina & canonica aptissime probat, etiam venerandæ sæculi leges adstipulantur, quod nulli licet ingenuam virginem alicui viro tradere in concubinatum, maxime si illa puella nunquam illicitæ assentire voluit copulæ. Et quia suo viro parentum consensu, fide, affectu ac dilectione conjugali sociata est, uxor profecto, non concubina habenda sit.

Apostolicus autem præcognitus hæc recipere noluit.

Suprascriptus autem Hilduinus armatus cum hominibus Guntharii, ecclesiam beati Petri apostoli sine ulla reverentia intrans, diabolicum scriptum, sicut suus frater Guntharius ei præceperat, si apostolicus illud nollet recipere, super corpus beati Petri jactare voluit, & a custodibus prohibitus, eosdem custodes cum fustibus tam ipse quam & sui complices verberare cœperunt, adeo ut unus ibidem occisus fuerit. Tunc ipsum scriptum super corpus beati Petri jactavit, seque isdem, & qui cum eo venerunt, evaginatis gladiis protegentes, de ecclesia exierunt, & ad Guntharium peracto lugendo negotio redierunt. Imperator post paucos dies patratis a comitatu suo multis deprædationibus, & mansionum destructionibus, ac sanctimonialium ceterarumque seminarum constuprationibus atque hominum cædibus, nec non & ecclesiarum infractionibus, Roma exiens Ravennam venit, ibique pascha dominicum cum tali sicut meruit Dei & apostolorum gratia celebravit. Guntharius autem in ipsa cœna Domini Coloniam veniens, missas celebrare & sacrum chrisma conficere ut homo sine Deo præsumpsit. Theutgaudus vero a ministerio, sicut ei fuerat præceptum, se reverenter abstinuit. Ceteris denique episcopis apud Lotharium id satagentibus, episcopatum a Guntharío Lotharius tulit, & suo tantum consilio Hugoni Conradi Caroli regis avunculi & materteræ suæ filio, tonsura clerico, & ordinatione tantummodo subdiacono, moribus autem & vita a fideli laico discrepanti, donavit. Unde motus Guntharius, quidquid de thesauro ecclesiastico in eadem civitate fuit residuum auferens, Romam iterum, ut omnia Lotharii & sua figmenta de Theutberga & Vvaldrada apostolico ex ordine paudat, regreditur. Sed & episcopi regni Lotharii legatos suos cum libellis pœnitentiæ, & professionibus canonicis, quoniam ab evangelica veritate & apostolica auctoritate, sacrisque regulis in causa Theutbergæ ac Vvaldradæ non mediocriter deviaverant, ad apostolicum dirigunt. Lotharius vero, Ratoldo Argentoratensis urbis episcopo cum scriptis falsa more suo de sua excusatione & voluntaria correctione loquentibus præmisso ad apostolicum ipse per Gundulphi-villam & Romericimontem obviam fratri suo ad locum qui Urba dicitur, vadit. Carolus cum epistolis per Rodbertum Cinomanicæ urbis episcopum Romam, sicut apostolicus jusserat, Rothadum dirigit. Sed & episcopi regni ejus vicarios suos cum synodicis litteris de causa ipsius Rothadi ad apostolicam sedem mittunt, quibus Ludoicus transitum denegat. Ipsi autem legati tam regis quam episcoporum impossibilitatis suæ causas Romam veniendi clanculo papæ cognitas faciunt. Lothardus simulata infirmitate Vesoncio ceteris patriam repetentibus remanet, & post aliorum regressum per curiam, suffragantibus sibi Lotharii & Ludoici Germaniæ regis fautoribus, Ludoicum imperatorem Italiæ rediit, quatenus ipsius solatio Romam valeat pervenire.

Idem vero anonymus scriptor hæc sub ejusdem anni periocha subjicit.

Nicolaus papa denuo epistolas per omnes archiepiscopos & episcopos Galliarum, Germaniarum, & Belgicæ provinciæ mittit, pro confirmatione depositionis Theutgaudi Treverorum, & Guntharii Colonienſis archiepiscoporum, sed & aliis episcopis, qui ex regno Lotharii in divortio Theutbergæ, & superinductione concubinæ Vvaldradæ consenserunt, & ad eum cum professione sua miserunt epistolas suas, indulgentiam largiendo, sicut in scripto superius continente promiserat, dedit. Synodum Romæ convocat circa Kalendas Novembris, indicans se in ea eorumdem olim archiepiscoporum depositionem denuo confirmaturum, & tractaturum de causa Lotharii & Ignatii Constantinopolitani episcopi præcedenti anno depositi. In cujus loco quidam laicus attonsus & mox ordinatus est episcopus. Ad quam synodum prædicti Theutgaudus & Guntharius sponte perrexerunt, putantes Ludoici imperatoris interventu ab apostolico posse restitui.

Nec omittenda quæ ad annum sequentem paullo post annotavit duriora.

Nicolaus papa Arsenium Ortensem episcopum, & consiliarium suum, cum epistolis ad Hludovicum & Carolum fratres, sed & episcopos ac primores regnorum illorum, ea quæ Lotharius per fratrem petierat continentes, non cum apostolica mansuetudine, & solita honorabilitate, sicut episcopi Romani reges consueverant in suis epistolis honorare: sed cum malitiosa interminatione transmittit. Isdem autem Arsenius per Curiam & Alemanniam ad Hludovicum Germaniæ regem in Francofurd palatium veniens, epistolas apostolici ei tradidit, & inde Gundulfi villam ad Hlotarium venit, cui & episcopis ac primoribus regni sui, epistolas papæ dedit continentes, quia nisi uxorem suam Theutbergam reciperet & Vvaldradam abjiceret, renunciante sibi Arsenio, illum ab omni Christianorum societate debuisset rejicere: quem in pluribus epistolis has præcedentibus excommunicatum, & a consortio Christianorum ejectum multoties prædicaverat. Et sic de Lothario ad Carolum circa medium Julium mensem in Attiniacum palatium Arsenius veniens, uniformes sicuti Ludoico & Lothario regibus, epistolas suas satis honorifice tradidit, & Rothadum canonice a quinque provinciarum episcopis dejectum & a Nicolao papa, non regulariter sed potentialiter restitutum, secum reducens, Carolo præsentavit. Et cum sacri canones dicant, ut si episcopus a gradu dejectus ab episcopis provinciæ ad episcopum Romanum confugerit, scribat Romanus episcopus finitimæ & propinquæ provinciæ episcopis, ut ipsi omnino diligenter causam inquirant, & juxta fidem veritatis diffiniant. Eodem die ipsam Theutbergam reginam Arsenius episcopus & legatus apostolicæ sedis cum prænominatis omnibus archiepiscopis in manibus Lotharii regis reddiderunt atque dederunt, non solum sub eadem obtestatione, ut supra, verum etiam

sub

ANNO CHRISTI 863.

sub adjuratione & excommunicatione, ut si in A omnibus, ut superius legitur, non observaverit atque impleverit, non solum in præsenti vita, sed etiam in æterno Dei terribili judicio, cum beato Petro principe apostolorum redditurum rationem, & ab ipso æternaliter in eodem judicio damnandum, & in igne perpetuo concremandum. *Tum quibusdam interjectis.*

Arsenius episcopus impetratis apud Carolum, pro quibus ad eum venerat, ad Gundulfi villam cum Lothario, quo Theotberga eum præcesserat, pergit. Ibi quoque per aliquot dies morans propter Vvaldradam, quæ illuc ad eum deduci, & ab eo in Italiam deduci debebat, Lothario & Theotberga regio cultu paratis & coronatis, in die assumptionis sanctæ Mariæ missas celebrat: & B inde cum præfata Vvaldrada versus Urbam, quo dicebatur Hludouvicus Italiæ imperator obviam Lothario venturus, pergit. Inde per Alemanniam, & Bajoariam, pro recipiendis patrimoniis ecclesiæ sancti Petri in eisdem regionibus conjacentibus, Romam rediit.

Nota Jacobi Sirmondi, S. J.

ANNO CHRISTI 863

1 *Concilium Romanum.*) Damnati hac in synodo Theutgaudus & Guntharius archiepiscopi, synodi Metensis antesignani, virulento adversus Nicolaum scripto respondere unt, quod extat in annalibus Pithœanis: hic vero a nobis edi visum est supervacuum.

Nota Severini Binii.

a *Concilium.*) Ea quæ apud acta concilii prolixius recensentur, annales Francorum Pithœi brevissime commemorant his verbis: *Qui* (Nicolaus scilicet pontifex Romanus) *convocato Romanæ sedis episcoporum concilio & Metensem anathematizavit synodum, & ad se missos episcopos* (*Guntharium scilicet & Theutgaudum*) *depositi, & communione privavit, juste quidem & canonice, ut scriptis suis ipse fatetur: injuste vero, sicut illi scriptis & assertionibus firmare conantur.* Eadem habent Regno in chronico & Anastasius in vita Nicolai, qui præter ea, quæ in actis recensentur, addit eosdem archiepiscopos epistolas pontificis ad libitum falsasse. Vide Baron. an 863. n. 20. 21. 22. & seqq.

Rerum c. Script. t. 2. p. 2. 127.

SUPPLEMENTUM CONCILII ROMANI

HABITI ANNO CHRISTI DCCCLXIII.

Ludovici Muratorii Monitum.

SEdente in Apostolica cathedra Nicolao I. habita est Romæ complurium episcoporum synodus, quam Labbeus intulit in Tom. 8. Conciliorum Ed. Gall. p. 767. ac subinde in suam eorumdem Conciliorum editionem cl. P. Harduinus: uterque vero eamdem spectare ad annum 863. nos monuit. Præposita est hujus Concilii Actis Epistola ipsius Nicolai I. tum subsequuntur Capitula V. quorum etiam est mentio apud Gratianum in decreto. Quinque tantummodo dixi hactenus edita: sed alia ibi sancita fuisse, cum inter Ambrosianæ Mediol. bibliothecæ MSS. codices olim versarer, deprehendi in Cod. D. 76. eaque in mea adversaria retuli, aliquando editurus. Nunc ergo eadem paucis aliquot notis aucta Lector quoque accipiat, ad sæculi IX. historiam ecclesiasticam aliquid lucis allatura. Ad Johannem archiepiscopum Ravennatem quod attinet, in hoc Romano Concilio anathemate perculsum, legendus est Anastasius Bibliothecarius in vita Nicolai I. Tom. 3. Rerum Italic. cujus etiam verbis Baronius ad an. 861. rem quomodo peracta fuerit describit. In hæc autem verba loquitur Anastasius: *Eodem tempore Papa prædictus ter ad synodum suis literis cum* (id est Johannem Ravennatem) *vocavit, & ille venire contemnens, a sancta synodo communione privatus est.* Tum dicere pergit, ipsum Ravennatem ad patrocinium Ludovici II. Augusti Ticinensi in urbe morantis confugisse, atque cum Augusti Legatis Romam accessisse. Pontifice in suis decretis constante, is abiit: at non modico tempore interposito agnoscens, nihil aliud quam animum humilem & obsequentem posse delinire strenuum disciplinæ assertorem Nicolaum, victas manus dedit, atque in altero Concilio Romano sub certis conditionibus & pactis communioni fidelium restitutus est. Hæc fuse narrata ab Anastasio. Nunc vero animadvertendum est, primum Concilium Romanum, ubi de pravis actibus Johannis Ravennatis actum fuit, primum fuisse editum a clariss. Bacchinio ex insigni Tabulario Cathedralis Mutinensis in Appendice ad Agnellum: idemque habes rursus evulgatum Tom. II. collectionis hujus. Habita vero dicitur illa synodus *Pontificatus Domni Nicolai summi Pontificis & universalis Papæ anno* IV. *Imperii piissimi Augusti Ludovici anno* XI. *die octavo decimo, mense Novembris, Indictione* X. DCCCLXI. Sed cum Johannes in sua pervicacia perfisteret, in altero subsequente Concilio itidem Romano adversus illum anathema est pronuntiatum. Spectat autem synodus ista ad annum DCCCLXIII. atque ad illam referenda sunt Acta, quæ nunc publici juris facio. Tertium Concilium pariter Romanum, in quo reddita est eidem Johanni gratia Apostolicæ sedis, viderint alii, quo anno sit statuendum.

CAPUT VI.

De Johanne Archiepiscopo Ravennate.

Johannem archiepiscopum Ravennatem, quem pro quibusdam necessitatibus ecclesiasticis, & diversis præsumptionibus, ad synodum convocavimus; & quia a Nandecisio [1] Polensi episcopo nostro Præsulatui contra eum libello porrecto, pessimo hæreseos errore irretitus dicitur, & viva voce profertur, venire distulit, atque contempsit, & pro illato crimine purificare se D noluit: secundum sanctionem XIX. capituli Carthaginensis Concilii, sacrarum Missarum sollemniis, corpore etiam & sanguine Domini nostri Jesu Christi separamus, atque in præsenti synodo excommunicamus, usque dum in nostra præsentia veniens hic Romæ purificationis ipsius videamus integritatem. Si qui vero illi communicare præsumpserint, pari subjaceant excommunicatione constricti.

CAPUT VII.

Quia Dominus Jesus Christus carne tantummodo passus est.

Veraciter quidem credendum est, & omnimodis profitendum, quia Dominus noster Jesus Christus Deus, & Dei filius passionem Crucis tantummodo secundum carnem sustinuit; Deitate autem impassibilis mansit, ut Apostolica docet auctoritas, & sanctorum Patrum luculentissime doctrina ostendit.

ANNO CHRISTI 863.

CAPUT VIII.

De his qui Divinitatem passibilem dicunt.

Hi autem, qui ajunt, quia Redemptor noster Jesus Christus & Dei filius passionem Crucis secundum Deitatem sustinuit, quoniam impium est, & catholicis mentibus execrabile, anathema sint.

CAPUT IX.

De his, qui dicunt, quia in baptismate originale piaculum non omnibus dimittatur.

Omnibus enim, qui dicunt, quod hi, qui sacrosancti fonte baptismatis, credentes in Patrem, & Filium, sanctumque Spiritum, renascuntur, non æqualiter originali abluantur delicto, anathema sit.

CAPUT X.

Statuta Concilii beatissimi Leonis IV. Papæ inviolata permaneant.

Omnis enim, qui a præsenti statuto Concilio sacra statuta venerandi Concilii beatissimi Leonis [1] prædecessoris nostri IV. Præsulis violare tentaverit, ut post discessum beatæ memoriæ sanctissimi Benedicti Pontificis antecessoris nostri actum recolimus, anathematis vinculo innodamus.

CAPUT XI.

Ut Electionem Romani Pontificis nullus contradicere præsumat.

Si quis Sacerdotibus [2], seu Primatibus, Nobilibus, seu cuncto Clero hujus sanctæ Romanæ ecclesiæ electionem Romani Pontificis contradicere præsumpserit, sicut in Concilio Beatissimi Stephani [4] Papæ statutum est, anathema sit.

CAPUT XII.

De his qui Episcopum percutere præsumpserint.

De his autem, qui Episcopum percutere, verberare, aut cædere præsumpserint, ut anathematis subjaceant periculo, sancimus, & inviolabili promulgatione statuimus.

Explicit Concilium Beatissimi Nicolai Papæ.

NOTÆ.

(1) Ignotus fuit Episcopus iste Ughellio, ac proinde in Italia sacra adjungendus Catalogo Polensium episcoporum.

(2) Cujus Concilium ab Holstenio editum rursus in suam Collectionem intulit Labbeus Tom. IV.

(3) Ad quos eo tempore spectaret electio Romani Pontificis, animadverte.

(4) Gratianus c. 8. dist. 33. Decretum Stephani IV. Papæ, quem alii V. appellant, refert, ubi statuitur, quæ ratio adhibenda in posterum foret in electione Romani Pontificis. Atqui Baronius, Binius, Papebrochius, Natalis Alexander, aliique Catholici, figmentum hoc & impostruram putarunt hominum impense faventium auctoritati Imperatorum, quo tempore fervebant bella inter sacerdotium & Imperium. Contra Pagius in Crit. Baron. ad an. 897. germanum fœtum esse Decretum illud contendit, non quidem Stephani IV. qui anno 817. vivere desiit, sed Stephani V. appellari VI. qui anno 896. Papa electus est. Verum Acta Concilii Romani nunc mihi evulganda famosam hujusmodi controversiam dirimere posse videntur. En ut Nicolaus I. de electione Romani Pontificis agens, ac turbas in ea exoriri solitas eliminare cupiens, confirmat, & observandum decernit, quidquid in Concilio beatissimi Stephani Papæ statutum est. Ergo decretum Stephani proculdubio IV. eam in rem præcesserat. Hoc autem vix aliud esse potuerit, quam quod Gratiano laudatur; cui tamen si velis aliquid superadditum a subsequutis Pontificibus non repugnabo. In Concilio quoque Romano habito sub Lamberto Imperatore, atque a leo anno 904. ut putavit Baronius, & post eum Labbeus Tom. IX Collect. Conciliorum, sed quidem anno 898. roboratur *antiqua consuetudo* observata in electione Pontificis. *Si antiquæ* tunc erat *consuetudo*, ergo ad tempora usque Stephani IV. Papæ illius initia non immerito deducantur.

☞ Ad hanc pariter Synodum forte pertinuerit quod occurrit in charta Monasterii S. Michaelis relata a P. Calmet Hist. Lotharing. to. II. pag. 262. Append. in hæc verba: *Item a Synodo CCXL. Patribus sub Nicolao I. Pontifice. Quisquis sæcularium Principum aut potentium aut alterius laicæ dignitatis adversus communem & consonantem atque canonicam electionem ecclesiastici ordinis agere tentaverit, anathema sit, donec obediat, atque consentiat quod Ecclesia de electione & ordinatione preprii Pastoris se velle monstravit.*

☞ AD SYNODUM ROMANAM

Anno 863. habitam

ADDITIO.

Ex suppl. Mansi to. 1.

ANno isto Romæ synodum convenisse circa Kalendas Novembris in annalibus Bertinianis adnotatum est; synodumque pariter Romæ habitam Labbeus commemorat, quam ipsam eandemque esse in annalibus illis designatam nemo prudens negaverit, cum utrinque, tam scilicet in synodo ab annalista indicata, quam in Labbeana. Theutgadii, & Guntherii caussa discussa sit. Canones ejus quinque Labbeus exhibet, quibus e MS. codice alios septem Muratorius Rer. Ital. to. II. par. II. pag. 128. adjecit, eosque in collectione Veneto-Labbeana suppletos, hic omittimus. Quæ vero in eadem collectione desideratur epistola Nicolai ad Vitalem Gradensem patriarcham, invitans illum, ceteroque suffraganeos ad synodum Romæ III. Kal. Novembris habendam, hic tradenda superest; cum ad præsentem Synodum pertinere illam tempus ipsum, quo habenda synodus statuitur, non obscurre demonstret. Accepto vero est ex nova Ughellii editione to. V. col. 1106.

NI-

ANNO CHRISTI 863.

NICOLAUS VITALI PARIARCHÆ GRADENSI.

Invitat ad Synodum Romæ habendam.

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, Reverendissimo, & sanctissimo confratri nostro Vitali patriarchæ.

NOtum fieri religioni tuæ, & summopere necessarium judicavimus, quia pro diversis utilitatibus sanctæ Dei ecclesiæ nostram synodum, vel concilium una cum ceteris sanctissimis confratribus nostris tertio Kalendarum Novembrium in S. Romana sede celebrare dispositum habemus. Quapropter apostolica auctoritate, & pastorali persuasione tuam monemus fraternitatem, ut ad condi-
A ctam synodum præsens adesse tua sanctitas omnibus modis studeat, quatenus cum tua pariter, ceterorumque sanctorum episcoporum industria de his, quæ sanctæ Dei ecclesiæ valde pertinentia & necessaria, satisque habentur utilia, auxiliante divina clementia, canonice ac legitime liberare secundum Deum, immo juxta illius voluntatem definire valeamus. Si autem, quod minime optamus, tua ipsa præsentia nullo modo potuerit per semetipsam præsens adesse, omnimodis decernat sanctitas tua ex suffraganeis episcopis tuis strenuos cum presbytero pariter & diacono, qui vicem tuæ fraternitatis auctoritate tua succincti vigilanter expleant, & cum quibus de his, quæ nostro vestroque pertinent ministerio, saluberri-
B me, atque canonice instruere, vel definire, Deo præstante, possimus. Optamus fraternitatem tuam in Christo bene valere.

[a] CONCILIUM ROMANUM IV.

QUO ZACHARIAS APOSTOLICA LEGATIONE

In oriente male functus excommunicatur & deponitur: Photius & Gregorius Syracusanus condemnantur: Ignatius sedi Constantinopolitanæ per sententiam restituitur; cultusque imaginum adversus Iconoclastas confirmatur, anno Domini DCCCLXIII. tempore Nicolai papæ.

Nicolaus in epi- 7. sex m œcu- ca con- nomi-

[a] *Concilium.*) Acta & capitula hujus concilii extant in epistola 7. Nicolai papæ, quæ supra excusa reperitur: de qua hoc observatu dignum est, quod sex dumtaxat synodos œcumenicas citat ideo, quia acta septimæ synodi Romanæ extantia, ita ex Græco male reddita & translata habebantur, ut quantumvis ea ab Hadriano papa I. ejusque successoribus probata & confirmata essent: posteri tamen non eodem præconio, titulo nimirum œcumenico eadem prosecuti fuerint, quoadusque fidelioribus adhibitis exemplaribus ex purissimis fontibus Latinitati darentur: quod præstitit egregie Anastasius bibliothecarius, ut in ejus præfa-
C tione ad Joannem octavum supra in notis VII. concilii prolixius annotavi. Dum itaque Nicolaus in hac epistola de septima synodo tacuit, ex prædicta caussa circa ipsa judicium suum dumtaxat suspendit: nunquam vero œcumenicam esse dicendam negavit. Photius calumniator hanc rem in deteriorem partem accipiens, Nicolao papæ, ut infra videbis, negotium facessit, quasi non nisi sex œcumenicas synodos ille reciperet: cum tamen plurimis literis edocuerit, eam semper ab ecclesia Romana receptam atque servatam, universalique ecclesiæ servandam fuisse propositam. Hac de re plura infra dicemus. Vide Baronium
D anno 863. num. 6.

[a] CONCILIUM ROMANUM V.

QUO ACTA CONCILII (1) SILVANECTENSIS

Reprobantur, & Rothadus sedi episcopali, a qua ejectus fuerat, restitui jubetur, celebratum est anno Domini DCCCLXIII. tempore Nicolai papæ.

conci- uæ?

[a] *Concilium.*) Cum judicium Silvanectensis synodi per synodicam ejusdem concilii Nicolao pontifici innotuisset, & supra memoratus libellus appellationis Rothadi Suessionensis episcopi eidem papæ redditus fuisset, accepissetque eas, quas Hincmarus Rhemensis archiepiscopus, & Carolus rex per eumdem legatum miserant epistolas, collecto Romanæ ecclesiæ presbyterio atque vicinis episcopis, adhibita diligenti totius caussæ consultatione, acta synodalia Silvanectensis concilii, utpote quæ sacris canonibus adversarentur, omnino improbavit, & simul irrita reddidit. Eadem hac synodo constitutum fuit, ut nisi Hincmarus, aliique complures episcopi ter quaterve moniti Rothadum Suessionensem episcopum iniquissime sede sua amotum spatio triginta dierum restituerint,
E a missarum celebratione omnes suspensi habeantur, eamdemque pœnam incurrant, quam ipsi Rothado injuste inflixerant. Cumque iidem Silvanectensis concilii patres sua epistola synodali allegassent, Rothadi appellationi non fuisse deferendum ideo, quod ei leges imperiales adversarentur: responderunt pontifex & episcopi hujus concilii, non esse utendum legibus sæcularibus & imperatoriis sanctionibus, quando leges ecclesiasticæ illis contradicunt. Hæc omnia prolixius recensentur in epist. 32. Nicolai papæ quam ad synodum Silvanectensem rescripsit. Item epist. 25. 29. 31. & 38. ex quibus videre est, quod episcopi primo & secundo moniti adhuc contumaces extiterint. Vide Baronium anno 863. n. 82. & sequentibus.

CON-

1 Seu potius *Suessionensis*. Vide quæ supra attulimus ex Pagio ad pag. 643.

ANNO CHRISTI 863. * 866.

CONCILIUM IN LOCO QUI DICITUR PISTIS, AD SEQUANAM FLUVIUM CELEBRATUM,

ANN CHRI 863. *

Anno Christi DCCCLXIII. * tempore Nicolai papæ I.

* seu potius 862. quem designant duo characteres, indictio scilicet 10. & annus 22. Caroli Calvi, itaque exeuntem parte seu titulo 29. capitularium Caroli Calvi a Sirmondo nostro anno 1623. vulgatorum.

Videtur autem potius quidam esse regni procerum conventus, quam episcoporum synodus: sed quia habet quædam digna lectu, huc ascripsimus: ita Surius. *Auctor annalium* * *hujus conventus nusquam meminit, fortasse quia politicus magis quam ecclesiasticus conventus est.* (a)

* Prithœanorum seu Fuldensium. Ex Bellin. in Collect. Concil. Rotomag Provinc.

PRÆFATIO.

IN nomine sanctæ &c. *Extat in Baluz. tom. II. pag.* 153.

Subscriptiones ex Privilegio Dionysiano *ex Mabillon. de re Diplom. lib.* 5. *tabella* 5. *pag.* 553.

Vvenilo munere divino Senonensis ecclesiæ episcopus.

Hincmarus sanctæ metropolis ecclesiæ Remorum episcopus.

Vvanilo humilis Rotomagorum episcopus.

Herpuinus Silvanectensis episcopus.

Æneas Parisii episcopus.

Jonas humilis Eduorum episcopus.

Godelsadus Cabillonensis episcopus.

Herluinus Constantiensis episcopus.

Gontbertus Ebroicensis episcopus.

Heirardus Lixuviensis episcopus.

Hildebrandus Sagensis ecclesiæ episcopus.

Raginelmus Tornacensis ecclesiæ episcopus.

Erchanraus indignus sanctæ Catalaunensis ecclesiæ episcopus.

Odo indignus Belloacensium episcopus.

Hildegarius Meldensis episcopus.

Folchricus indignus Augustæ Tricorum episcopus.

In secundo ordine.

Otulsus sanctæ Augustæ Tricorum ecclesiæ episcopus.

Adalhardus abba subscripsi.

Hludovicus abba.

Vvaldo abba subscripsi.

In Dei nomine Ego Lupus.

Frodoinus indignus abbas subscripsi.

Hincmarus Laudunensis ecclesiæ episcopus.

Gauzlenus regiæ dignitatis Cancellarius.

Vulfadus Resbacensis ecclesiæ abb.

Datum VII. Id. Julii anno ab Incarnat. Domini DCCCLXI. Indict. VIII. regni vero gloriosissimi regis Karoli XXII. In supradicto loco Pistis heribergo.

Observatio P. Guillelmi Bessin in Concil. Rotomag. Provinc.

Sunt Pistæ, vulgo *Pitres*, non longe a Ponte arcus positæ, scilicet ubi ex una parte Andella, & ex altera parte Audura Sequanam influunt, ut in Annalibus Bertinianis legitur. De his frequens mentio in chartariis Monasteriorum, maxime S. Audoeni & Pratellens. Caroli Calvi principatu Pistas rebus publice gestis inclaruisse perspicuum fit ex tribus Synodis inibi celebratis. Postea Normannis cessit castrum Pistense, quod tandem evasit in exigui nominis vicolum.

Synodus Pistensis prima Regalis dicitur, quia Rex cum Episcopis & proceribus aderat. Dicitur etiam universalis, quia ex pluribus Galliarum provinciis Antistes illuc convenerat. Inchoatam iam fuisse ab an. 861. demonstrant authenticæ illius literæ, quas ad authographum collatæ habentur *de re diplomat. lib* 5. *tab.* 54. Sic enim definunt: *Datum VII. Kalen. Julii anno ab Incarnatione Domini DCCCLXI. Indictione IX. regni vero gloriosissimi regis Caroli XXII. in supradicto loco Pistis.*

Patres ibidem congregati perseverarunt ad annum sequentem, ut ecclesiæ regnique vulneribus mederentur, ut multis ostenditur documentis *de re diplomat. lib. 4. cap.* 116. At paganorum incursionibus fatigati Suessiones recipere se coacti sunt.

Heribergum idem est ac parata mansio & hospitium. Inde heribergare in Capitulis Bononiensibus Karoli Magn. cap. 2. hospiteo excipere, *herberger*.

Subscriptiones Concilii hujus longe plures edidit Labbeus ex Dubleto supra pag. 757. & 758. unde apparet authographum a Dubleto neutiquam inspectum, sed mendosum dumtaxat apographum.

ADDITIO AD CONCILIUM PISTENSE.

Editum supra est hoc concilium ad an. 863. cui anno Binius illud attribuerat, cum superiori adscribendum fuisset, & collocandum p. 275. in quo & in sequentibus, nonnulla sunt ad illud spectantia. Addendum hic privilegium ecclesiæ S. Martini tributum, & in eodem concilio confirmatum.

PRIVILEGIUM SANCTI MARTINI TURONENSIS.

Confirmatum in synodo Pistensi.

UTilitas ecclesiasticæ doctrinæ licet fluctuoso procellarum turbine feriatur, tamen strenua pontificum solertia optabile salutis percipit remedium, sicque pacis nutritur incrementum, & justitiæ decus floresci. Ideoque anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXII. Indictione decima, anno siquidem piissimi regis Caroli Calvi XXIII. cum super fluvium Sequanæ, in loco qui Pistas dicitur, unanimiter sacrosanctum concilium pontificum ageretur ex regno magni & orthodoxi Caroli, inter aliqua canonici profectus commoda spiritali aptissima lucro, contigit Herardum venerabilem sanctæ metropolis Turonorum episcopum, necessitudinis causas fratrum in monasterio beatissimi & pretiosissimi confessoris Christi Martini sancte viventium pandere, qualiter prædictus locus lamentabile devastationis insolitæ malum a perfida gente Normannorum pertulerit, & quomodo metu classici exercitus periculosa pessimi discursus damna perpessus fuerit. Manifestavit etiam, sicut sacri dominici ovilis pastor, idem pontifex solitam clementiæ magnitudinem regiæ dignitatis qualiter concesserit piissimus rex Carolus eisdem fratribus quasdam villas nominatim in præcepto suæ largitatis adnotatas, insuper & villam Liradum, ad quam declinationis con-

Ex ſ… mentis … licer… Coll. … in Ap… tom. V…

(a) In editione: Veneto-Labbeana nonnulla in Textu hujus Concilii notantur quæ huc transferre juvat, ne quid desit: *In edit. Sirmon: ann: Regni dicitur* XXIII. (cum in Textu sit XXII.) *qui ab exeunte Junio aut ineunte Julio ducebatur.*

Ubi in Textu legitur *decalvati* in hac editione ad marginem ponitur ex M. S. Vatic: *delanati*. Ubi in Textu est: *per cujus fortiam* in margine ponitur: *id est injuriam, vires, violentiam*. Ubi est *propter ejus fortiam* in margine ponitur, græce φορτίον *onus* φορτικὸς *onerosus, molestus*. Mansi.

confugium facerent, si eorum fraternitatem præ- A dictus paganorum incursus pervaderet. Quin etiam nunc, sicut ipso narrante eorum archiepiscopo comperimus, simile persecutionis ex ejusdem gentis feritate detrimentum experiuntur, qui in præfato Ligeris flumine commorantur. Idcirco quia necessarium duxit eorum pius præsul nobis intimare regiæ clementiæ consuetum opus, concessionem scilicet supradictarum villarum, ne forte causa varii perfugii sanctitatis culmine pollens fratrum ovile a tramite rectæ operationis deviaret, placuit nostræ auctoritatis inviolabili privilegio adnotare regiæ munificentiæ largitatem. Statuimus igitur, annuente regia dignitate, ac clero supplicante sacrosancti monasterii præstantissimi confessoris, censuræ nostræ edicto, communi ra- B tionis consilio atque decreto, ut prædictæ villæ seu Leradus stipendiis & necessitatibus fratrum jam dicti monasterii sancti Martini cum universitate appendicium suarum integerrime perpetuo deserviant, ita ut nullus vir has villas de eorum dominatione auferat, quibus misericordiæ suæ beneficium in hoc munere regia potestas fratribus in eodem cœnobio beati Martini morantibus, largiri voluit. Qui autem hoc edictum a sanctis patribus institutum irrumpere, aut qualibet præsumptione vel occasione conatus fuerit evertere, æternæ damnationis malum cum prævaricatoribus legis sanctæ perferat: potestate autem nobis a Domino ligandi & solvendi cælitus contributa dicente, *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt* C *ligata & in cælis; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis*. Hac virtutis confidentia nitentes, cæligenæ salvationis aditum claudimus obice malitiæ suæ objecto sub anathematis vinculo, qui huic necessario beneficio in subtractione prædictæ villæ consentiens aut operator extiterit, nisi Divino fultus suffragio correctionis honore ditatus extiterit. Harum itaque censurarum statuta inconvulse & involabiliter a nobis facta, in cælo & in terra confirmata, manuum subscriptione censuimus corroborare, absentium quoque confratrum voluntatem simili consensus disponimus vigere libramine.

Herardus Turonicæ metropolis episcopus huic D privilegio consensit.

Vvenilo munere divino Senonensis episcopus.

Hincmarus sanctæ metropolis ecclesiæ Remorum episcopus.

Item Vvenilo Rotomagensis humilis episcopus.

Rodulfus Bituricensium sanctæ metropolis ecclesiæ episcopus.

Hildegarius ecclesiæ Meldensis episcopus.

Æneas Parisiorum licet indignus episcopus.

Fulchricus indignus episcopus Augustæ Tricorum.

Erluinus ecclesiæ Constantiæ episcopus.

Hildebrandus Sagensis ecclesiæ episcopus.

Rageneimus Noviomagensis ecclesiæ episcopus.

Odo Belvacensis ecclesiæ licet indignus episcopus. E

Gildebertus Carnutensis ecclesiæ episcopus.

Christianus Autissiodorensis ecclesiæ episcopus.

Hencanraus * Catalaunensis ecclesiæ episcopus.

Hilmeradus Ambianensis ecclesiæ episcopus.

Ludovicus abbas.

Gautelmus abbas.

Engelgarus abbas.

Vvlfardus abbas.

Itherius abbas.

Forduinus abbas.

Data in mense Augusto, Idus xx.* ipsius mensis, anno XXIII. regnante Carolo rege.

Geringus diaconus scripsit.

ANNO CHRISTI 862.

Neque prætermittenda privilegii in gratiam Monachorum Anisolensium confirmatio, & epistola a Patribus Pistensis synodi in eamdem rem ad Rotbertum Cenomanensem episcopum missa.

Ex Thesaur. Anecdot. to. IV.

Privilegii Anolensium Monachorum confirmatio in Concilio Pistensi.

Anno ab Incarnatione Domini DCCCLXII. indictione x. regni glorioſi Regis Karoli * XXIV. in synodo habita in loco, qui dicitur Pistis, quibusdam huic privilegio renitentibus, inspectis rursum auctoritatibus priorum & recentium regum, approbatum, & confirmatum est ab omnibus, & decretum, ut absentes, & eorum qui objerant successores, idipsum subscriptionibus propriis roborarent.

* Lege XXII.

Hierardus pietate divina Turonicæ metropolis episcopus huic privilegio ordine successoris subscripsi.

Hincmarus Laudunensis ecclesiæ episcopus huic privilegio prædecessoris mei vices restitui & vires.

Eneas Parisiensis episcopus.

Folchricus Augusti Tricorum indignus episcopus hoc privilegium denuo relectum, & a sanctis Patribus corroboratum, vices prædecessoris mei adimplevi.

Erchenraus indignus episcopus similiter.

Gislebertus humilis Carnotensium episcopus hoc privilegium denuo a sanctis Præsulibus relectum ac roboratum, gerens vices prædecessoris mei Frotbaldi firmare curavi.

Odo Belloacensis ecclesiæ episcopus consensum patris mei Hirminfridi confirmans subscripsi.

Ercambertus sanctæ Bajoacensis ecclesiæ episcopus consensum prædecessoris mei huic privilegio & vires reddidi, & subscripsi.

Rainelmus Noviomagensis ecclesiæ episcopus relectum a sanctis Patribus privilegium judicio prædecessoris mei subscripsi.

Christianus Autissiodorensis sedis episcopus huic privilegio subscripsi, & vices prædecessoris mei confirmavi.

EXEMPLAR EPISTOLÆ, quam miserunt sancti Præsules, concilium in loco qui dicitur Pistis, celebrantes, Rotberto Cennomannensium episcopo pro confirmatione ejusdem privilegii, & de concordia abbatis Ingilgarii fratrumque Anisolensis cœnobii.

Unanimo Concilium habitum in loco, qui appellatur Pistis, carissimo fratri & coepiscopo Rotberto Cenomanicæ urbis, perpetuam salutem.

Expectata diu fraudati vestra præsentia, metropolitano vestro dilectissimo nobis Herardo Turonorum præsuli literas vobis tradendas commisimus, quibus significamus, quæ libentius viva, ut ajunt, voce indicaremus. Causam Monachorum sancti Carilefi, quæ principis voluntate, nobis suadentibus, dilata est donec cum vestris auctoritatibus redirietis, postquam vos venturos desperavimus, diligenter examinare curavimus, priscorum regum & recentium edictis sollicite consideratis, comperimus privilegium indulgentia ejusdem glorioſi Domini nostri Regis Caroli concessum, juste rationabiliterque dudum nostra auctoritate firmatum, quod etiam decernentibus ad Dominum successerant, subscriptionibus propriis roborarunt. Quamobrem hortamur sanctitatem vestram, ut in stabiliendo vestra subscriptione eidem privilegio, quamquam decessor vester Haldricus.... id facere declinaverit, nequaquam vos

dis-

difficiles præbeatis. Veritas enim & juſtitia abſ-
ANNO CHRISTI 863. que rubore & dolore ſequenda ſunt; maxime his qui prædicationem ſuam aliter ſolidare non poſſunt; recipiatiſque venerabilem Ingilgarium abbatem, & fratres ejus monachos, veſtra pace & concordia ſine dubio perſtrui optantes, hoc vos ſine cunctatione ac dilatione agere deſideramus. Sin autem id, quod Deus avertat, non obtinuerimus, in ſocietate caritatis, quam nobis viciſſim debemus, nequaquam valebimus permanere; cum ab obſervatione æquitatis nequaquam audeamus recedere. Hæc reſpectu veſtri honoris taliter temperavimus, ne ſi totum rei geſtæ ordinem texeremus, indecorum aliquid ſcriberetur.

Notæ P. Jacobi Sirmondi, S. J.

Rex & epiſcopi.) Inde ſynodus regalis appellatur in privilegio de libertate S. Dionyſii, quia rex aderat; & ſynodus univerſalis, quia ex diverſis provinciis convenerant epiſcopi, qui privilegio eidem ſubſcribunt numero ampliſus xxx. Ex annorum Chriſti nota & Indictionis, Julio menſe vel Auguſto habitam colligimus, cum annus Karoli XXIII. inchoatus jam eſſet, Indictio x. nondum finita. Quod plane confirmant verba privilegii ſynodi ipſius de villa Lirado, pro S. Martino Turon. *Cum ſuper fluvium Sequana, in loco qui Piſtas dicitur, unanimiter ſacroſanctum concilium agretur anno* DCCCLXII. & ſubſcriptio, *Data menſe Auguſto XX. ipſius menſis.*

Locum qui Piſtis dicitur.) Piſtas noſtri fere Pixiacum ad Sequanam eſſe tradunt. Rem incertam facit, quod pagum Pinciacenſem, ſive, ut Titulo XI. ſcriptum eſt, Pinceſiſum, ipſum eſſe non abnuunt Pixiacenſem pagum, in quo archidiaconatus eſt eccleſiæ Carnotenſis. Qui autem conſentaneum eſt, a Piſtis Pinceſiſum formari, vel tam diverſis nominibus eundem locum deſignari? Accedit quod Aimoinus lib. V. c. XXXI. Karoli regis deſcribens iter ab Andegavis ad Ambianos, *per Cenomannos, & Ebroicenſe oppidum, ac ſecus caſtellum novum apud Piſtas*, Ambianos perveniſſe ſcribit. Abſurda porro itineris illius ratio videatur, niſi Piſtas multo infra Pixiacum fuiſſe intelligamus. De Piſtis ſane conſtat, primum ad Sequanam fuiſſe. Deinde pontem & caſtellum habuiſſe. Ibi præterea ſedes aliquandiu fixiſſe Nortmannos, quod Titulus hic teſtatur. Et quoniam Nortmannos in Oſcello Sequanæ fluminis inſula reſediſſe, indicat Karoli proclamatio adverſus Vvenilonem c. v. idemque diſerte affirmat Hincmarus in libello de villa Noviſiaco, qui editus eſt cum Flodoardo: haud vanus fortaſſe conjector fuerit, qui Piſtas eo loco quærendas ſuſpicetur. In epiſcopatu Rotomagenſi fuiſſe, argumento eſt epiſtola Hincmari, quam Vveniloni Rotomagenſi ſcripſerat, *de operariis & opera quam faciebat ad Piſtas in Sequana*, cujus meminit Flodoardus lib. II. c. XXI.

Cum drappis & calceam.) Drappi hodie Gallis ſunt panni. Sed ut pannos Itali vocant veſtes ipſas e panno, ita hoc loco drappos dixit veſtes e drappis. Drappos autem depannatos, veſtes uſu detritas & deraſas: qua forma item detonſos homines & delavatos dixerat, pro intonſis & illotis. Drapporum & drappalium nomen frequens apud Marculfum, & reliquos formularum auctores. Leguntur & drappæ laneæ in epiſtola Salomonis Brittonum regis ad Hadrianum II.

Fac firmitates.) Caſtella & munitiones, ut Tit. XXXI. poſt finem edicti: *Caſtella & firmitates & bajas*. Pontibus enim & caſtellis Sequanam & Ligerim munire illo ſæculo neceſſe fuit propter incurſiones Nortmannorum. Tit. XLIII. c. XXVI. *De caſtellis ſuper Sequanam & ſuper Ligerim ex utraque parte.* De caſtello novo apud Piſtas paullo ante dictum eſt ex Aimoino, iterumque audiemus Tit. XXXI. De ponte ſcribit Hincmarus Karolo regi apud Flodoardum lib. III. c. XVIII. *De opera pontis, quem rex cum ipſo, ac ceteris nonnullis fidelibus ſuis, faciebat ad Piſtas in Sequana.*

In bannum ſe mittantur.) In fiſci poteſtatem rediguntur. Tit. XXXI. c. VI. *& ſic ipſæ res illi judicio ſcabinorum in bannum mittantur.* Hincmarus Karolo regi de Hincmaro nepote. *Quicquid de rebus & facultatibus eccleſiaſticis ad gubernandum acceperat, juſſione veſtra in bannum, quod jus lingua Latina proſcriptio confiſcandi nocatur, eſt miſſum.*

ANALECTA OPUSCULORUM QUÆ SIRMONDI

Notis commemorata ſunt.

I. Præceptum Caroli Calvi pro eccleſia in Magniaco vico.
II. Concilium Hincmari archiepiſcopi de pœnitentia Pippini junioris.
III. De Nomenoii Brittonis tyrannide.

Extant hæc opuſcula in Capitular. Tom. II. pag. 817.

ANNO CHRISTI circiter 863. *Ex Supplementis Concil. Galliæ* Labbeus Append. Tom. VIII

CONCILIUM INCERTI LOCI IN AQUITANIA JUSSU NICOLAI PAPÆ CONGREGATUM

Anno Chriſti circiter DCCCLXIII. In quo Stephanus comes Arvernorum, præſentibus ejuſdem papæ legatis accuſatus de quibuſdam criminibus, ſub excommunicationis pœna ſatisfacere cogitur.

Accuſationum capita leguntur, tum in concilio Tullenſi II. ubi de nuptiis ejus cum filia Regimundi comitis Toloſani, tum in epiſtola 66. Nicolai papæ ad eumdem Stephanum ſcripta, in qua recenſet etiam & iſtud, quod dejecto ſanctiſſimo Sigone Arvernenſi epiſcopo, in locum ejus pervaſorem Adonem clericum ſubſtituerit. Nam quia, *inquit amplius*, nonnulla impudica, ac ſceleſtiſſima de te inculcantur, apoſtolica auctoritate ſancimus, ut de his pleniſſime ſatisfacturus, in noſtrorum legatorum præſentia, qui conſtitutæ a nobis ſynodo præeſſe debebunt, in loco præfixo occurrere ſtudeas. Quodque ſi neglexeris, & præſentiam tuam a ſynodico examine defraudare tentaveris: ſcias te præſulatus noſtri auctoritate a vini & carnium participatione omnino excommunicatum, quoad uſque Romæ in noſtra ſpeciali præſentia diſtrictam poſiturus rationem adſiſtas. Pervaſos vero ſanctæ Arvernenſis eccleſiæ, ſi illic remorari tentaverit, & aliquod impedimentum ſanctiſſimo Sigoni epiſcopo facere quacumque argumentatione præſumpſerit, ſciat ſe pari modo non tantum a vini & carnium, verum & a corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti participatione penitus eſſe ſejunctum. *Quam Nicolai ſanctionem executioni demandatam videmus ex epiſcoporum ſubſcriptionibus, qui Sueſſionenſi III. interfuere concilio, ubi adeſt Sigo Arvernorum epiſcopus. Porro ſynodi locum non declarat Nicolaus: attamen in Aquitania celebratam fuiſſe conjectura eſt, quod de comite ac epiſcopo Aquitanis eſſet quæſtio: quodque jam prædictæ ſynodi Tullenſis juſſu ideo ſcripta fuerit ad Aquitaniæ metropolitanos de Stephano eodem accuſato epiſtola, cujus exemplum & ordinem*

erat

erat probabile Nicolaum papam in hac ſynodo convocanda ſequuturum. Epocam vero hujus eam fecimus, quæ tempore diſtat æquali a concilio Tullenſi II. anni 860. cui ſubſcribit Stabilis Arvernenſium epiſcopus, in eadem ſede Sigonis præceſſor, & a concilio Sueſſionenſi III. anni 866. cui videmus Sigonem ſucceſſorem adfuiſſe.

ANNO CHRISTI 862.

CONCILIUM VERMERIENSE,

IN QUO DE CONTROVERSIA ROBERTI

Cenomanenſis epiſcopi cum monachis ſancti Karilefi agitur.

Ibid. *Synodi hujus nobis eſt auctor Nicolaus papa, increpans Hincmarum archiepiſcopum Remenſem epiſt. 16. in editione concil. quod monachis ſancti Karilefi favens, Caroli regis animum adverſus Robertum Canomanicæ urbis epiſcopum commoverit.* Pro eo quod, *inquit*, monaſterium ſancti Karilefi ad jus eccleſiæ ſibi commiſſæ vindicare velit, & in ſynodo quæ modo dicitur a ſanctitate tua colligi, fertur quod neſcio quas inſidias, quaſi ex alia ratione, illi nitamini præparare, lædere eum magnopere geſtientes, quod de tanto viro indignum credere judicavimus. *Meminerunt & amplius annales Bertiniani ſcilicet loci ac menſis quibus eadem habita eſt ſynodus ad annum 863. his verbis.* Carolus, *inquiunt*, VIII. Kal. Novembris ſynodum in Vermeria palatio habuit, ibique abbatiam ſancti Karilefi ſuper Robertum epiſcopum Cenomanicæ urbis, qui eam per apoſtolicam commendationem juri ſui epiſcopatus mancipatam tenere volebat, legaliter evindicavit. *Tandem controverſia hæc fuit ab epiſcopis in regno Caroli Calvi conſtitutis diſcuſſa in gratiam monachorum; libertatemque huic monaſterio ab iiſdem epiſcopis conceſſam, ad ejuſdem regis petitionem confirmavit idem papa Nicolaus, ut patet ex ejus epiſtolis hac de re ad diverſos conſcriptis.*

☞ AD CONCILIUM VERMERIENSE.

In cauſſa monaſterii Aniſolenſis anno 863. habitum.

ADDITIO.

Diſcuſſa ſemper, definita ſæpe, & compoſita nunquam controverſia de jure in monaſterium S. Carilefi Aniſolenſe, diœceſis Cenomanenſis, ad concilium hoc delata patronum & vindicem pro monachorum jure Carolum regem obtinuit. Id vere ex Annaliſta Bertiniano Labbeum non fugit. Verum totius rei geſtæ acta, vel penitus ignoravit, vel imprudens omiſit. Qui integra hæc ex collectione Veterum Monumentorum Martenis tom. I. col. 169. repetere Venetus Labbei editor potuiſſet, & ipſe pariter illaudata præteriit. Hunc defectum ſupplere e re noſtra maxime judicavimus, poſtquam ſtatum, quem tunc habebat controverſia illa, indicaverimus. Aldrico epiſcopo Cenomanenſi, viro ſanctiſſimo, fatis functo, Aniſolenſes monachi, qui ſuperſtiti epiſcopo parere coacti fuerant, a Roberto epiſcopo ejus ſucceſſore, qui non ea valebat apud Regem, qua Aldricus, auctoritate ſeſe ſubduxerunt. Querelas ea de re ſuas egit Robertus apud regem Carolum Calvum; ſed ille monachis favens, ut in Piſtenſi ſynodo anni 862. pro monachis judicium ferretur, obtinuit. Literas ea de re ſuas Robertus ad Nicolaum pontificem dedit, ut ſibi adſiſteret rogans; quanquam non appellavit ad pontificem, metu forte ne invidiam apud regem incurreret. Patrocinium epiſcopi aſſumens Nicolaus, literas pro illo plures quaquaverſum tranſmiſit. Nam epiſtolam inter Labbeanas LX. ſcripſit ad Carolum regem; & alteram ibid. num. LXI. ad eundem Robertum; ſupereſt & altera in appendice Labbei num. VI. ad monachos S. Carilefi Aniſolenſes, ac denique VII. ibidem ad epiſcopos in regno Caroli Calvi conſtitutos. Has omnes epiſtolas poſt concilium Piſtenſe anni 862. datas fuiſſe ex eo deduco, quod, teſte vetuſto ſcriptore rerum ab epiſcopis Cenomanenſibus geſtarum apud Mabillonium in Analectis, Robertus adverſarios in ea controverſia expertus Galliarum epiſcopos, pontificium favorem ſollicitaverit. Hos autem in Piſtenſi ſynodo adverſarios ſenſit. Viciſſim autem epiſtolæ illæ omnes ſynodum Vermerienſem præceſſerunt, cum in actis ejuſdem ſynodi, inferius edendis, quatuor pontificis epiſtolæ pro ea controverſia componenda ſcriptæ commemorentur. Is rei hujus ſtatus erat, cum ad Vermerienſem ſynodum patres convenientes, ſententiam hanc, quam ſubjicio, tulerunt.

JUDICIUM

In ſollemni prælatorum, & epiſcoporum conventu in Vermerienſi palatio prolatum, in gratiam Aniſolenſium monachorum, adverſus Robertum epiſcopum Cenomanenſem, & ad Nicolaum papam directum.

EXEMPLAR NOTITIÆ

Qualiter dominus noſter Carolus filius veſter carissimus querelæ (a) Rotberti epiſcopi finem dedit.

Cum reſideret excellentiſſimus ac glorioſiſſimus rex Carolus in Vermeria palatio, in conventu venerabilium archiepiſcoporum, epiſcoporum, abba-

(a) Iuunte ſæculo IX. Aniſolenſe monaſterium, quod ab ipſo fundationis exordio ſub ſua protectione reges Francorum ſuſceperant, epiſcopi Cenomanenſes ſibi ſubjicere tentarunt. Aldricus in primis, vir ſanctus, & eccleſiæ ſuæ exaltationi intentus, pro ea, qua apud Ludovicum regem pollebat auctoritate, nullum non movit lapidem, ut Aniſolenſes ſibi monachos ſubderet. Aldricum imitati ſunt Franco, & Robertus præſules. Verum Aniſolenſium libertatem aſſeruerunt Galliarum epiſcopi in concilio apud Bonoilum villam, juſſu Caroli regis congregato; quod concilium primi edi-

ANNO CHRISTI 869.

abbatum, clericique ceteri ordinis, cum illustribus comitibus, & vassis dominicis, ac compluribus nobilium virorum, quorum nomina subter tenentur inserta, aliisque non paucis, qui numerositatis gratia nominatim comprehendi nequeunt, ad diversas emergentium causarum considerationes, tam ecclesiasticas, quam sæculares tractandas, atque juste & legaliter definiendas, ventilare cœpit controversiam ortam inter Rotbertum Cenomanicum episcopum, & Ingelgarium monasterii sancti Carilesi abbatem, pro qua, maxime per admonitionem reverendi papæ Nicolai, domnus rex ad eundem conventum venerat. Recitata autem epistola ab eodem apostolico domno regi directa, narrabat cœnobium sancti Charilesi potestati episcopatus prædicti Rotberti injuste subtractum, & ut ei restitueretur exposcebat; cujus metropolites Herardus, legens scriptum pro præfata altercatione sibi ab eodem papa directum, invenit ceteros eum syllabatim rogasse antistites, ut ipsi Roberto ad ipsum monasterium adipiscendum unanimiter opem ferrent: quæ literæ coram prolatæ ostenderunt eidem Rotberto quartam missam epistolam, eademque ostensa inventum est monachis prædicti cœnobii quintam missam, quarum tres hactenus domnum regem, & pontifices, ac ceteros assistentes latuerant, eodem eas Rotberto occultante. Tum, juxta ejusdem apostolici mandationem, & sacrorum canonum institutionem, idem Rotbertus ex propria diœcesi tres elegit judices, Herardum scilicet Turonicum metropolitem, Dodonem Andegavensium, & Herardum Nannetensium antistitem: quorum examine idem terminaretur conflictus. Vocati autem sæpe dicti cœnobii monachi, & coram interrogati, responderunt se illuc per obedientiam proprii abbatis venisse, nec esse sui officii, ut ex hoc cum quolibet in rationem intrarent. Interrogatus etiam eorum abbas, respondit, per obedientiam, & munificentiam ipsius regis sub monastica professione se ipsum tenere monasterium, & exinde ei debitum exhibere famulatum. Tunc surgens gloriosus rex, stetit ante prædictos judices, & manifeste ostendit ex parte attavi, avi, & genitoris, jure hæreditario, sine ullo censu se ipsum possidere monasterium, ac sigillatim monachis, abbatibus illud gubernandum commisisse; additque, quod excusante se Rainaldo ex eadem abbatia, ipse Rotbertus cum Frodoino abbate regio jussu electionem ibi fecerit, & nihil ex hac re sonuerit. Patrata vero electione ipsum monasterium petierit, ac illud ei non restituendo, sed beneficii nomine largiendo commiserit, non recolens eisdem monachis regali auctoritate & pontificali privilegio concessum ex sese abbates sibi eligendo præficere. Hinc judicio episcoporum inventum est, ut utriusque partis auctoritates inconvulsæ servarentur, & datus est eis dies statutus ad discernendum, cujus juste ac legaliter refutanda, cujusve essent scripta approbanda, & tuenda. Cui placito ipse domnus rex, & monachi interfuerunt, & idem episcopo illo venire, atque legatum suum mittere distulit. Interea sacrorum statuta auctoritatum, & sæcularium jura legum prolata demonstraverunt; insuper omnes episcopi, & ceteri assistentium assensum præbentes judicaverunt, ut quia de rebus ecclesiasticis agebatur negotium, & aliter nullo modo definiri poterat, admitterentur advocati utriusque partis, regalis videlicet, & episcopalis, quatenus his altercantibus veritas nudaretur, & ad debitum celerius terminum causa perduceretur. Quibus datis, præcellentissimus rex, repetito confessu, accepit judiciariam potestatem. Advocatus autem episcopalis, Haldricus nomine, regis advocatum interpellavit nomine Vvidonem, dicens, quod res sancti (a) Gervasii, idest monasterium sancti Carilesi, unde instrumenta se habere dicebat, & antecessores ejusdem Rotberti, Franco, & Haldricus tenuerant, regia potestas cujus ille advocatione fungebatur, ei malo ordine, & injuste contenderet. Ipsi vero respondit, quod res, quas ei quærebat, imperatores Francorum hæreditaverint domno regi Karolo, & non solum triginta, sed etiam trecentis annis absque censu, & absque ulla repetitione ad proprium tenuerint. Tunc domnus rex interrogando adjuravit Vvenilonem Senonensem, & Helmeradum, Ambianensem & Herpuinum Silvanectensem episcopum, qui temporibus piissimi Hludovici fuerant: Adalardum quoque illustrem comitem, secretorum ejus conscium & administrum, qui veraciter testati sunt, ipsum monasterium præscripto Haldrico non restitutionis, sed beneficii jure largitum. Interrogatus quoque idem advocatus episcopi, & Vvitto ejus homo, idipsum professi sunt, nec enim prætextatus episcopus Haldricus idem monasterium amplius quam duobus annis & dimidio habuit: Franco etiam ejus antecessor non amplius quam novem annis illud tenuit, & in vita sua retento episcopatu amisit; cum episcopium uterque illorum pluribus annis rexerit. His ita elucidatis, reverendi antistites, & nobilissimi proceres, & ceteri assistentes apertissime cognoverunt, cognoscentesque affirmaverunt regiam ejusdem monasterii præponderare possessionem, quæ nunquam, & nusquam interrupta fuerit, sed continuatim inconvulsa manserit: episcopale vero ideo refutandum dominium, quia ejus non vera, nec effectum habentia apparent instrumenta, nec habuerit quisquam pontificum idem monasterium, nisi jure beneficii, per munificentiam principalem. Advocatus igitur episcopi veridica professus est ratione, non habere se vera & legitima instrumenta, per quæ idem monasterium tenere posset. Unde & se concredidit, & nulla principis aut judicum vi, aut oppressione, sed propria voluntate, & justo omnium assistentium judicio, easdem res cum querela Vvarpivit; & ne materia refricandæ litis ulterius remaneret, jussit domnus rex, ut instrumenta Cenomanicæ ecclesiæ, quæ inutilia, & falsa probata erant, intra quartum decimum diem in ejus exhiberentur præsentia, penitusque abolirentur, ne iterum per illa frustra aliquando innovarentur litigia, & tempora quorumlibet judicium inaniter occuparentur. Propter notitiam namque rerum, ne unquam oblivione elaberentur, judicatum est, ut omnia hæc fideliter literis alligarentur, & in quorum præsentia publice gesta essent, viritim comprehensis eorum indicaretur vocabulis; & ut per-

---

edidimus in nova nostra collectione, quæ Rothomagi prodiit anno 1700. Hujus diffinitionem decem post annis confirmaverunt episcopi in Pistensi synodo. Verum ab eorum sententia ad sedem apostolicam provocavit Robertus, qui a Nicolao papa tres obtinuit epistolas, unam ad Monachos sancti Carilephi, alteram ad universos episcopos in regno Caroli constitutos, tertiam ad Carolum ipsum regem, qua rogat, ut hæc causa a metropolita Turonensi, ejusque comprovincialibus episcopis iterum examinata terminetur. His acceptis literis, Carolus regni sui proceres, episcoposque in Vermeria palatio congregavit. Iteram causa ventilata, secundum monachos S. Carilephi judicatum est, & sententia ad Nicolaum papam per Odonem Belvacensem episcopum missa est, qui eam confirmavit. Hanc quidem sententiam edidit Mabillonius in Annalibus Benedictinis, sed truncatam & omnibus subscriptionibus destitutam. Nos integram cum suis subscriptionibus damus. *Marten.*

(a) Idest Cenomanensis ecclesia cathedralis, quæ S. Gervasio sacra est. *Marten.*

perpetuum vigorem cuncta præferrent, omnemque falsitatis effugerent suspicionem, regio munirentur sigillo.

In horum præsentia actum est Hincmari archiepiscopi, Vvinelonis Senonensis archiepiscopi, item Vvinelonis Rothomagensis archiepiscopi, Herardi archiepiscopi, Dodonis episcopi, Herluini episcopi, Agii episcopi, Herpuini episcopi, Actardi episcopi, Gumberti episcopi, Helmeradi episcopi, Hildebranni episcopi, Hildegarii episcopi, Vintfridi episcopi, Eneæ episcopi, item Hincmari episcopi, Archanrausi episcopi, Gisleberti episcopi, Isaac episcopi, Odonis episcopi, Vvalberti episcopi, Raganelmi episcopi, Christiani episcopi, Eulerici episcopi, Goslini abbatis, Frodoini abbatis, Bernardi abbatis, Vvalafadi abbatis, Tresulfi abbatis, Gotefridi abbatis, Adalardi comitis, Hutonis comitis, Haimadei comitis, Arduini comitis, Fulconis comitis, Herimfridi comitis, Bertaldi comitis, Gerardi comitis, Heddonis comitis, Sigeramni comitis, Berengarii comitis, Airici comitis, Theoderici comitis, Grifonis comitis, Bernardi comitis, Ursonis comitis, Alboini comitis, Bertramni comitis, Constantii, Adalunasci.

ANNO CHRISTI 863.

Baganarius notarius ad vicem Arberti comitis palatii recognovi.

Data quarto Kalendas Novembris indictione XII. anno XXIV. regni Karoli gloriosissimi regis.

Actum Vermeriæ palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

[a] CONCILIUM ROMANUM VI. [a]

ANNO CHRISTI 864.

QUO RADOALDUS PORTUENSIS EPISCOPUS

In legatione apostolica prævaticator inventus, episcopatu depositus & excommunicatus est anno Domini DCCCLXIV. tempore Nicolai papæ I.

[a] *Concilium.*) Radoaldus Portuensis & Joannes Ficoclensis episcopi, rerum agendarum commonitorio instructi, sedis apostolicæ auctoritate in Galliam ablegati fuerant ad concilium Metense, ut causam repudiatæ legitimæ conjugis Lotharii regis diligenter examinarent. Verum illi, ut supra dixi in notis ejusdem concilii Metensis, a Lothario rege *pecunia corrupti*, *magis*, inquit Regino, *faverunt iniquitati*, *quam æquitati*, datoque adulatoribus episcopis consilio, iniquæ sententiæ conciliabuli Metensis cooperati fuerunt. Quare cum actis ejusdem concilii reprobatis, atque Gunthario Colonienſi & Theutgaudo Trevirensi archiepiscopis condemnatis, legati sedis apostolicæ prævaricationis suæ nullam adhuc pœnam retulissent (Rhadoaldus enim dum cognovisset, Zachariam episcopum Anagninum suum in legatione orientali collegam, sententia sedis apostolicæ damnatum, atque ab episcopatu depositum esse, male sibi conscius & novi criminis patratione pavescens, per loca incognita & invia vagabatur, ut judicium pontificis subterfugeret) hæc synodus auctoritate Nicolai papæ congregata, Radoaldum aliquoties citatum, & contumaciter refugientem, episcopatu simul & communione ecclesiæ privavit. Hæc ex septima & decima Nicolai papæ epistola Baronius anno Domini 864.

Radoaldi pœna quæ?

AD CONCILIUM ROMANUM

Pro libertatibus monasteriorum in Gallia sub Nicolao I. Anno 864.

ADDITIO.

L Abbeus concilium quoddam Romanum anno 864. collocat, ratus ad annum hunc pertinere synodum illam, in qua damnasse se Rodoaldum Portuensem Nicolaus in epistola VII. & X. inter Labbeanas commemorat. Venetus collector in nota eidem concilio subjecta ambigere se profitetur, num illud diversum sit ab altero anni 863. circa Novembris Kalendas celebrato, de quo Labbeus ad eumdem annum. Ego plane diversum judico ab eo quod circa Kal. Novemb. ejus anni ibidem convenit. Id vero hoc argumento demonstro. Odo Bellovacensis episcopus Romam ad pontificem missus est a concilio Silvanectensi, vel Suessionensi anno 863. ineunte celebrato, ut ex epistolis Nicolai I. discimus. Tunc vero Romæ agebat Odo, cum Joannes Ficoclensis, & Rodtaldus Portuensis in Galliam venerant, ut in Metensi concilio de nuptiis incestis Lotharii imperatoris cum Vvaldrada cognoscerent, quod ex literis Nicolai papæ ad Hucbertum abbatem inter Labbeanas LXVIII. plane constat. Metense vero concilium anno 863. Junio mense convenisse nullus dubito. Hic vero Odo Romam veniens literas Caroli regis pro libertatibus monachorum Anisolensium impetrandis detulit ad pontificem, qui ad Carolum rescribens libertates illas Anisolensibus ita concedit, ut ipsamet verba exprimat decretorum quorundam, quæ idem pontifex in concilio edidit, & ad Carolum regem transmisit, quæque PP. Martene, & Durand in collectione Veter. Monum. tom. I. col. 152. vulgarunt. Id porro ex ipso decretorum illorum exordio patet. Ita enim decreta illa inchoant: *Decernimus apostolatus nostri auctoritate, ut omne monasterium intra Gallias constitutum rerum suarum habeat liberam in omnibus secundum ecclesiæ ipsius utilitatem, & ser-*

1 Anno 863. circa Kalendas Novembres Nicolaum Papam Romæ Synodum celebrasse docet Annalista Bertinianus his verbis: *Synodum Romæ convocat circa Kalendas Novembris, indicans se in ea eorumdem olim Archiepiscoporum depositionem denuo confirmaturum, & tractaturum de causa Lotharii, & Ignatii Constantinopolitani Episcopi ... ad quam Synodum prædicti Theutgaudus & Guntharius sponte perrexerunt, putantes Ludovici Imperatoris interventu ab Apostolico posse restitui.* Hæc vero Synodus an eadem sit cum ea a Labbeo viderint eruditi.

ANNO CHRISTI 863.

& servorum Dei compendiosam dispensationem. Respondent hisce verba illa epistolæ: *Decernimus apostolatus nostri auctoritate, ut monasterium sancti Carilesi &c. rerum suarum habeat liberam in omnibus secundum ecclesiæ ipsius utilitatem, & servorum Dei compendia*, (lege compendiosam, ut est in decretis) *dispensationem*. Epistolam igitur hanc decreta in concilio Romano sancita repræsentare plane intelligimus. Ex quo conficitur concilium illud Romanum, cui hæc decreta debentur, ante Junium anni 863. convenisse; planeque diversum esse a concilio anno quidem 863. sed circa Novembrim mensem, ut ex annalibus Bertinianis discimus, coacto.

Supereſt, ut decreta illa Nicolai in concilio Romano edita fuisse demonstrentur. Id tamen decreta ipsa conficiunt, cum in fine illorum legatur, episcopos decernenti papæ subclamasse, firmare se ea, quæ pontifex statuerat. Porro in decretis illis Romani patres primum decreta sancti Gregorii I. papæ in quodam Romano concilio sancita recitarunt. Dein nova alia addiderunt, quæ omnia hic damus prout ex Prumiacensi codice PP. Martene, & Durand vulgarunt.

DECRETUM MISSUM A S. NICOLAO,

Et a S. sede Romana Karolo regi Francorum gloriosissimo, reginis & ecclesiis sub anathemate omnium episcoporum confirmandum, & corroborandum.

QUam (a) sit necessarium monasteriorum quieti prospicere, & de eorum perpetua securitate tractare, ante actum nos officium, quod in regimine cœnobii exhibuimus, informat. Et ideo quia in plurimis monasteriis multa a præsulibus præjudicia, atque gravamina pertulisse cognovimus; oportet, ut nostræ fraternitatis provisio de futura quiete eorum salubri disponat ordinatione, quatenus conversantes in illis in Dei servitio, gratia ipsius suffragante, mente libera perseverent. Sed ne ex ea, quæ magis emendanda est, consuetudine, quispiam monachis quicquam molestiæ præsumat inferre, necesse est, ut hæc, quæ inferius enumeranda curavimus, ita studio fraternitatis episcoporum debeant custodiri, ut ex eis non possit ulterius inferendo inquietudinis occasio reperiri. Interdicimus igitur in nomine Domini nostri Jesu Christi, & ex auctoritate Petri & Pauli principis apostolorum prohibemus, cujus vice huic ecclesiæ Romanæ, auctore Deo, præsidemus, ut nullus episcoporum ultra præsumat de redditibus, rebus, chartis monasteriorum, vel de cellis, seu villis, quæ ad ea pertinent quocumque modo, qualibet exquisitione minuere, nec dolos, vel immissiones aliquas facere. Descriptiones quoque rerum, aut chartarum monasterii ab episcopo ecclesiasticas fieri omnino negamus. Missas quoque publicas ab eo in cœnobio omnimodo prohibemus, ne in servorum Dei recessibus ulla popularis detur occasio. Obeunte autem abbate in describendis, providendisque, acquisitis, vel datis, quærendis, ne rebus monasterii nulla se occasione permiscat, non audeat ibi cathedram collocare, vel quamlibet potestatem imperandi, nec aliquam ordinationem quamvis levissimam faciendi, nisi ab abbate loci fuerit rogatus, quatenus monachi semper maneant in abbatum suorum potestate, & omne monasterium A propriam possit suæ libertatis munitionem habere, & pontificale decretum, regumque emunitates, Romanique pontificis constitutum inviolabilem perpetuis obtineant temporibus firmitatem. Fiat. ANNO CHRISTI 863.

Item in decretis ejusdem Nicolai papæ.

DEcernimus apostolatus nostri auctoritate, ut omne monasterium inter Gallias situm, rerum suarum habeat liberam in omnibus secundum ecclesiæ ipsius utilitatem, & servorum Dei compendiosam dispensationem, & in abbatis de semetipsis electione. Nullam ulla alia persona, sive sæcularis, sive ecclesiastica obtineat in omni B monasterio possessionis dominationem, nec ullam obtineat, vel sibi vindicet portionem: sed maneant omnia in abbatis & fratrum, ibidem Deo militantium, dispensatione, ut quicquid secundum monasterii utilitatem regulariter, vel canonice voluerint agere, situm sit potestate. Neque episcopus ipsius regionis ad monasterium, quasi propriæ potestatis abutens jure, invocatus ab abbate vel fratribus accedat; ne sui adventus pressura fratrum quietem perturbet, neque dolos, aut machinationes ullas vel abbati, vel fratribus, sive per se, sive per suos aliquando facere præsumat. Quin potius quicquid Dei servis in monasterio commorantibus conferre ad ordinis sui conservationem utiliter & modeste, & benigne C poterit, id pro Dei amore, & sempiternæ remunerationis gratia proficiat, nec violenter, aut callide mali quidquam, aut perturbationis moliatur in illos, sicut audivimus quosdam facere voluisse. Nullus in monasterio quicquam evindicet sibi regionis episcopus, neque per se, neque per ministros suos, neque ex clericis, neque ex monachis, neque ex canonicis, neque ex laicis potestatis jure, aut episcopali fastu, sine voluntate abbatis ipsius loci, & fratrum ibi degentium, præsumat aliquid vel ad ordinandum. Ordinationes vero, quas petierit abbas, vel ipsi fratres, ecclesiarum consecrationes, vel altaris benedictionem, chrismatis quoque, oleique sanctificationem, prout petierit abbas & loci illius habitatores, D non moretur præstare, quia communis officii sui causſam episcopus non pro lucri gratia, sed pro creditæ sibi dispensationis ministerio debet impendere; & providentiæ pastoralis existit, ut decretis sibi ovibus ex amore potius, quam potestate consulere quærat. Abbatem vero de se eligendi semper fratres habeant potestatem, neque in ejus electione episcopi respiciant constitutionem, aut dispositionem. Et quoniam multi per pravorum hominum insidias, servis sæpe Dei fabricantur doli, decernimus, ut ordinatus deponi non possit, nisi criminalis causſa eum ministraverit reum. Quod si fuerit infamiæ denotatus, ex regali providentia archiepiscoporum, vel episcoporum habeantur non minus quam decem conventus. Non E est æquum enim ut electus & ordinatus ecclesiæ pastor, fortuitu & sine judicio absque ullius manifesti criminis denotatione pellatur. Nullus enim apud regem sæculi damnatur, nisi in criminali causſa deprehensus, veritatis testimonio apparuerit: sic abbas, & electus a pluribus, & ordinatus sacerdotali benedictione nullo modo debet sui ordinis honore privari. Quod si quis hujus constitutionis parum ducens decretum, omni cœnobio sancto vel abbati vel fratribus violentiam fecerit, & vel

(a) Hæc prima decreta non sunt Nicolai, sed sancti Gregorii, qui ea in Lateranensi concilio edidit. Verum ea adoptata sibi Nicolaus misit ad Carolum Francorum regem. *Martene*.

& vel in ipsis, vel in famulis eorum, vel in omni ipsius monasterii possessione invasor apparuerit, reum se in divino judicio non dubitet apparere, & divinæ censuræ puniendum damnatione.

A Universi episcopi responderunt libertati monachorum congaudemus, & quæ nunc de his statuit beatitudo vestra firmamus.

PISTENSIS SYNODUS II.

Seu edictum Pistense anno DCCCLXIV.

KAROLUS GRATIA DEI REX.

NOtum esse volumus omnibus Dei & nostris fidelibus, quoniam hæc quæ sequuntur capitula nunc in isto placito nostro, anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi DCCCLXIV. anno videlicet regni nostri ipso propitio XXV. Indictione XII. VII. Kalendas Julias, in hoc loco qui dicitur Pistis, una cum fidelium nostrorum consensu atque consilio constituimus, & cunctis sine ulla refragatione per regnum nostrum observanda mandamus.

CAPUT I.

Primo consideravimus de honore ecclesiarum, & sacerdotum, & servorum Dei, & immunitate rerum ecclesiasticarum, ut nullus sibi de ipsis rebus contra auctoritatem præsumat: & comites episcopis & ministris ecclesiæ in eorum ministeriis adjutores in omnibus fiant, sicut in capitulari prædecessorum ac progenitorum nostrorum continetur, in secundo libro capitulo XXIII. & quicumque comitum vel ministrorum reipublicæ hæc quæ mandamus observare neglexerit, si prima & secunda vice de his admonitus non se correxerit, volumus ut negligentia comitis ad nostram notitiam per episcopos & per missos nostros deferatur. & aliorum negligentia per comites ad nostram notitiam deferatur, ut nostra auctoritate, quod in capitulari prædecessorum nostrorum continetur, subire cogantur.

II.

Post hæc de orphanorum & viduarum caussis, & de regalibus justitiis. & summopere de raptoribus puellarum & viduarum & sanctimonialium, & de his qui presbyteros flagellare præsumunt, & qui eos de ecclesiis sine episcoporum consensu ejicere vel recipere, aut censum de manso vel ex his quæ domnus & genitor noster in suis capitularibus ecclesiis in immunitate concessit, exigere non timent, & qui censa de rebus ecclesiasticis ad ecclesias persolvere detrectant, ut firmiter a missis, & comitibus nostris inquirantur, & acriter distringantur, & plena justitia inde fiat, secundum quod in capitularibus avi & patris nostri firmatum habetur, & ipsi contemptores legum, divinæ scilicet & humanæ ad nostram præsentiam legaliter perducantur, ut inde consilio fidelium Dei ac nostrorum commendemus quid de talibus hominibus sit faciendum, qui nec Deum timent, nec contra sanctos canones facere, nec legem & præceptum regum infringere pertimescunt salva censura ecclesiastica, & episcopalis pœnitentiæ vindicta.

III.

Ut lex & justitia unicuique in suo ordine omnibus conservetur, & pacem, quam proxime, teste Deo, propriis manibus communi consensu confirmavimus, quando hic placitum nostrum habuimus, sic omnes & infra patriam, & quando ad placitum unusquisque venerit, &

B quando redierit, & quando necessitas nobis evenerit, ut hostem nostrum adnuntiemus, usque constituta loca secundum consuetudinem & capitula prædecessorum nostrorum observare procuret. Et qui contra hanc confirmationem per contemptum venerit, aut quantocius quod contra hanc confirmationem excessum fuerit, emendare neglexerit, ab episcopis & missis ac comitibus nostris hoc nobis nuntiari mandamus, quatenus tantum Dei & nostrum & totius christianitatis contemptum, sicut secundum leges divinas & humanas invenerimus, emendare curemus, ne ipso nostro judicio a Deo, quod absit, condemnati simus. Et videant episcopi & missi & comites nostri ne si contra nostram communem confirmationem aliquis per contemptum fecerit, & C emendare noluerit, per alium quam per illos qui ad hoc constituti sunt, hunc contemptum sciamus: quoniam si per alium quam per illos hoc, sicut non convenit, audierimus, sicut nec ipsi a peccato immunes erunt, sic nec ab ultione immunes existent.

XX.

Ut comites, & omnes reipublicæ ministri, seu ceteri fideles nostri provideant quatenus justus modius, & æquus sextarius, secundum sacram scripturam, & capitula prædecessorum nostrorum, in civitatibus & in vicis vel in villis ad vendendum & emendum fiat, & mensuram secundum antiquam consuetudinem de palatio nostro accipiant. Et si cui reputatum fuerit mensuram adul- D terasse, si liber homo est, aut sacramento secundum legem suam se expurget; aut si culpabilis invenitur, bannum nostrum persolvat, & a ministris reipublicæ tollatur quod cum injusta mensura vendere voluit. Si autem colono servo hoc reputatum fuerit, judicio Dei se inde examinet; & si convictus fuerit, perdat rem, id est, hoc unde mensuram adulteratus est, insuper & nudo corio virgis cædatur. Et sive servus, sive liber post legalem emendationem episcopale judicium suscipiat, quia contra interdictum Dei fecit. Ait enim: *Æquus tibi sit modius, & sextarius æquus*. Levit. 19. Et alibi: *Mensuram & mensuram odit Dominus*. Prov. 10. Et item: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*. Psal. 14. E Quod peccatum inter illa capitalia peccata computatur, de quibus apostolus dicit, quod qui ea fecerit, *cum hujusmodi nec cibum sumere* licet christiano. 1. Cor. 5. Similiter per civitates & vicos atque mercata ministri reipublicæ provideant, ne illi qui panem & carnem per deneradas, & vinum per sextarios vendunt, mensuram adulterare possint; sed quantos mensurabiles panes de justo modio in unaquaque civitate episcopi vel abbates a suis pistoribus recipiunt, tantos mensurabiles panes de eodem modio a pistoribus qui panem vendunt, fieri faciant. Quod si inventi fuerint mensuram adulterare, vel minuere, & damnum sustineant, & virgis cædantur. Homines etiam, quibus hoc commissum est, ut provideant ne mensuræ minorentur. Si de perjurio quod juraverunt quod hoc consentire non debuissent, fuerint convicti, se-

Burchard. cap. 416.

ANNO CHRISTI 864.

secundum legem puniantur, aut perdant manum, aut redimant, aut grave damnum sustineant, & postea ab episcopo de perjurio publicam pœnitentiam accipiant.

Observatio P. Guillelmi Bessin.

In quarto & quinto capitulo agitur de reverentia Regi exhibenda. In 6. & 7. de coercendis ac puniendis prædonibus. In octavo & sequentibus ad 24. de monetis, vigesimo excepto, in quo de mensuris. In 25. 26. 27. de armis & militia. In 28. 29. 30. & sequentibus septem, de regio censu & de aliis, quæ cum ecclesiæ disciplinam nullatenus spectent, omittimus. Unum in cap. 9. 13. 15. 20. & 33. observamus, illos nempe qui adversus Principis edicta peccarent, non modo pecuniaria mulcta, si essent ingenui; si servi, virgarum ictibus; sed præterea Episcopali judicio publicæ pœnitentiæ fuisse subjectos.

ANNO CHRISTI 865.

☞ CONCILIUM, SEU CONVENTUS ATTINIACENSIS,

In quo, legato apostolico tradente, Lotharius rex uxorem recipit in thorum, & Engeltrudes adulterii rea communione privatur,

Anno 865. habitus.

Ex Suppl. Mausi tom. 1. pag. 994.

Arsenius Hortensis episcopus, in Galliam a Nicolao pontifice missus mandatis oneratus fuit ab eodem pontifice, ut pro ejectione Vvaldradæ pellicis, & restitutione Theutbergæ reginæ apud Lotharium instaret, Rem pro voto pontificis exequutus est, tantumque apud Lotharium, instante pariter Carolo Calvo rege, prævaluit, ut adulter saltem in specie, a pellice Vvaldrada sejunxerit sese, & Theuthbergam in societatem conjugalem receperit. Actum id in Attiniaco palatio anno 865. notat Annalista Bertinianus, qua occasione concilium, seu conventum episcoporum, agente legato, convenisse scribit annalista Saxo ab Eccardo tom. I. corpor. Hist. col. 200. vulgatus, qui sero licet scripserit, auctor est enim sæculi XII. ineuntis, rem tamen ab antiquis desumpsisse, ut sæpe alias, potuit. En verba scriptoris illius, qui & alia pariter in conventu seu concilio gesta prosequitur. *Arsenius episcopus apocrisiarius, & consiliarius Nicolai papæ vice ipsius directus est in Franciam; qui tanta auctoritate usus est, ac si ipse papa advenisset. Convocato denique episcoporum conventu, Lotharium regem alloquitur, ut unum e duobus eligat, aut propriæ reconcilietur uxori, abdicato Vvaldradæ pellicis consortio, aut protinus anathematis gladio feriretur ipse, omnesque in hoc scelere favorem præstantes. Hac necessitate constrictus, vellet, nollet, Theutbergam reginam matrimonio recepit, interposito jurisjurandi sacramento, se illam ita in reliquum habere, sicut æquitatis jura dictant, legitimam uxorem esse tenendam, nec eam a se separaret, nec ea vivente aliam super eam induceret. Post hæc Vvaldradam ex auctoritate domni Apostolici Romam ire jubet, ut pro se rationem reddere debeat. Engeltrudam quoque uxorem quondam Bosonis comitis a sede apostolica excommunicatam esse omnibus declaravit, & proprium deseruerat maritum, & Vvangerum suum vassallum in Gallias secuta est, quam excommunicationem cum omnibus, qui aderant, episcopis renovavit.*

Huic Synodi convocationi, quanquam paullo recentiori auctoritate assertæ, annales Bertiniani nequaquam aversantur. Narrant enim Arsenium una cum episcopis & archiepiscopis apud Lotharium institisse, ut Vvaldrada pellice expulsa, atque Romam ad pontificem ablegata, Theutbergam reciperet, quam Arsenius ipse *cum omnibus archiepiscopis in manibus Lotharii regis reddiderunt.* In hoc pariter concilio Rothadus Suessionensis episcopus a Gallis episcopis, a quibus prius exauctoratus fuerat, a Nicolao pontifice antea restitutus, ut episcopus agnitus, & receptus est, teste annalista Bertiniano, qui uno contextu, & Theutbergæ, & Rothadi restitutionem narrat.

[1] [2] CONCILIUM [2] ROMANUM VII.

IN QUO ROTHADUS EPISCOPUS SUESSIONENSIS

In pristinum honorem a Nicolao papa restitutus est die natali sanctæ Agnetis, XII. Kalendas Februarias, anno Christi DCCCLXV.

Ex Sirmondi concilio decerpta est hæc observatio.

[1] *Concilium Romanum VII.*) Synodi hujus occasionem, actorumque summam & seriem in Nicolai papæ vita describit Anastasius. *Hincmarus*, inquit, *Rhemorum archiepiscopus Rothadum Suessionicæ urbis episcopum, sedis apostolicæ judicium appellantem, contra Sardicensis concilii regulas deposuit, custodiaque arcta servari præcepit. Cujus videlicet depositi ter beatissimus papa libellos cum innocentiæ susceptisset, sed ad ipsum archiepiscopum scripsit, monens literis, & præcipiens, ut depositum Rothadum Romam dirigeret cum suis missis audiendum. Sed veniente eo hanc Romanam secundum beati papæ ad urbem, & per novem circiter menses hic commorante, nunquam penitus ex accusantium parte quisquam adfuit, qui coram sanctissimo præsule cum eodem Rothado contenderet. Tunc in die vigiliarum nativitatis D. N. J. C., quo secundum olitanam consuetudinem hujus apostolicæ sedis præsul, cum clero & populo, in basilica Dei genitricis Ad præsepe missarum officia celebrare consueverat, conveniens cum omnibus papa benignus, fecit in ambone publice de ipso Rothado sermonem, significans qualiter sedem apostolicam appellans depositus fuerit, & in conspectu suo nullus per tot menses accusatorum occurrerit. Denique consentiente sibi episcoporum, presbyterorum, & diaconorum, omniumque conventu, decrevit ut dignus esset idem Rothadus indui sacerdotalibus indumentis, qui a nemine per tot menses accusabatur, & ad sedis apostolicæ judicium proclamabat, ne honore privaretur. Ubi vestitus episcopali*

Ro-

[2] Hujus concilii prima sessio habita anno antecedenti in pervigilio Nativitatis Domini, in qua Rothadus suæ dignitati restitutus est; XII. vero Kal. Febr. habita altera sessio, in qua Rothadi restitutionis forma relecta est.

Rothadus indumento, omni tempore se pollicitus est suis infestatoribus responsurum. Rursus expectatis aliquantis diebus, scilicet usque in diem natalitium sacræ virginis Agnetis, qui est XII. *Kalendas Februarias, sed nec sic quisquam adfuit adversum Rothadum jam restitutum episcopum aliquid alterans. Conveniente ergo beatissimo præsule cum omnibus, in basilica ipsius virginis, foris muros Urbis via Numentana, idem Rothadus episcopus excusationis & promissionis suæ, qua pollicitus fuit se omni tempore accusatoribus suis responsurum, libellum summo pontifici tradidit. Qui coram cunctis audientibus jussu præsulis eximii est recitatus: ubi etiam restitutionis ejus forma relecta est. Et post omnium consensum in ecclesia beatæ Constantiæ, juxta eamdem sanctæ virginis basilicam, decreto beatissimi hujus præsulis sæpedictus Rothadus, jam restitutus episcopus, missarum sollemnia sollemniter celebravit. Sequenti vero die, congregata in domo, quæ nuncupatur Leoniana, denuo synodo, excusatoque ipso, sicut in libellis ab eo recognitis, duobusque quaternionibus insertis, atque diverso tempore missis & oblatis, archivoque hujus sedis repositis continetur, Rothadus, ne talia sacerdotes, & maxime sedem apostolicam appellantes, ultra discrimina paterentur, sicut prænotatum est, in gradum pristinum est restitutus, & ad propriam sedem cum apostolicis sanctionibus remissus; quatenus vestitus episcopalibus insulis, si provocatus fuisset de cetero, suis accusatoribus coram sedis apostolicæ præsule responderet. Cum quo & sanctissimus, & a Deo conservandus præsul, tam pro restitutione illius, quam pro abolenda regis Lotharii copula, & pace etiam & concordia regum Galliarum conservanda, Arsenium episcopum, hujus almæ sedis apocrisiarium & missum illico destinavit.* Hactenus Anastasius. Sequuntur deinceps synodi ejusdem monimenta, quæ supersunt: hoc est singulorum fere, quæ ab Anastasio commemorantur, exemplaria. Primum ergo locum obtinet libellus Rothadi episcopi Suessionensis, male antehac *Rothadi appellatio* inscriptus, quasi in Gallia editus tum fuerit cum ad sedem apostolicam appellavit. Constat enim Romæ postea oblatum fuisse a Rothado, cum is sextum jam mensem in Urbe transegisset. Sequitur deinde sermo Nicolai papæ in missa de caussa Rothadi. Sic enim appellandum docet Anastasius, cum inter Nicolai epistolas epistolæ titulum falso gerat numero XXXVIII. Tertio post loco positæ sunt literæ absolutionis, seu restitutionis Rothadi. Postremo diversæ Nicolai epistolæ ad regem, ad Hincmarum metropolitanum, ad episcopos Galliæ universos, ad clerum & plebem Suessionensem, & ad Rothadum ipsum pro Rothado scriptæ, cum is jam absolutus honorique suo restitutus rediret in Galliam.

LIBELLUS PROCLAMATIONIS ROTHADI EPISCOPI, QUEM NICOLAO papæ obtulit, cum Romæ sextum jam mensem expectasset.

Domino meo sanctissimo, atque reverentissimo Nicolao summo pontifici & universali papæ.

EGo Rothadus peccator, Suessionensis ecclesiæ, sedem appellans apostolicam, irregulariter episcopatu privatus, calamitatum mearum suggero lugubrem historiam, non omnia quæ passus sum retexens, quod impossibile forsitan erat, & ne nimis fastidiosa narratio tuis, piissime præsul, auribus importuna videretur. Venerabilis igitur metropolitanus Hincmarus, sanctæ Rhemensis ecclesiæ antistes, quibusdam occasionibus exortis, acri circa me infestatione certans, diu multis ac variis laboribus meam vexabat exiguitatem. Ego autem, quantum poteram, illum tolerans, in his ei nequaquam pro suo libitu acquiescere volui quæ sacris perpendebam auctoribus esse contraria. Dumque ad synodum, jussu glorioſi regis Caroli, pro utilitate sanctæ Dei ecclesiæ convocatam, episcopi convenissemus, & ipse quasi omnium dominus præsidens ac prævalens, sententiam in me damnationis violenter ac præcipitanter jaculari acceleraret, hanc ego apostolicam sedem, atque apostolicum præsulem, universalis ecclesiæ summum provisorem, appellare maturavi. Cumque mihi hoc denegare non præsumeret, sancta synodo decernente, ægre tamen eundi præbebat assensum, constituens dinumeratos dies, ultra quos omnino non retardarem iter. Inde ego festinato cursu ad nostram civitatem reversus, de instanti itinere moras non patiebar, quam lætus, si ad apostolorum limina contendere meruissem, ut ad domini mei tanti pontificis & piissimi patris, omnium ad se confugientium tutissimi defensoris ac protectoris, sacram pervenirem præsentiam. Cumque jam e vicino parati itineris immineret egressus, literas domino meo regi, & meo archiepiscopo dirigere curavi, nostram illis ecclesiam committens, multumque postulans, ut juxta suum uterque officium eam dirigere procurarent, donec de me excellentissimus Romanæ urbis præsul finem determinaret legitimum. Misi & literas ad illum olim presbyterum, pro cujus ego regulari depositione, quia in stupro fuerat deprehensus, & abscissus a meo judicabar metropolitano, ut & ipse mecum huc ante tuam, domine papa, audientiam examinandus adveniret. Quarum exemplaria præ manibus habeo, & si vobis placet, apostolatui vestro offeram. Aliqua quoque capitula conscripta cuidam nostro confratri & coepiscopo transmisi, sub eodem temporis articulo per easdem manus deferens, quæ ut præmissum est memorato regi & antistiti destinaveram. In quibus sane capitulis mea talis postulatio continebatur, aliis episcopis qui in meam damnationem participare nolebant insinuanda, ut ipsi parati essent, sicut fraternitatis amatores & sectatores caritatis, juxta beatissimi apostoli sanctionem, meam defendere ac tueri salutem. Sed ille meus unanimis frater, cui hanc mei curam committebam, tunc defuit. Hincmarus tamen continuo causſam persensit. Adhuc dominus rex, & isdem meus prælatus in eodem loco manebant, ubi sub una eademque mora meæ parvitatis epistolæ, & illa capitula, uti relatum est, præsentabantur. Moxque Hincmarus ipse archiepiscopus scriptorum portitorem diligenter jussit inquiri, cur illis non ostenderet apices quos sigillatim detulerat. Qui confiteri compulsus respondendo subjunxit: Quia ille, inquiens, ad quem mihi crediti sunt perferendi, non hic modo apparet. Nec cessavit ille, donec persuaso rege subito quasi collecta synodo ex ipsis qui supererant episcopis, presbyterum introduci fecit invitum, ipsum videlicet literarum latorem. Cœperunt hinc & inde in medio positum movere, pultare, & perurgere, sicuti hoc callide per insidias argumentatum erat, ut literas, quas Rothadus per eum suo ad synodum metropolitano direxerat, citius præsentaret. Neque ad synodum missus sum, ait, neque a Rothado episcopo, cujus nec ego sum clericus, literas accepi Hincmaro reddendas. Cumque nullo modo presbyter ipsa vellet capitula prodere, jubente tamen rege coactus reddidit: moxque Hincmarus regem postulavit, ut Trasulfum abbatem ad me dirigeret, qui ad nostram civitatem celerrime perveniens, me

ANNO CHRISTI 865.

1. Timoth. 6.

jam

jam paratum ut noſtrum iter arriperem invenit. Tunc ipſe abbas in atrio eccleſiæ aſtiſtens, publica voce ex verbo regis, & Hincmari archiepiſcopi auctoritate, prohibere curavit, ut nullius omnino ob ipſa civitate mecum egrederetur, ac ire volentem Romam nie protequeretur. Nequaquam ita faciam, ego ſubintuli: ſed ſicut primum Romanum appellavi pontificem, iter diſpoſitum, Deo auxiliante, minime differam. Hinc ego mirabar, & ſtupebam, quid ſibi vellet talis immutatio, aut cur me a meo itinere retardarent. Sed prius aliquot dies fama vulgabat, quod Hincmarus archiepiſcopus dicere volebat, quaſi ego per aliqua capitula ſcribens renovari mihi judicium petiveram. Quod certe falſiſſimum eſt, cum nec illa capitula ad eum direxi, neque de aliquo tali judicio ibi mentionem egi, nec electorum quidcum, ſecundum ſacros canones, aut nomina, aut certe numerum expreſſi. Teſtor Deum creatorem omnium, quia nec in cogitatione mihi ſubripuit, ut appellationem hujus eminentiſſimæ ſedis ad aliam aliquo modo rationem diverterem. Proh dolor! ablata eſt migrandi facultas, & circumſeptus cuſtodia in eadem ſum civitate retentus. Acceleratur itaque de convocanda ſynodo, qua in ſuburbio noſtræ civitatis congregata, rex inclytus a concilio eſt invitatus. Tunc tres Hincmarus archiepiſcopus epiſcopos ad me miſit, mandans ad ſynodum ipſam ut ſine mora venirem. Quibus ego reſpondi, quod non mihi ita liceret, neque ego hoc ullatenus auderem, ut in præjudicio ſanctæ Romanæ eccleſiæ, omnium eccleſiarum matris, ejuſque excellentiſſimi rectoris, circa poſita cuicumque præbeam aliquo modo aſſenſum. Ad illam ſummam auctoritatem ſine intermiſſione appello, cui nullus poteſt contradicere, quæ a Domino Jeſu Chriſto per beatum Petrum apoſtolum tantum meruit principatum. Judicium ergo illius ad quam proclamavi expeto, nec alibi niſi Romæ judicari conſentio, quia præpoſterus ordo eſt inferiorem ſuperiori anteferri. His auditis, qui miſſi fuerant ſynodo renuntiaverunt. Iterum ſecundo & tertio me continuatim invitantes, in eadem invenerunt ratione perſiſtere. Noviſſime vero induſtrioſe perſuadebant, ſuam offerentes fidem, nihil incommodi perpeſſurum, aut ſaltem Domino regi in proximo loco ſynodi locuturus occurrerem. Quod etiam mihi noſtri fratres eccleſiæ noſtræ filii jam ſuadere cœperunt, ut pio principi meæ parvitatis exhiberem præſentiam. Annui ego, & ad locum quo me ducebant tranſivi, ſacerdotalibus veſtitus indumentis, ſanctum evangelium & lignum ſanctæ crucis circa mea pectora gerens. Cumque me in quoddam diverſorium pro foribus ſynodi a noſtris omnibus ſeparatum introduxiſſent, obnixis precibus poſtulavi per Leudonem diaconum, ut dominus rex locum mihi indulgeret ſecum loquendi. Qui mox pro ſua pietate ad me indignum venire dignatus eſt, meque benigne audivit, ſed exaudire non eſt permiſſus. Nam cum illum valde ſuppliciter anxieque rogarem, ut mihi Romam eundi libertatem, ſicut ipſe conceſſerat, non tolleret, ſanctamque apoſtolicam ſedem in ſuis privilegiis honoraret, reſpondit hoc ad meum ſpecialiter metropolitanum, ſanctumque pertinere conventum; ſe tantum ſacris epiſcoporum monitis ac diſpoſitionibus humiliter obeaturum profitebatur; & illico recedens in ſynodum abiit, ibique reſedit. Rurſus tres conſequenter epiſcopos ad me miſerunt, qui multum fortiter ad ſynodum ut introirem hortabantur, meque impellebant, nunc minando, me ſubvertere volentes. Sed ego toto annisu juxta votorum meorum primam intentionem perſeverare contendi. Porro cum me perſpicerent ſuis nolle ſtudiis acquieſcere, obſeratis oſtiis in eadem ſum cella incluſus; neque egredi omnino poteram donec de me peccatore, ſicut quibuſdam tunc placuit, diffinirent. Meus etenim archiepiſcopus voluntatis ſuæ propoſitum, quantum poterat, implere cutavi: factuſque eſt gratis meus ipſe accuſator, ipſe teſtis, ipſeque judex; & ſicut me abſentem prout voluit culpabat, ſic & temere judicare, nec timuit, nec retractavit. Sed inter alia quæ mihi mentaciter objiciebat, hoc unum ſpecialiter ingeſſit, quod presbyterum, cujus ſupra feci mentionem, injuſte depoſuiſſem. Quod prorsus dubio falſum eſt, ut multi idonei teſtes & epiſcoporum, & ceterorum clericorum, ſive laicorum, & noverunt & noſcunt. Quem tamen ipſe jam tribus annis tranſactis, abſque meo conſenſu, ſeu conſultu, in ſuam receperat communionem, eique ſacerdotali officio, quo cum XXXIII. epiſcoporum judicio legaliter privatus erat, contra canonum ſtatuta fungi præcepit: illum vero presbyterum, quem in locum damnati per tres etiam circiter annos ſubſtitutum habebam, per violentiam me ignoranta ſibi fecit adduci. Nam cum in dominicorum die ipſe presbyter paratus eſſet in eccleſia miſſarum ſollemnia populo celebrare, juſſu archiepiſcopi repente ibi homines affuerunt, qui presbyterum extra baſilicam dolo educentes ſubito rapuerunt, & infatigabili curſu citius ad ejus præſentiam pertraxerunt. Quem ipſe mox excommunicatum in carcerem retrudi juſſit, illumque depoſitum genitalibus truncatum in meæ parœciæ eccleſia reſtituit. Hinc quoque mihi contumaciæ & obſtinationis imputabat reatum, quoniam ſibi in talibus inobediens exiſterem: hoc a me exigere volens, ut non quaſi confrater & ceepiſcopus, ſed ut proprius clericus, ad ſua vota famularer. Similiter quod propter indebitam appellationem ad apoſtolicam ſedem ſuis obtemperare precibus contemnerem; immo, quod ego non opinabar, canonicis inſtitutionibus contrairem. Hæc autem & alia mihi pari modo falſa adſcribebat, quæ divina favente gratia, & miſericordia opitulante, quaſi favilla ad nihilum redigentur, & quaſi fumus evaneſcent, te quidem, domine clementiſſime & coangelice papa, cum apoſtolorum meritis cooperante ac ſuffragante: Non enim meipſum a multis meis excuſo peccatis, aut de bonis juſtifico, cum ſciam quod innumera de me dici poſſint non bona. Verumtamen illa, quæ malitioſe ad meam video damnationem eſſe reperta, Deo teſte & judice, qui judicaturus eſt vivos & mortuos, non vera eſſe pronuntio. Denique ſæpefatus archiepiſcopus meus in eodem concilio tamquam imperator triumphans, & tamquam ſummus eccleſiæ pontifex decernens, ſubjugata ſuo potentatui, & oppreſſa fratrum humilitate, jam mihi intrepide, & ut reor impie, judicium depoſitionis emiſit: parvipendens quod ulli ulterius inde eſſet rationem redditurus, & quaſi hoc nulli deberet, in ſeipſo confidens: & illud ſatis innotuit, quando me, quia ipſum ſolum offenderam, nullius poſſe alterius ſublevari auxilio demonſtrare conabatur, totumque mihi noceret, quod aliud ſperabam petebamque præſidium. Et ecce tres epiſcopi, quos Hincmarus hujuſmodi ſimplicitatis eſſe noverat, ſententia excommunicationis, immo conſpirationis, ab ipſo meo damnatore accepta, ad me violenter incluſum properabant, & ſicut illis injunctum fuerat, lacrymoſis ſuſpiriis mihi propinabant. Mox ego in terra provolutus orabam, & adjurabam per nomen æterni Dei, ut ab iſto judicio ceſſarent, mihique, ut aſſidue petebam, Romam proficiſcendi licentiam non adi-

me-

merent. Tunc e vestigio, tamquam in latronem, more satellitum homines in me manus injecerunt, meque rapaciter ad carceralem duxere custodiam. Quantis postea sim affectus injuriis, ac per diversa loca distractus, quanto fuerim labore fatigatus, tædet me, pudetque referre. Ad hoc namque coarctare satagebant, interdum aliquos honores, id est, unam abbatiam repromittentes atque spondentes, tantum ut in meam damnationem ego subscriberem. Interea ordinatur episcopus in cathedra viventis, quamvis ne unquam post appellationem Romani pontificis hoc fiat, sacri canones evidenter vetare noscantur. Neque enim, sancte pater, tua mandata per apostolicas epistolas debita reverentia, moreque sollemni, sive auditu congruo, fuerunt observata. Denique requirere dignetur vestra sancta pastoralis sollicitudo atque diligentia, quale mihi immerito testimonium nostra perhibuit ecclesia, quando vestris venerabilibus legatis, Radoaldo atque Joanni, obvia fuit turba civitatis nostræ, ac circumjacentis regionis; & quid ab eis expetere magnis clamoribus, multisque precibus circa suum pastorem satagebant; licet ab Erchanrao episcopo, meo condiœcesano, magnis minis atque percussionibus admodum prohiberentur, regis atque archiepiscopi mei interdictione denuntiata, ne omnino aliquid hujusmodi clamare præsumerent. Et nunc ego omnium episcoporum minimus, qui tamen apud quosdam non episcopus, sed juxta paternitatis vestræ beatitudinem episcopus vocor, in Domino valde confidens, ad præcellentiam vestri præsulatus, piissime domine, confugere elegi, & de magnificentissima bonitate vestra auxilium sperans, ad sanctorum apostolorum sacratissima limina, opem suffragaminis impetraturus, decenter accessi. Ecce jam per dimidium annum ante januam apostolicæ pietatis pulsans assisto, rationem de omnibus, quæ mihi falso & injuste sunt objecta, reddere paratus: nullusque est qui in præsenti aliquam adversum me vocem proferat accusationis. Et quoniam ante vestram dignationem, neque me falsum exhibere, neque negotii mei causas exponere, vel preces meas, ut decuerat, scio perorare: restat ut ipsi de me, secundum sapientiam cælitus vobis donatam, misericorditer quod cœpistis perficiatis, ne se jactitent temeratores, propter meam vilitatem & indignitatem, apostolica jura & canonica prævaluisse infirmare statuta.

SERMO NICOLAI PAPÆ I.

Quem de Rothadi caussa ex ambone in missa fecit in basilica sanctæ Mariæ ad præsepe, die vigiliarum nativitatis Domini.

PRopter eos fratres, qui non semper affuerunt nobiscum, necesse est sanctitati vestræ caussam Rothadi fratris & coepiscopi nostri, quantum Dominus donaverit posse, per ordinem referare; quatenus una nobiscum negotium illius ad liquidum noscens fraternitas & unanimitas vestra, nobiscum etiam, & de privilegiis apostolicæ sedis, seu sanctæ Romanæ ecclesiæ, a quibusdam nequiter imminutis & evacuatis doleat, & zelo ferventiori accensa, de his recuperandis sollicita sit & intenta, ac de tanto viro, Rothado videlicet consacerdote nostro, retractare ac præmeditari studeat; quatenus is, qui semper a finibus terræ, ut ita dicam, ad nos & prius absens clamavit, & beati Petri apostolorum principis memoriam inter fœvientium linguas oblivioni non tradidit; sed de monasteriali districta custodia, velut Jonas de ventre ceti, & Daniel de lacu leonum, ad Dominum, & ad dilectores vel dilectos apostolos ejus vociferatus est, & deinde abstractus, licet destitutus vel exspoliatus, atque omni ex parte attenuatus, tandem Deo duce præsidium suum, id est sedem Petri, in qua spei ac fiduciæ suæ pedes ac si supra firmam petram statuerat, requisivit, & plurimis difficultatibus & incommodis, atque impedimentorum retinaculis Dei destructis virtute, quod inhianter & anxie desideravit adeptus est; cum consolatione, & auxilio, ac omnis pristini sui status recuperatione, ad exemplum & fiduciam multorum recedat: & privilegia sanctæ Romanæ ecclesiæ, seu sedis apostolicæ, semper intemerata, minime ulterius hæc violare præsumentes, consistant atque permaneant. Denique, fratres, cum præsens Rothadus a multis fuisset retro temporibus a metropolitano suo, & quibusdam sectatoribus suis, etiam a sublimiori sæculi persona incessanter observatus, ut aliquo modo eorum insidiis caperetur, & Dei gratia protectus nunquam omnino capi potuisset: tandem pro quodam presbytero, qui in turpi fuerat flagitio deprehensus, & membris genitalibus detruncatus, materiam inimici ejus adversus eum læsionis sumpserunt, eo quod sceleratum illum presbyterum ab officio removisset, & post tres annos, quod canones non admittunt, minime nullam vocem proclamationis habentem restituere voluisset. Cujus rei gratia facto concilio generali, quod sine apostolicæ sedis præcepto nulli fas est vocandi, vocaverunt hunc episcopi, quos, Hincmari Rhemorum archiepiscopi suggestione, regia fecerat illusio convenire, quatenus rationem de illo presbytero coram synodo redderet. Qui libenter quidem primum perrexit: sed postea, cum vidisset eorum alios quidem timore regis Caroli qui aderat obsessos, alios autem favore Hincmari hostis sui pellectos, judicium ipsorum rationabiliter devitans, utpote quorum hos quidem jam patiebatur infestos, alios autem jam ex præcedentibus judiciis habebat suspectos, sedis apostolicæ judicium postulavit, & in urbe Roma, canonum fultus auctoritate, agendum sibi negotium proclamavit. Quo audito Hincmarus ad modicum quidem licentiam illi Romam veniendi concessit, sed post paullulum penitus impedivit. Siquidem rursus convocatis quibusdam episcopis, jussit hunc ad synodum examinandum accedere. Qui hæc audiens respondit se apostolicam sedem appellasse, ac ejus petiisse judicium, & idcirco non posse ad illud convenire judicium: quia non esset licitum a majori ad minorem provocare prorsus auctoritatem. Quamobrem nimis absurdum est, quod Hincmarus fingit dixisse Rothadum, postquam ad judicium sedis apostolicæ provocavit, iterum mutata voce aliorum judicia postulasse. Quod etiamsi ita fuisset, sicut vestra novit fraternitas, ab illo fuerat emendandum, & ne a majoris auctoritatis examine ad minoris valetudinis provocasset judicium, corrigendum. Licet nullis pateat indiciis, a nostro illum ad alterius cucurrisse judicium, quem constat in ipso articulo contra se proferendæ sententiæ, sedem apostolicam appellasse. At qui ab illa se judicari popposcerat, & coram omnibus exclamaverat, justum non forer, si ad eorum se judicia convertisset: quamvis & ipse sedem apostolicam si nullatenus appellasset; contra tot tamen & tanta decretalia se efferre statuta, & episcopum inconsulte deponere, sicut vos bene nostis, non debuerunt. Quomodo vero alios judices elegit Rothadus, cum in illo scripto, per quod fingunt eum a nostro ad suum judicium provocasse, nec nostrum spreviſſe, nec illorum petiisse judicium judicetur? præcipue cum si judices præter nos elegis-

ANNO CHRISTI 861.

legisset, & certum numerum eligendorum judicum expressisset, & non utique fraternum solatium sicut per illud scriptum postulavit, solummodo postulasset. Utrum tamen ipsum scriptum a Rothado missum sit, necne, certissime nescitur: quoniam alterius, & non Rothadi, homo fuisse convincitur, qui scriptum portasse noscitur. Quamquam etsi nunquam provocasset, nunquam omnino præter scientiam nostram deponi debuerit: quia sacra statuta & veneranda decreta episcoporum causas, utpote majora negotia, nostræ diffiniendas censuræ mandarunt.

ANNO CHRISTI 865.

EPISTOLA NICOLAI PAPÆ I. AD CLERUM ET PLEBEM ECCLESIÆ ROMANÆ.

Absolutio & restitutio Rothadi episcopi.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, sanctæ Romanæ catholicæ ecclesiæ episcopis, presbyteris, & diaconibus, & cunctæ in Christo generalitati Romanæ plebis.

Epist. 39. NOtum sit dilectioni vestræ, fratres mei & filii carissimi, quod quidam Gallorum episcopi, zeli & invidiæ diabolo facibus accensi, quia 1 ap. 2. mors, sicut scriptum est, per invidiam introivit in orbem terrarum, huic fratri nostro Rothado, venerabili viro insidiantes, & per octo circiter annos quemadmodum illum proprio privarent episcopatu, judicio meditati sunt. Sed cum diutissime laborantes, nihil discriminis potuissent super eum inducere, novissime mundanis potestatibus usi, depositionis sententiam in eumdem sedem apostolicam appellantem immanissime protulerunt, & in munitionem & abominationem privilegiorum sanctæ Romanæ ecclesiæ, immo beati Petri apostolorum principis, gradu proprio pulsum, carcerali custodiæ manciparunt. Unde istum clamantem ut adducerent, & ad nostrum illum judicium ad quod ante depositionem, & postea impræmisse provocaverat, cum suis vicariis, qui illum si valerent accusatione digna appeterent, destinarent, plurimis epistolis eisdem episcopis jussimus, & hortati sumus. Sed ecce, dilectissimi, sicut ipsi scitis, sex mensibus jam præsente Rothado Romæ apud nos manente, & nobis accusatores vel vicarios eorum præstolantibus, nullus qui hunc accusaret adesse videtur. In quo fratres, quid aliud datur intelligi, nisi quod sanctus papa dicit Bonifacius, quia sicut qui est innocens ut absolvatur quærit, ita judicium nocens subterfugit? Epist ad Patroclum & alios. Verum nos, Deo auctore, beatorumque principis apostolorum Petri apostoli fulti suffragio, decessorum quoque nostrorum secuti vestigia, privilegia sedis apostolicæ, quæ illi male fregisse probantur, recuperare studentes, jam fatum virum, præsentem videlicet Rothadum, pristino gradui, pristinis officiis, ac pristino episcopatui restituimus, & per omnia talem eum reddimus, qualem illum fuisse constat ante excommunicationis & depositionis sententiam in eum prolatam, vel quando sedem apostolicam appellabat, & canonice provocabat.

EPISTOLA EJUSDEM NICOLAI PAPÆ I. AD CAROLUM CALVUM REGEM.

ANNO CHRISTI 865.

Hortatur ut Rothado restituto faveat, & res ejus ecclesiæ ablatas reddi jubeat.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Carolo glorioso regi.

QUamquam Rothadum venerabilem episcopum, sedem apostolicam appellantem, domini sacerdotes, qui in regno vestro ecclesias sibi commissas gubernant, in contemptum beati apostolorum principis Petri, per quem apostolatus & episcopatus in Christo cepit exordium, cujusque licet immerito agimus episcopatum, privare nunquam debuerant: tamen quia hoc præsumpserunt, immo conati sunt agere, æquanimiter satis pro vestra deprecatione pertulimus, & ut tantam temeritatem corrigerent, eis hortamenta & præcepta potius quam flagella sæpius adhibuimus. Sed horum, immo hujus contumaciæ, nullus auctor, nisi Hincmarus Rhemorum episcopus extat, qui & prædictum Rothadum, etiamsi nunquam ad nostra provocasset judicia, nequaquam deponere debuit; sed contemptis nobis, quantum ex se fuit, depositum, & multitudinem jussionum nostrarum ut peripsema duxit. Denique cum nostris auribus fuisset ipsius Rothadi depositio intimata, mox epistolam apostolatus nostri misimus, qua jussimus jam fatum Rothadum, aut honori ecclesiæ propriæ restitui, aut Romam cum aliquibus de episcopis, vel vicariis eorum qui illum damnasse videbantur, in præsentiam nostram dirigi, aut certe, si neutrum fieret, tamdiu post xxx. dierum spatium depositores ejus a missarum sollemniis vacarent, quousque nobis super his obedire curassent. De qua etiam epistola vestræ tunc intimavimus excellentiæ: sed hanc frater Hincmarus, quid dicam audire, cum videre illam, more Dioscori velatus, neglexerit? Ne quem vero moveat, quamobrem Rothadum episcopum Romam venire, vel apud nos audiri ac judicari jussimus, noverit canonicam super hoc paternam traditionem, ac speciam prærogativam apostolicæ sedis, nos extitisse zelatos atque secutos. Denique ut pauca de multis commemorem, si adversus provinciæ metropolitanum episcopum vel clericus habeat querelam, juxta Chalcedonenses regulas jubetur ut petat primatem diœceseos aut sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ, & apud ipsum judicetur. Quod tamen nulli dubium est multo magis apud Romuleam urbem, quam apud Constantinopolitanam, esse penitus observandum. Nam & ipse Rothadus, secundum Sardicense concilium, agendum sibi negotium in urbe Roma clamavit; & beatus Innocentius papa sine præjudicio Romanæ ecclesiæ præcipit, cum causæ vel contentiones inter clericos, tam superioris ordinis, quam etiam inferioris, fuerint exortæ, nulli licere, relictis his sacerdotibus, qui in eadem provincia Dei ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. Sed & papa Julius orientalibus scribens, utramque partem, Athanasii scilicet & adversariorum ejus accelerare præsentiam, quatenus utraque parte præsente audiretur reus, & ab omnibus condemnatus de cetero cohiberetur a sacerdotio. Oportebat, inquam, primum hoc fieri, & tunc vacante loco alterum constitui. In quibus tamen omnibus multipliciter adhuc contempti, per Odonem post hæc venerabilem episcopum, ad eadem rursus inter multa monita misimus, videlicet ut Rothadus eductus de monasteriali custo-

Epist. 40. Conc. Chalced. can. Can. 4. Epist. ad Oriental. Epist. 1.

stodia, vel prioris ecclesiæ proprio redderetur ho- A
INNO RISTI 55. nori, vel Romam cum vicariis episcoporum, qui depositioni illius consenserant, in conspectu nostro examinandum destinarent, aut post xxx. dies, nec ipse Hincmarus, nec ceteri episcopi, qui eum damnaverant, licentiam faciendi missas haberent. Sed denuo frater noster Hincmarus, in contumelia nostra versatus, non solum non obedire nobis delegit, verum etiam epistolam nostram, quam ad eum, & ad episcopos, qui in depositione Rothadi sibi consenserant, miseramus, apud se per quatuor menses retinens, quæ de Rothado decrevimus, etiam inter hæc diversis aliis pro hac eadem caussa nostris epistolis per nonnullos directis crebro contemptis, agere recusavit. Præterea Rothadum de monasteriali custodia eductum, in ci- B vili commutari præcepit. Tandem aliquando nobis scribens, missse una cum ceteris episcopis vicarios suos, qui cum Rothado in nostram præsentiam pervenirent: sed dictum illis esse nullum sibi aditum Italiam penetrandi præ custodibus fore, qua de re unde venerant rediisse. Quo facto quid inanius vel stultius æstimari potest, quam ad solum vacuum sermonem, nulla persona sibi resistente, nulloque sibi adversario certo contradicente, deserere tantum opus, & sine ulla utilitate retroverti? Præsertim cum si certissime eos impeditos, quo minus commissa sibi responsa vel ecclesiastica negotia consummarent, comprehendissemus, zelo competenti succensi, tanto contra hujusmodi temeratores ferventius inveheremur, quan- C to hanc impietatem ab ipsis fuisse patratam certius nosse utique videremur. Verum hæc lusorie nobis illi vel dicunt, vel operantur: cum ecce biennium transierit, ex quo diversis modis pro jam fato viro laborantes, modo hoc, modo illud eis proponentibus, nihil omnino profecimus: sed adhuc dissimulamus, adhuc operimur, & ut cum beato Simplicio papa dicamus, nolumus exaggerare quod gestum est, ne cogamur judicare quod dignum est. Nam docente sancto æque papa Zosimo, contumeliæ studio fit, quidquid interdictum toties usurpatur. Sane his interim omissis considerare libet, quia prius Odo venerabilis episcopus præsentialiter positus, & inde ceteri nostri legati, nihil accusationis adversus Rothadum episcopum se de- D tulisse testati sunt: & illi episcoporum vicarii, qui ab ipsis suis præsulibus, ut rationem dejectionis Rothadi exponerent, mitti dicebantur, nobis professi sunt, scribentes ab itinere, quod non ad accusandum Rothadum fuerint a suis antistitibus destinati. Præsertim cum sæpedictus Rothadus in apostolica quam petiit sede, ecce octo circiter mensibus sit commoratus, & qui hunc accusaret, nullum nos penitus videre potuerimus. Ergo cum ita sit, restat, ut qui nullum patitur accusatorem, nullo merito sustineat omnino suæ integritatis dispendium. Denique tunc constat accusatorem examen subterfugere, quando se justas posse querimonias habere desperat. Sic nimirum Judæi lapidibus adulteram mulierem obrui debere E putabant; ubi ad verum judicium hanc detulerunt, & quod existimabant videre non viderunt, & quod non putabant audire audierunt, confusi & reveriti discesserunt. Sic ergo, sic depositores Rothadi, cum ad examen judicii, in quo iidem inimici fuerunt, ipsi accusatores & judices, venerunt, in faciem ipsius, quem supplantare voluerunt, immobiles perstiterunt. At ubi ad nostrum provocatum est judicium, in quo Deo revelante veritas si exaggeraretur, in lucem clarescret, omnia falsitatis argumenta destructa sunt, & fabricatores mendacii terga subito converterunt. At vero Rothadus episcopus, conscientia purus, con-

versatione innocens, columbarum simplicitate ac prudentia serpentis insignis, cum ad examen Romanæ ecclesiæ ventum esse perspexit, ubi nullum suspectum habet, nullum inimicum pasus est: ubi, inquam, ut sanctus ait papa Cælestinus, semper catholicis subvenitur, judicium non timuit, examen suum renovari petivit, & quidquid a nobis deliberari cerneret, libenti suscipiendum mente disposuit; quia, ut beatus ait Bonifacius papa, nullus dubitat quod ita judicium nocens subterfugit, quemadmodum ut absolvatur qui est innocens quærit. Ergo videant accusatores, vel damnatores Rothadi, qua intentione cum eo judicium subire refugerint: quia Rothadus, qui est auctore Deo innocens, concilium sanctorum non solum non subterfugit, sed & magnopere postulavit. Itaque sciat sublimitas vestra, Deo opifice a nobis sæpefatum episcopum pristinæ dignitati & ecclesiæ restitutum. In quo utrum veritate fulciatur quod de vestra dilectione a nonnullis refertur, modo patebit. Si enim millia gemmarum & pretiosarum specierum beato Petro daretis, nec illi tam accepta, nec nobis quam si nobis super hoc obediatis profutura existerent: nimirum cum illius sit hominum salutem exquirere, non cumulos thesaurorum coacervare. Favete tandem, quæsumus, nobis pro crebro dicto viro toties adeuntibus, & ecclesiam sibi commissam recipiendi per vos non impedimentum, sed præsidium prorsus inveniat. Ne quæsumus dicatur de nobis procedente tempore, quod nunc de Theodorico scripto profertur. Qui ante patrimonii vel ecclesiarum, quas amiserat, receptionem, papam Symmachum, utpote Arianus & sceleratissimus rex, cum impugnatoribus suis in disceptationem confligere jussit, cum potestate ejus omnia, quæ per suggestiones inimicorum suorum amiserat, reddenda ab honorabilium Italorum episcoporum concilio jussa fuissent, & legaliter prius statui pristino redditus, tunc veniret ad caussam, & si ita recte videretur, accusantium propositionibus responderet. Cujus rei documento, & aliis nonnullis decretis & exemplis imbuti, idipsum de Rothado episcopo nos quoque decrevimus. Quapropter obtestamur & obsecramus, ut piis nostris monitis, non pravorum hominum suasionibus, pareatis: scientes quia si pessimo regi, quod absit, vos æquiparantes, super hoc nobis negotio concordantes obaudire renuitis, vos procul dubio de caritate & memoria nostra deletos. Quoniam ita Dei & apostolorum auctoritate decrevimus & statuimus, ut quicumque sæpe memorato Rothado episcopo ad recipiendam ecclesiam sibi olim commissam, vel ad episcopale ministerium peragendum, aliquatenus impedimento fuerit, donec acquiescat, & ad illi resistendum conatus deponat, a sacrosanctis mysteriis & ab ecclesiæ fieret ingressu remotus, atque ab omni communione fidelium sequestratus. Præterea vestram volumus nosse experientiam, nostris auribus fuisse multis referentibus intimatum, quod diversæ res, & nonnulla præsidia sanctæ Suessonicæ ecclesiæ juri competentia, ab invasore ibidem consecrato extitissent pro libitu disposita, & in beneficium data: vel etiam, eo justo Dei judicio decedente, ab excellentia vestra quibusdam hominibus æque in beneficio collata. Quamobrem etiam, & in hoc dilectionem vestram hortamur atque precamur, ut eadem præsidia, & ipsas res, quæcumque & ubicumque sint, jam fatæ ecclesiæ restitui pia vestra præcipiat eminentia, & ut cuncta juri ejus reddantur, vestra satagat excellentia: ita ut secundum sacrorum canonum sanctionem, in potestate episcopi res omnes ecclesiæ consistant, & ille secundum timorem Dei, quibus

ANNO CHRISTI 865. Epist. 4. Epist. ad Patroclum & alios. Syn. Rom. 4.

voluerit, & quomodo voluerit, illa dispenset, quod tamen vestræ pietatis, pro amore Dei & apostolorum principum, ac nostro, fieri satagat industria. Scientes profecto, quia qui his rebus frui voluerit, & eas præfatæ ecclesiæ reddere forte distulerit, nos hunc ab ecclesiæ finibus, anathematis nexibus irretitum, & sacrosanctis mysteriis sequestratum, veluti profanum eliminamus, & quasi rapacem & impium, & a contubernio fidelium procul dubio abjicimus.

ANNO CHRISTI 865.

EPISTOLA EJUSDEM NICOLAI PAPÆ I. AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM Rhemensem.

Rothadum legitime restitutum ostendit, suam illi ecclesiam, & res ablatas reddi jubet, tum ubi respirarit, cum eo Romæ confligi, si libeat.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei reverentissimo & sanctissimo confratri nostro Hincmaro Rhemensi archiepiscopo.

SI coram tuæ prudentiæ oculis ullus esset paternorum canonum, vel apostolicæ sedis respectus, nunquam Rothadum Suessonicæ urbis episcopum sine nostræ tentasses scientiæ notione deponere. Præcipue cum negotium, quod merito inter majora connumeratur (de persona scilicet judicare, cujus in ecclesia ceteris ordo major est) ventilanti & multipliciter rimanti tibi adeo de se difficiles exitus daret, ut octo circiter annos ut deponeretur elaboraveris, & in tanta perplexitate causarum, & in tanta intercapedine temporum, nullam beati Petri memoriam prorsus habueris. Cujus contra is qui deponebatur mentionem faciens, tua decernente religiositate proprio gradu caruisse dignoscitur. Et cum in suis opportunitatibus ad sedem apostolicam beatitudo tua scripserit, & ab illa sibi manum porrigi contra falsos fatres poposcerit, & quædam privilegia concedi sibi petierit, in causa Rothadi solum, quasi ejus solatii non indiga, sedis apostolicæ non memor fuit, nec utique visitatrix. Quinimmo contra appellantem hanc eumdem venerabilem virum, tanta molimina, tantaque præparare machinamenta minime formidasti: ut postquam data sibi Romam veniendi licentia fuerat, priusquam tibi & regi * valefecerat, postea hunc a nostro examine ad tua, ut ita dicam, tribunalia deduxeris, (quia synodus dici non potest, ubi noster nullus præbetur assensus) & ingredi prætorium nolentem depositioni tyrannico more subjiceres, occasionem sumens de quadam epistola, tamquam Rothadus, postquam ad nostrum appellaverat judicium, rursus ad vestrum mutata voce provocasset examen, quod omnino falsum est. Illa nempe epistola, per quam hoc conaris frui, sicut veritate claret, & apud nos subtili valde investigatione repertum est, fratribus a Rothado mittebatur, quos tecum contra se conspirasse non noverat, ac eos per hoc nec suspectos habebat. In qua videlicet epistola, non nostrum judicium aspernatur, non sedem apostolicam spernit, nec aliena judicia postulat, nec electorum judicum numerum exprimit, quinimmo nec nomina memorat; sed solum fratres & coepiscopos de sua certificat innocentia, & hos reddit intentos, quatenus si forte apostolatui nostro, secundum sacrorum indulgentiam canonum, scribere his examinis renovandi gratia infinitima postis placeret; ut ipse illo in tempore nobis suggestum ire meditabatur, & nos quoque acturos putabat, suæ consuleret innocentiæ, ac justo libramine causam suam, secundum dispositionem nostram, sine acceptione personarum exequeretur. Sed arguta sapientia tua, utinam in bono accepta, fomitem judicii, & materiam dispositionis adversus Rothadum assumpsit, & ab itinere sedis apostolicæ revocavit, & continuatim sedem apostolicam appellantem damnavit, & carcerali custodiæ mancipavit: cum etiamsi nullus a vestro judicio provocasset, privilegia tamen apostolicæ sedis vos oblivioni tradere nullatenus debuissetis, quibus venerandi canones judicia totius ecclesiæ ad hanc deferri jubent, & ab illa, sicut Gelasius meminit, nusquam appellari sanxerunt: ac per hoc ipsa de omnibus judicare, ab illa vero nulli est appellare permissum; sed etiamsi ad vestrum provocasset a nostro judicio, a vobis extabat tamquam erroneus corrigendus; quinimmo nec ante specialiter fuerat corrigendus, quia vobis peculiarius erat penitus amplectendus. At ubi obdurato mentis intuitu, hæc omnia postposuisse contra spem dolenter audivimus, missis litteris nostris præcepimus, ut eum de carceris angustia educeres, & aut mox pristino gradui redderes, aut illum cum vicariis tuis, & episcoporum qui depositioni ejus consenserunt, in nostram præsentiam destinares. Quod si neutrum ageres, post xxx. dies, postquam illa nostra lecta fuisset epistola, nec tu, nec ullus eorum qui in hoc tibi consensum præbuerant, missarum sollemnia celebraret, donec quæ sibi pro Rothado a nobis fuerant imperata perficeret. Quam contemplatus, etiam solo tactu tuo indignam judicans, Dioscorum in hoc imitatus, saltem hanc legere nullo modo consensisti. Unde Rothado adhuc in custodia demorante, per Odonem venerabilem episcopum eadem tuæ sanctitati, & ceteris complicibus tuis, per epistolas vobis rescribentes injunximus: addentes pariter, quod si nobis de cetero inobedientes essetis, nos jam virum Rothadum pristinæ dignitati, & ecclesiæ redintegraturos, & vobis condignam vicissitudinem reddituros. Quas fraternitas tua IX. Kalendas Julii, ut fertur, suscipiens, per quatuor circiter menses neminem has passus es intueri. Post hæc autem Rothado, tandem de custodia educto, licentiam Romam veniendi vix quidem dedisti: sed vicarii, quos cum illo mittere debuisti, usquequo voluerunt profecti, suis nobis de itinere significavere, dictum illis fuisse quod nullus præ hostibus penetrandæ Italiæ sibi pateret accessus, & præcipue quod eorum, quorum auxilio fulciri debuerant, frustrarentur obventu. Subdentes insuper, quia si pervenire Romam utcumque valuissent, nullam adversus Rothadum omnino deferrent calumniam. Et his ita gestis, quia primum quidem præsumptiones, prævaricationesque vestras sumus experti, deinde vero inobedientia & tergiversatione tua comperta, atque deinde Rothado penes nos sine ullo accusatore octo circiter mensibus jam retento, & diutius ac subtilius examinato, vobis & vicariis vestris clamantibus, nil vos adversus eum accusationis habere, quid nisi ut, secundum promissionem superius memoratam, tandem pristino episcopatui redderetur, omnino restabat? Quod per nostram mediocritatem jam nunc factum tua nosse poterit prorsus industria. Cui rei monemus omnimodam patientiam exhibere tua non negligat utcumque solertia, ne talionem reddere tibi, sicut dudum promisimus, nostra cogatur auctoritas. Hæc quippe nos in Rothado idcirco noveris operatos, ut privilegia sedis apostolicæ, quæ male a vobis violata esse videbantur, & a nobis tot impensis laboribus, vestra resistente contumacia, recuperari non poterant, auctoritate apostolica, & canonica patrum deliberatione, pri-

Epist. 41.

* valefaceret.

pristino tandem & proprio decorarentur honore. Ceterum si forte quis adversus Rothadum voces habet, vel si ipse a sanctitate tua justas contra se hactenus sustineat querimonias, volumus & decernimus, ut utraque parte conveniente, quidquid illud est, coram nostra speciali præsentia dirigatur. Quod si nullus calumniis coram apostolatu nostro sæpefatum virum impetere voluerit, quæ de illo decernimus, illibata & imminuta consistant. Tandem aliquando unum e duobus, quod vult fraternitas tua, sibi a nobis optione proposita eligat: quia utrumque canonicum est, utrumque ad sedis apostolicæ pertinet privilegium. Videlicet aut quæ de sæpefato fratre & coepiscopo nostro Rothado disposuimus adimplens, in nullo refragatrix, sed executrix inveniatur: aut certe Romam coram nobis, seu sancta Romana ecclesia, cum ipso conflictum sumptura, & pro hoc altercatura, properare sine dilatione maturet. Ita dumtaxat, ut prius ipse Rothadus cunctis ablatis, sicut statuimus, recuperatis honoribus, & vires longo tempore fessas priori valetudini redditus resumens, diutius possideat, & suis omnibus perfruatur. Quod si neutrum sine procurata mora fortassis agere volueris, & resultare his quæ de illo statuimus solito more ulterius curaveris, ab omni sis sacerdotali dignitate, Dei per nos judicio, & auctoritate sedis apostolicæ, de cetero sequestratus, ita ut nunquam locum satisfactionis aut ordinis restitutionem opperiaris.

EPISTOLA EJUSDEM NICOLAI PAPÆ I. AD UNIVERSOS EPISCOPOS GALLIÆ.

Ut Rothadum a se restitutum benigne suscipiant, ubi multa de sedis apostolicæ privilegiis, & de pontificum Romanorum decretalibus copiose differit.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, reverentissimis & sanctissimis confratribus nostris archiepiscopis & episcopis apud Gallias constitutis.

QUamvis singularum ecclesiarum, quæ propter diversitatem terrarum multæ esse dicuntur, cum una sit & unica sponso suo, sicut ipse in canticis canticorum dicit; *Una est columba mea*: & per psalmistam: *Erue de manu canis unicam meam*: pastor, & episcopus, ac pontifex Dominus noster Jesus Christus, qui hanc creavit & redemit, existat: ita ut ille veraciter ac principaliter ista sit omnia, juxta quod fidelibus per primum apostolum dicitur: *Conversi estis nunc ad pastorem & episcopum animarum vestrarum*: & juxta quod egregius prædicator de eo loquens: *Talis*, inquit, *decebat ut nobis esset pontifex*: subiturus tamen ad cælos hanc apostolis commendavit, ac per eos, tamquam hæreditario jure successoribus eorum, nobis scilicet, quos pastores, episcopos ac pontifices super ipsam constituit, ejus providentiæ curam indulsit, quatenus pro patribus nati filii, & pro eis constituti principes in omnem terram, imitatores eorum essemus, sicut & ipsius Christi. Verum & inter beatissimos apostolos, sicut & ille magnus Leo scribit, in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, & cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut ceteris præmineret. De qua forma episcoporum quoque est orta distinctio: & magna dispositione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: & rursus quidam in majoribus urbibus constituti, sollicitudinem ejus susciperent ampliorem: per quos ad unam Petri sedem universalis ecclesiæ cura confluaret, & nihil unquam a suo capite dissideret. Quod nisi quidam ex vobis nullo interiori comprehendissent obtutu, nunquam Rothadum episcopum Suessonicæ urbis sine consensu nostro deposuissent, deprædarentur, & in exilium pulsum monasteriali custodiæ manciparent. Nam quomodo non omnes vobis omnia vendicatis, qui judicia episcoporum, quæ merito inter majora numerantur negotia, vestræ deliberationi tribuistis? An modicum vobis esse videtur, fratres & coepiscopos vestros præter apostolicæ sedis consensum depositioni subjicere? Quod si damnationes episcoporum non inter majora negotia dinumeratis, quorum jam causas inter majora computatis negotia? Quid rogo de presbyteris, vel de inferioris gradus clericis agitur, quorum apud nos quoque causa Chalcedonensis concilii regulis, cum ratio exigit, audiri jubetur? Si episcopos tanta facilitate deponitis, quomodo rogo per vos, quorum vel in singulis provinciis habetur prima sententia, vel qui in majoribus urbibus constituti sollicitudinem suscipitis ampliorem, ad unam Petri sedem universalis ecclesiæ cura confluit, qui de majoribus deponendis episcopis nihil ad ejus notitiam deferre curatis? An episcopi de universali ecclesia non sunt, ut de illis damnandis per vos aliquid ad unam Petri sedem deferri non curetur? Vel quomodo nil usquam a suo capite dissidet, cum de adjudicandis præcipuis membris ecclesiæ, id est, episcopis, a capite, id est, sede apostolica dissentitis? An sedes apostolica caput non est? Frustra ergo, ut multa præteream, concilium Sardicense ad Julium episcopum inter cetera dixit: Optimum & valde congruentissimum esse videtur, si ad caput, id est, ad Petri apostoli sedem, de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes. Ecce sedem Petri caput appellatam, cui de singulis provinciis Domini referre sacerdotes debent. E contra vos adeo hanc despicitis, ut ad eam nihil de majoribus ecclesiæ negotiis referre curetis, ac episcopum inconsulta & contempta illa deponere præsumatis, & præcipue sedem apostolicam appellantem. Nimis namque absurdum est quod dicitis, Rothadum, qui ad judicium sedis apostolicæ provocavit, iterum mutata voce vestra judicia postulasse. Quod etiamsi ita fuisset, a vestra fuerat fraternitate corrigendus, & quia a majori ad minoris auctoritatis provocasset judicium, emendandus. Licet certis non patere possit ullis indiciis, a nostro illum ad vestra cucurrisse judicia, quem constat in ipso articulo contra se proferendæ sententiæ sedem apostolicam appellasse, & quod se ab illa judicari poscret, coram omnibus exclamasse. Æquum non foret, si ad vestra se judicia convertisset, quamvis etsi sedem apostolicam nullatenus appellasset, contra tot tamen, & tanta vos decretalia efferri statuta, & episcopum inconsultis nobis deponere nullo modo debuistis. Quod tamen vos, ut servata vobiscum medullitus caritate dicam, postposuisse dolemus, & diversorum sedis apostolicæ præsulum decreta in hoc vos contempsisse negotio, non immerito reprehendimus. Absit enim, ut cujuscumque, usque ad ultimum vitæ suæ diem qui in fide catholica perseveravit, vel decretalia constituta, vel de ecclesiastica disciplina quælibet exposita, debito cultu, & cum summa discretione non amplectamur opuscula, quæ dumtaxat & antiquitus sancta Romana ecclesia conservans, nobis quoque custodienda mandavit, & penes se in suis archivis, & vetustis rite monumentis recondita veneratur. Absit, ut scripta eorum quoquomodo parvi-

ANNO CHRIST. 66

Can. 5.

Conc. Sardic. in epist. ad Julium

pendenda dicamus, quorum videmus Deo auctore sanctam ecclesiam, aut roseo cruore floridam, aut rorifluis sudoribus, & salubribus eloquiis adornatam. Si enim ipsorum decreto ceterorum opuscula tractatorum approbantur vel reprobantur, ita ut quod sedes apostolica probat, hodie teneatur acceptum, & quod illa repulit, hactenus ineffica habeatur: & quanto potius quæ ipsa pro catholica fide, pro profanis dogmatibus repellendis, pro variis & multifariis ecclesiæ necessitatibus, & fidelium * moribus, diverso tempore scripsit, omni debent honore præferri, & ab omnibus prorsus in quibuslibet opportunitatibus discretione vel dispensatione magistra reverenter assumi? Quamquam quidam vestrum scripserint, haud illa decretalia priscorum pontificum in toto codicis canonum corpore contineri descripta, cum ipsi, ubi suæ intentioni hæc suffragari conspiciunt, illis indifferenter utantur, & solum nunc ad imminutionem potestatis sedis apostolicæ, & ad suorum argumentum * privilegiorum, minus accepta, esse perhibeant. Nam nonnulla eorum scripta penes nos habentur, quæ non solum quorumcumque Romanorum pontificum, verum etiam priorum decreta in suis cautis præferre noscuntur. At nunc, ubi suis animis resultare, & privilegia tanto nos, ut in sui status incolumitate persistant, elaborare non cessamus, quanto universæ ecclesiæ profuisse, prodesse, ac profutura semper esse probantur. Dignum ergo est, ut ubi universa fabricæ moles innititur, ibi firmum validumque habeatur in omnibus fundamentum. Porro si ideo non esse decretales epistolas priscorum pontificum Romanorum admittendas dicunt, quia in codice canonum non habentur adscriptæ; ergo nec Gregorii sancti, nec ullius alterius qui ante vel post ipsum fuit, est aliquod institutum vel scriptum recipiendum, eo quod in codice canonum non habeatur adscriptum. Ergo doctrinam eorum, & sanctiones de codicibus suis eradant: ut quid vel membranas occupant, postquam non habentur acceptæ? Sed quare multum immoremur, cum nec ipsas divinas scripturas novi & veteris testamenti jam recipimus, si istos duxerimus audiendos? Etenim neutrum horum in codice ecclesiasticorum canonum habetur insertum. Sed respondsuri sunt isti, qui non ad obediendum potius quam ad resistendum semper parati sunt, dicentes quod inter canones inveniatur capitulum sancti papæ Innocentii, cujus auctoritate doceatur a nobis utrumque testamentum esse recipiendum, quamquam in ipsis paternis canonibus nullum eorum contineatur ex toto insertum. Quibus ad hæc asserendum est, quoniam si vetus novumque testamentum recipienda sunt, non quod codici canonum ex toto habeantur annexa, sed quod de his recipiendis sancti papæ Innocentii prolata videtur esse sententia; restat nimirum, quod decretales epistolæ Romanorum pontificum sunt recipiendæ, etiamsi non sunt canonum codici compaginatæ: quoniam inter ipsos canones unum B. Leonis capitulum constat esse permixtum, quo ita omnia decretalia constituta sedis apostolicæ custodiri mandantur, ut si quis in illa commiserit, noverit sibi veniam negari. Ait enim capitulo V. suorum decretalium: Ne quid vero sit, quod prætermissum a nobis forte credatur, omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium decessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus, & canonum promulgata sunt disciplinis, ita vestræ dilectioni custodiri mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. Dicendo vero omnia decretalia constituta, nullum de decretalibus constitutis prætermisit, quod non mandaverit esse custodiendum. Et rursus asserendo omnium decessorum nostrorum, nullum pontificum Romanorum, qui ante se fuerit, excepit, cujus ita non præceperit decretalia constituta ab omnibus custodiri, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. Itaque nihil interest, utrum sint omnia decretalia sedis apostolicæ constituta inter canones conciliorum immixta, cum omnia in uno corpore compaginari non possint, & illa eis intersint, quæ firmitatem his quæ desunt, & vigorem suum assignent. Præsertim cum synodalia gesta, inter quæ ipsi canones statuti sunt, in codice canonum non habeantur, sed a nobis omni cultu debito venerentur. Consonat autem huic beatissimo papæ Leoni sanctus & facundissimus in decretis suis papa Gelasius, ita inquiens: Decretales epistolas, quas beatissimi papæ diversis temporibus de urbe Roma, pro diversorum patrum consultatione dederunt, venerabiliter susscipiendas decernimus. In quo notandum, quia non dixit decretales epistolas quæ inter canones habentur, nec tantum, quas moderni pontifices ediderunt; sed quas beatissimi papæ diversis temporibus ab urbe Roma dederunt. Dictis autem diversis temporibus, etiam illa tempora vir sanctus comprehendit, quæ crebrescentibus paganorum persecutionibus ad sedem apostolicam deferri causas episcoporum difficillime permittebant. His ita divina favente gratia prælibatis, ostendimus nullam differentiam esse inter ea decreta, quæ in codice canonum habentur sedis apostolicæ præsulum, & ea quæ præ multitudine vix per singula voluminum corpora reperiuntur: cum omnia & omnium decessorum suorum decretalia constituta, atque decretales epistolas, quas beatissimi papæ diversis temporibus ab urbe Roma dederunt, venerabiliter esse susscipiendas & custodiendas, eximios præsules, Leonem scilicet & Gelasium, mandasse probavimus. Quamvis & hoc, quod sæpe commemoratus B. Leo, apostolicæ sedis antistes, ad Anastasium Thessalonicensem archiepiscopum scribit, quorumdam vestrorum præsumptionem potentissime ferit, & quod talia negotia nobis inconsultis diffinire minime debeatis, manifeste denuntiat. Ait enim: Nam cum majora negotia, & difficiliores causarum exitus, liberum tibi esset sub nostræ sententiæ expectatione suspendere, nec ratio tibi, nec necessitas fuit, in id quod mensuram tuam excederet deviandi. Et item deinceps: Præsertim, inquit, cum etiamsi quid tale aliquid mereretur, expectandum tibi fuerit quid ad tua consulta rescriberem. Et paullo post: Sed etiamsi quid grave, intolerandumque committeret; nostra erat expectanda censura, ut nihil esse prius decerneres, quam quid nobis placeret agnoscere. Quod nos quoque de Rothado vobis non irrationabilius dicere possumus: quia dum octo fere annos ventilaveritis, nec ratio vobis, nec necessitas fuit, in id quod mensuram vestram excederet deviandi. Sed etiamsi quid grave, intolerandumque committeret, nostra erat expectanda censura, ut nihil prius decerneretis, quam quid nobis placeret agnoscere-tis. Sed dicitis judicia episcoporum non esse majora negotia, nec difficiliores causarum exitus. At nos horum merito judicia majora negotia dicimus, & difficiliores causarum exitus judicamus, qui quanto gradus sunt præcipui, & in ecclesia Christi sublimiores, tanto, cum de horum statu vel casu agitur, majora negotia & difficiliores causarum exitus agitari, vel haberi creduntur. Ipsi quippe primi in ecclesia, ipsi arundinem tenentes metiuntur sanctam Jerusalem, ipsi fabricæ

Dei

ANNO CHRISTI 865. Dist. Si Romanorum.

* al. moribus.

* augmentum.

Dist. XIX. Si Romanorum. §. Si ideo.

Decr. c. 27.

Epist. ad episcopos per Campaniam.

In Synodo Romana scripta nova.

Epist.

Dei præsunt, ipsi speculatores civitatis Dei sunt, ipsi arietes, ipsi pastores gregis dominici, ipsi columnæ domus summi regis existunt. An majora negotia causas inferiorum clericorum esse conjicitis, ut horum causas nobis, & episcoporum vobis negotia tribuatis? Quamvis & inferioris gradus clericorum causas apud nos, cum tempus vel res exegerit, esse finiendas, e diverso procul dubio colligamus, sicut B. papa dicit Innocentius. Si quæ autem causæ vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis, quam inferioris etiam fuerint exortæ, ut secundum synodum Nicænam congregatis ejusdem provinciæ episcopis jurgium terminetur: nec alicui liceat, sine præjudicio tamen Romanæ ecclesiæ, relictis his sacerdotibus, qui in eadem provincia Dei ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. An majora negotia metropolitanorum tantum esse fatemini? Sed audite rursus quid de episcopis sanctus asseveret Leo. Quibus, inquiens, etsi dignitas communis est, ordo tamen generalis est, & revera unus de septem ecclesiæ gradibus est, metropolitanorum scilicet & reliquorum episcoporum ordo. Et quod dicit apostolus, oportet episcopum irreprehensibilem esse, non video minus metropolitanis, quam ceteris episcopis convenire. Nisi forte episcopatu se privet, quisquis metropolitanorum ad se hoc apostoli dictum non æstimet pertinere. Unde nos non minoris numeri, nec alterius famæ accusatores, testes, vel judices quærimus in negotiis episcoporum, quam exigimus in causis metropolitanorum. Unde tam illorum, quam istorum negotiorum nobis exitus reservari merito volumus, & jure decrevimus. Totius enim ecclesiæ, Deo auctore, generaliter sollicitudinem gerimus, & omnium utique qui ecclesiam faciunt cura constringimur, atque omnium quorum nos maxima cura expectat, nostrum præcipue debent promereri judicium, sicut Innocentius ad Alexandrum scribens Antiochenum, non scilicet solum metropolitanorum, sed & omnium omnino sacerdotum, quinimmo universorum qui se de ovibus principaliter divinitus Petro commendatis esse non nesciunt: idest, non solum cunctorum, qui de illorum numero sunt de quibus Dominus principi apostolorum dixit: *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, sed etiam qui de his piscibus sunt, qui intra rete, quod ab ipso ad litus trahi specialiter jussum, esse se recognoscunt. Adhuc tamen percontari propter contentiosos libet, quænam judicia, vel quorum esse majora negotia prædicatis, si episcoporum causas non inter præcipua computatis negotia? An laicorum & vulgarium populorum judicia inter majora negotia ponitis, quos pene quotidie cum vestris, & sine vestris epistolis, ad discutiendos & judicandos suscipimus, & discussos, vel judicatos, vel absolutos dimittimus? Denique aut sæcularium judicia inter majora, & episcoporum inter minora negotia collocabitis, & vobis episcoporum, nobis laicorum judicia reservabitis: aut certe, si episcoporum judicia sunt majora negotia, juxta Leonem liberum vobis esse debuit, hæc sub nostræ sententiæ expectatione suspendere, aut si persona judicandi tale aliquid mereretur, expectandum vobis fuerat quid ad vestræ consulta rescriberem. Absurdum est enim, ut laicos quosque & minimos, qui sunt in ecclesiis vestris, nostro mittatis judicandos, & addatis quotidiano labori, & episcoporum; qui præcipua ecclesiæ membra sunt, vestræ subdatis deliberationis arbitrio. His vero tandem omissis, Deo duce, scitote nos, quod temeritate magistra perperam a vobis commissum est, & quod inconsultis nobis in Rothado fratre & coepiscopo nostro præpropere perpetrastis, (etiamsi nunquam sedem apostolicam appellasset) Dei auctoritate, & beatissimorum Petri ac Pauli principum apostolorum, seu omnium decessorum meorum, nec non & sanctorum trecentorum decem & octo patrum, qui apud Nicæam sub Constantino pio principe convenerunt, penitus evacuantes, & in irritum ducentes, præfatum Rothadum pristino gradui, pristinæ dignitati, pristino reddidisse prorsus honori: ita ut divina mysteria conficiendi priorem facultatem adeptus, omnique sacerdotali restitutus officio, sine cujuslibet contradictione, propriæ receptæ libere præsit ecclesiæ, a qua inconsultis nobis expulsus est. Denique cum ante biennium scriptis & verbis instanter egissemus, ut idem Rothadus, aut propriæ redderetur ecclesiæ, aut certe Romam cum vicariis vestris, & ipsius accusatoribus, ad examinandum & judicandum nobis destinaretis, & nihil apud vos impetrare potuissemus, dum modo hoc, modo illud ad excusandas excusationes in peccatis objiceretis: tandem aliquando, Deo inspirante, & Nicænæ nobis synodi decreto suffragante, quo inter cetera præcipitur, ut suis privilegia serventur ecclesiis, ratum duximus, jam fatum Rothadum, memores scilicet privilegiorum apostolicæ sedis, a vinculis quibus illum, ne uteretur officio, nec suæ præesset ecclesiæ, colligastis, quia nos non censuimus, absolvendum. Neque enim tam stolidus, tamve poterit traditionis tramite devius inveniri, qui ceteris ecclesiis privilegia servari, & soli Romanæ ecclesiæ adimi debere perhibeat, quæ omnium ecclesiarum magistra, mater, & caput est. Si quis autem tacita forte, quia non audet aperta mussitatione fateri, Romanæ hujuscemodi ecclesiæ privilegia non fuisse, quibus sedes apostolica aliorum ligata præsulum facultatem habuerit dissolvendi, præter quod prisca rerum probatione, & nonnullarum recitatione scripturarum convincitur, testis est beatus Gelasius, quem idcirco ad testimonium super his perhibendum produximus, quia hunc non solum vita & doctrina plurimum commendat, verum etiam rem, de qua agitur, in paucis adstruit & ostendit, nobis videlicet brevi sermone propinans, quod de multorum voluminum fontibus hausit. Scribens enim episcopis per Dardaniam constitutis, inter cetera: Nec plane, ait, tacemus, quod cuncta per mundum novit ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata pontificum sedes beati Petri apostoli jus habeat resolvendi, utpote quæ de omni ecclesia fas habeat judicandi. Item idem ad episcopos orientales, post quingentos inquit annos constituta Christi eos velle subvertere, cum xxx. annorum lex hominum non possit abrumpi, sanctum Athanasium ideo non damnatum a synodo orientis, quia sedes ista non consenserit, vel sanctum Joannem Constantinopolitanum, vel sanctum Flavianum. Si ergo hac non consentiente sola, ii damnati a synodo orientis, non potuerunt esse damnati; consequens est etiam, qui eadem sola damnante, sine synodo damnatus fuerit, damnatus sit. In quo inter cetera notandum est, quia si hos, qui post quingentos annos statuta Christi tentabant subvertere, tanta vir sanctus increpatione redarguit, cum xxx. annorum lex hominum non possit abrumpi; quanto magis exprobrandi sunt, qui ea etiam post octingentos, & eo amplius, annos nituntur evellere? Quæ vero statuta Christi dixerit, inferius declaravit, cum sola sede apostolica non consentiente neminem posse damnari, & sola ea consentiente, qui damnatus fuerat, damnatum haberi exposuit. Statuta itaque Christi dixit post quingentos annos subvertere; quia jam quinquies

ANNO CHRISTI 865.

Epist. XI.

cen-

centum circiter anni præterierant, quando venerabilis papa dixit iedem apoſtolicam hæc ſtatuta Chriſti promeruiſſe. Privilegia enim ſua a Chriſto eccleſia Romana per Petrum conſecuta eſt, & ipſa ſunt ſtatuta Chriſti: quæ quidam tunc poſt quingentos, nunc poſt octingentos annos exinanire conantur. Eccleſiæ inquam Romanæ adeo ſunt antiqua & vetera privilegia, ut Nicæna ſynodus, ſicut * Bonifacius præſul apoſtolicus epiſcopis per Theſſaliam conſtitutis ſcribens ait, non aliquid ſuper eam auſa ſit conſtituere, cum videretur nihil ſupra meritum ſuum poſſe confiteri. Omnia denique noverat huic Domini ſermone conceſſa. Si omnia, ergo & epiſcoporum judicia. Perhibente autem beato Bonifacio, quod Nicæna ſynodus ſuper eam, haud dubium quin Romanam eccleſiam, non auſa ſit aliqua conſtituere, cum videret nihil ſupra meritum ſuum poſſe confiteri, omnia denique huic noverat Domini ſermone conceſſa: & objurgante ſancto Gelaſio eos, qui conſtituta Chriſti volebant ſubvertere, cum privilegia Romanæ ſedis moliebantur infringere: manifeſte datur intelligi, eadem eſſe conſtituta Chriſti, quæ ſunt omnia illa, quæ huic eccleſiæ ſynodus Nicæna noverat Domini ſermone conceſſa. A tempore quippe quo ſynodus Nicæna fuerat conſummata, nondum quingenti uſque ad Gelaſium anni tranſierant, ut de Nicænæ ſynodi ſtatutis tantus vir dixiſſe videatur, eos poſt quingentos annos ſtatuta Chriſti velle ſubvertere. Reſtat ergo, ut illius temporis mentionem fecerit, a quo quingentorum circiter annorum curricula uſque ad ſe devoluta poterant comprehendi. Chriſtus enim privilegia conſtituta in Petro diſpoſita vel firmata Romanæ contulit eccleſiæ, ſuper quam nihil ſynodus quælibet auſa eſt merito conſtituere, cum ſciat omnia illi Domini ſermone conceſſa. Diſpenſationem quippe redemptionis humani generis ante tempora ſæcularia Dominus omnipotens penes ſe ordinatam cuſtodiens, & tempore carnis oſtendens, aſcenſurus ad cælos, in apoſtoli Petri, per quam & apoſtolatus & epiſcopatus ſumpſit exordium, confeſſione curaque præcipue collocavit; qui tunc per ſe, & deinceps per ſuæ ſolicitudinis hæredes, circa humanum genus, quæ ſibi Dominus commendavit, non deſtitit exhibere. Hæc enim ille, hæc ſucceſſores ejus ex tunc agere non omittunt, modo verbis, modo decretorum ſuorum epiſtolis ab urbe Romana diverſis temporibus datis, commiſſarum ſibi ovium providentiam principaliter exercentes. Itaque Rothadum epiſcopum, de quo hactenus noſtris contempſiſtis obedire mandatis, tandem a nobis, immo a Deo, priſtino gradui reſtitutum benigne ſuſcipite, quia ille evangelicus filius rediens non ſolum ſuſcipi meruit, ſed & dignus paternis complexibus invenitur, & annulum fidei recipit, & ſtola circumdatur, per quam quid aliud, quam ſacerdotii declarantur inſignia? Nec probabilis extitit apud patrem ſenior filius, quod invidit recepto: nec tantum meriti habuit penes patrem perſeverando, quantum noxæ contraxit non recipiendo germanum. Ergo ſuſcipite illum ut fratrem, ſuſcipite, inquam, illum ut mea viſcera. Sollicitos autem vos pro ſalute libenter audio: contra caput etiam ſi faciendum eſt, non libenter admitto. Cui manus porrigenda eſt, vobiſcum porrigo: cui porrigo, mecum porrigite. Si cui autem aliquid donaſtis, & ego. Nam & ego, etſi quid donavi propter vos, in perſona Chriſti, ut non poſſideamur a ſatana. Non enim ignoramus verſutias ejus, qui ſuper diſceſſione lætatur. Apoſtoli vero declaratæ benignitatis verba ſunt, ſicut ea viri beatiſſimi apoſtolicæ ſedis præſules, Innocentius & Bonifacius, ſapientiſſime replicarunt. Porro quiſquis contra hoc noſtri apoſtolatus decretum, poſt notitiam ejus ſe efferens, ſæpe fato Rothado epiſcopo, ad recipiendam & regendam Sueſſonicæ urbis eccleſiam, aliquod palam vel occulte præparaverit offendiculum, vel ſi perſonæ ipſius quoquomodo inſidiatus extiterit; quinimmo ſi quis veſtrum ad eccleſiam recipiendam illi, tamquam frater fratri, adjutorium non præſtiterit, utpote qui videt fratrem ſuum neceſſitatem habere, & claudit viſcera ſua ab eo, & veluti is in quo caritas Dei non manet, ab ipſa caritate quę Deus eſt, & a corpore & ſanguine Chriſti, & a nobis qui membra illius ſumus, habeatur omnimodis alienus. Porro ne juſtitiam regere noſtræ tantum videamur voluntatis arbitrio, ac per hoc æſtimemur canonicis legibus contraire, ſancimus atque decernimus, quatenus ſæpedictus Rothadus, venerabilis epiſcopus, paratus ſit omni regulariter poſcenti de ſe, quia Deo propitio nulli parti favere volumus contra juſtitiam, coram ſedis apoſtolicæ præſule reddere rationem. Ita dumtaxat, ut ſecundum majorum diffinitiones, ante omnia, quæ prius poſſederat integro jure recipiat; adeo ut talis ſit in omnibus, qualis ante ſententiam contra ſe prolatam fuiſſe dignoſcitur. Sicque demum, eccleſia recepta, & epiſcopatu libera ſecuritate poſſeſſo, proximis & amicis, rebus, & ipſis reſumptis viribus, veſtitus quoque, & ſpiritualibus armis tectus, accuſatoribus reſpondeat ſuis, & unde impetitur, pleniſſima ſtudeat hos qui foris atque intus ſunt ſatisfactione certificare.

ANNO CHRISTI 865.

EPISTOLA EJUSDEM NICOLAI PAPÆ I. AD CLERUM ET PLEBEM SUESSIONICAM.

Ut reſtitutum ſibi Rothadum epiſcopum omni affectu excipiant.

Clero & plebi conſiſtenti Sueſſioni.

Epiſt. SIcut priorum parentum eſt, de orbitate natorum acri valde lamentatione lugere: ita devotorum filiorum proprium eſt, de patris amiſſione vehementi mœrore affici, & ardore valido cruciari: ac per hoc contra naturam quodammodo agitur, ſi una pars ſine alterius partis ſocietate anxietur & doleat. Sed in hoc vos, cariſſimi filii, ſicut de vobis frequens narrat opinio, nequaquam, Deo gratias, frigidi, nequaquam extitiſtis ingrati. Denique nullus dubitat quas devotio veſtra, proprio deſtituta præſidio, ipſa quantum ad hominem pertinet orphana remanens, varias & multiplices calamitates pertulerit. Sed ille qui fidelibus diſcipulis dixit: *Non reliquam vos orphanos*, non ſolum præſenti Joan. ſua majeſtate protexit, ſed etiam propitia, quo deſolati & deſtituti eratis, pro ſua redonavit pietate rectorem: nobis ſcilicet, qui in eo vivimus, movemur, & ſumus, ad eum vobis reddendum nutu ſuæ miſerationis interius imperans, & competenter erudiens. Ecce enim venerabilem virum Rothadum, fratrem noſtrum, & coepiſcopum noſtrum, veſtrum autem patrem, paſtorem, atque magiſtrum, cujus longa jam eruditione inſtructi, cujus olim ſacri verbi pane refecti, cujus diuturnis laboribus & vigiliis circumſepti, cujus magiſterio & doctrina Deo eſtis auctore refecti, prioris infulis ſacerdotii, & priſtinis redintegratum honoribus, ac omnibus epiſcopatus officiis reſtauratum, veſtræ alacri devotioni & piæ dilectioni remiſimus. Habetis præterea in hoc beatæ recordationis Athanaſii prudentiſſimi ſacerdotis exemplum: cujus tolerantia cui non conſolationi ſit? cui non ſpem faciat ejus inexpectata reverſio?

Ejici-

Ejicitur Ario prosequente, sed revocandus Domino prosequente. Passus est carcerem, passus est angustias, nec mirum, si vir apostolicus ea passus est, quibus se apostolus gloriatur exercitatum. In his tamen omnibus secutus est illum, qui sibi in tribulationibus se placere testatur, fugatus illinc, & in nostris partibus roboratus est. Denique hic ei redintegratus status est, in hac sede requiem communionis invenit, a qua semper catholicis subvenitur. Sancti autem papæ Cælestini verba sunt hæc, quæ nos Rothado possimus non inconvenienter aptare, præter quod ille reverendi Athanasii, & blasphemi Arii mentionem fecit: in præsentiarum vero Hincmarus prosequens, & Rothadus innocens in causa sunt. Gaudete itaque, fratres in Domino, & iterum dico gaudete: modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Exultate filii carissimi, & de reddito vobis patre, Deo immensas gratias persolvite. Lætamini oves dominicæ, ac pro restituto pastore, summo pastori laudum officia canite. Congregamini filii excelsi, exite obviam ei, tripudiantes cum hymnis & psalmis, & canticis spiritualibus, altisona Domino præconia concinentes, illum suscipite cum honore, adite eum cum hilaritate, obedite ei sicut patri reverendissimo, sicut magistro, & in omnibus circa eum ut devotissimos vos quietissimosque filios exhibete: scientes divinum præsidium procul dubio non ei defuturum, & quamdiu spiraculum omnipotentis erit, & halitus vitæ spirabit in naribus meis, solatium nostrum in suis opportunitatibus adfuturum. Qua de re rursus apostolatus nostri præceptione vestræ unanimitati jubemus, quatenus taliter agere vestra satagat industria, ut in nullo sine affectione circa jam fatum virum & episcopum vestrum reperiamini: sed ita nostris pro eo monitis pareatis, ut animadversio, quæ de contemptu nostri oriri poterat, in retributionem justæ mercedis concedente Domino convertatur.

EPISTOLA EJUSDEM NICOLAI PAPÆ I. AD ROTHADUM EPISCOPUM Suessionensem.

Quod illum ita restituat, ut paratum deinceps esse velit adversariis respondere, si quid conentur objicere.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei reverentissimo & sanctissimo Rothado episcopo sanctæ ecclesiæ Suessionicæ.

DEcessorum exemplа meorum imitans, mirabiliumque virtutum eorum flagrantiam sequens, oportet omnibus larga me hujus ecclesiæ, quæ mater est omnium Dei ecclesiarum, pietatis ubera præparare, atque universis undique ad eam confluentibus, tamquam fidelem & prudentem summi patris familias servum, apertum ejus exhibere misericordiæ gremium. Et ideo: quia constat sanctitatem tuam metropolitano tuo, & quibusdam ejus sequacibus te impetentibus, nobis inconsultis gradus tui jacturam sustinuisse, & ecclesia propria caruisse; ac deinde nobis etiam decernentibus hanc minime hactenus recepisse, & juxta quod jusseramus, nullam tuæ dilectionis restitutionem habere: Nos hanc depositionem, utpote quæ sine ulla nostra ratione irregulariter est effecta, depositionem nec fuisse, nec esse deliberamus, cum etiam nec fuerit dies, qua & absentem, & præsentem, non inter episcopos habuerimus, scripserimus, & coluerimus. Et ideo auctoritate Dei omnipotentis, & beatorum apostolorum Petri & Pauli, & omnium decessorum meorum sedis apostolicæ præsulum, pristino gradui, ac pristinæ reformamus ecclesiæ: ita ut quicumque tibi ad recipiendam ecclesiam olim tibi commissam, vel ad episcopale ministerium peragendum, aliquatenus impedierit, donec acquiescat, & tibi obsistendi conatum deponat, a sacrosanctis mysteriis, & ab ecclesiæ sit ingressu remotus, atque ab omni communione fidelium sequestratus. Quia quem præsentialiter nemo accusat, nos inter damnatos habere nec possumus, nec debemus. Præcipue cum damnatores tuos, vel vicarios eorum, frequentibus apostolatus nostri vocaverimus apicibus, & nullum ipsorum te accusantium videre penitus quiverimus: sed tantum quidam præsens positus, & alii scriptis suis nobis significaverunt, quod nulla te accusatione impetere voluissent, sed nec etiamsi secundum jussionem nostram venire potuissent, adversus sanctitatem tuam accusationes aliquas attulissent. Et proinde, quia per tot curricula temporum, sufficientibus datis induciis, nullus ad tui accusationem accessit, præcipue cum tu ad reddendam rationem paratus semper extiteris, nos te nec damnare possumus, nec inter damnatos relinquimus. Resumat ergo venerabilitas tua officium olim commissum, fruatur beneficio divinitus sibi collato, utatur episcopali ministerio, pristina dignitate resumpta recipiat ecclesiam, quam tibi Dominus commendavit, & quam tu quoque bonis initiis percepisti, & veraci ac multiplici fama testimonium tibi dante, dignis successionibus adornasti: ita ut sine quacumque & cujuscumque contradictione, vel impedimento, talis habearis in omnibus, qualis ante prolatam in te excommunicationis & depositionis sententiam extitisse agnoscaris. Sane ne justitiam regere nostræ tantum videamur voluntatis arbitrio, ac per hoc æstimemur ecclesiasticis legibus obviare, sancimus ut sanctitas tua, prius receptis omnibus, quæ ante possedisse dignoscitur, & ecclesiæ potestate fruens, & per aliquod tempus inoffense gubernans, resumptis viribus, & sibi ablatis omnibus redintegratis, sic demum, si qui sunt qui tibi aliquid conentur objicere, fortis jam & valida cum ipsis disceptationis luctamina aggrediatur; & juxta quod ratio dictat, & sacræ præcipiunt sanctiones, vestitus cum vestito, & armatus cum armato, ecclesiastico more, tempore a nobis præordinando, coram sedis apostolicæ præsule, contra tuos adversarios conflictum ineas, quidquid regulariter diffinitum fuerit procul dubio susceptorus. Quia vero de sanctæ ecclesiæ Suessonicæ, vel de sibi competentium diversorum locorum rebus, multi multa detraxisse, ac diverso modo hactenus illis frui dicuntur: sancimus atque decernimus, ut post secundam & tertiam conventionem & admonitionem sanctitatis tuæ, quisquis res præfatæ ecclesiæ, quibus tu aliquando ad usum vel sustentationem illic servientium, vel tibi obsequentium, fruitus fuisse dignosceris, retinere, & sibi ulterius absque voto tuo vendicare tentaverit, & illas qualescumque, & ubicumque, & quantæcumque fuerint possidendas prædictæ ecclesiæ Suessonicæ minime dimiserit, tamquam sacrilegus anathematis reus vinctus, ab ecclesiæ gremio, atque sacro corpore, & pretioso Domini nostri Jesu Christi sanguine, donec præsenti decreto nostro acquieverit, habeatur omnibus modis alienus, & tamquam violentus invasor atque tyrannus, sit Christianorum communione privatus: ita ut qui hujusmodi in communione susceperit, simili pœna teneatur adstrictus. Scripta per manum Petri notarii regionarii,

ANNO CHRISTI 865.

narii, & scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ, in A mense Januarii, indictione XIII. Bene vale in nomine Domini.

ANNO CHRISTI 865.

Nota Severini Binii.

Hincmarus Rhemensis episcopus quid in Rothadum.

a *Concilium*.) Hincmarus Rhemensis archiepiscopus cum reliquis Galliarum episcopis, qui Silvanectensi concilio interfuerant, & Rothadum Suessionensem episcopum injusto judicio episcopatu suo amoverant, vinctumque in monasterium detruserant, a Nicolao pontifice ter quaterve moniti (prout 25. & 29. pluresque aliæ Nicolai papæ epistolæ indicant) jussui pontificis tandem obtemperantes, ipsum Rothadum vinculis solverunt, idque pontifici per diaconum & scriptas ad eum epistolas significarunt. Cumque pontifex scripta ad Rothadum epistola trigesimaquarta, eum Romam venire jussisset, Hincmarus vero aliter quam promiserat ab incepto itinere eumdem aliquoties impediviſſet, peremptorium terminum sistendi illu u Romæ B præscripsit: quo devoluto, ille Rothadum libere Romam abire permisit; sed noluit, ut pontifex præceperat, suos legatos mittere, qui adversus eum causſam prosequi possent. Cum vero jam octo menses agerentur, ex quo Rothadus Romam veniens accusatores expectaret, nec aliquis omnino compareret, qui pro Hincmaro & universo concilio Silvanectensi causſam prosecuturus adesset. Nicolaus pontifex non est passus diutius Romanæ ecclesiæ majestatem adversariorum contumacia traduci. Quamobrem ex sacrorum canonum præscripto ad Rothadi restitutionem judicium præparavit. Quomodo autem id exorsus, atque ad finem usque prosecutus fuerit, Anastasius bibliothecarius supra in vita Nicolai pontificis enarrat his verbis: *Veniente Rothado huc Romanam secundum mandatum beati papæ ad urbem, & per novem menses hic commorante, nunquam penitus ex accusationum parte quispiam adfuit*, &c. His anno Domini DCCCLXIV. peractis, sequente anno mense Februario hanc synodum pontifex convocavit, in qua Rothadum per sententiam synodalem post multos labores exantlatos, suæ ecclesiæ plenissime restituit. Quomodo autem ista parata fuerint, refert Anastasius prædicto loco. Vide Baronium anno 865. num. 1. & 864. num. 17. & 18.

ANNO CHRISTI 865. Causſa c lii.

Acta c lii.

☞ AD CONCILIUM ROMANUM VII.

Sub Nicolao I. papa anno 865. die XII. Kal. Februarias celebratum

ADDITIO.

Ex Suppl. Mansi tom. 2. pag. 195.

IN hoc pariter concilio (quod præcedenti præferendum est, licet ambo ejusdem anni sunt) præter Rothadi Suessionensis restitutionem, de quo plura apud Labbeum, Soffredus etiam Placentinus episcopus sedi suæ restituitur, expulso Paulo in locum amoti Soffredi, nescio cujus auctoritate, constituto. Anastasius in vita Nicolai id a pontifice actum per legatos suos testatur. Neque rem peractam per legatos ego quidem negaverim; sed in hoc concilio stabilitam opinor, cum Auxilius episcopus, quicumque ille fuerit sub hoc nomine latens scriptor apologiæ pro ordinationibus Formosi papæ vulgatæ a Mabillonio Veter. Analect. pag. 39. edit. in fol. in capite C XXI., id actum in concilio testetur his verbis: *Soffrenium Placentium episcopum merito reprobatum Nicolaus papa una nobiscum reconciliavit*. In hoc vero Romano, qui inscribitur VII. concilio, in quo Rothadus episcopatum suum recipit, id actum idem Auxilius ibidem testatur, cum proxime ante illa verba scripserit: *Rothadum episcopum S. Suessionensis ecclesiæ & Soffrenium Placentinum episcopum Nicolaus papa &c.* Quæ cum ita se habuerint, fragmentum illud epistolæ Nicolai papæ ad Ludovicum imperatorem, servatum a Gratiano in Decreto can. 6. q. 3. §. *Denique*, tanquam scriptum ad concilium istud pertinens, hic transferendum est.

EPISTOLA SYNODICA NICOLAI PAPÆ

Ad Ludovicum imperatorem.

DEnique Suffredus si tale se crimen noverat, quo recte posset episcopatu privari, vel infirmitate se sentiebat forsitan prægravari, qua impeditus, nullis posset proximis sua prælatione prodesse, primatis sui debuerat, & non aliorum diœceseos antistitum præstolari judicium. Quod si quælibet ambiguitas, vel aliqua fortasse super ejus examinatione, vel episcopatus abrenuntiatione oborta fuisset contentio, ex more ad sedem apostolicam referri convenerat, & nostra in his omnibus debuerunt cuncti decreta penitus expectare. Quod quia omissum hactenus dolemus, dilectissimam mihi gloriam vestram vehementer efflagito, ut jam dictus Suffredus episcopus proprio restituatur episcopio, & si quid reprehensione dignum postea vel correctione, vel digna animadversione diffiniatur. ☞

ANNO CHRISTI 866.

a CONCILIUM SUESSIONENSE III.

ANNO CHRISTI 866.

NICOLAI PAPÆ JUSSU PRO CAUSSA

Vvalfadi & sociorum ejus convocatum, celebratumque indictione XIV. die XV. kalendas Septembres, anno Christi DCCCLXVI. Nicolai ejusdem papæ anno VIII. Caroli Calvis regis XXVII.

ELENCHUS OMNIUM QUÆ AD E SYNODUM PERTINENT SUPRASCRIPTAM.

Ex editione E. Sirmondi.

I. *Epistola Nicolai papæ ad Hincmarum archiepiscopum Rhemensem, qua synodum pro causſa Vvalfadi & sociorum ejus convocari jubet.*

II. *Epistola Caroli regis ad Nicolaum papam paullo ante synodum Suessionensem scripta, ut ecclesiam Bituricensem interim Vvulfado committere liceat.*

III. *Epistola Nicolai papæ ad Carolum regem, ut de Vvulfado & sociis ejus ente synodi definitionem nihil innovetur.*

IV. *Epistola generalis Nicolai papæ ad Herardum archiepiscopum, & alios, qua synodum congregari jubet.*

V. *Schedulæ, seu libelli quatuor synodo per vices oblati ab Hincmaro archiepiscopo Rhemensi.*

VI. *Annuntiatio Herardi archiepiscopi, regis ac synodi jussu facta.*

VII. *Synodica concilii Suessionensis III. ad Nicolaum papam.*

VIII. *Epi-*

VIII. *Epiſtola altera concilii ejuſdem ad Nicolaum, de Britonum infeſtationibus, & de Actardo epiſcopo, qui Romam cum actis ſynodi mittebatur.*
IX. *Caroli regis epiſtola ad Nicolaum, de his quæ facta fuerant in ſynodo.*
X. *Privilegium monaſterii Solemniacenſis ab eadem ſynodo Sueſſionica conceſſum & ſubſcriptum.*
XI. *Epiſtola Nicolai papæ, qua ſynodicæ conſilii ejuſdem epiſtolæ reſpondet.*
XII. *Epiſtola Nicolai papæ ad Hincmarum, ejuſdem argumenti.*
XIII. *Epiſtola Nicolai papæ ad Carolum regem, qua ſuperiori ejus epiſtolæ reſpondet.*
XIV. *Epiſtola Nicolai papæ ad Vulfadum & ſocios ſuis gradibus reſtitutos.*

I.

EPISTOLA NICOLAI PAPÆ I. AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM Rhemenſem.

Qua ſynodum pro cauſſa Vulfadi, & ſociorum ejus, apud Sueſſionem convocari jubet.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, reverentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Hincmaro archiepiſcopo Rhemenſi.

MUltorum a partibus Galliarum ad limina vel ſedem confluentium apoſtolicam relatione didicimus, ſanctitatem tuam quoſdam clericos, qui de conſecratione fuerant Ebbonis quondam Rhemenſis antiſtitis, propriis gradibus pepuliſſe. Quorum dejectionem audientes, quia etiamſi nullo ſpeciali privilegio ad hanc curandam principaliter incitaremur, oppreſſis tamen ſubvenire, & ad exemplum dominicum eliſos erigere & compeditos ſolvere nos oportet, operæ pretium duximus in archivis ſanctæ Romanæ, cui Deo auctore deſervimus, eccleſiæ ſtudioſius quærere, & ſi ſcripto forte memoria quælibet apud nos, ſive de illis, ſive de ordinatore ipſorum eſſet recondita, diligenter inveſtigare, quod & fecimus. Siquidem ex his quibuſdam Deo revelante repertis, nihilo minus etiam concilii quod nobis ipſe miſiſti, videlicet in quo præſignati clerici degradati ſunt, acta relegimus. Sed his omnibus, id eſt tam illis monumentis, quæ penes nos habentur, quam his quæ ſanctitas tua nobis deſtinavit, rite collectis, enucleanterque recenſitis, nondum liquido patet eoſdem clericos regulariter gradu proprio caruiſſe. Verum nos nec hos interim juſtificamus, nec pro hoc quemlibet condemnamus, nec facile vocem iſtorum ſpernimus, nec reverentiam tuam improvide reprehendimus. Illud quidem, ne obturare aures ad clamores pauperum, id eſt, humilium, dignoſcamur: hoc vero, ne de incognitis immature judicare quippiam videamur. Proinde neceſſario præſentis epiſtolæ ſalubribus fraternitatem tuam hortamur affatibus, uti commemoratos viros, Vulfadum ſcilicet, collegaſque ipſius, clementi animo & tranquilla ſtudeat ad ſe magnanimitate vocare, depoſitaque omni funditus animoſitate, de reſtitutione ipſorum ſecum fraterne tractare, atque miſericorditer conſummare contendat. Laudabilibus quippe judicavimus, ac coram Deo acceptius eſſe credidimus, ſi reſpectu divinitatis interrogata conſcientia ſolus illorum reſtaurationem ſine quavis ipſe refragatione admiſeris, quam ſi prius renitens, detecta tamen juſtitia cum multis hanc poſtea fueris amplexatus. Jam vero ſi flecti ad hoc te munda conſcientia non permittit, præcipimus fratres noſtros, Remigium Lugdunenſem, Adonem Viennenſem, Vvenilonem Rothomagenſem, A una cum ceteris archiepiſcopis & epiſcopis Galliarum & Neuſtriæ, quibus tamen poſſibilitas eſt, in idipſum cum beatitudine tua, & ſuffraganeorum tuorum, apud Sueſſionem urbem diœceſeos tuæ pariter convenire. Ad quorum venerandum conventum Vulfadum quoque, cum jam præſignatis paribus ejus, vos accerſire procul dubio volumus. Siquidem omnibus, videlicet tam archiepiſcopis & epiſcopis, quam ipſi Vvalfado & ſociis ejus, noſtras hoc jubentes literas deſtinavimus. Ubi canonice per ordinem cuncta, quæ in eis geſta ſunt, examinantes & ſubtilius inveſtigantes, ſi de illorum reformatione juſtum quid vel pium ſenſeritis, ſine contradictione perficite, & eos in ſuis ordinibus reſtituite. Præterea ſi diſceptantibus, vel fortaſſis alia atque alia decernentibus vobis, præfati dejecti ſedem appellaverint apoſtolicam, & ejus ſpeciali ſe judicio damnari vel abſolvi petierint, præcipimus ut ſi ſanctitas tua, vel ſi Vulfadus, aut ſocii ejus, ad nos venire per ſe non poſſunt, vicarios veſtros ad hoc negotium ventilandum & finiendum, mox poſt conſummatum concilium XV. Kalendas Septembres præſentis XIV. indictionis auctoritate noſtra collectum, veſtras præſentaturos perſonas, nullam penitus excuſationem prætendentes, utrique ad ſedem B. Petri emittatis. In quo ne forte ſiniſtra cogitatio ſubrepat, dicens eoſdem remotos clericos nullam jam vocem proclamationis habere, pro eo quod anni metas tempus dejectionis eorum exceſſerit: ſciendum eſt, nihil tale in canonibus, ubi de appellationibus ad Romanum præſulem legitur, penitus reperiri: alias autem & iſtos forſitan intra annum provocaſſe clarebit. Denique, ſicut epiſtola penes nos inventa ſanctæ memoriæ quarti papæ Leonis innuit, ſedem apoſtolicam eos appellaſſe jam nos incunctanter agnovimus. Quamvis longe inter ſe diverſa ſit omnimoda depoſitio, de qua nunc agitur, & ſuſpenſa excommunicatio, cujus vocem proterve utique clamantem, non humiliter petentem, poſt annum non audiendam quædam regula ſtatuit. Quia vero nonnulli, Pharaonem miniſtroſque ipſius imitantes, ſæpe cum ſenſerint oppreſſos quoſque atque dejectos, de ſuis neceſſitatibus, ſicut olim Iſrael filios, vociferari, iniquis eos operibus opprimunt, & oneribus exquiſitis affligunt: idcirco coram Deo ſanctitatem tuam admonemus, ut cum fortaſſis noſtris apicibus animati, crebro dicti viri dejectionis ſuæ cauſſam venire ad examen obtinuerint, nullam ex his quilibet indignationem tuam luſtineat, nullum ad cœpta peragenda per ſuggeſtionem reverentiæ tuæ patiatur incommodum. Sed dicturus es, ſedis apoſtolicæ te privilegia confirmantia quæ de ipſis ſtatuta ſunt viris habere. Bene argute. Sed ſi penes te, ſicut exemplaria quæ apud nos rejacent, fideliter reſervantur, & ea diligenter relegeris, profecto reperies quia ſumma firmitaſque ipſorum in apoſtolicæ ſedis reſervata ſit arbitrio poteſtatis. Nimirum quæ ſic aliena jura cuſtodit, ut ſua non minuat: ſic honorem debitum dat, ut ſuum non tribuat alienis: ſicque dilectionem tuam texit ab hoſte, ut ipſa ſe flagitantium exhiberi nequeat hoſtis. Unde ſicut nos contra cunctos adverſantes tibi, Deo juvante, clypeum protectionis noſtræ parati ſumus opponere: ita fraternitas tua ſtudeat his, qui apoſtolorum ſuffragia poſtulant, benigno ſemper favore ſuccurrere, & arma quæ contulimus ſic pro te ſint valida, ut totius pro nobis, ubi neceſſe eſt, non contra nos, roboris firmitatem obtineant. Agat igitur in his fraternitas tua, ut præter debitam obedientiæ reverentiam, quantus ſit in mente tua circa nos amor, qui auro & lapidibus pretioſis potior eſt, luce

ANNO CHRISTI 865.

ANNO CHRISTI 866.

luce clarius innoteſcat, & per horum exhibitionem det ſpeciale ſuæ caritatis indicium: & quæ intus nonnunquam tolummodo flagrat, in his propriæ nunc radios tuæ claritatis foras emittat. Porro ſcito nos fratri & coepiſcopo noſtro Remigio Lugdunenſi antiſtiti præcepiſſe, ut te prius adiens noſtras dilectioni tuæ literas porrigat: & ſic demum, ſi reſtitutioni præfatorum conſentire ſolius tuæ auctoritatis auſu veteris, ad convocandum ſtatutum ſententia noſtra jam deſignatum concilium epiſtolas noſtras ſibi delatas quibus a nobis deſtinatæ ſunt mittere ſatagat. Quidquid vero in concilio fuerit a vobis examinatum atque repertum, ſub geſtorum ſerie diſcretioni noſtræ, ſicut veneranda decreta ſtatuunt, mittere, & noſtræ auctoritati quæ ſalubria videbuntur roboranda, plena fidelique relatione dirigere. Ad extremum vero provide, ne ullo pacto quod de præfatis remotis clericis tanximus æſtimes negligendum cum a nobis incunctanter noſſe poteris, ſi contemptum fuerit, omnimodis ulciſcendum, quippe quos nec caritas fraternitatis, nec diſpenſatio loci, cui Deo auctore præſidemus, quouſque regularem finem opitulante ipſo capiat, a nobis patitur omittendum. Optamus ſanctitatem ſeu fraternitatem tuam in Chriſto bene valere. Data III. Nonas Aprilis, indictione XIV.

Alia rurſus ad Carolum regem de cogenda ſynodo eadem Nicolai epiſtola, ſed mutila, legebatur in ſchedis Nic. Fabri, *inquit Sirmondus in appendice ad III. tomum conc. Galliæ.*

II.

EPISTOLA CAROLI REGIS AD NICOLAUM PAPAM I.

Paullo ante ſynodum Sueſſionenſem ſcripta, ut eccleſiam Bituricenſem Vvlfado interim committere liceat.

Sanctiſſimo & reverentiſſimo patri Nicolao catholicæ atque apoſtolicæ ſedis ſummo pontifici, & univerſali papæ, Carolus gratia Dei rex & ſpiritalis filius veſter.

SAnctitatem paternitatis veſtræ ſi quotidie corporali præſentia, veluti mentis aſpectu, videre mereremur, multiplici immo ineffabili gaudio lætaremur, & quem viſceribus animi amplectimur, humili devotoque ſtringeremus amplexu. Sed quia ut cupimus ſpatia terrarum id facere denegant, nacta occaſione ad ſublimitatem ſanctitatis veſtræ ſæpe dirigere optamus, ut ſaltem affamine literarum colloquentes certificari de ſancta ſoſpitate veſtra mereamur, de qua multi aliis ex partibus varia nuntiantes nos terrere non ceſſant. Non enim modico lætaremur gaudio, ſi aliquem veſtrorum de vobis proſpera nuntiantem frequenter reciperemus. Et quia nobis tantas gratias de receptione unius refertis, quem non ut voluimus, ſed ut tunc tempus dictavit, pro honore & amore veſtro ſuſcepimus, appareret major devotio, ſi ſæpe hoc agere contingeret. Nam ſi, quod optamus, & quod Deus omnipotens ſua miſericordia concedat, celſitudinem ſanctitatis veſtræ aliquando has in partes recipere, vel illic videre mereremur, tunc vere cognoſceretis, quam devoti & fideles erga vos eccleſiamque vobis a Deo commiſſam exiſtimus. Omnino enim ſicut ſpecialem patrem divina diſpoſitio vos univerſali eccleſiæ ſuæ præpoſuit, ita ſpecialiter in caritate Chriſti ſanctam paternitatem veſtram diligimus, atque ſacris juſſionibus veſtris obedire deſideramus. Quod enim a vobis præcipitur, ſapientia & pietate munitur. Quapropter hæc conſiderantes quidquid nuper veſtra ſanctitas nobis agere mandavit de cauſſa fidelis miniſterialis noſtri Vvlfadi, ſociorumque ejus, qui dejecti ſunt propter ordinationem Ebbonis quondam Rhemenſis archiepiſcopi, prout valuimus executi ſumus; atque Hincmaro venerabili archiepiſcopo quibuſcumque modis potuimus ſuadere laboravimus, ut conſentiret juſtitiam præceptumque ſanctitatis veſtræ de ipſis: quod & ille dulcibus promittit verbis, quid tamen ſub melle lateat adhuc ignoramus. Sed quia nobis mandaſtis, ſi illum ad nos trahere ut vobis obediret non valeremus, ſollicite caveremus ne ipſe nos ad ſe trahere quibuſcumque valeret argumentis, quo aut ne vobis obediret fautores nos haberet, aut contra memoratos dejectos animum noſtrum commoveret: e contra obnixe precamur, ut nullo ſuadente conſentientes quod vos agere pro amore Dei cœpiſtis dimittatis, & quod nos pro juſſione veſtra facimus, ad opprobrium & contumeliam evenire non poſſit. Etenim, ſicut juſſiſtis, celebraturi ſumus ſynodum XV. Kalendas Septembres, in qua omnes epiſcopi & fideles regni noſtri parati ſunt in reſtauratione prædictorum dejectorum unanimiter adeſſe, & quod mandaſtis perficere, veſtrique etiam partem ſalvare. Et ne miremini, quare nunc ſanctitati veſtræ talia, & per tales miſſos inculcamus, dum ſimilia vobis, poſtquam ad nos miſiſtis, per Eri- cum hominem cariſſimi nepotis noſtri Hluduovici imperatoris mandavimus; ne pro aliqua levitate factum & inconſtantia animi deputetis, breviter vobis intimabimus. Rodulfus Bituricenſis eccleſiæ archiepiſcopus nuper defunctus eſt, & ipſa eccleſia ſapienti, & ſtrenuo virilique paſtore indiget, propter quorumdam levitatem morum, & inconſtantiam ipſius gentis. Unde conſilio accepto omnes epiſcopi & fideles regni noſtri, ipſaque etiam diœceſis, unanimiter in electione prædicti Vvlfadi conſenſerunt. Nam ſi illum talem non haberemus in regno noſtro, trahendus eſſet ex alio, propter maximam neceſſitatem ipſius loci. Maxime tamen, quia commendavimus ipſum regnum, ipſamque eccleſiam, dilectiſſimo filio noſtroque æquivoco, cujus infantiam, infirmitatemque, quæ ei peccatis noſtris merentibus accidit, conſiderantes, non potuimus recuperationem ſimilem reperire. Sed quia nondum in futura ſynodo cauſſa ſuæ reſtitutionis definita erat, noluimus antequam vos conſuleremus, cui omnia noſtra conſilia, uxorem, prolemque noſtram, regnum, univerſaque noſtra committimus, & per vos ſanctis principibuſque apoſtolis, quorum tutamen quotidie imploramus, quorumque auxilium humili deprecatione depoſcimus, ullo modo illum prædictæ eccleſiæ præponere. Idcirco nunc tam cito ad veſtram remiſimus ſanctitatem, quia veremur ne aliquo ingenio ordinatio illius ab aliquo dilatari poſſit. Penitus enim dimittere nec decet, nec juſtum eſt: neque nos & epiſcopi noſtri fieri patiemur tantam auctoritatem habentes. Et ideo rogamus, ut auctoritate ſanctitatis veſtræ, ne diu contra auctoritatem canonicam viduata prædicta eccleſia maneat, poſſit ordinari in officio presbyteratus menſe Septembri, ut mox futurus epiſcopus agat quæ huic miniſterio conveniunt. Alias autem non modica perturbatione poteſt undique tanta mater eccleſia concuti, pro qua ſola neceſſitate accelerari neceſſario depoſcimus. Si vero hoc vobis diſplicet, antequam vobis de jam dicta ſynodo renuntietur, liceat mihi vel ipſam eccleſiam propter ſæpedictam neceſſitatem illi committere, ne undique a pravis concu-

tiatur

tiatur hominibus. Fatemur enim, si ita vitam illius cognovisſetis, veluti novimus etsi ille nollet, a vobis ad ordinem episcopatus traheretur. Et quia talem illum novimus, ubi maxima neceſſitas regni noſtri imminet, conſtituere volumus, immo providentia divina, ſine cujus nutu nunc nullo modo credimus accidiſſe, ut talis homo tali præponeretur loco, qui ſecundum Deum regere poſſet & ſciret; maxima tamen ſtrenuitate laboris agente. Nam ſi inter barbaras nationes illum mitteremus, nec majorem laborem, nec majorem fructum mercedis acquirere illi valeremus. Et niſi zelo divino tacti, & ſpe fructuoſi ſui laboris animati, nullo modo a præſentia noſtra ſeparare voluiſſemus, ſcientes noſtris utilitatibus illum proficuum eſſe, atque ſupplemento obſequii ipſius nos ex parte quieſcere. Quidquid vero reſtat, totum ſapientiæ ſanctitatis veſtræ committimus, & ſicut ſub clypeo protectionis noſtræ ipſum ſocioſque ejus commiſiſtis, ita ipſum collegaſque illius veſtræ ſanctitati commendamus, ne ſpe fruſtrata quod ex vobis acceperunt, æternam pro ipſis inter innumera bona recipiatis mercedem.

III.

EPISTOLA NICOLAI PAPÆ I. AD CAROLUM REGEM.

Ut de Vulfado & ſociis ejus ante ſynodi definitionem nihil innovetur.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Carolo glorioſo regi.

EXcellentiæ veſtræ literas, quæ pro verbis mella ſtillabant, perlegentes, denuo fidei, qua circa ſanctam Romanam flagratis eccleſiam, comperimus patenter inſignia: denuo humilitatis & promptiſſimæ devotionis veſtræ reperimus erga ſedem apoſtolicam difficulter exponenda virtutum faſtigia. Verumtamen nihil in illis verbis veſtra caritas aſſerit, niſi quod noſtra jamdudum experimento ſolertia didicit: nihil ſcriptus oſtendere nititur, niſi quod nos pene quotidie factis aſpicimus. Quod enim poteſt eſſe manifeſtius ſummæ devotionis veſtræ, ac laudabilis affectus indicium, quam id quod in cauſſa venerabilis abbatis Vulfadi, vel ſociorum ejus, veſtra ſtudet exhibere benignitas? Denique nos quidem ad eorum auxilium vos primitus incitavimus: ſed tanta nunc pietas veſtra ſollicitudine, reverentiam circa primos apoſtolorum ſervando, quorum præſidium petunt, pro illis urgetur, ut pluſquam nos poſtulaſſe viſi ſumus, modo veſtra pia noſcatur ex hac anhelare prorſus induſtria. Siquidem nos tamquam clementiſſimum principem, & geminam caritatem habentem, vos ad juſtam dejectorum revelationem invitavimus, non ad immaturam erectionem eorum improvide provocavimus. Verum qualiter vos hinc ſimus hortati, prima vobis ex hoc epiſtola negotio miſſa luce clarius indicat. Sic ergo veſtra, quemadmodum illa dictat nos a vobis poſtulaſſe, pro eis exequatur providentia, & veſtra ſine culpa manebit apud Deum æquiſſima, ſicut credimus, excellentia. Præterea nos alacrem veſtram olim nobis præcognitam, & innumeris probatam experimentis, ceu devotiſſimi filii obedientiam recolentes, & ut in hac quoque cauſſa circa reverentiam principum apoſtolorum hanc oſtenderetis affectantes, ſcripſimus vobis, utpote cariſſimo filio, quatenus eos, quorum clamor ad ſedem ipſorum pervenerat, benigno in ſua juſtitia juvantes affectu, vobis quoque nihilo minus per interceſſiones eorum acquirere ſatageretis auxilium: non ut ſuper Dei reprehenſionis induceretis eccleſiam ſeminarium. Talem quippe nos eccleſiam Dei, qui ei per abundantiam ſupernæ gratiæ præſumus, juxta modum acceptæ diſtributionis exhibere debemus, qualem hanc auctor ejus proprio ſanguine purgans exhibuit: id eſt, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi. Quomodo autem nunc irreprehenſibiliter agi poteſt, quando penes nos tam de ordinatione ipſius, diverſa ſcripta rejacent, quædam hos accuſantia, quædam etiam defendentia? pro quibus examinandis & diſcernendis ſynodum, ſicut noſtis, iſto in tempore reverentiſſimorum epiſcoporum in regno veſtro juſſimus celebrari. Quorum relatione ſub geſtorum ſerie, quæ in ea de repulſione præſignatorum virorum reperta fuerint, nobis volumus, quemadmodum decretalia conſtituta præcipiunt, referati, ſicque demum decernentibus nobis quod Deo placet ordinari. Nam nos, qui cunctorum hominum, ſed præcipue ſacerdotum, maturam cupimus fore ſententiam, quomodo definitivum de minus cognitis judicium proferamus penitus ignoramus, antequam per memoratos antiſtites cuncta quæ ventilanda eſſe ab eis decrevimus, pleniter per ordinem agnoſcamus. Jam vero, ſi priuſquam quid de illis inventum fuerit nobis ab epiſcopis intimetur, dejectorum clericorum aliquem reſtituamus, & examen ab eis ſynodice patrandum judicio noſtro prævenimus, ut quid eos fruſtra vexari, ut quid ſupervacue tanto itinere fatigari volumus? aut quid opus fuit eis tantam injuriam vel confuſionem ingerere? Itaque ſi vultis ut juſtitiæ ac pietatis negotium, quod cœpimus, Chriſto duce ad calcem uſque ſicut dignum eſt perducamus; quæque in ſynodo ſæpedicta de prænotatis ejectis clericis reperta fuerint, agite quo nobis omnium epiſcoporum qui conveniunt relatu pandantur: & ita dein quod Dominus revelaverit a nobis diffiniendum procul dubio præſtolamini, quoniam ſi ſapientia eſt ſicut theſaurus effodiendus, reſtat ut etiam quæ ſapienter agenda ſunt omni ſcrutinio ſint, velut obriza, penitus inquirenda. Optamus gloriam veſtram nunc & ſemper in Chriſto bene valere, dilectiſſime fili. Data IV. Kalendarum Septembr. indict. XIV. An. Ch. 866.

ANNO CHRISTI 866

IV.

EPISTOLA NICOLAI PAPÆ I. AD HERARDUM ARCHIEPISCOPUM Turonenſem.

Præcipit ut niſi Hincmarus Vulfadum & ſocios ſuis gradibus ultro reſtituat, Concilium Sueſſione ad XV. Kalend. Septembres convocetur, in eoque reſtituatur.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Herardo Turonenſi archiepiſcopo, ſeu omnibus venerabilibus epiſcopis diœceſeos tuæ.

MUltorum a partibus Galliarum ad limina vel ſedem confluentium apoſtolicam relatione didicimus, fratrem noſtrum Hincmarum Rhemenſem archiepiſcopum quoſdam clericos, qui de conſecratione fuerant Ebbonis præceſſoris ſui, propriis gradibus pepuliſſe. Quorum dejectionem audientes, quia etiamſi nullo ſpeciali privilegio ad hanc curandam principaliter incitaremur, oppreſ-

ANNO CHRISTI 866.

fis tamen subvenire, & ad exemplum dominicum elisos erigere, & compeditos solvere nos oportet; operæ pretium duximus in archivis sanctæ Romanæ, cui Deo auctore deservimus, ecclesiæ studiosius quærere, & si scripto forte memoria quælibet apud nos, sive de illis, sive de ordinatore * ipsorum, esset recondita, diligenter investigare, quod & fecimus. Siquidem ex his quibusdam Deo revelante repertis, nihilo minus etiam concilii, quod nobis ipse misit frater & coepiscopus noster Hincmarus, videlicet in quo præsignati clerici degradati sunt, acta relegimus. Sed his omnibus, id est tam illis monumentis quæ penes nos habentur, quam iis quæ idem antistes nobis destinavit, rite collectis, * enucleanterque recensitis, nondum liquido patet eosdem clericos regulariter gradu proprio caruisse. Verum nos nec hos interim justificamus, nec pro hoc quemlibet condemnamus: nec facile vocem istorum spernimus, nec reverentiam jam dicti fratris improvide reprehendimus. Illud quidem, ne obturare aures ad clamores pauperum, id est humilium, dignoscamur: hoc vero, ne de incognitis immature judicare quidpiam videamur. Proinde necessario epistolæ nostræ salubribus eumdem communem fratrem nostrum hortati sumus affatibus, uti commemoratos viros, Vvlfadum scilicet collegasque ipsius, clementi animo & tranquilla studeret ad se magnanimitate vocare, depositaque omni funditus animositate, & de restitutione ipsorum secum fraterne tractare, atque misericorditer consummare contenderet. Laudabilius quippe judicavimus, ac coram Deo acceptius esse credidimus, si respectu divinitatis interrogata conscientia, solus illorum restaurationem sine quavis ipse refragatione benignus admitteret, quam si prius renitens, detecta tamen justitia, cum multis hanc postea sequeretur. Jam vero, si hunc flecti ad hoc munda conscientia non permittit, præcepimus vos, una cum ceteris archiepiscopis & episcopis Galliarum & Neustriæ, quibus tamen possibilitas est, in idipsum, cum prædicto fratre & coepiscopo nostro Hincmaro & suffraganeis ejus, apud Suessonicam urbem pariter convenire. Ad quorum venerandum conventum Vvlfadum quoque cum jam præsignatis paribus ejus vos accersere procul dubio volumus. Siquidem omnibus, videlicet tam ipsi crebro nominato antistiti, ac reliquis archiepiscopis & episcopis, quam Vvlfado & sociis ejus, nostras hoc jubentes literas destinavimus. Ubi canonice per ordinem cuncta quæ in eis gesta sunt examinantes, & subtilius investigantes, si de illorum reformatione justum quid vel pium senseritis, sine contradictione perficite, & eos in suis ordinibus restituite. Præterea si disceptantibus, vel fortassis alia atque alia decernentibus vobis, præfati dejecti sedem appellaverint apostolicam, & ejus speciali se judicio damnari vel absolvi petierint, præcepimus, si sæpedictus frater & coepiscopus noster Hincmarus, vel Vvlfadus aut socii ejus, ad nos venire per se non possunt, vicarios suos ad hoc negotium ventilandum & finiendum, mox post consummatum concilium XV. Kalendas Septembris præsentis XIV. indictionis auctoritate nostra collectum, eorum præsentaturos nobis personas, nullam penitus excusationem prætendentes, utrique ad sedem beati Petri transmittant. In quo ne forte sinistra cogitatio subreptat, dicens eosdem remotos clericos nullam jam vocem proclamationis habere, pro eo quod anni metas tempus dejectionis eorum excesserit, sciendum est nil tale in canonibus, ubi de appellationibus ad Romanum præsulem legitur, penitus inveniri. Alias autem & istos forsitan ante annum provocasse clarebit. Denique, sicut epistola penes nos inventa sanctæ memoriæ quarti papæ Leonis innuit, sedem apostolicam eos appellasse jam nos incunctanter agnovimus. Quamvis longe inter se diversa sint omnimoda depositio, de qua nunc agitur, & suspensa excommunicatio, cujus vocem, proterve utique clamantem, non humiliter petentem, post annum non audiendam quædam regula statuit. Sed ad hæc crebro dictus antistes dicturus est, sedis apostolicæ se privilegia, confirmantia quæ de ipsis statuta sunt viris, habere. Bene & argute. Sed si penes illum sunt exemplaria, sicut jactat, quæ apud nos fideliter reservantur, & ea diligenter relegerit, profecto reperiet, quia summa firmitasque ipsorum in apostolicæ sedis reservata sit arbitrio potestatis. Nimirum quæ sic aliena jura custodit, ut sua non minuat: sic honorem debitum dat, ut suum non tribuat alienis: sicque dilectionem ejus texit ab hoste, ut ipse hanc flagitantium exhiberi nequeat hostis. Nam & arma illi a nobis collata ita volumus pro eo sint valida, ut potius pro nobis, ubi necesse est, non contra nos firmitatem obtineant. Siquidem etiam ab eo privilegiorum apostolicæ sedis decreto non habito, quæ sanctitas ejus statuit, nos violanda non ducimus, nisi forsan sacris legibus inveniantur adversa. Porro scitote nos fratri & coepiscopo nostro Remigio Lugdunensi antistiti præcepisse, ut si restitutioni præfatorum frater coepiscopus noster Hincmarus consentire solius suæ auctoritatis ausu veretur, ad convocandum statutum sententia nostra jam designatum concilium, epistolas nostras sibi delatas vobis, quibus a nobis destinatæ sunt, mittere satagat. Quidquid vero in concilio fuerit a vobis examinatum atque repertum, sub gestorum serie discretioni nostræ, sicut veneranda decreta statuunt, mittite, & nostræ auctoritati quæ salubria videbuntur roboranda plena fidelique relatione dirigite. Optamus fraternitatem vestram in Christo nunc & semper bene valere. Data 3. Nonas Aprileis, indict. XIV. *Et hoc tenore constantes missæ sunt aliis episcopis diversarum provinciarum.*

* ordinatione

* enucleate

Nota Jacobi Sirmondi S. J.

1 *Herardo Turonensi.*) Ejusdem exempli alteram vidimus, *Adoni sanctæ Viennensis ecclesiæ archiepiscopo*. Cum hac autem generali epistola, quæ ad diversos missa fuit archiepiscopos, aliam peculiarem dedit Nicolaus ad Hincmarum Rhemensem, quam in appendice * descripsimus. * Vide pag.

V.

SCHEDULÆ SEU LIBELLI QUATUOR SYNODO PER VICES OBLATI AB Hincmaro Rhemensi.

Hæc quæ sequitur schedula prima porrecta est synodo.

Hincmarus Rhemorum episcopus, Remigio, Vvenilloni, & ceteris archiepiscopis & episcopis, domni papæ Nicolai auctoritate ad synodum, quo & exiguitatem meam cum coepiscopis nostris venire præcepit, in hanc Suessonum civitatem pro caussa Vvlfadi & collegarum ejus convocatis.

SI vobis visum fuerit per quoscumque ad rei notitiam, secundum seriem literarum domni apostolici, canonice per ordinem cuncta, quæ in suprascriptis fratribus gesta sunt, examinare & subtiliter investigare, ut quod justum & pium sensum fuerit de caussa eorum sine contradictione, sicut idem domnus apostolicus & fraternitati vestræ

stræ & humilitati meæ scripsit, possitis perficere, devote ac libenter accipiam. Et si hanc quæ sequitur brevem responsionem, quantum ex me est, ad apostolica scripta videritis vobis sufficere, non ingratum forte habebitur, quod ad rem pertinentia succinctissime refero. Videlicet quia Rhemensis ecclesiæ filii de collegio Vulfadi ab Ebbone post depositionem suam ordinati, non meo judicio, nec ab episcopis solummodo Rhemorum provinciæ, primum suspensi & postea dejecti, ut meo vel communi cum eis tantum placito, juxta Nicænos & Antiochenos canones, humaniorem aut alteram suscipere sententiam valeant: sed prius suspensi, & processu temporis a synodo episcoporum quinque provinciarum, ad quam provocaverant, secundum decreta Innocentii ad Rufum & Eusebium, inspectis quæ scripsit ad Marcianum, & juxta Zosimi successoris Innocentii decreta ad Patroclum Arelatensem episcopum, & ad Massilienscm ecclesiam, sed & alias plures ecclesias, de his quos Proculus vitæ suæ conscius, datis literis in abdicationem sui, per professionis atque subscriptionis suæ libellum sacerdotio submotus ordinavit: juxtaque sacros canones, & Leonis ac ceterorum Romanæ sedis pontificum decreta, quæ hic ponere prætermisi, & studio brevitatis, & ut vobis notissima, sunt judicati, & ab ecclesiasticis ordinibus dejecti, præjudicante Leone papa, atque dicente: Omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium decessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus, & canonum promulgata sunt disciplinis, ita a vestra dilectione custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. In qua, ut regulæ sacræ dicunt, perfecta & canonica episcoporum quinque provinciarum synodo, quoniam ecclesiæ mihi commissæ filii finitimos episcopos pro causa sua interpellarunt; & hujusmodi Africæ provinciæ canones vicinos episcopos audire, & inter eos ac proprium episcopum adhibitos ab eis episcopos jubent querimoniam diffinire: ego Vulfadum & collegas ejus non judicavi, neque ab ordinibus ecclesiasticis pepuli, vel dejeci, nec etiam cum judicibus eorum subscripsi, sicut norunt qui interfuerunt, & ipsa etiam episcopalia gesta, eorum in convulsis subscriptionibus subnixa, a quibus fuere patrata, præsentialiter monstrant. Unde jubentibus eisdem episcopis tantum bajulus fui, causam videlicet ecclesiæ mihi commissæ ab illis diffinitam ad sedem apostolicam deferendi. Quæ domni apostolici Benedicti privilegio sub anathematis interpositione, ut inde quæstio nullis aliquando temporibus oriatur, sunt confirmata: & demum domni Nicolai papæ confirmatione, sicut sanctæ recordationis Benedictus pontifex illam confirmavit, salvo Romanæ sedis in omnibus jussu atque judicio, sub terribili anathemate, ut quæcumque persona, magna vel parva, temerario ausu contra hoc suum apostolicum decretum agere præsumpserit, anathematis vinculo sit innodatus, sunt roborata: velut hic potestis retexere, & sigilla eorum salva, ac incorruptas scripturas atque subscriptiones valetis inspicere. Et quia sedes apostolica, ut in decretis suorum pontificum legimus, in hoc prorsus sua sibi magnopere jura conservat, & aliena custodit, immo sua propria facit, ut omnis quæstio ad eam relata judicio & suæ confirmationis decisione finem accipiat; omnem ex hac causa suspicionem querulitatis hæ duorum præclarissimorum luminarium confirmationes atque subscriptiones a nostris regionibus & mentibus abstulerunt. Nunc vero, quia isdem domnus & pater noster Nicolaus papa suis epistolis ex hoc negotio a vobis sanxit refricari judicium, monente apostolo: *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis*, quod privilegio apostolicæ sedis de ipsis fratribus decernit vel decreverit, ut competit meæ subditioni, obedio & obediam, sicut hactenus conservavi ea, quæ domni Benedicti & sua fuerunt auctoritate firmata. Et item dicente apostolo: *Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata*, sicut servavi, usque in præsens quæ prædecessores quorumdam vestrorum cum quibusdam ex vobis regulariter ex iisdem fratribus diffinierunt: ita & quæ de ipsis canonice juxta tenorem epistolarum domni apostolici diffinieritis, priscis, ut dicit Gelasius, pro sui reverentia manentibus constitutis, & reservato per omnia sententiæ ac juris privilegio apostolicæ sedis, regularibus vestris diffinitionibus, sollicitus servare unitatem spiritus in vinculo pacis, consentiam. Qui istorum fratrum, de quibus agitur, vel quorumcumque aliorum felicitati non invideo; nec per quamcumque malitiam eos nocere festino: quorum salubrem ac regularem statum & cupivi & cupio, & quæsivi & quæro, & de quorum dejectione dolui satis ac doleo, quia nemo majus dispendium de illorum dejectione habet, quam ego. Quos, sicut mihi domnus apostolicus dignatus est scribere, justum quid vel pium sentiens, sine retractatione in suis ordinibus consensu ac judicio coepiscoporum Rhemensis provinciæ restituere maturarem, si illos ab eisdem gradibus cum eorum tantum judicio dejecissem. Ad quod me, juxta ejus verba discretissima, quia eos non dejeci, flecti munda conscientia non permisit. Et hoc meo ausu facere vereor, quoniam a vobis, aut a decessoribus vestris, quinque videlicet provinciarum episcopis, quorum meo consensu expetierunt judicium secundum sacros canones electorum ex consensu partium diffinitione fuere dejecti. Et idcirco aliorum opus in illorum restitutione nullatenus usurpare præsumpsi: quia, sicut scitis, regulæ sacræ usque ad similem excusationis vindictam decernunt, ut ab aliis dejecti ab aliis non recipiantur, minime autem restituantur: sed aut eorumdem, aut majoris concilii episcoporum discussiones ac judicia præstolentur. Et quia Leo dicit, ut in his quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum inveniatur adversum: & domnus ac pater noster Nicolaus papa vobis, ut mihi videtur, scripsit, quoniam quæ statuta sunt de præfatis viris, violanda non ducat, nisi forsan sacris legibus inveniantur adversa, simplici ac sincera cordis intentione ex regulis sacris perspicue tarditati sensus mei monstrari expecto, utrum quæ diffinierunt fratres & coepiscopi nostri, sicut hactenus observata sunt, de cetero ut regulis concordantia debeat observari, an illorum diffinitio ut inventa legibus sacris adversa debeat refutari. Sed & mihi ostendi expecto apertius, quam in suis sacris literis intelligere valeam, si domni Benedicti, ac ejusdem domni Nicolai super eamdem diffinitionem sub anathemate confirmationis privilegia, nisi forte illa ipse sua singulari auctoritate dissolvenda & immutanda viderit, quorum summam firmitatemque nobis omnibus scripsit in apostolicæ sedis reservatam arbitrio potestatis, nos sine regularum & sedis apostolicæ præjudicio, sineque nostro communi periculo, dissolvere & immutare possimus: Cælestino dicente, quæ a nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permissa frangatur? Sed & a nobis non est parvipendenda granditer Leonis papæ ad Leonem Augustum

ANNO CHRISTI 866.

Hebr. 13.

1. Cor. 1

Decr. cap 2.

Epistola 25. ad Rusticum Narb.

Epistola 1. ad episcopos Apuliæ & Calabriæ.

ANNO CHRISTI 866 Epist. 86.

stum de se scripta sententia: Si quæ, inquit, destruxi hæc ædifico, prævaricatorem me constituo, & eis me ultionum conditionibus subdo, quas non solum auctoritas beatæ memoriæ Marciani, sed etiam ego mea confessione firmavi. De quibus ultionum conditionibus quid a sancto Spiritu per concilia provinciæ Africæ, quidve Dei sapientia, qua ut scriptum est conditores legum justa decernunt, legibus sit decretum, melius ipsi scitis. Quod si etiam hoc de se intelligens, & his legum conditionibus subdi tantus papa & primæ sedis pontifex præcavendo refugit, qualiter eisdem ultionum conditionibus subdi præcavendo timere nos debeamus subjecti, patenter ostendit. Sed & de contempto anathemate necessitate, (quanto magis deliberatione?) rite prolato, quod in præfatis privilegiis continetur, quid sanctus Gregorius ad Theoctistam patriciam dicat, sapientiam vestram a Deo doctam non latet. Et Symmachus dicit ad ipsam sacrosanctam catholicam religionem pertinere: cujus omnis potestas infringitur, nisi universa, quæ a Domini sacerdotibus semel regulariter statuuntur, perpetua sint, quod alias contingere poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem, & roborando quæ gesta sunt, faciat rata esse quæ gessit. Et Gelasius: Patres, inquit, nostri catholici videlicet doctique pontifices, quidquid pro fide, pro veritate, pro communione catholica atque apostolica, secundum scripturarum tramitem, traditionemque majorum, facta semel congregatione sanxerunt, inconvulsum voluerunt deinceps firmumque præfixa fuerunt retractari qualibet recenti præsumptione permiserunt; sapientissime providentes, quoniam si decreta salubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra singulos quosque prorsus errores stabile persisteret ecclesiæ constitutum, ac semper iisdem furoribus redivivis omnis integra diffinitio turbaretur. Hæc itaque de literis divinitus inspiratis accepta, vel pro rei notitia manifestata, non ad resultandum, quod absit, in aliquo domni papæ decretis apostolicis, vel ad resistendum vestris regularibus diffinitionibus protero: sed ut quomodo his quæ in dejectione illorum diffinita sunt hactenus obedivi, sic in eorum restitutione, cujus estis a domno apostolico arbitri constituti, si a vobis sienda canonice inventa & patrata fuerit, quantum ex me est, præfatis regulis sacris, & episcopalibus atque apostolicæ sedis exinde confirmationibus, periculose non obviem; & a præceptionibus, quæ in apostolicis epistolis continentur, a quibus, Domino annuente, vel transverso, ut dicitur, ungue scienter & per contumaciam non exorbitabo, in nullo per ignorantiam deviem, & qualiter absque discrimine sequi debeam regularem vestram, quorum ex delegatione sedis apostolicæ interest, diffinitionem, per ipsarum regularum tramitem liquido cognoscere valeam. Ad hoc enim vel maxime ad synodum venit episcopus, ut aut discat, aut doceat, aut corrigatur, aut corrigat. Et Cælestino dicente, ut nulli sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quidquam facere, quod patrum possit regulis obviare, necesse est ut ea hinc decernatis, ne aut in quæstionem reveniant, aut occasio exinde alicujus præsumptionis exsurgat, aut illa dissolvere temporibus nostris vel successorum nostrorum oporteat. Quanta, inquit Symmachus, vicariis beatissimi Petri apostoli judicabitur esse reverentia, si quæ in sacerdotio præcipiunt eisdem transeuntibus dissolvantur? quia ut idem dicit, non potest ex parte firmum esse quod generalitatis tangit injuriam.

Lib 9 ep. 29. Epist. 9. ad Æonium.

Epist. 11. ad Dardanos.

Decret. 20 ep. scopis per Apuliam &c.

Epist. 1. ad Æonium.

HÆC QUÆ SEQUITUR SCHEDULA SECUNDA FORRECTA EST SYNODO,

Clam dicente quodam interdum non depositum, interdum fuisse restitutum Ebbonem.

Hincmarus Rhemorum episcopus sanctæ synodo domni papæ Nicolai auctoritate convocatæ.

I.

DE Ebbone, unde quidam loquuntur, qui causam ejus nesciunt, vel scire aut audire non volunt, cum quocumque per contentionem nullam conseram quæstionem, quia nec domnus apostolicus mihi agendum hoc scripsit, nec cum eodem Ebbone in vita sua extiti altercator, nec post mortem ejus illius sum derogator, nec ejus sedis invasor extiti, quam ab eo secundum regulas sacerdotio defuncto quartus, post eos qui eam tenuerunt, canonice in ea electus & ordinatus regendam suscepi. Ratione autem dictante, quam omni poscenti negare non debeo, veritatem proferre licite valeo. Idem namque a se, juxta sacras regulas & traditionem ecclesiasticam, ac decreta tedis Romanæ pontificum, Zosimi, Joannis, atque Gregorii, sicut ab eis constitutum multoties legitur, per professionis suæ libellum, ea moderatione, quam Leo magnus papa decrevit ad universos episcopos per Samnium, & Picenum, & Tusciam, dictatum & propria manu subscriptum, in synodo se deposuit, & episcopali ministerio spoliavit, atque secundum suam professionem & subscriptionem a quadraginta tribus episcopis judicium depositionis suscepit, sicut ille ipse libellus, quem synodo porrexit, & notitia synodalis, quæ habemus, videnter ostendunt. Ut enim dicit Gelasius, ideo vocatur ad judicium certa quæcumque persona, ut aut fateatur objecta, aut ut convincatur objectis. Sed hunc & actio pene omni mundo nota convicit, & ipse propria se voce & subscripta professione damnavit. Postea vero sine ulla regulari restitutione idem ministerium episcopale, quo se privaverat, contra sacros canones usurpavit. Et demum sub papa Sergio Romam veniens, ab eo, ut damnatus in laica tantum communione maneret, districta sententia, sicut & gesta ipsius papæ demonstrant, condemnatus fuit. Qui cum metropolis Rhemorum, in qua fuerat ordinatus, per decennium post depositionem ejus pastore vacaret, sed & usque ad terminum vitæ suæ, cum fere decem & septem annos post damnationem suam vixerit, eamdem sedem, qua regulariter se privavit, canonice non repetiit, nec obtinuit, neque ullum canonicæ suæ restitutionis documentum synodo cuilibet, vel principibus terræ, ac populis, qui eum damnatum fuisse noverant, secundum regulas sacras ostendit. Et si quis vult dicere, eum fuisse regulariter consensu episcoporum, vel sedis apostolicæ restitutum, sicut sanctus Gelasius in decretali sua epistola de Acacio dicit, quem sui complices ac fautores restitutum fuisse fingebant: doceat a quibus, & ubi ille consensus restitutionis sit gestus; si secundum ecclesiæ regulas celebratus, si paterna traditione profectus, si majorum more prolatus, si competenti examinatione depromptus, si ad primam sedem, cujus intererat, de sententia qua tenebatur obstrictus, secundum ecclesiæ regulas est relatum, si eadem quæ ligavit absolvit. Si hæc ita gesta non sunt, cum nec a pontificibus legitime & ecclesiasticis legibus fuerit expeditus, nulla sæculari potestate potuit præter ecclesiæ

Leo ep

In tom anathe vincul

ANNO CHRISTI 866.

Gæ tramitem prorsus absolvi. Nec quisquam ei post depositionem quasi restituto communicare debuerat, in ea dumtaxat causa, unde a seipso & ab episcoporum concilio, insuper & ab apostolica sede excommunicatus extiterat, sine restitutionis suæ canonicis literis, ab eis a quibus fuerat restitutus secundum morem confectis, sicut sacri canones, & decreta Felicis papæ demonstrant. Quapropter, ut Leo ad Theodorum scribit, quod manens in corpore recepit, consequi exutus carne non poterit. Unde taliter visum est de illo tenendum, sicut Gelasius de Acacio dicit: Talis est, inquiens, dictus, qualis ligatus est, talis usque in finem permansit, talis esse non destitit. Ita talis est hodie, qualis est & dictus, non talis esse jam non potest: nunquam igitur talis permanendo solvendus est. Et constat quia comedens fructus viæ suæ, suisque consiliis saturatus, docente Innocentio, qui particeps factus est damnato, quomodo debeat honorem accipere invenire non possum: dimisit reliquias suas parvulis suis. Sed & de eo omnem quæstionem, secundum leges ecclesiasticas & mundanas, quas probat ecclesia, qui damnatus fuit anno incarnationis dominicæ DCCCXXXV. indictione XIII. sub die Kalendarum IV. Nonas Martii, jam tricennale & amplius eo tempus excludit.

II.

Sed dicitur usque ad vitæ suæ terminum episcopale ministerium in omnibus ecclesiasticis muniis peregisse. Quæ præsumptio a sanum sapientibus non sumitur in exemplum: quia & in veteri & in novo sacerdotio vetus hoc artificium est diaboli, & quia plures hoc præsumpserunt, sicut Bonosus, contra cujus morbum Innocentius, & Proculus, adversus quem laboravit non modice Zosimus, & Acacius, quem dejecit Felix, & sequens sacros canones. ac decreta prædecessorum suorum, cum præsumptione & usurpatione sua percinit & extinxit Gelasius. Et plures alii fuerunt, qui in hanc præsumptionis sententiam transierunt, & transeuntibus consenserunt, de quibus in nostro sæculo quosdam audivimus, quosdam etiam qui hoc egerunt vidimus. Sed monente scriptura non debemus turbam sequi ad male agendum, & ut Innocentius loquens de Bonoso dicit. Quotiens a populis, aut a turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem non potest vindicari, inultum solet transire: priora ergo dimittenda dico Dei judicio, & de reliquo maxima sollicitudine præcavendum. Et de incongruo sacris scripturis ac sanctorum decretis multorum consensu, item in decretis apostolicæ sedis legitur, quia etsi omnes sacerdotes, & mundus assentiat, damnatio consentientes involvit, non prævaricationem consensus absolvit Non enim crimen minuitur, sed accrescit, cum generale fit ex privato. Hoc enim Deus omnium indicavit, qui mundum peccantem generali diluvio interemit: & sacrum dicit Nicænum concilium, quia quod irreprehensibile est catholica retendit ecclesia: Nam si hoc impune fuerit licitum, ut hi auctoritatem in sacris ordinibus ministrandi, vel eosdem ordines tribuendi usurpent, qui aut penitus non acceperint, aut contra regulas ordines sacros acceperint, aut quibus regulariter ministerium sacrorum ordinum fuerit interdictum, omnis ordo & vigor ecclesiasticus non tantum nutabit vel confundetur, quam penitus destruetur.

III.

Quia denique in Moguntina provincia ministravit, contra omnem auctoritatem esse cognoscitur. Nam Antiocheni canones de vacante episcopo, & vacante ecclesia regulam præfixerunt: sed & de illo, qui manus impositionem episcopatus accipit & ministrare detrectat; nec non & de illo, qui ordinatus nullo suo vitio ad parochiam, in qua ordinatus fuerat, non accedit. De quibus regulis nulla Ebboni convenit. Et canones Sardicenses de vim injuste patientibus, & pro disciplina & catholica confessione, vel pro defensione veritatis expulsis, vel pericula evadere quærentibus, quid teneri debeat manifeste demonstrant. Sed nec ista regula Ebbonem absolvit: cum & sacerdotes, & omnis pene mundus, & ipsa etiam sedes apostolica, ejus falsis criminibus appetitum, quadam traditione pro honoribus cum juramento exinde acceptis venditum, & ab imperio, atque ab ipso ecclesiæ aditu, pium Augustum Hludovicum satagente ipso abjectum gravissime ingemuerit, & innoxium a criminibus inventum, & justissime restitutum, totus in orbe terrarum mundus gaudio exultaverit, & Ebbonem dejiciendum, qui irreverentius manum in christum Domini miserat, ut reum majestatis, una cum ipso clamaverit. Sed neque necessitate cogente, propria amissa provincia, secundum Chalcedonenses canones, civitate in qua ordinatus fuerat captivata, prorsus ab hostibus extitit, ut alibi incardinari valeret; sicut in decretis beati Gregorii, & aliorum sedis Romanæ pontificum invenimus: nec injuste & contra regulas sacras dejectus, & regulariter sedi suæ secundum Sardicenses canones jussu sedis apostolicæ refricato judicio restitutus, ullo documento canonico invenitur. Quapropter ab ipsa, ubi immorabatur, parochia contra concilium Africanum appetitus, ut ibi decretum est, potestate judiciaria per rectorem provinciæ protinus excludi, & neque ab ecclesiis quibus præfuit, neque a quolibet nomine defensari debuerat. Constat ergo juste dejectus ea quæ sua non fuerant præsumptisse, cujus non necesse est nos merita actusque discutere, cum habeat conscientiæ & operis sui testem quem habet & judicem. Nam ut Leo dicit, quæ patefacta sunt quærere, & quæ perfecta sunt retractare, & quæ sunt diffinita convellere, quid aliud est, quam de adeptis gratiam non referre, & ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere?

IV.

De mea etiam ordinatione, cui forte si aliqui occulte, quod aperte non audio, derogant, in nullam altercationem contra quemcumque intrabo, quia sicut dicit apostolus, *in mortuis testamentum est confirmatum*. Nam cum Rhemensem ecclesiam Folco fere per novem annos sine ulla regulari Ebbonis reclamatione tenuisset, & post cum Noto pene per annum & dimidium eamdem sedem similiter sine ulla Ebbonis repetitione tenuisset, sub Sergio papa in synodo plurimorum archiepiscoporum apud Bellovacum diœceseos Rhemorum habita, a clero & plebe ipsius metropolis, sed & ab episcopis ejusdem provinciæ petitus, & ab archiepiscopo tunc meo, & proprio episcopo, necnon & a coepiscopis ipsius provinciæ, secundum Laodicense concilium, cum consensu abbatis mei, & fratrum monasterii in quo degebam, episcopis Rhemensis provinciæ, & clero ac plebi ipsius metropolis per canonicas literas traditus, & cum decreto canonico, præsentia vel consensu omnium suffraganeorum ipsius metropolis, & a metropolitano meo, qui me illis tradiderat, sum in eadem ecclesia, omnibus acclamantibus, absque ullius contradictione vel repetitione, canonice, & secundum decreta sedis Romanæ pontificum ordinatus: ipsaque ordinatio mea non solum Rhemorum provinciæ episcoporum, ordinatorum videlicet meorum, secundum

Can. 21.

Can. 20.

Can. 3.

Hebr. 9.

Can. 12.

Afri

Africanum concilium subscriptionibus est roborata, verum & omnium pene Galliarum, atque Neustriæ, nec non & Aquitaniæ episcoporum manibus subscripta epistola ad præfatum Sergium papam unanimiter dirigenda; sed & edicto domni regis Caroli manu propria confirmato, & sigillo ipsius corroborato, est comprobata. Quæ omnia Sergio, antequam mittere ad illum concurrerem, in brevi defuncto, Leoni papæ sunt missa. Indeque a domno imperatore Hlothario suam epistolam eidem Leoni papæ dirigente, in qua scripsit quantum pro restitutione Ebbonis apud Sergium papam sategerit, & nihil obtinere potuerit, favoribus prosecuta, & ab eodem Leone papa & usu pallii, & privilegio sedis apostolicæ, ac pluribus apostolicis suis epistolis, ut videlicet in loco pastoris sacerdotio defuncti, est multoties approbata. Quamque ordinationem meam sanctæ memoriæ gratia & nomine Benedictus, sed & domnus ac pater noster papa Nicolaus, suis privilegiis eam corroborarunt. Quæ in episcopali concilio & ante ordinationem electio, & postea ordinatio canonice patrata fuisse, non contra cujuscumque quæstionem, sed adversus susurrantium atque occulte mussitantium derogationes, ut omnis iniquitas oppilaret os suum, ex sacris regulis est demonstrata. Sed & illud in causa est, cur inde in nullam altercationem contra quemcumque modo intrare non deliberem, quoniam domnus papa suis apostolicis literis mihi non scripsit, ut cuicumque inde per quæstionem debeam reddere rationem. Quod non de diffidentia dico, quasi documentorum probamentis ad ista deficiam, in quo jure si quis audet, audeo & ego: sed Leonis ad Leonem Augustum verba pro modulo meo sequens, dicentis, quia de rebus & apud Nicæam, & apud Chalcedonem, sicut Deo placuit definitis, nullum audemus inire tractatum, tamquam dubia vel infirma sint, quæ tanta per sanctum Spiritum fixit auctoritas. Cum tantus ac tantæ sedis papa se ad hæc dixerit non audere, ego tantillus homuncio super ea quæ tot conciliorum & tantorum pontificum sedis apostolicæ de ordinatione mea qualiscumque plebis Dei famuli, sicut certissima monimenta declarant, approbavit & fixit auctoritas, tamquam de re dubia vel infirma, nullum audeo inire certamen.

Epist. 84.

V.

De his autem fratribus nostris, de quibus nuper nobis communiter domnus apostolicus scripsit, si vobis ad apostolica scripta non sufficit brevis a me data responsio, ecce habetis gesta episcopalia, & privilegia domni Benedicti, & domni Nicolai, quæ vobis demonstrant qua ratione, & quo ordine, quave auctoritate, & a quibus, & ubi, & quando patrata sint quæ in eos acta fuerunt. Quibus omnibus perscrutatis, secundum domni & patris nostri apostolici papæ discretissimum ac regulare mandatum, quod justum & pium inveneritis, secundum canones sacros decernite, & absque ulla, quantum ex me est, contradictione perficite: quia sicut in præcedenti schedula vobis scripsi, nec illius apostolicis præceptis, nec vestris regularibus definitionibus contradicam.

VI.

Ceterum si vestræ beneplacitæ voluntati necessarium visum fuerit, non ad ullam contentionem, nec adversum alicujus quæstionem, sed ob pleniorem rei notitiam, ut de Ebbonis adhuc latius regulari positione, & nulla canonica restitutione, sed & de mea qualiter celebrata sit ordinatione, vel qua ratione fratres & coepiscopi nostri in synodo Meldensi filios Rhemensis ecclesiæ, de quibus agitur, suspenderunt, vel unde accepit Suessonica synodus non debere in gradibus ecclesiasticis eos manere, rationem & ordinem, atque auctoritatem, quæ ibi ostensa, & a sollicitudine exiguitatis meæ suscepta sunt, ne offendam reticens dicendam in tempore veritatem, vestræ fraternitati pandere non negabo. Tantum ut non vos morosa, & forte vobis, si nota est, non necessaria ratio tædeat, & sic veritas a me possit ostendi, quatenus vestræ unanimitatis caritas erga me debeat conservari. Qui absque nostro detrimento non solum fratribus, sed & inimicis prodesse desidero, & apostolicis mandatis quacumque contumacia non resulto, nec fraternis vestris monitis & regularibus diffinitionibus intentionem vel manus obvias tendere paro; ea tamen conditione, quod & vos velle & studere cognosco, ut regularum status & sedis apostolicæ privilegium maneat, & commune periculum nostrum vitari prævaleat.

Post hanc schedulam synodo ostensa sunt gesta episcopalia Suessonicæ synodi, per manus Hincmari Laudunensis episcopi, & gesta synodi Bituricensis provinciæ per manus Raginelmi Tornacensis episcopi: & privilegium domni Benedicti per manus Erchanrai Catalaunensis episcopi, & privilegium domni Nicolai per manus Hodonis Belvacensis episcopi. Et post hæc omnia, data est quæ sequitur schedula, qualiter priscis, ut dicit Gelasius, pro sui reverentia manentibus constitutis, & salvis apostolicæ sedis privilegiis, cum eorum etiam salvamento, qui synodo subscripserunt, in qua fratres de quibus agitur fuere dejecti, per indulgentiam & auctoritatem domni papæ in suis ordinibus recipi & provehi possint absque contradictione, migratis jam omnibus, qui in Ebbonis depositione fuerunt, episcopis, excepto solo Rothado: sed & eis qui illi excommunicato dicebantur communicasse, & aliis in eorum locis substitutis; ac per eos, ut ita dicamus, innumeris ordinatis tantum ut de cetero scandala, quæ hinc valent emergi, domni apostolici auctoritate & providentia devitentur.

Hincmarus Rhemorum episcopus Remigio, Vveniloni, & ceteris archiepiscopis & episcopis, domni papæ Nicolai auctoritate ad synodum, quo & exiguitatem meam cum coepiscopis nostris venire præcepit, in hanc Suessonum civitatem pro causa Vulfadi & collegarum ejus convocatis.

LEgimus scribente beato Innocentio, quod de quibusdam observatio prior durior, posterior interveniente misericordia inclinatior est. Et sanctus Leo dicit, quia sicut quædam sunt, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum, oporteat temperari; velut & de quodam indulgentiæ jure dicit: In quo, inquiens, non regulam constituimus, sed quid sit tolerabilius æstimamus. Et facundissimus Gelasius: Priscis, inquit, pro sui reverentia manentibus constitutis, quæ, ubi nulla vel rerum vel temporum perurget angustia, regulariter convenit custodiri; hic procul dubio, qui in ecclesiasticarum narratur altitudine dignitatum, & in cujus virtute bonis operibus corda ponenda sunt, gradibus utique distributis, cunctis Deus noster & rector populis prædicandus est Christianis; ubi nemo sibimet aliquid jam æstimet imminutum, cum & de uniuscujusque gradus perfectione nil deperit, & convenienter retinendo quod cælesti dispensatione collatum est, pariter nobis & cognoscibilem Deum fieri, & tribuit esse rectorem. Nam etsi quid indulgetur de temporum quantitate, moribus aggregata

Epist. Exuperi

Epist. Rustici

Epist. episcopo per Lu niam,

gata ſtrenuitate penſatur, ſi vitæ jam propoſito continetur, quod protelata fuerat ætate curandum: dummodo illa nullatenus diſſimulata ſubrepant, quorum quodlibet ineſſe clarnerit, merito clericalibus infulis reprobabilem convincat eſſe perſonam. Et ſi illa nonnunquam ſinenda ſunt, quæ, ſi ceterorum conſtet integritas, ſola nocere non valeant: illa tamen ſunt magnopere præcavenda, quæ recipi ſine manifeſta decoloratione non poſſint. Et Africanum concilium de virginum velatione retractans, ita manere conſtitutionem prioris concilii, ubi nulla perurget neceſſitas, decrevit, ut non obſit poſteriori concilio certis pro cauſſis ea quæ conſtituta fuerant immutanti: nec poſterius concilium priori obviet, ubi nulla illud perurget neceſſitas immutare. Sed & de Donatiſtis decrevit, ut conſentientibus fratribus & coepiſcopis, maxime autem apoſtolica ſede, a quibus inde fuerat diffinitum, quatenus ſecundum uniuſcujuſque epiſcopi catholici voluntatem atque conſilium, qui in eodem loco gubernat eccleſiam, ſi hoc paci Chriſtianæ prodeſſe viſum fuerit, in ſuis honoribus ſuſcipiantur, ſicut prioribus ejuſdem diviſionis temporibus factum eſſe manifeſtum eſt: quod multarum & pene omnium Africanarum eccleſiarum, quibus talis error exortus eſt, exempla teſtantur. Non ut concilium, quod in tranſmarinis partibus de hac re factum eſt, diſſolvatur: ſed ut illud maneat circa eos qui ſic tranſire ad catholicam volunt, ut nulla per eos unitatis compenſatio procuretur. Per quos autem vel omnimodo perfici, vel adjuvari manifeſtis fraternarum animarum lucris catholica unitas in locis quibus degunt viſa fuerit, non eis obſit quod contra honores eorum, quamvis ſalus nulli intercluſa ſit, in tranſmarino concilio ſtatutum eſt. Unde manentibus ſtatutis, abſque regularum & apoſtolicæ ſedis præjudicio, & judicantium ullo diſcrimine, quos non ſolum auctoritas Carthaginenſis concilii ab omni nævo defendit, ſi eorum fuerit ſoluta ſententia, qui convinci non poſſunt vel inimico animo judicaſſe, aut aliqua cupiditate aut gratia depravati: verum & idem concilium, ſed & Antiochenum, atque decreta ſedis Romanæ pontificum, Innocentii, Zoſimi, atque Leonis, eos commendant, per quæ ſua confirmavere judicia, quæ fratres & coepiſcopi noſtri in Sueſſonica ſynodo Rhemenſis eccleſiæ filiis, ab Ebbone poſt depoſitionem ſuam ordinatis, cenſura eccleſiaſticæ ſeveritatis judicaverunt, ubi eos non judicavi, nec cum judicibus eorum ſubſcripſi, manente etiam, ut oportet & neceſſe eſt, auctoritate privilegiorum domni Benedicti & domni ac patris noſtri Nicolai papæ: ſi illi placet cui cuncta bona placent, ut deceſſoris ſui Benedicti & ſua privilegii a ſe confirmati ſententia de his fratribus propter miſericordiam per indulgentiam immutetur, ubi exinde ſcriptum habetur, ſalvo Romanæ ſedis in omnibus juſſu atque judicio: & aliter decretum confirmetur, nobiſque tenendum mandetur, juxta moderationem Innocentii, qui obſervationem priorem duriorem, poſteriorem autem interveniente miſericordia inclinatiorem dicit, & veſtra fraternitas, qui eoſdem fratres judicaſtis, vel quorum deceſſores illos judicaverunt, unanimi benignitate, juſtitia, pietate condita conſenſerit atque decreverit, ſicut ſacra & myſtica Nicæna ſynodus de Novatianis, & per indulgentiam, in epiſtola ad univerſos epiſcopos per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim conſtitutos, de Meletio damnato clementi conſilio, dum ſubtili veraque ratione nullam veniam mereretur, & ab eo poſt damnationem illius ordinatis, quos Meletianos appellat, decrevit. Nam idem Meletius, ut in veraci & recipienda hiſtoria legimus, unius civitatis Ægyptiorum epiſcopus, ſub Petro Alexandrinæ civitatis archiepiſcopo, qui ſuſcepit Diocletiano imperante martyrium, depoſitus eſt, & propter alias multas cauſſas, & maxime quia in perſecutione fide negata ſacrificaverat. Ergo damnatus habuit multos ſequaces, & hæreſiarches factus eſt eorum qui hactenus ab eo in Ægypto Meletiani vocantur, nullam juſtitiæ ſatisfactionem habens cur remanſerit ab eccleſia ſeparatus. Dicebat quidem injuſtitiam ſe paſſum, & obloquebatur ſibi, derogabatque Petro; ſed Petrus in perſecutione percepta martyrii palma defunctus eſt; iſte vero retulit detractiones in Achillam, qui poſt Petrum ſuſcepit epiſcopatum; & rurſus in Alexandrum, qui poſt Achillam noſcitur ordinatus. Inter hæc igitur ſupervenit quæſtio Ariana, & Meletius una cum ſuis defendebat Arium, conſpiratione facta cum eo adverſus epiſcopum. De quo Meletio, & ejus complicibus, præfata ſacra ſynodus in præſcripta epiſtola pacis redintegrandæ & unitatis gratia hæc decrevit ad locum: Placuit, inquiens, Meletium quidem clementi conſilio, dum ſubtili veraque ratione nullam veniam mereretur, manere quidem in propria civitate, nullam vero omnimodis habere poteſtatem neque eligendi, neque ordinandi, nec in provincia, nec in qualibet civitate, purumque nomen tantummodo poſſidere: eos autem qui ab eo ſunt conſtituti, myſtica ordinatione firmatos habere honorem & miniſterium, ut tamen ſequentes ſint modis omnibus univerſorum, in ſingulis parochiis & eccleſiis a cariſſimo & comminiſtro noſtro Alexandro conſecratorum, ut in his nulla poteſtas ſit placitos ſibi eligere, aut nomina eorum præferre, aut omnino aliquid agere præter voluntatem eccleſiæ catholicæ præſulis Alexandri. Gratia namque Dei, & orationibus veſtris, in nullo ſchiſmate repertos, ſed ſine macula in catholica & apoſtolica eccleſia permanentes, dignum eſt poteſtatem habere & eligendi quemlibet, & nomina eorum dandi qui clero ſunt digni, & abſolute facere omnia ſecundum legem & ſanctiones eccleſiæ. Si quem vero contigerit requieſcere in eccleſia, tunc provehi in honorem defuncti eos qui nuper aſſumpti ſunt, ſolummodo ſi videantur digni, & populus eos elegerit, condecernente ſimul & conſignante maxime Alexandriæ civitatis epiſcopo. Hoc itaque aliis quidem conceſſum eſt omnibus: in perſona vero Meletii nequaquam eadem placuerunt propter priorem indiſciplinationem ejus, & propter procacitates ejus, ac petulantiæ voluntatem: ne ulla daretur auctoritas vel poteſtas homini, qui poſſet rurſus eaſdemque indiſciplinationes inſtruere. Et Anaſtaſius junior papa ad Anaſtaſium imperatorem ſcribens de ordinatis a damnato Acacio, recipiendos in ſuis ordinibus dicit. Quamquam eadem epiſtola ſacris canonibus, & decretis Innocentii, Zoſimi, & Leonis, atque Gelaſii a quibuſdam non convenire dicatur; quia ut ambigua ſententia in eadem epiſtola idem Anaſtaſius ſcribit, & baptizavit catholice, non canonice, nec ſecundum ſacras regulas, neque ſecundum eccleſiæ catholicæ conſuetudinem ſacerdotes vel Levitas damnatus ordinavit Acacius; quia poſſunt etiam interdum laici catholici baptizati, ut dicit Gelaſius, catholice baptizare, & etiam criminoſi adhuc ſedentes ſuper cathedram, ſicut ſcribæ & Phariſæi, & ſicut Judas pro miniſterii dignitate inter apoſtolos ſibi commiſſa, & nondum judicio aperto amula, pro ſuo officio quæ in eodem miniſterio operanda ſunt operari. Sunt & alia, quæ hic poni poterant, niſi obviari eis ab aliis conſtitutis ſanctorumque decretis manifeſte cognoſcerentur, quoniam, ut Daniel dicit,

ANNO CHRISTI 866.

Epiſt. concil. Nicæni ad Ægyptios.

Epiſt. unica.

pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia, a-
ANNO CHRISTI 866. liter de hujuſmodi decreta fuiſſe inveniuntur. Et
Dan. 12. idcirco iſta poſuiſſe ſufficiat, quæ indulgentiæ potius miſericordiam ſequi, quam cenſuram juſtitiæ intentare videntur. His ergo ita ſe habentibus, quantum ex me eſt, ſedis apoſtolicæ benignitati, & veſtræ fraternitatis beneplacitæ conſenſioni, ſollicitus ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis, in fratrum iſtorum regulari ſtatu non obvio. Quorum, ſicut in præcedenti ſchedula vobis porrecta præmiſi, ſalubrem ac regularem ſtatum & cupivi & cupio, & quæſivi & quæro, & de quorum dejectione dolui ſatis & doleo, quia nemo majus diſpendium habet de illorum dejectione, quam ego. Et hæc quidem ſcripſi pro mediocritate ingenioli mei, devotionem mentis meæ circa fratres oſtendens, priſcis, ut dixit Gelaſius, pro ſui reverentia manentibus conſtitutis, & reſervato per omnia ſententiæ ac juris privilegio apoſtolicæ ſedis, & non præjudicans veſtræ vel cujuſcumque rationabiliori, ſeu plus tuendæ, ac majoris auctoritatis ſententiæ, quam ſi mihi oſtenſa fuerit, paratus ſum ſine contradictione aliqua ſequi. Illa tamen modis omnibus in iſtorum ſtatu, ſi tamen a vobis unanimiter inde conſenſum, & a domno papa fuerit confirmatum, conditione ſervata, quam & apoſtolica ſedes pro eccleſiaſtico vigore ab omnibus petimus faciat conſervari, & a veſtra fraternitate neceſſe eſt provideri, ne hac, quod abſit, occaſione auctoritatem in ſacris ordinibus miniſtrandi uſurpent, qui aut penitus non acceperint, aut contra regulas acceperint, vel quibus regulariter miniſterium fuerit interdictum; quoniam ſi hoc impune fuerit licitum, omnis ordo & vigor eccleſiaſticus non tantum nutabit, quantum penitus confundetur. Sunt cum iſtis & alia, de quibus provide domni apoſtolici ſumma auctoritas, & ſub ejus magiſterio hinc veſtra ſolers conſiderabit ſagacitas, quæ in alio diplomate mea vobis oſtendet humilitas, ne ſub hujus rei occaſione in eccleſia poſſint emergi. Veſtra autem prudentia & hæc clarius, & alia quæ ſenſus mei paucitas non poteſt attingere contemplabitur, & domni apoſtolici ſupereminens ſapientia multo ſollicitius & videbit quæ providenda ſunt, & præſentibus medelam & futuris imponet cuſtodiam.

POST HÆC ISTA QUÆ SEQUITUR SCHEDULA SYNODO EST PORRECTA, ſed quibuſdam ſcandalizantibus non eſt perlecta.

Hincmarus Rhemorum epiſcopus Remigio, Vvenilone, & ceteris archiepiſcopis & epiſcopis domni papæ Nicolai auctoritate ad ſynodum, quo & exiguitatem meam cum coepiſcopis noſtris venire præcepit, in hanc Sueſſonum civitatem pro cauſſa Vulfadi & collegarum ejus convocatis.

QUod invitus dico, & ſupprimere in totum non audeo, ne forte mihi ab his qui hoc ſciunt imputetur quod calliditate aliqua occultaverim veritatem: & ſi hæc cauſſa juxta veterum conſtitutionem judicio ſynodali decreta, ſine diffinitione ſynodalis ſententiæ modo quolibet fuerit refragata, dilecto fratri noſtro Vulfado ad noxam cujuſcumque redivivo furore valeat deputari. Idem namque dilectus frater noſter, poſt omnia quæ de ſua & collegarum ſuorum adjudicatione a ſynodo epiſcoporum quinque provinciarum diffinita, & a ſedis apoſtolicæ auctoritate ſub anathematis interpoſitione ſunt confirmata, ſine audientia & conſilio epiſcopalis concilii ſacerdotum qui eum judicaverunt, ſineque auctoritate Romani pontificis qui ipſa judicia confirmavit, inconſulta etiam Rhemenſi eccleſia, extra provinciam ejus, in qua baptizatus, & in clericum tonſus, atque per plures annos in eccleſia publice ſacras ſcripturas legit, ubi ſicut Africanum decrevit concilium cap. LVIII. poſtquam ſemel legit, ab alia eccleſia inconſulte recipi non debuerat, ſicut idem concilium cap. XXI. manifeſte demonſtrat, Lingonenſem eccleſiam paſtore viduatam, ut ibi ordinaretur epiſcopus, ſub nomine vocati epiſcopi uſurpare præſumpſit, ejuſque facultates, quæ ſecundum Chalcedonenſe concilium penes œconomum futuro debuerant reſervari epiſcopo, ſuis ſuorumque uſibus arrogavit; decernente ipſo concilio, ut eos qui auſi fuerint poſt diffinitionem magnæ & univerſalis hujus ſynodi quidquam ex his quæ ſunt prohibita perpetrare, decrevit ſancta ſynodus a proprio hujuſmodi gradu recedere; & Antiocheno concilio, de damnatis aliquid præſumentibus de miniſterio, ut in nullo modo liceat eis nec in alia ſynodo ſpem reſtitutionis habere. Et ab hac præſumptione ſynodali auctoritate, cujus habemus conſtitutionem, revocatus, jubente Domino, *ſi peccaverit* (*in te*) *frater tuus, increpa illum, & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi*, per ſatisfactionis libellum propria manu firmatum recipere communionem, qua regulariter ſecundum Nicænos & Chalcedonenſes canones, ac decreta Gelaſii fuerat privatus, promeruit, ſicut idem ipſe libellus, qui præ manibus habetur, oſtendit. In quo ſub jurejurando per ſanctam Trinitatem unius deitatis profeſſus eſt ſe nunquam & nuſquam ad ſibi interdictam præſumptionem, & ad graduum eccleſiaſticorum adminiſtrationem ulterius aſpiraturum: neque aliam hujuſmodi temeritatem, qua pax eccleſiæ valeat perturbari, & quies ſacerdotalis poſſit inquietari, ſcienter vel libenter ulterius moliturum. Quem libellum coram epiſcopis Pardulo Laudunenſi, Guntberto Ebrocenſi, Ænea Pariſii, coramque rege, & quamplurimis aliis nobis judicibus ſuis a ſynodo conſtitutis porrexit; decernente beato Gregorio, ut revertentes a ſchiſmate jurejurando profiteantur & ſubſcribant, ſe nunquam ad ſchiſma quo redierant reverſuros; & ſecundum traditionem Leonis papæ ſcribentis ad Jasnuarium epiſcopum: Saluberrimum eſt, inquit, & ſpiritalis medicinæ utilitate pleniſſimum, ut ſive presbyteri, ſive diaconi, vel cujuslibet ordinis clerici, qui ſe correctos videri volunt, prius errorem ſuum damnari a ſe ſine ambiguitate fateantur: ut ſenſibus pravis & dudum peremptis nulla aſpirandi ſuperſit occaſio, nec ullum membrum eccleſiæ talium poſſit ſocietate violari, cum per omnia illis profeſſio propria cœperit obviare. Et ad Flavianum Conſtantinopolitanum epiſcopum de erroneo ab eccleſiaſtica diſciplina: Si, inquit, fideliter aut utiliter dolet, & quam recte mota ſit epiſcopalis auctoritas, vel ſero cognoſcit, vel ſi ad ſatisfactionis plenitudinem omnia quæ ab eo male ſunt ſenſa, viva voce & præſenti ſubſcriptione damnaverit, non erit reprehenſibilis erga correctum quantulacumque miſeratio, quia Dominus noſter verus & bonus paſtor, qui animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis, & qui venit animas ſalvare, non perdere, imitatores nos ſuæ vult eſſe pietatis, ut peccantes juſtitia coerceat, converſos autem miſericordia non repellat. Et item ad Anatolium Conſtantinopolitanum epiſcopum de Attico presbytero ſcripſit, ut remota omni dubitatione Chalcedonenſis ſynodi diffinitionem de fide, quam & apoſtolicæ ſedis firmavit auctoritas, profiteatur ſe per omnia ſervaturum, adjecta ſubſcriptione manus propriæ, quæ in eccleſia populo præſente recitetur. Quibus conſtat, eos qui ab

ANNO CHRISTI 866.

Can. 2

Can. 3

Luc. 17.

Epiſt.

Epiſt. 8

eccle-

ecclesiastica traditione deviant per contemptum, taliter recipi debere: quoniam, ut Hilarus dicit, non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in injuriam ipsius Domini prosilitur. De quibus, si a sua professione vel subscriptione exorbitaverint, Carthaginense dicit concilium: Si quis, inquiens, contra suam professionem vel subscriptionem venerit in aliquo, ipse se honore privabit; & sanctus Gregorius ad Maximum episcopum Salonitanum de Andrea diacono dicit, quia flagitari judicium non debet de caussa quam ipse judicavit. Sed quia contempta fuerat indebita præsumptione, non solum diffinitio synodalis episcoporum, sed & apostolicæ sedis domni Benedicti papæ auctoritas, opportunitate inventa, per venerabilem fratrem & coepiscopum nostrum Hodonem exemplar privilegii domni Benedicti, sub fidei adstipulatione, dirigens domni Nicolai papæ auctoritati, ab eo quod suus decessor firmaverat corroborari poposcit: non ad injuriam, quod absit, sedis apostolicæ, quasi ejus adhuc in ambiguum sententia duceretur, & ob id non sufficerent quæ ab ea semel domni Benedicti papæ auctoritate, ut inde quæstio nullis aliquando temporibus oriatur, & aspirantes indebite anhelitus compressi funditus perpetuo maneant, fuerant confirmata: sed quoniam incauta præsumptio ut constitutio geminaretur exegit; quatenus si obstinatio permanere diligeret, se post tot prohibitiones diffinita impune non posse tentare cognosceret. Hæc non per malitiam dicta, sed ne ut putarentur per vafritiem tacita, ad vestram notitiam necessarium duxi perducere, qui canonice cuncta per ordinem, quæ in præfato fratre nostro Vvlfado & collegis ejus gesta sunt, secundum præceptionem domni nostri papæ, examinare & subtilius investigare, & si quid justum piumque sensum fuerit, de illorum reformatione debetis perficere, ne quid forte prætermissum videatur, quod vobis scire, & unde a vobis conveniat diffiniri.

VI.

ANNUNTIATIO HERARDI
ARCHIEPISCOPI, REGIS AC SYNODI
jussu facta.

Ne mirum sit, quod caussa jam ante definita iterum in hac synodo retractetur: & cur reginam uxorem suam rex tam sero nunc tandem ab episcopis benedici postulet.

AUctoritas sacra, & specula ministerii, unde vobis vestram salutem nuntiare debemus, fratres, nos commonent, ut semper simus parati ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea quæ in nobis est spe & fide: ut illa quæ agimus, qua intentione ac fide agamus, & qua spe nobis a Deo remunerari credamus ea quæ recta intentione agimus, ministerio nostro commissis, sive simpliciter, sive non simpliciter quærentibus, vel non quærentibus intimemus, ne aut simplices suspicione sinistra in actibus nostris offendant, aut impuri locum detrahendi nos invenientes delinquant. Hoc enim speculatorum officium est, quo nomine nos episcopi non merito sed gratia nominamur a Domino, ut imminentia prospicientes pericula, his quorum salutem suscepere tuendam annuntient. Quapropter, fratres, quorumdam cogitationibus, quorumdam vero verbis satisfacere bonum duximus, qui cogitant forte, ac dicunt, quoniam antea in hoc eodem loco ante aliquot annos quidam nostrum, & quorumdam nostrorum decessores, synodum tenuimus, & eamdem caussam, quam tunc diffinivimus, nunc quoque, quasi non fuerit bene diffinita, cum etiam & a sede apostolica sit terminata, mutavimus, & ob id nostra sententia vilis possit haberi, quasi ad mobilitatem humanæ gratiæ nostras sententias immutemus, vel, ut dicamus apertius, venumdemus. Non ita est, fratres, quoniam in episcopali ministerio non est Est & Non, sed semper Est, id est stabilitas in illo est: quia in Christo hoc sacrum ministerium radicatum est, qui nunquam consilium, sed sæpe mutat sententiam, tam per seipsum, quam & per suos fideles, de quorum numero sua clementia nos computamur, quibus veridica voce promisit: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum*: & *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, fiet illis*. Et quia Deus sæpe suam mutet sententiam, necessarium vidimus ut de multis unum testimonium nobis omnibus amplectendum dicamus, ait Dominus: *Si dixero impio, morte moriris, & ille impius conversus fuerit a via sua prava, & fecerit judicium & justitiam, vita vivet & non morietur; omnes iniquitates ejus quas fecit in oblivione erunt coram me*. Nam & post legis duritiam, quam dedit per angelos in manu Moysi, dedit evangelii gratiam per apostolos & eorum successores omnibus prædicandam. Quia ut sanctus Leo apostolicæ sedis magnus ornatus dicit, sicut sunt quædam quæ nulla possunt ratione converti, ita multa sunt, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari: sic tamen, ut quod sequendum fuerit inventum, nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum inveniatur adversum. Quod & in hac caussa sumus secuti, sicut in sanctis auctoritatibus invenimus, qui in psalmo canimus: *Misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax oscultatæ sunt*; & semper superexaltet judicium misericordia: dicente apostolo; *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstrabo*, id est caritatem, quæ omnibus desiderat misereri, & cunctis vult in commune proficere. Perfecta enim sunt ea, quæ ad correctionem hominum, & ad censuram debitæ severitatis episcopali sententia proferuntur: sed excellentiora sunt quibus dilectionis benignitate subditorum saluti, & communi ecclesiarum utilitati ac consultui providemus. Unde manentibus statutis prioribus, quæ secundum auctoritatem constituta sunt per justitiæ severitatem, licitum est nobis per easdem supereminentes auctoritates, quæ impendunt misericordiam, immutare duriores sententias correctione facta per eminentiorem viam, scilicet caritatem. Et sicut de prioribus statutis sedem apostolicam consuluimus: ita & ex hac diffinitione nostra ejusdem matris omnium ecclesiarum responsionem expectamus; quatenus si ita ut præduce illius commonitione, qua ad hunc locum convenimus, his quæ per indulgentiam misericorditer invenimus, concordaverit atque consenserit, ecclesiæ consultibus faveamus. Ceterum, fratres, volumus vos scire, quia domnus & senior noster Carolus rex glorioſus nostræ humilitatis petit devotionem ut auctoritate ministerii nobis a Deo collati, sicut ipse in regem est unctus & consecratus episcopali auctoritate unctione sacra & benedictione, veluti in scripturis legimus Dominum præcepisse ut reges ungerentur & sacrarentur in regiam potestatem: ita uxorem suam dominam nostram in nomine reginæ benedicamus, sicut & a sede apostolica, & a nostris decessoribus antea de aliis factum comperimus. Et ut non vobis sit mirum, quare hoc petat, fraternitati vestræ rationem reddere maturamus. Videlicet quia, sicut multis est cognitum, Deus omnipotens sua gratia

tia istud regnum in manus suorum antecessorum mirabiliter adunavit, quod ipsi decessores sui nobiliter gubernaverunt, & per successiones sua progenies usque ad hæc tempora rexit. Et isti nostro seniori Deus filios, sicut vobis notum est, dedit. In quorum nobilitate, ad sanctam ecclesiam, & regnum, quod Deus illi ad regendum commisit, fideles illius spem maximam se habere sunt gratulati. De quibus ipse aliquos Deo obtulit, ut etiam de fructu ventris sui oblationem Deo offerret; aliquos Deus adhuc ætate immatura sua gratia de hoc sæculo rapuit, *ne*, ut scriptum est, *malitia mutaret corda eorum*; aliquibus autem, quod vos non latet, suo judicio talem passionem permisit incurrere, sicut fideles illius agnoscuntur dolere. Propterea petit benedictionem episcopalem super uxorem suam venire, ut talem sobolem ei Dominus de illa dignetur donare, unde sancta ecclesia solatium, & regnum necessariam defensionem, & fideles illius desiderabile adjutorium, & ista christianitas operabilem, tranquillitatem, & legem atque justitiam, cum illis quos adhuc habet, annuente & cooperante Domino possit habere. Et de hoc in sanctis scripturis habemus auctoritatem, quia sicut Dominus ad Abraham dixit: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, cui jam centenario de nonagenaria uxore Isaac filium dedit; ita & ipsum Isaac uxorem sterilem accipere fecit, ut & in hoc, sicut in multis solet facere, misericordiæ suæ largitatem ostenderet. Et inde dicit scriptura quia *deprecatus est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis, & concepit*. Et non sit vobis mirum, cur antea hoc non fecit, quia, sicut sacra scriptura dicit, in primordio conjunctionis masculi & feminæ dixit Dominus ad Evam: *Ad virum tuum erit conversio tua, & ipse dominabitur tui*. Et cum jam essent moribus in legitima conjunctione maturi, & provectæ ætatis Abraham & Sara, & ut sanctus Petrus dicit: *Sara obediebat Abraham, dominum eum vocans*, dixit Dominus ad Abraham, quod antea nec ipsi, nec alio homini legimus illum dixisse: *Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus*. Jam enim & Abraham presbyter merito vocabatur, & defecerant muliebria, id est omnis lascivietas, Saræ. Et tunc acceperunt benedictionem seminis benedicti a Domino, in quo benedicuntur omnes gentes, amen. His ergo fulti auctoritatibus, ad dispensanda Dei dona, qui ab illo ministri ejus sumus ad hoc constituti, ut Leo dicit, non debemus esse difficiles, nec devotorum petitiones negligere: maxime si ipsas petitiones evidentibus judiciis ex Dei viderimus inspiratione conceptas. Quia multiplex misericordia Dei ita saluti humanæ subvenire decrevit, ut præcipue sacerdotum supplicationibus ipsa salus debeat obtineri. Cui operi, ut in sacris litteris legimus, ipse Salvator intervenit, nec unquam ab his abest quæ ministris suis exequenda commisit dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus*. Et si quid per servitutem nostram bono ordine & gratulando implemus affectu, ut Leo dicit, non ambigamus per Spiritum sanctum nobis fuisse donatum. Et ideo, fratres, quoniam ita est, & nostra pro vobis ministratio & vestra erga nos conjuncta devotio, ut una fiat apud Dominum supplicatio, sicut legimus, quia ad hoc constituti sunt sacerdotes, ut prius pro suis, deinde pro populi orent peccatis, & oratio fiebat sine intermissione ad Deum pro Petro, id est, pro omni episcoporum choro, orantibus nobis pro communi nostra, immo pro totius ecclesiæ ac populi necessitate atque salute, commune votum etiam vestra communis prosequatur oratio apud eum qui facit unanimes habitare in domo, & vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

ANNO CHRISTI 866.

Sap. 4. *Genes. 22.* *Gen. 23.* *Gen. 3.* *1. Petr. 3.* *Gen. 21.* *Matth. 28.* *Act. 12.*

Nota Jacobi Sirmondi S. J.

2. *Annuntietio Hcrardi.*) Prior pars hujus orationis ad Vvlfadi sociorumque causam spectat, cujus gratia synodus fuerat congregata, posterior ad Hermintrudis reginæ coronationem in eadem synodo factam, & alio loco editam post capitula Caroli Calvi.

VII. SYNODICA EPISTOLA CONCILII SVESSIONENSIS III. ad Nicolaum papam.

Excusant Hincmarum, qui ausus non sit sua & comprovincialium auctoritate Vvulfadum & socios restituere, qui in synodo quinque provinciarum fuerant depositi. Sibi etiam in concilio, tametsi de illorum restitutione assentiuntur, consentaneum visum esse, rem totam pontifici, a quo inchoata est, consummandam reservari.

Reverentissimo & sanctissimo Domino, patri ac papæ Nicolao, synodus Suessoni habita jussu & auctoritate sanctissimi apostolatus vestri, æternæ felicitatis beatitudinem in Christo.

CONvenimus siquidem, ut sacratissimis vestræ paternitatis apicibus nobis injunctum est, xv. Kalendarum Septembrium, XIV. indictionis, Remigius Lugdunensis, Frotarius Burdigalensis, Herardus Turonensis, Vvenilo Rothomagensis, Egilo Senonensis archiepiscopi, cum diœcesanis consacerdotibus, ad præmissam nobisque designatam urbem. Ubi etiam confrater & coepiscopus Hincmarus cum suis suffraganeis, vestris obtemperans monitis, devote suæ sanctitatis nostræ unanimitati exhibuit præsentiam. Nec non e latere frater Vvlfadus, & collegæ ipsius, ad idem juxta apostolatus vestri institutum pariter defluxere concilium. Interea Luitbertum Moguntiacensis ecclesiæ archiepiscopum, paternitatis vestræ largitate palliatum, pro sanctitatis ejus reverentia & sapientiæ amplitudine, interventu gloriosissimi domini nostri filii vestri, in eadem synodo nobis associari expetivimus. Dum ergo humilitatis nostræ famulatus, vestræ pietatis institutis, in causa præscripti fratris collegarumque ejus submisse fideliterque intenderet, comperimus fratrem & consacerdotem nostrum Hincmarum, quem salubribus hortari dignati estis affatibus, uti memoratos viros clementi animo & tranquilla studeret ad se magnanimitate vocare, depositaque omni funditus animositate, de restitutione ipsorum fraterne tractare atque misericorditer consummare contenderet, non procaciter renisum, sed neque animositate vel malevolentia declinasse, quin paternitatis vestræ piis consiliis effectum præpropere exhibere maturaret. Sed quoniam, ut illius ore loquamur, ipse nec suæ sedis auctoritate, nec comprovincialium suorum solummodo societate, juxta Nicænos & Antiochenos canones, eos suspendit ac judicavit, sed neque deposuit, nec cum judicibus eorum subscripsit, quos constat * a synodo quinque provinciarum Suessionis habita, cujus vos acta relegisse & qualiter præsignati clerici degradati fuerint reperisse, nobis aperire dignati estis: ne scilicet a pauciori numero eorum inconsiderata & minus debita provida fieret restitutio, pro tempore distulisse, & juxta largitionis vestræ decretum, sacræ synodi professus est se præstolatum esse præsentiam. Et ideo ad hoc illum prius flecti munda non permisit conscientia: ne

* Forte depositis

quod

quod tantorum virorum ſtatuerat unanimitas, temere exinaniret unius ſedis auctoritas. De illorum autem fratrum reformatione, præcedente pietatis veſtræ libramine, qui oppreſſis miſericorditer ſubvenire, afflictis opem ferre, & innocentes abſolvere, ſolito & indefectivo conſueſtis opere, poſtpoſita quantum ex nobis eſt totius auſteritatis & ſeveritatis cenſura, dejectioni illorum fratrum vobiſcum compatientes, quos ut veſtri apoſtolatus litteræ ad glorioſiſſimum ſeniorem noſtrum regem Carolum, veſtrum peculiarem filium, directæ intimavere, non mediocriter moribus & ſcientia pollere, & proficuos eccleſiæ Chriſti novimus eſſe, congregato & devotiſſime coadunato vobiſcum noſtro ſpiritu, quod pium juſtumque ſentitis ſentimus, quod decernitis exequimur, & quod deliberaveritis, eorum in omnibus congratulantes reſtitutioni, efficaciter nos amplectendum fatemur. Et quia de recuperatione eorum a veſtræ ſapientiæ medela ſumpſit exordium, oportet omnino, & æquum fore claret, totius ejuſdem negotii ſummam præſtantiæ veſtræ conſummari decretis. Pium namque & juſtum videtur, ut quos propria importunitas in ſubreptione graduum non addicit, benignitatis veſtræ efficacia, & noſtra mediocritate proſequente, ad famulandum Deo ſecundum beneplacitum illius, in priſtinum ſtatum revelando reformet atque reſtituat. Et quos non procacia obnoxios fecit, ſed obedientia inculpabiliter in adeptionem ſacrorum graduum, juxta ſinceriſſimum ſagacitatis veſtræ intellectum induxit, neceſſe eſt per miſericordiam Dei præferentiæ veſtræ ſtudiis fulciri, atque viſceribus ſanctæ matris eccleſiæ ordinabiliter reduniri. Præterea præceptionibus veſtris ex æquo operam dantes, ſicut nobis de præſignatis fratribus apex ſanctitudinis veſtræ edocuit, ſine contradictione perficere, eoſque in ſuis ordinibus reſtituere maturaremus, niſi privilegiis ſanctæ Romanæ ſedis, per reverendum confratrem Hincmarum archiepiſcopum noſtræ unitati prolatis, quæ de ipſis viris quædam ſtatuunt, debita reverentia exhiberetur: quorum ſumma perfecta & integra firmitas, ut claret & juſtum eſt, in apoſtolicæ ſedis reſervata eſt arbitrio poteſtatis. Nobis enim in horum fratrum dejectione non quidem diſceptantibus, nec alia atque alia decernentibus, ſed unum idemque ſentientibus, ne imperfectio pro inobedientia deputetur, oramus. Sed ut quondam Joab obſidens urbem Rabbath, David regi fidiſſimo, * *ne cum a me*, inquit, *vaſtata & capta fuerit, vobis, & non nomini meo aſcribatur victoria:* ita & nobis in prætentis rei negotio decertantibus, & quædam deflorantibus, non tamen terminantibus, ſolummodo magiſteriali veſtro culmini eorum aſſignetur reſtitutio, attribuatur reformatio, adſcribaturque redintegratio. Prævio ergo, ut in omnibus competit, excellentiæ veſtræ decreto, quæ in ipſis & de ipſis depoſitis fratribus agenda conſideramus, exemplis præcedentium atque majorum inſtitutis edocti, quæ etiam copioſius multoque luminoſius celſitudinis veſtræ clarent induſtriæ, veſtræ ſinceriſſimæ paternitati ſubmiſſæ humilitatis obſequiis humiliter intimare curavimus. Papa inquit Innocentius, quod de quibuſdam obſervatio prior durior, poſterior interveniente miſericordia inclinatior eſt & ſanctus Leo, quia ſicut quædam ſunt, quæ nulla poſſunt ratione convelli, ita multa ſunt, quæ aut pro conſideratione ætatum, aut pro neceſſitate rerum oporteat temperari: mirabiliter inſtituens de virtute omnium matre atque nutrice diſcretione, ad condimentum agendarum quarumdam definitionum, in utilitatem eccleſiaſticorum monumentorum. Et Gelaſius: Priſcis, inquit, pro ſui reverentia manentibus conſtitutis, quæ, ubi nulla vel rerum vel temporum perurget anguſtia, regulariter convenit cuſtodiri: hic procul dubio, qui in eccleſiaſticarum narratur altitudine dignitatum, & in cujus virtute bonis operibus corda ponenda ſunt, gradibus utique diſtributis, cunctis Deus noſter & rector populis prædicandus eſt Chriſtianis. Ubi nemo ſibimet aliquid jam æſtimet imminutum, cum & de uniuſcujuſque gradus perfectione nil deperit, & convenienter retinendo quod cæleſti diſpenſatione collatum eſt, pariter nobis & cognoſcibilem Deum fieri, & tribuit eſſe rectorem. Nam etſi quid indulgetur de temporum quantitate, moribus aggregata ſtrenuitate penſatur, ſi vitæ jam propoſito continetur, quod protelata fuerat ætate curandum; dummodo illa nullatenus diſſimulata ſubrepant, quorum quodlibet ineſſe claruerit, merito clericalibus infulis reprobabilem convincat eſſe perſonam. Et ſi illa nonnunquam ſinenda ſunt, quæ, ſi ceterorum conſtet integritas, ſola nocere non valeant: illa tamen magnopere ſunt præcavenda, quæ recipi ſine manifeſta decoloratione non poſſint. Et Africanum concilium de virginum velatione retractans, ita manere conſtitutionem prioris concilii, ubi nulla perurget neceſſitas, decrevit, ut non obſit poſteriori concilio certis pro cauſſis ea quæ conſtituta fuerant immutanti, nec poſterius concilium priori obviet, ubi nulla illud perurget neceſſitas, immutare. Sed & de Donatiſtis decrevit, ut conſentientibus fratribus & coepiſcopis, maxime autem apoſtolica ſede, a quibus inde fuerat definitum, quatenus ſecundum uniuſcujuſque epiſcopi catholici voluntatem atque conſilium, qui in eodem loco gubernat eccleſiam, ſi hoc paci Chriſtianæ prodeſſe viſum fuerit, in ſuis honoribus ſuſcipiantur, ſicut prioribus ejuſdem diviſionis temporibus factum eſſe manifeſtum eſt. Quod multarum & pene omnium Africanarum eccleſiarum, in quibus talis error exortus eſt, exempla teſtantur. Non ut concilium, quod in tranſmarinis partibus de hac re factum eſt, diſſolvatur, ſed ut illud maneat circa eos qui ſic tranſire volunt ad catholicam, ut nulla per eos unitatis compenſatio procuretur: per quos autem vel omnimodo perfici vel adjuvari manifeſtis fraternarum animarum lucris catholica unitas in locis quibus degunt viſa fuerit, non eis obſit quod contra honores eorum, quamvis ſalus nulli intercluſa ſit, in tranſmarino concilio conſtitutum eſt. Unde manentibus ſtatutis, abſque regularum apoſtolicæ ſedis præjudicio, & judicantium ullo diſcrimine, quos mens veſtra, non ſolum auctoritas Carthaginenſis concilii, ab omni nævo defendit, ſi eorum fuerit ſoluta ſententia, qui convinci non poſſunt, vel inimico animo judicaſſe, aut aliqua cupiditate aut gratia depravati. Verum & idem concilium, & Antiochenum, atque decreta ſedis Romanæ pontificum, Innocentii, Zoſimi, atque Leonis, eos commendant per quæ ſua confirmavere judicia, quæ fratres & coepiſcopi noſtri in Sueſſonica ſynodo de Rhemenſis eccleſiæ filiis ab Ebbone poſt depoſitionem ſuam ordinatis cenſura eccleſiaſticæ ſeveritatis judicavere. Manente etiam, ut oportet & neceſſe eſt, auctoritate privilegii domni Benedicti, & veſtræ conſenſionis decreto. Si tamen vobis placet, cui bona cuncta placent, ut de his fratribus auctoritate veſtræ ſinceritatis præduce immutetur ſententia, ſecundum quod ſacra & myſtica ſynodus Nicæna, in epiſtola fratribus per Ægyptum & Libyam & Pentapolim conſtitutis directa, de ordinatis a Meletio epiſcopo damnato decrevit: videlicet ut myſtica ordinatione firmati haberent honorem & miniſterium, & proveheretur quilibet eo-

ANNO CHRISTI 866.

Conc. Africanum c. 92.

Idem c. 35.

Leg. 12. trig. quia is ſpurius ne c.a.m. it, v.&c. r, nomini afcr. v.

ſt. ad E- erium.

ſt. ad Ru- um.

ſt. 6. Ad copos per antam. lcm.

ANNO CHRISTI 866.

eorum in honorem episcopi in ecclesia defuncti, si visus foret dignus, & eum populus elegisset, cum consensu Alexandrini episcopi, sub cujus cura præfatæ regiones degebant. Ita & isti per vestræ liberalissimæ ac piissimæ auctoritatis sanctionem in ordinibus suis recipiantur, & si tempus ac locus atque ratio postulaverit, quilibet eorum in locum cujusque defuncti episcopi, si populus eum elegerit, & dignus inventus fuerit, auctore Domino regulariter provehatur. His denique reverenter explicitis, devotione unanimitatis nostræ erga præscriptos fratres antistitio vestro referata, pro ecclesiastico vigore ab omnibus immobiliter conservando, quæsumus providendum, ne hac quod absit, occasione alii quicumque auctoritatem in sacris ordinibus ministrandi usurpent, qui aut pœnitentiam non acceperunt, aut contra regulam assumpserunt, vel qui regulariter amiserunt, quoniam si hoc impune fuerit licitum, omnis ordo & vigor ecclesiasticus non tantum nutabit, quantum penitus jam confundetur. Postremo supereminens sublimitatis vestræ sapientia hæc & alia, quæ intellectus nostri exiguitas non valet attingere, perspicaci indagatione contemplabitur, multoque sollicitius providebit cavenda, nobisque significabit sequenda, ut & præsentibus medelam, & futuris dignanter impendat custodiam. Apostolatus vestri decus præpollentissimum ad ecclesiæ sanctæ sublimitatem & pacem optamus ubique pollere, & perpetua stabilitate ad suffragii nostri munimen atque tutelam vigere. Data anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi DCCCLXVI. anno regni gloriosissimi regis Caroli XXVII. VIII. Kalendas Septembris.

Hæc sunt nomina episcoporum qui præsenti interfuere concilio.

Hincmarus Rhemorum archiepiscopus.
Remigius Lugdunensis archiepiscopus.
Frotarius Burdigalensis archiepiscopus.
Herardus Turonensis archiepiscopus.
Vvenilo Rothomagensis archiepiscopus.
Egilo Senonensis archiepiscopus.
* al. Luitbertus. * Liutbertus Mogontiacensis archiepiscopus.
Rothadus Suessionensis episcopus.
Erpoinus Silvanectensis episcopus.
Agius Aurelianensis episcopus.
Actardus Nannetensis episcopus.
Hildebrandus Sagiensis episcopus.
Hincmarus Laudunensis episcopus.
Rotbertus Cenomanensis episcopus.
Hunfridus Morinensis episcopus.
Isaac Lingonensis episcopus.
Hildegarius Meldensis episcopus.
Æneas Parisiensis episcopus.
Erchanraus Catalaunensis episcopus.
Hodo Belvacensis episcopus.
Ercambertus Bajocacensis episcopus.
Gislebertus Carnotensis episcopus.
Fulcricus Fricacensis episcopus.
Raginelmus Noviomensis episcopus.
Liudo Æduorum episcopus.
Bernoldus Matisconensis episcopus.
Girboldus Cabilonensis episcopus.
* Pro, Ecolismensis. H. Helias * Ecolesinensis episcopus.
Arduinus Vallavensis episcopus.
Sigo Arvernorum episcopus.
Haido Lemovicensis episcopus.
Hilduinus Ebrojacensis episcopus.
Joannes Camaracensis episcopus.
Seginandus Constantiacensis episcopus.
Abbo Nevernensis episcopus.

VIII.

EPISTOLA ALTERA CONCILII EJUSDEM AD NICOLAUM PAPAM I.

De Britonum infestationibus, & de Actardo episcopo, qui Romam cum actis synodi mittebatur.

Sanctissimo ac reverendissimo Domino patri & papæ Nicolao, reverenda synodus Suessionis (a) XV. Kalendas Septembris auctoritate sancti præsulatus vestri habita, æternam in Domino felicitatem.

CUm respectus fidelium ad apostolicæ sedis, matris scilicet omnium, pia ubera opportune intendat, fraternitas nostra propter variarum rerum eventus, suæque opportunitatis subsidia, propterque pastoralitatis jura divinitus tantus tanto patri & papæ dignanter collata, frequentibus apicibus apostolatus vestri culmen pulsare decertat: quo & in his, in quibus minus debito sufficit, pastorale solatium sumat, & beneficentiæ vestræ (b) referta, sanctarum etiam institutionum documentis informata, ad majora & meliora quotidianis incrementis Deo sibi miserante proficiat. Vestram siquidem non latere beatitudinis excellentiam novimus, diœcesin Turonicam austeritate Britonum diutino a sua metropoli divulsam penitusque discissam: ita ut, sicut idem Turonicus metropolitanus Herardus, pariterque Namneticus Actardus frequenti indagine, nec non etiam in præmissa Suessonica synodo evidenti atque multiplici stylo pariter & sermone nobis intimavere, licet nobis multis præcedentibus indiciis hæc eadem non possent latere, jam vicenus & eo licet paullulum adsit annus, quo tyrannica feritate resumpta, nec comprovincialia cum Turonico metropolitano celebrent concilia, nec in episcoporum consecrationibus ad eumdem quidam respiciant, illi quoque sed nullo pacto se subdant. Sed neque ad generalitatis nostræ synodum, si quando apostolatus vestri auctoritas nostram fraternitatem pro quibuslibet emergentibus vel imminentibus negotiis aggregandam decernit, illorum præsentiam, legatos, litteras, cum infra sinum occiduæ Galliæ commorentur, & nec juga montium, nec marinum pelagus, sed neque gravis intercapedo terrarum convolare prohibeat, nostræ unanimitati quemquam habere meruimus. Unde fit ut nullus cultus religionis inter eos, nullus disciplinæ vigor haberi possit in illis: quoniam cum sint barbari, feritate nimia tumidi, nullis sacris institutis obediunt, nullis præceptionibus sanctorum patrum se subdunt: sed pro libitu insipientiæ, malevolentiæque suæ cuncta peragunt. Frequentibus iidem apicibus matris & magistræ sanctæ sedis Romanæ, decessorumque vestrorum admoniti, & ut feritate deposita, quia sunt nomine tenus Christiani, apostolicis atque canonicis decretis se subderent, sunt vocati, sicut evidenti indicio in archivis sanctæ Romanæ ecclesiæ, si placet, valetis reperire. Sed quidam illorum nec sibi legi, nec passi sunt audire; neque ullo pacto a cœpto pravitatis suæ repressi sunt itinere. Hinc fit, quod hactenus parochiam Namneticam a muro ejusdem urbis præsignato fratri nostro Actardo subreptam habeant: sed & res omnes ejusdem sedis obstina-

ta

(a) Marten. XII. Kal. (b) Copiositate referta, Sanctorum &c.

ta pervasione detineant. In nullo dissimilia Tu- A
ronicæ metropoli, & Andegavensi ecclesiæ, pari-
terque Cenomanensi, in rebus quæ ipsis sunt at-
tiguæ, certum est eos agere. Sed & omnis pene
Neustriæ ecclesia crudelem eorumdem feritatem
perpetitur, rebusque quibus illis convicinatur cu-
pide denudatur. Quibus autem injuriis, oneribus,
atque servitiis utriusque ordinis, conditionis, &
sexus homines opprimant, melius viva voce cel-
situdo beatitudinis vestræ poterit nosse. De epi-
scopis autem ab eisdem temere & irreverenter non
solum absque vestri pontificatus notitia, verum
etiam absque ullius synodici conventus examine
atque consensu ejectis, (*a*) id est de * Salacone
Dolense, adhuc quidem licet expulso superstite,
cui loco se jactitant sedem metropolim contra fas B
habere, prædicto quidem fratre expulso, atque
duobus in ipsa sede nuncupative subrogatis absque
metropolitæ scientia vel consensu: Susanno etiam
Venetense adhuc superstite, alioque suæ sedi in-
debite substituto; frequens ad sanctam Romanam
ecclesiam processit mentio, cum adhuc ipsi exules
demorentur, licet quosdam idem dux Britanni-
cus infra præsentis anni spatium, vestræ auctori-
tatis institutis præmonitus, quos * (non solum-
modo) suæ gentis & linguæ esse noverat, absque
synodi præsentia, sine ullo reconciliationis vel re-
stitutionis ordine, verbo suo solummodo restitue-
rit, & quomodo qualiterque placuerit sedes amis-
sas recipere, non ecclesiastica determinatione, sed
barbarica deliberatione permiserit. Interea ut mo- C
re præcessorum suorum idem auctor Britonum fi-
dentissimo filio vestro, domno & seniori nostro
Carolo, in cunctis obtemperet, (*b*) seque omni
humiliatione debita colla submittat, annuosque
census persolvat, quia idem specialis filius vester
diverso unde secus Northmannorum aliorumve
agitatur incommodo, vestris suasionibus & ut ex-
pedit redargutionibus quæsumus decernite. (*c*)
Qui si contra hortamenta salubria præcellentiæ ve-
stræ demum aspirare nititur, gladio sancti apostо-
latus vestri se percellendum debito cognoscat li-
bramine. His ergo ita breviter prælibatis, ne ali-
quod vestræ pietetis excellentiæ generemus incom-
modum, a præsenti synodo fratrem & consacer-
dotem nostrum Actardum vestræ paternitatis aspe- D
ctibus pertractavimus destinandum, qui viva voce,
veroque sibi notissimo sermone ad liquidum hæc,
quæ succincte prosequimur, poterit referare. Cui
petimus, humiliterque deposcimus, ut sanctæ be-
nignitatis vestræ sublimitas aurem pietatis clemen-
ter accommodet, eique solitæ manum mansuetu-
dinis porrigat. Videlicet ut rebus omnibus, id est
sede in qua spes nulla recuperandi sibi est, cum
parochia exspoliatus pietatis vestræ adminiculo ad-
juvetur, & sicut expulsus penitus a propria sede,
utriusque gentis Northmannorum & Britonum fe-
ritate & continua (*d*) persecutione censura vestri
moderaminis relevetur. Omnibus ergo ad ubera
materna convolantibus, opemque sibi ferre posce-
tibus, sicut semper impendere munificentiæ vestræ E
benignitate, misericordi largitate suestis, ita & huic
petitioni, quam frequenti & necessario stylo ve-
stræ præcellentiæ offerimus, misericorditer subve-
nire, eorumque de quibus agitur hactenus indo-
mitam feritatem principali mucrone comprimere,
& ecclesiæ sanctæ filiis pastorali sollicitudine di-
gnamini, quæsumus, efficaciter succurrere, pater
& papa beatissime.

Hi episcopi præsenti interfuere concilio.

ANNO CHRISTI 866.

Remigius Lugdunensis metropolis sedis episco-
pus.
Hincmarus Rhemorum metropolis episcopus.
Herardus Turonorum metropolis episcopus.
Vvenilo Rothomagensium metropolis episcopus.
Egilo Senonum metropolis episcopus.
Leotbertus Moguntionum metropolis episcopus.
Frotarius Burdigalensium metropolis episcopus.
Rothadus Suessionum episcopus.
Erpuinus Silvanectis episcopus.
Hunfridus Morinensium episcopus.
Erchanraus Catalaunensium episcopus.
Hincmarus Laudunensis episcopus.
Odo Bellovacensis episcopus.
Rainelmus Tornacensis episcopus.
Joannes Camaracensis episcopus.
Actardus Nannetensis episcopus.
Agius Aurelianensis episcopus.
Gislebertus Cenotensis episcopus.
Hildegarius Meldensis episcopus.
Abbo Nivernensis episcopus.
(*e*) Fulcricus Trecassensis episcopus.
Æneas Parisiacensis episcopus.
Hildebrannus Saicorum episcopus.
Rotbertus Cenomanensis episcopus.
Ercambertus Bajocassium episcopus.
Seginandus Constantinensis episcopus.
Hilduinus Ebrocensis episcopus.
Isaac Lingonensis episcopus.
(*f*) Liudo Æduorum episcopus.
(*g*) Girbaldus Cabilonensis episcopus.

IX.

CAROLI REGIS EPISTOLA AD NICOLAUM PAPAM I.

De his quæ facta fuerunt in synodo.

Laudans Hincmari obedientiam, clericorum integram restitutionem pontifici a synodo reservatam scribit, & a se interim ecclesiam Bituricensem VVlfado commendatam.

SAnctæ paternitatis vestræ reverenter excepimus apices, quibus nobis clamores & gemitus de-
positorum ab Hincmaro honorando præsule, Vvi-
fadi scilicet, sociorumque ejus, aures vestræ di-
gnationis penetrasse aperuistis: quin etiam nostram
filiolitatem, ut eumdem venerandum antistitem
ad hoc hortaremur, & admonere pro Dei amore
curaremus, summopere prædicare decreviistis, a-
jentes ut eumdem ad obtemperandum præcellen-
tiæ vestræ solertia nostra decertaret flectere: sin
autem, sollicite præcavere, ne quibuslibet argu-
mentis in non obediendo vobis nos inclinare va-
leret. Egimus itaque summo studio, secundum
paternitatis vestræ rogatum, & reverenter memo-
ratum antistitem eodem de negotio alloquentes,
sicut devotum in reliquis, ita quoque paratissi-
mum in hoc ipso ad obediendum vobis & nobis
comperimus, ita ut non solum non resistere, sed
etiam primus parere apostolatus vestri promptissi-
me præceptionibus festinaret. Quare autem de re-
stitutione memoratorum virorum, secundum ve-
stram ad eum denuntiationem, cum suffraganeis
suis non perfecerit, a synodo præceptione vestra
su-

(*a*) Id est Salocone. (*b*) suaque. (*c*) decernite adhortari. (*d*) persequutione habetur: (*e*) Fulcharius.
(*f*) Litduinus. (*g*) Erbaldus.

ANNO CHRISTI 855.

ſuper ipſo negotio Sueſſioni congregata deſtinata epiſtola evidentius declarabit. Quod enim de tuitione eorum ſanctitudo veſtra quæſivit, & nobis filio veſtro ſignificavit, ſi neceſſe fore apparuiſſet, magnopere effeciſſemus. Sed favente Deo idem, de quo agimus, pontifex benigne ſtatutum veſtrum excipiens, ut affectuoſus pater, cum aliis aggregatis venerabilibus epiſcopis, eorum cauſſam mitiſſima deliberatione definivit, libentiſſime manſuetudinis veſtræ obediens omnimodis epiſtolaribus affatibus: & quos voto pietatis excellentiæ veſtræ perſpecto, tranquillo, pacifico, atque benigno uſque ad præſentiam ejuſdem ſynodi, ut evidenter comperimus, tractavit animo, in cunctis deinceps, fretus veſtri moderaminis concilio, præſcriptos fratres fulcire, pioque ſolatiari non deſtitit auxilio. Quæ omnia conſequenter cum reliquis conſacerdotibus omnino explere acceleraret, niſi juxta privilegium deceſſoris veſtri domni Benedicti, ac veſtrum, ſummam vobis reſervandam cœpti de reſtitutione docerent negotii. Quia vero ſæpedictus antiſtes altitudini veſtræ devotiſſimus, & apoſtolico conſtitutionis veſtræ decreto, & noſtro etiam hortatui, omnimodis gratantiſſime paruit, nec in aliquo renuere tentavit, noſtra ſupplici petitione ampliorem gratiæ munificentiam apud vos ſe percepiſſe gratuletur, proindeque vobis ſeſe acceptiorem omnino perſentiat. Poſthæc, quia fratrem illum Vvlfadum, de quo agitur, ut veſtræ ſanctitatis apices exponunt, moribus & ſcientia penes nos vigere comperimus, Bituricenſem eccleſiam, ceu ſanctæ paternitati veſtræ aliis litteris ſignificavimus, quia dare abſque apoſtolatus veſtri determinatione diſtulimus, commendare ſibi eamdem eccleſiam cum rebus ſibi pertinentibus acceleravimus, ſcilicet ut in deſtructione earum non tantum ſæviens valeret quorumlibet pravorum inſtantia, quærentium diripere non ſua, & vaſtare crudeliter aliena. Quare ut in eodem loco illius valere & vigere queat ſtudioſitas, citius reverentia paternitatis veſtræ quid ſancto animo veſtro de eo ceteriſque ſederit aperire dignetur, efficiatque ſublimitas veſtra feſtinantius de ipſo, quod pro eo ad vos ſæpius noſtra popoſcit ſupplex expetitio: quoniam ſumma neceſſitate illis urgente melioris voluntatis qui in illo ſunt regno hoc ipſum aſſidua imprecatione depoſcunt. Verum multarum perturbationum impedimenta, non ſolum noſtris temporibus, ſed etiam prædeceſſorum noſtrorum, aut vix aut nunquam eidem regno defuiſſe noſcuntur. Atque ideo neceſſe eſt ut in adjutorium filii noſtri, caſu vobis notiſſimo infirmati, & eorum qui ſibi ſunt noſtra fidelitate & ſua adhæſi, quo valentius reſiſtere adverſariis omnimodis poſſint, idem de quo flagitamus maturius dirigatur veſtræ paternitatis provectibus ſuffragantibus, domine beatiſſime & admodum deſiderantiſſime pater & papa.

X.

PRIVILEG. A SYNODO SVESSIONICA CONCESSUM MONASTERIO Solemniacenſi.

CUm eccleſiarum omnium prædia, bonorum hominum ſtudiis & votis ſalubribus ſingulis titulis condonata privilegiis propriis egeant roboranda, tanto firmius a ſæculari cupiditate credimus eſſe & ſpecialius præmunita, quanto majori eccleſiaſticæ dignitatis, ſæculariſque potentiæ, fuerint modis omnibus auctoritate firmata. Igitur anno incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCLXVI. indictione XIV. regni autem domni Caroli regis XXVI. dum apud urbem Sueſſionicam jubente Nicolao urbis Romæ pontifice, ſynodus ex diverſis Galliæ, Neuſtriæ, atque Aquitaniæ epiſcopis confluentibus, XV. Kalendarum Septembrium haberetur, ibique per conſilia epiſcoporum, qui ex diverſis regnorum partibus advenerant, ea quæ in eccleſiaſticis ordinibus conſtare videbantur, ſubtiliter tractarentur, juſſit magna ſynodus comuni tractatu perquirere, qualiter omnis ordo eccleſiaſticus in divinis cultibus ageretur, & quomodo actum miniſtraretur. Talibus ergo dum regia claritudo cum ſummi ordinis ſacerdotibus invigilans deſerviret, ſeſeque ad exaltationem ac reparationem in quibuſdam membris eccleſiæ piis ſtudiis mancipatus accingeret, venit quiddam abba venerabilis, Bernardus nomine, ex monaſterio Solemniaco nuncupato, regiam clementiam, & ſynodalem adiens pietatem, pro privilegiis ipſi monaſterio impetrandis, quibus ſub tuitione regia atque apoſtolica & ſynodali defenſione perpetuo muniretur. Talia ergo dum ſibi ſuiſque fratribus concedenda humiliter poſtularet, innotuit regiæ dignitati, noſtræque ſynodo reſidenti qualiter vir venerabilis atque beatiſſimus Elegius Viromandenſis eccleſiæ epiſcopus, amore ſupernæ hæreditatis accenſus, cœnobium ipſum in Limovicino rure, quod Solemniacus vocatur, in honore omnipotentis Dei, & veneratione beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, ac martyrum Dionyſii & ſociorum ejus, Criſpini atque Criſpiniani, nec non & Pancratii, ſeu & confeſſorum, Martini, Hilarii, Medardi, Remigii, & Germani, ſuo opere ædificare ſategit, monachoſque ibidem inſtituit, qui & divinam in eodem loco exercerent militiam, & pro eccleſiæ totius ſtatu ſupernam implorare decertarent clementiam: & quomodo per teſtamentum firmiſſimum propria ſanctiſſimaque ſua manu, atque aliorum, qui in ſuo teſtamento releguntur, epiſcoporum ſanctorum, corroboravit * devotiſſime atque promptiſſime voluntate, idem monaſterium monachis in eodem degentibus, ac ſucceſſoribus eorum in ventutis generationibus jure tradidit eccleſiaſtico, nec non & hæreditario. Eo videlicet tenore, quatinus ſub tuitione, atque quem trito ſermone mundeburde vocant, Dagoberti regis, qui tunc temporis apicem regni tenebat, & ſucceſſorum ejus, ſine aliqua contradictione, ſive aliquorum hominum infeſtatione, in facultatibus eorum viverent, & normam ſancti Benedicti inviolabiliter tenerent: & quomodo Deo dilectus iſdem rex Dagobertus, cognitis viri ſanctiſſimi ejuſdem epiſcopi Elegii ſtudiis, præfatum monaſterium, cum omnibus rebus juſte & legaliter ad ſe pertinentibus, tam ſui donatione quam etiam bonorum hominum collatione, per auctoritatem præcepti ſui proprio abbati, atque monaſterio degentibus, ſecundum morem prædeceſſorum fidelium regum, libentiſſime confirmavit. His igitur omnibus abbatis venerabilis relatione Bernardi regiæ poteſtati ac ſynodali concilio cognitis, obtinuit ipſius abbatis devotiſſima & veneranda precatio, apud ejus ſynodique ſublimem clementiam, ut noſtra præſenti atque inviolabili innovatione, quoniam Northmannorum crudelitate graſſante priora inſtrumenta incendio fuerant concremata, hujus prædictæ firmitatis ſtabilitas muniretur. Reſidentibus ergo nobis apud urbem ſuperius memoratam, atque de reipublicæ utilitate tractantibus, præmiſſi abbatis Bernardi petitionem ſuper innovandum prædicto monaſterio privilegium humili & digna ſuggeſtione accepimus. Cujus piis petitionibus ſimul cum regia ſublimi clementia annuentes, præſens privilegium in honore Dei omnipotentis, & veneratione eorum-

* Fort. votiſſi que p ptiſſim

ANNO CHRISTI 866.

rumdem sanctorum, adjecta regiæ præsidentiæ auctoritate decrevimus roborandum, & sicut sequentia manifestant subscriptione propria confirmandum. Quatinus hinc inde & regali munificentia & auctoritate episcopali convenienter munitum, præsentibus futurisque temporibus valeat inviolabiliter permanere illæsum. Et interposita obtestatione per virtutem sanctæ crucis, & sanctorum ipso in monasterio quiescentium, ut eumdem locum a tam sanctissimo viro constructum, nec sibi aliter nisi tutela defensionis ac tuitionis reges usurpent, nec cuiquam clericorum canonici habitus, aut laicorum, quod absit, eum attribuant; sed sub tutela ac defensione, cum proprio, ut dictum est, ex ipso monasterio & regulari abbate sibi retineant: monachosque in eodem loco degentes sub aliis suæ protectionis quietos esse permittant, & Deo secundum auctoritatem & regulam sancti Benedicti militare, & pro statu universalis ecclesiæ enixius obsecrare concedant. Decedentibus quibuscumque abbatibus successorem ex eodem loco sibi liceat eligere, & sibi regulariter instituere. Si quis vero, quod absit, hujus privilegii destructione fraudulentus violator in posterum emerserit, salutem propriam negligens, aliorumque salutem persequens, regiæ majestatis reus existat, atque hujus concilii, quorum subscriptione roboratum videtur, vinculum anathematis, nisi hæc correxerit, sustineat.

SUBSCRIPTIONES.

Vvlfadus, etsi indignus, gratia tamen Dei sanctæ metropolis Biturigensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Frotarius Burdigalensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Remigius Lugdunensis archiepiscopus subscripsi.

Hincmarus sanctæ metropolis ecclesiæ Rhemorum episcopus subscripsi.

Rothadus humilis Suessionensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Vvenilo sanctæ matris ecclesiæ Rothomagensis archiepiscopus subscripsi.

Herardus Turonicæ metropolis archiepiscopus subscripsi.

Egil Senonensis ecclesiæ archiepiscopus subscripsi.

Agius humilis Aurelianorum episcopus subscripsi.

Æneas Parisiensis episcopus subscripsi.

Gislebertus humilis Carnutensis episcopus subscripsi.

Hildebrandus Sagensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Ercambertus gratia Dei Bajocacensis ecclesiæ episcopus subscripsi,

Fulchrius indignus episcopus Augustæ Tricorum subscripsi.

Odo Belvacensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Huntfredus humilis Morinensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Hilduinus Ebrocensis episcopus subscripsi.

Sigo indignus episcopus subscripsi.

Raincimus Vermandensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Aldo Limovicæ sedis indignus episcopus subscripsi.

Hildegarius Meldensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Isaac sanctæ Lingonensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Erchenraus Catalaunensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Bernaldus Matiscensis sanctæ sedis episcopus subscripsi.

Liudo Heduensis episcopus subscripsi.

Hincmarus Laudunensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Rotbertus Cenomanicæ urbis episcopus huic privilegio subscripsi.

Helias Æquoalisinorum episcopus consentiendo subscripsi.

Hardvuinus Valavensis urbis ecclesiæ episcopus huic privilegio subscripsi.

Actardus Namnetensis episcopus huic decreti privilegio subscripsi.

Girbaldus Cavilonensis episcopus subscripsi.

Joannes Camaracensis episcopus huic privilegio subscripsi.

Seginandus Constantiensis episcopus subscripsi.

Singulis episcoporum nominibus in autographo præfixum est de more Christi nominis monogramma; vel crucis effigies. Vvlfadi porro subscriptio primo loco extra ordinem post alias adjecta videbatur: inquit Sirmondus.

XI.

EPISTOLA NICOLAI PAPÆ I. AD EPISCOPOS SYNODI SUESSIONICÆ.

Hincmarum graviter perstringit, quod in causa clericorum dejectorum callide ac dissimulanter egerit, quodque Benedicti papæ literas mutilas & corruptas proferre ausus sit. Quare episcopos iterum convenire, & clericorum historiam accurate perscribere, clericos vero interim suis gradibus restitui jubet. Non probat autem quod Vvlfadum ante plenam restitutionem ad episcopatum promoverint.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, reverentissimis & sanctissimis confratribus nostris archiepiscopis & episcopis, qui per gratiam Dei & decretum nostrum apud Suessonicam urbem convenerunt.

REverentissimum fratrem & coepiscopum nostrum Egilonem de vestro sacro collegio ad apostolicam pervenientem sedem, magna cum exultatione suscepimus, & de agnita per eum omnium vestrum status incolumitate lætiores effecti, auctori grates immensas rependimus. Illud præcipue bonum atque jucundum arbitrantes, quoniam vos fratres sicut corpore, ita & mente in unum cohabitasse comperimus, & in dejectorum fratrum relevatione unum cor & unam animam una cum spiritu nostro possedisse cognovimus. Spiritus quippe sancti præsentiam testatur congregatio sacerdotum, & in medio sui Dominum habere se monstrant, qui in ipsius nomine conveniunt in idipsum. Nos etenim clamorem eorumdem dejectorum spernere clericorum ratio nulla sivit, & ad vociferationes eorum ad sedem apostolicam etiam sub decessoribus meis frequenter emissas, aures obturare paterna caritas non permisit. Portamus quippe onera omnium qui gravantur, quinimmo hæc portat in nobis beatus apostolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suæ protegit ac tuetur hæredes. Verum cum nonnulla scripta sedi apostolicæ diversis temporibus delata, vel etiam ab ea data, ob hujus reperiendam rei certitudinem diligenter investigaremus: accidit ut etiam, Deo revelante, acta concilii, quod auctore fratre & co-

epiſcopo noſtro Hincmaro præfatos viros ſegregaſ-
ANNO CHRISTI 866. ſe dignoſcitur, ab eodem venerabili antiſtite nobis dudum tranſmiſſa, cum actionibus pro Rothado venerabili epiſcopo venirent ad manus. In quibus quanta reprehenſionum inveniatur congeries, ſi voluerimus exhibere per ſingula, facilius chartæ quam verba deficient. Ibi namque falſitas in ipſo mox actionum invenitur principio. An non falſitas, cum ſponte perveniſſe dejecti illi ad eccleſiæ januas pro ſua neceſſitate ſcribuntur, qui veniſſe probantur inviti? Præcipue cum Vvlfadus ibidem non fuerit, cujus nomen inter petentium nomina fallaciter extitit recitatum? Ibi ante tempus examinis, jam judicatum, & ante legitimum judicium, condemnatum fuiſſe dignoſcitur. Ibi ante audientiam, & ante certum numerum collectorum epiſcoporum, presbyteri diaconique privationi miniſteriorum ſuorum ſubduntur. Ibi metropolitanus antiſtes modo ſua jura deponit, modo reſumit: modo ſubeſt ſynodo, modo præeſt, modo quaſi accuſatus, modo accuſator, modo judex accedit: & pro libitu propria vicibus alternantibus cuncta diſponens, more cujuſdam animantis, non ſemper unius ejuſdemque coloris apparet. Ibi inquam nolentes proclamare, proclamare coguntur, & tamquam accuſatores libellum proclamationis porrigere compelluntur: licet tenorem libelli juxta morem geſtis frater noſter Hincmarus non inſeruerit, cum eiſdem nonnulla minus etiam neceſſaria probetur inſeruiſſe. Ibi abſens, & ut illic habetur, ægrotus addicitur, & dolor ſuper dolorem apponitur, dum abſens Vvlfadus libello quaſi præſens adſcribitur, & in lecto jacens, nunquamque reclamans, ſocietatem habere cum præſentibus reclamatoribus falſo prætenditur. In quo conſiderandum eſt quia ſi leges ſæculi etiam de rebus pecuniariis, quæ extra nos ſunt, ægrotum reſpondere non cogunt, quanto minus a Domini ſacerdotibus infirmus quilibet compelli ad querimoniam debuit de negotio, quod in eumdem ipſum conflari dignoſcebatur, & quod hunc ad depoſitionis caſum impellere probabatur? quo dolore in hac vita major ubi quæſo eſt? Et ut ſtrictim pene omnia complectamur, ibi ſola obedientia ſubditorum, quam apoſtolus præpoſitis exhibere jubet, reputatur in culpam; & qui prælati judicio temere non reſtiterunt, ſed humiliter colla ſuppoſuerunt, ſeveriſſime puniuntur. Ibi qui nulla propria noxa deliquerunt, hæreticorum damnationem tamquam hæretici inciderunt, & qui miſericordiam petivere, nec juſtum judicium percipere meruerunt. Sed quid mirum, ſi textus & finis ejuſdem concilii accepti non ſunt, quando in nomine Domini juxta morem inchoatum non eſt? Nam cum apoſtolo, omne quodcumque fecerimus in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jeſu facienda præcipiente, ritus eccleſiaſticus in colligendis conciliis id obſervet, & in hoc dumtaxat, abdito permittente divino judicio, fuerit prætermiſſum: conſtat procul dubio, non eos in nomine Domini congregatos extitiſſe, ac per hoc eum minime in ſui medio habuiſſe, qui tale concilium immo conventicula ſua de ſanguinibus contra pſalmiſtam congregaverunt, & quoddam animal imitati, non niſi extinctis propriis filiis poſſe ſubſiſtere putaverunt.

Coloſſ. 3.

Pſal. 13.

Jam vero, ſi idem concilium ab apoſtolica ſede fuiſſe prætenditur approbatum, quemadmodum id verſuta fuerit cavillatione ab apoſtolica ſede perceptum, fraternitati veſtræ breviter intimamus. Denique frater & coepiſcopus noſter Hincmarus, de memoratis clericis, Vvlfado ſcilicet & collegis ipſius, quod ſibi viſum eſt, conſummato mox præceſſori meo beatæ recordationis Leoni præſuli non ſemel ſupplices literas miſit, quatenus idem concilium approbans auctoritate apoſtolica roboraret. Quod ille non ſolum minime annuit, verum etiam agere ſollicite tenuit, dicens idcirco ſe petitiones ejus pro confirmanda ſynodo, in qua depoſiti præfati viri fuerant, ſuſpendiſſe, eo quod per aliquos ex his epiſcopis, qui ſynodo reſederant, ut dubitatio foret radicitus evulſa, ſtatuta ejuſdem ſynodi deſtinare debuiſſet: præcipue cum ibidem legati ſedis apoſtolicæ præſentes non fuerint. Poſtremo eo quod hi, quos ille auctoritate ſynodi affirmabat depoſitos, per proprias literas ſedem apoſtolicam appellaverint, & vellent ſua ſe apoſtolica audiri præſentia, & tunc, ſi culpabiles invenirentur, non abnuerent canonicam ſuſtinere cenſuram. Sed venerabilis Hincmarus, ſciens utique concilium iſtud, ut ſupra oſtenſum eſt, reprehenſionibus non paucis reſperſum, acta quidem illius per neminem epiſcoporum, qui his interfuerunt, deſtinavit: ut tamen firmarentur, denuo precibus agere non ceſſavit. Sed dejectorum iterato clamore crebreſcente clericorum, nec ſic quod petebatur laudabilis præſul indulſit. Præcepit autem per alteram ſuæ ſanctionis epiſtolam, ut idem frater Hincmarus ad concilium cum illis occurreret, ad quod ſuum ipſe legatum, Petrum videlicet epiſcopum Spoletanum, e latere ſuo direxerat, ad renovandum videlicet judicium vice ſua, & congregatis rurſus epiſcopis ad depoſitorum reclamantium, auxiliante Domino, trutinandum ac ſopiendum negotium. Ita ut ſi eiſdem dejectis clericis contigiſſet, ut in ipſa debuiſſent depoſitione perſiſtere, & obedire renuiſſent, ſedemque apoſtolicam iterum expetiſſent, ne ſedis apoſtolicæ diſſolveretur privilegium, illis ad eam veniendi non negaretur licentia. Cum quibus præcepit ut frater Hincmarus, vel miſſus ejus veniret: qualenus cum fratribus ſuis epiſcopis æquum de his judicium conferre potuiſſent, & utraque parte conveniente cauſſas eorum eadem ſedes ſancta canonice diffiniſſet. Verum ille, qui prius epiſcopum, legatum videlicet concilii ſui, ſedis apoſtolicæ viſioni ſubtraverat, etiam ſuam audientiæ ab eo deſignatæ præſentiam ſubducens, probavit de ſe illa quæ dicta ſunt: videlicet quod tale concilium ſtatuerit, quale ſuperius ſtrictim monſtratum eſt. Interea eo voti effectu fruſtrato, apoſtolicæ ſedis pontifex Leo, qui fratris Hincmari propoſitum noverat, ab hac luce ſubtractus eſt. Cumque ſanctæ memoriæ Benedictus, vir apoſtolicus, ei ſucceſſiſſet in ordine pontificatus, rurſus reverendus Hincmarus arma præparat, & eidem ſummo præſuli, tamquam ſuarum inexperto verſutiarum, latenter ſubripit, & in ipſo conſecrationis ejus principio ſuadet, ut concilium quidem ad votum unius hominis congregatum firmaret: non tamen ei ullo modo ſubripi aut ſuaderi potuit, ut a juſtæ diffinitionis & diſcretiſſimæ moderationis tramite vel aliquantulum declinaret: verumtamen, ſicut videre eſt, & ipſi jam forſitan agnoviſtis, ita per quoddam ei privilegium conceſſum illius concilii roboravit inſtitutum, ut auctoritatis ſummam ſedi apoſtolicæ reſervaret, & ut vobis jam ſcripſimus, ita tribuit honorem alteri, ut ſibi quod tribuebat non demeret. Unde actum eſt, ut quod male petitum fuerat, Spiritu docente Dei, bene ſapiens præſul concederet, & nihil proficeret humana ſubreptio, ubi pectus tanti pontificis divina replebat infuſio: nec obeſſet cujuſdam ſuaſio, ubi antiſtitis ſancti prudens obviavit & providentiſſima moderatio: dum in ipſo privilegio tenorem præmiſerit, quod ſic decretum eſt ab eo manenda inconvulſa quæ petebantur, ſi ita eſſent per omnia, quæ de illa

ſyno-

synodo sibi a fratre nostro Hincmaro referebantur. Interposuit enim ancipitem in eo sententiam dicens: Si ita est nostroque ut scriptis præsulatui intimasti, & gestorum serie demonstrasti, ratas easdem, quin diffinitiones, apostolica promulgamus fore auctoritate. Licet ipse hujus tenoris circumstantiam de collati privilegii textu excipiens, & nostræ visioni subduxerit, & aliorum notioni subtraxerit. Interserens insuper quæ idem summus pontifex aut nunquam, aut aliter sanxerat. Ipse namque de memoratis diffinitionibus dixit: Ratas easdem apostolica promulgamus fore auctoritate, semperque manere statuimus, & sequentia, quæ ipse quidem aliter posuit, frater vero Hincmarus quædam addens, plura subtrahens, vel commutans, aliter prosecutus est. Sed adhuc & in alio mira fratris Hincmari rursus accedit astutia, & soli proprio voto favens se immiscet prudentia. Denique cum apostolicæ & reverendæ memoriæ decessor noster papa Benedictus ei privilegium, de quo nunc diximus, contulisset, ita quæ in eo continentur firmavit, ut suspensam sententiam his jungeret, & ut per omnia sedi apostolicæ sua privilegia, sicut jam fati sumus, & auctoritatis propriæ jura (quem in hoc & nos quoque secuti sumus) inviolabilia reservaret: interponens præterea nodos anathematis in eos, quibus prohibendum censuit, ne quilibet contra eadem canonica constituta, & decreta pontificum Romanorum pertinaciter obviasset: id est, ne quis vel contra illa, quæ fratri Hincmaro concesserat, vel quæ sedi propriæ reservarat, agere tentavisset. Sed ille, quæ horum suo libitui favere conspexit, omnium notitiæ patefecit: quæ autem sedis sunt apostolicæ reservata juri, cunctorum notioni subduxit. Testantur hoc exemplaria ejusdem privilegii, quæ ab eo sunt ad sedem apostolicam diverso tempore missa. Quantum vero talis scriptorum depravatio ac mutilatio noceat, ipsi jam potuistis advertere, qui in concilio videntes quædam ipsius constituti, sicuti vestro relatu didicimus, quædam vero non videntes, cœptum circa oppressos pium laborem deterriti minus perfectum deseruisse nunc dignoscemini, nisi nostris instructi monitis, & nostris ibidem confortati literis inveniremini. Miserat enim sæpe memoratus antistes, egregiæ recordationis decessori meo per scripta sua, quod iidem clerici ad vicinos episcopos provocaverint, contra se libellum proclamationis dederint, judices sibi ipsi elegerint, & cetera, quæ longum est numerare, significans. At ille divinitus inspiratus, ei rescribens: Si inquit ita est, nostroque ut scriptis præsulatui intimasti, & gestorum serie demonstrasti, (quod frater Hincmarus de textu penitus erasit) ratas easdem (subauditur diffinitiones) apostolica promulgamus, non in omnibus, ut ipse addidit, fore auctoritate, semperque manere statuimus. Deinde subjunctum est, quod ipse longe aliter mutavit scribens, ut inde quæstio nullis aliquando temporibus oriatur. Nunc autem cum ita non fuisse, tam a nobis, quam a sancto concilio vestro extiterit comprobatum, quod suggesserat merito in irritum ductum est, quod contra dejectos non simpliciter impetraverat. Sed ad propositum redeamus. Igitur tandem aliquando clericis sæpe memoratis, qui semper ad apostolicam sedem appellaverunt, etiam nobis literis suis pro dejectione sua querimoniam exponentibus, non fuit dissimulandi, non fuit nobis tacendi libertas, quibus major cunctis Christianæ religionis zelus incumbit. Ac ideo primum quidem fratri & coepiscopo nostro Hincmaro misimus, uti commemoratos viros, Vvlfadum scilicet, collegasque ipsius, clementi animo studeret ad se revocare, depositaque omni funditus animositate, de restitutione ipsorum secum fraterne tractaret, atque misericorditer consummare contenderet, alioquin ad concilium vobiscum, quibus & nos quoque pro hoc ipso scripsimus, simul occurreret; quatenus omnes in unum convenientes, causas eorumdem clericorum examinaretis, & non aliqua emergente disceptatione, Deo præ oculis habito, diffiniretis: si vero quælibet inter partes disceptatio proveniret, ad sedem apostolicam nostrum suscepturæ speciale judicium personæ vices tenentes utriusque lateris convenirent. Quo Dei gratiæ juvamine peracto, suscepimus nunc literas amplectendæ dilectionis omnium vestrum, manifestissime significantes, crebro memoratos clericos a totius consona voce concilii dignos graduum suorum receptione pronuntiatos; ubi nulla, sicut eisdem literis vestris reperimus, disceptatio provenit: nulla, sicut putatum fuerat, varietas alia atque alia defendentium accidit: nullus accusator, nullus condemnator repertus est: sed cunctorum una eademque sententia, atque in restitutione ipsorum diffinitio claruit, eisdem innoxiis a cunctorum unanimitate modis omnibus approbatis. Quamquam vos non egeritis sollemniter, minime, secundum quod nos decreveramus, sedi apostolicæ plena relatione actionum seriem referantes: adeo ut propemodum ipsius vestri concilii gestis incognitis, ad diffiniendum quid de sæpedictorum clericorum statu pene retraheremur, nisi labor prædecessorum nostrorum, apud nos in rerum gestarum scripturis inventus, nos ad se tandem perficiendum pleniter animasset. Debuistis enim, quidquid de Ebbonis dejectione, relevatione, horum clericorum promotione, & ipsius Ebbonis iterata repulsione, ad aliamque ecclesiam migratione, vel undecumque ibi quippiam ventilatum est, nobis scripto unanimiter, pleniter, ac fideliter intimare: non solum autem nobis intimare, verum etiam monumentis insertum ad pleniorem penes nos notitiam & certitudinem reservare. Sed quia hoc negligentia prætermissum est, saltem nunc omni diligentia procurate, ut quæcumque super hac re scripta, tam a nobis prius & nunc, quam a vobis edita reperiuntur, & quid hinc coepiscopus Hincmarus, & illi dejecti clerici sedi apostolicæ suggesserint atque retulerint, in volumen unum ordine quo missa sunt redigantur, & apostolicæ sedi, ut competens est, vobis eorum exemplaribus reservatis, summo studio dirigantur. Quod cum diligenter actum fuerit, tunc profecto plene scire possumus, cuncta vos in concilio strenue peregisse: & quod hactenus omissum est, hoc ordine Christo juvante recuperabitur. In quo tamen agendo venerabilem Vvlfadum præ ceteris abundantiorem convenit curam arripere. Deinde vero volumus vos esse sollicitos, ut si de cetero tale quid forte contigerit evenire, pro quo conventum in regionibus vestris fieri sacerdotum præcipiamus, hoc inter cetera nulli penitus oblivioni tradatis: sed post omnia id agere majorum more studiosissime satagatis. Arridet autem huic unanimitatis vestræ sententiæ atque diffinitioni etiam fratris & coepiscopi nostri Hincmari professio: quia non solum eosdem fratres, & antea se minime ab officio suspendisse, vel judicasse, aut a gradibus ejecisse, sive in repulsione ipsorum subscripsisse; verum etiam & nunc ad synodum, sicut nos præcepimus, conveniisse, & his quæ de restitutione illorum ceteri antistites consenserunt, paratissime annuisse, & obtemperare curasse testatur, cujus etiam nomen in epistola synodica, (sicut nostra relatio indicat) una cum nominibus vestris, qui simul

ANNO CHRISTI 866.

simul convenisse dignoscimini, pariter adscriptum
ANNO CHRISTI 865. inventum est. Illud tamen ridere libuit, quod idem antistes crebro memoratos clericos ab officio se minime suspendisse, vel judicasse, aut a gradibus ejecisse fatetur: præsertim cum hæc non veritate fulta multis esse probatur indiciis, quæ superius summatim retigimus, & nunc ea vel plura commemorare studio brevitatis omittimus. Nam nisi ille eos, etiam ante omnem audientiam, & adhuc cum ad se non accusantes, sed misericordiam postulantes accesserint, ab officio suspendit: quid est quod in actis concilii sui, quod ipse ad sedem apostolicam misit, ab eo suspensi ab officio fuisse memorantur? quibus cum tacens nihil ipse responderit, quid aliud, nisi vera eos prosecutos, silentio suo tribuit patenter intelligi? Et e diverso illi super quo querelas suas crebro dicto sanctæ memoriæ Leoni papæ mittebant? vel quem, nisi eum, suum impulsorem a gradibus propriis, & infestum sibi, quem circa se veluti patrem benignum debebant cognoscere, frequenti relatione pandebant? Postremo nisi ille in dejectione ipsorum subscripsit, immo nisi totius depositionis eorum seriem ipse scripsit, quid est quod ei in subinde memorato privilegio, quod sibi ab apostolica sede roborari petiit, beatæ memoriæ decessor meus ad eum loquens, quod ipse diffinitiones illas in synodo cum ceteris episcopis collecta, juxta relationem utique suam propriis digitis roboraverit, manifestat? Quod si dicit, nunquam se in illa synodo subscripsisse, ergo nec decessor noster aliquam ei synodum privilegio suo firmavit? quippe cum ipse eam, quam auctoritate apostolica stabilivit, propriis digitis ipsius roboratam specialiter fuisse commemoret. Igitur fratres carissimi, nos in præfatorum clericorum restitutione gradus, omnibus hactenus argumentis rite collectis, & omnium vestrum hortatu generalis incitante consensus, omnimodam conniventiam præbere potuisse cognoscite. Sed quoniam non secundum decretum nostrum eorum examinatio mera & perfecta discussio provenit, nec promotio vel abjectio ipsorum in synodali conventu qualis fuerit, liquido reperta est, nec apostolicæ sedi sufficienti relatu monstrata: idcirco paullulum a consummanda restitutione ipsorum interim deliberativum consensum nostrum coercere necessarium duximus. Verum quia in decernendo & in judicando quod canonice deliberatum est, ac in restituendis sæpedictis clericis, atque in omnibus, Deo præduce, sicut decuit & ordo popposcit, nostra præcessit auctoritas; conveniens ac honestum est, ut juxta postulationem vestram, nostræ firmationis perfecta subsequatur integritas, eo dumtaxat ordine, ut frequentius intimati clerici, qui evidentissime irregulariter ab officio graduum suorum suspensi fuisse noscuntur, & hinc sedem apostolicam sæpissime provocasse nonnullis indiciis comprobantur, ante omnia pristinis gradibus & officiis reformati consistant, ita ut prioribus redditi gradibus & ordinibus, & quodammodo suis omnibus revestiti, vires adversus impetentes se integras habeant. Non enim inermis cum armato rite conflictum inire poterit. Quibus videlicet gradibus ac officiis fruentibus eis, fratri & coepiscopo nostro Hincmaro licentia sit, intra totius hujus capedinem anni, sæpedictos exhibere clericos ab ordinibus suis canonice fuisse dejectos: ita ut quidquid habet calumniarum, prosequendi & exequendi sibi sit omnino facultas. Quod si totius hujus anni circuitu dilapso, contra eos nullam justam apud sedem apostolicam querimoniam composuerit, nec illos appetere de quocumque vel cujuscumque reatu, vel excessu, seu damnatione studuerit; ipsis quidem deinceps in ordinibus permanentibus, nos profecto nulli torpori dabimus operam, nec ullo pacto a summa cessabimus diligentia, donec aut ipse nunc illos juste comprobet restitutos, aut juste per se quondam ostendat remotos. Alioquin nos subsequenter exhibere procul dubio convenit, non solum sæpe fatos clericos præjudicialiter absque canone ab officio sequestratos, verum etiam ordinatorem eorum inconvenienter, ac sine consequentia ecclesiastica, regimine præsulari privatum. Quod plane præter eum nullus, ut remur, omnino dubitat, nullus profecto non prædicat, quandoquidem & nobis ita claret, quantum autumare possumus, quemadmodum his qui in illo tempore præsto fuisse memorantur.

ANNO CHRISTI 865.

Illud tamen, carissimi, prætereundum inter cetera fore non duximus, quod quantum relationis vestræ series innuit, minus caute quam sanximus regularia constituti nostri executi sitis edicta. Nos quippe, etsi appellantium sedem apostolicam clericorum, & ad judicium ejus provocantium causam, propter amovendum a vobis prolixioris laborem itineris, illic audiri, vel etiam diffiniri statuimus: non tamen quemquam eorum promovendum, vel ad eminentiorem ordinem provehendum indulsimus, quemadmodum nunc factum esse vestro favore per scripta vestra didicimus. Miramur insuper & quærimus, quænam illa sit summa rei, quam vos nostræ auctoritati reservasse prætenditis, & hanc invenire non possumus. Quam enim nobis summam reservastis negotii, cujus adeo finem perducere maturastis, ut nobis inconsultis, etiam pastoralem restitutis conferre sollicitudinem pateremini? & qui ad eos pristino gradui reformandos nostræ auctoritatis equistis, ad promovendum responsum nostrum nequaquam præstolari duxistis? Quantum autem filius noster Carolus gloriosus rex id a nobis exegit: sed nos vestram caritatem & honorificentiam, quos jam convenire jusseramus, merito conservantes, nullo pacto, priusquam rerum nobis exitus per vos patefieret, consensum in hoc præbituros semper ei rescripsimus; quod, fratres, saltem ad vicem minime custodientes, laudo vos, sed in hoc non laudo. Porro si quispiam sedem apostolicam, per Sergium sanctæ memoriæ papam, Ebbonem quondam archiepiscopum indignum clericali communione sanxisse perhibet, noverit quoniam talem sedes apostolica debuit Ebbonem, donec synodali ejus examine causa discuteretur, habere, qualem ab aliis habitum non ignorabat. Statutum quippe in magna & veneranda Nicæna synodo legerat, ut de his qui communione privantur, seu ex clero, seu ex laico ordine, episcopis per unamquamque provinciam sententia regularis obtineat, ut hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur: requiratur autem, ne pusillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet episcopi vitio, videatur a congregatione seclusus. Donec igitur auctoritate sua hujuscemodi pusillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet vitio, examinatio vel dijudicatio proveniret, apostolica sedes nihil agere debuit, nisi quod egit; videlicet ut ab aliis abjectum ipsa nequaquam indiscusse suscipere. Præcipue cum prædictus Ebbo non quasi pro depositione sua queritans, & legitime restitui volens examine præcedente sedem apostolicam appellaverit: sed, ut codex episcopalis indicat, a contumacibus suasus, & his junctus, repente & reconciliari ab ea, & pallio decorari quærens, & quasi episcopus inter episcopos, nulla causæ discussione præveniente, communicari poscens, ad eamdem summam sedem

Conc. cani c.

acces-

acceſſerit, a qua jam reprobatus ab aliis merito debuit reprobari, donec ſupplex ab ea ſeſe canonice poſceret adjuvari. Nam conſtat, ut ſanctus papa ſcribit Gelaſius, uniuſcujuſque ſynodi conſtitutum, quod univerſalis eccleſiæ probavit aſſenſus, nullam magis exequi ſedem præ ceteris oportere, quam primam, quæ & unamquamque ſynodum & ſua auctoritate confirmat, & continuata moderatione cuſtodit, pro ſuo ſcilicet principatu, quem beatus Petrus apoſtolus Domini voce perceptum, eccleſia nihilo minus ſubſequente, & tenuit ſemper & retinet. Verumtamen qualiſcumque fuerit, vel quæcumque pertulerit Ebbo, a ſe ordinatis, qui nihil præter humilitatem & obedientiam exhibuerunt, nullum prorſus intulit offendiculum, quoniam & beatiſſimus Leo ad Mauros ſcribens, ita de quodam Maximo præcipit dicens: Maximum quoque, licet reprehenſibiliter ordinatum, tamen ſi Donatiſta jam non eſt, & a ſpiritu ſchiſmaticæ pravitatis alienus eſt, ab epiſcopali, quam quoquomodo adeptus eſt, non repellimus dignitate. Et Anaſtaſius ejuſdem apoſtolicæ ſedis præſul, quod mali bona miniſtrando ſibi tantummodo noceant, nec eccleſiæ ſacramenta commaculent, ad Anaſtaſium principem ſcribens evidentiſſima ratione demonſtrat. Oramus ſanctam fraternitatem veſtram in Chriſto nunc & ſemper valere. Data VIII. Idus Decembris, indictione XV.

XII.

EPISTOLA NICOLAI PAPÆ I.
AD HICMARUM ARCHIEPISCOPUM Rhemenſem.

Ejuſdem argumenti cum præcedente. Hincmari enim fraudes aperit circa clericos dejectos, & circa literas Benedicti papæ. Sub finem etiam arguit quod pallio conceſſum ultra modum uti diceretur.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, reverentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Hincmaro archiepiſcopo Rhemenſi.

EPiſtolam beatitudinis tuæ cum epiſtola ſynodi miſſam per legatum ejuſdem veſtri ſacrati collegii, Egilonem videlicet fratrem & coepiſcopum noſtrum, ſuſcipientes, & tam ex ipſis epiſtolis, quam ex verbis ejuſdem venerabilis viri, devotionem & ſupplicem parentiam tuam, quam erga ſedem apoſtolicam habes, etiam nunc agnovimus, perpetuamque benevolentiam tuam, quam circa dejectos fratres & filios alacriter exhibuiſſe te dicis, laudamus, nimirum qui & ſecundum apoſtolum fleviſſe te cum flentibus indicas, & nunc gaudere cum gaudentibus manifeſtas. Quorum & nos quoque clamorem clericorum ſpernere ratio nulla ſivit, & ad vociferationes eorum ad ſedem apoſtolicam etiam ſub deceſſoribus meis frequenter emiſſas, aures obturare paterna caritas non permiſit. Portamus quippe onera omnium qui gravantur: quinimmo hæc portat in nobis beatus apoſtolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, adminiſtrationis ſuæ protegit ac tuetur hæredes. Verum cum nonnulla ſcripta ſedi apoſtolicæ diverſis temporibus delata, vel etiam ab ea data, ob hujus reperiendam rei certitudinem diligenter inveſtigaremus: accidit ut etiam Deo revelante acta concilii, quod auctore te præfatos viros ſegregaſſe dignoſcitur, a te nobis dudum tranſmiſſa cum actionibus pro Rothado venerabili epiſcopo, venirent ad manus. In quibus A quanta reprehenſionum inveniatur congeries ſi voluerimus exhibere per ſingula, facilius chartæ quam verba deficient. Ibi namque falſitas in ipſo mox actionum invenitur principio. An non falſitas, cum ſponte perveniſſe dejectos illos ad eccleſiæ januas pro ſua neceſſitate ipſe deſcribas, qui veniſſe probantur inviti? præcipue cum Vvlfadus ibidem non fuerit, cujus nomen inter petentium nomina fallaciter extitit recitatum? Ibi ante tempus examinis jam judicatum, & ante legitimum judicium condemnatum fuiſſe dignoſcitur. Ibi ante audientiam, & ante certum numerum collectorum epiſcoporum presbyteri diaconique privationi miniſteriorum ſuorum ſubduntur. Ibi metropolitanus antiſtes modo ſua jura depo- B nit, modo reſumit: modo ſubeſt ſynodo, modo præeſt, modo quaſi accuſatus, modo accuſator, modo judex accedit, & pro libitu proprio vicibus alternantibus cuncta diſponens, more cujuſdam animantis, non ſemper unius ejuſdemque coloris apparet. Ibi, inquam, nolentes proclamare, proclamare coguntur, & tanquam accuſatores libellum proclamationis porrigere compelluntur, licet tenorem libelli juxta morem geſtis non inſerueris, cum eiſdem nonnulla minus etiam neceſſaria proberis inſeruiſſe. Ibi abſens, & ut illic habetur ægrotus addicitur, & dolor ſuper dolorem apponitur; dum abſens Vvlfadus libello quaſi præſens aſcribitur, & in lecto jacens nunquamque reclamans, ſocietatem habere cum præſentibus recla- C matoribus falſo prætenditur. In quo conſiderandum eſt, quia ſi leges ſæculi etiam de rebus pecuniariis, quæ extra nos ſunt, ægrotum reſpondere non cogunt, quanto minus a Domini ſacerdotibus infirmus quilibet compelli ad querimoniam debuit de negotio, quod in eumdem ipſum conflari dignoſcebatur, & quod hunc ad depoſitionis caſum impellere probabatur, quo dolore in hac vita major ubi quæſo eſt? Et ut ſtrictim pene omnia complectamur, ibi ſola obedientia ſub- *Hebr. 13.* ditorum, quam apoſtolus præpoſitis exhibere jubet, reputatur in culpam, & qui prælati judicio temere non reſtiterunt, ſed humiliter colla ſuppoſuerunt, ſeveriſſime puniuntur. Ibi qui nulla propria noxa deliquerunt, hæreticorum damna- D tionem tanquam hæretici inciderunt, & qui miſericordiam petiverunt, nec juſtum judicium percipere meruerunt. Sed quid mirum, ſi textus & finis ejuſdem concilii accepti non ſunt, quando in nomine Domini juxta morem inchoatum non eſt? Nam cum apoſtolo, omne quodcumque fe- *Coloſſ. 3.* cerimus Deo in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jeſu facienda præcipiente, ritus eccleſiaſticus in colligendis conciliis id obſervet, & in hoc dumtaxat, abdito permittente divino judicio, fuerit prætermiſſum: conſtat procul dubio, non eos in nomine Domini congregatos extitiſſe, ac per hoc eum minime in ſui medio habuiſſe, qui tale concilium, immo conventicula ſua de ſanguinibus contra pſalmiſtam congrega- *Pſal. 15.* E verunt, & quoddam animal imitati, non niſi extinctis propriis filiis poſſe ſubſiſtere putaverunt. Jam vero ſi idem concilium ab apoſtolica ſede prætenditur fuiſſe approbatum, quemadmodum id verſuta fuerit cavillatione ab apoſtolica ſede præceptum, fraternitas tua non neſcit. Denique de memoratis clericis, Vvlfado ſcilicet & collegis ipſius, quod tibi viſum eſt, conſummato, mox præceſſori meo beatæ recordationis Leoni præſuli non ſemel ſupplices literas miſiſti, quatenus idem concilium approbans auctoritate apoſtolica roboraret. Quod ille non ſolum minime annuit, verum etiam agere ſollicite renuit, dicens, Idcirco ſe petitiones tuas pro confirmanda ſynodo, in

qua

ANNO CHRISTI 866.

qua depositi præfati viri fuerant, suspendisse, eo quod per aliquos ex his episcopis, qui in synodo residerant, ut dubitatio foret radicitus evulsa, statuta ejusdem synodi destinare debuisses, præcipue cum ibidem legati sedis apostolicæ præsentes non fuerint. Postremo quod hi, quos tu auctoritate synodi affirmabas depositos per proprias literas ad sedem apostolicam appellaverint, & vellent iterum sua se apostolica audiri præsentia, & tunc si culpabiles invenirentur, non abnuerent catholicam sustinere censuram. Sed venerabilitas tua sciens utique concilium istud, ut supra ostensum est, reprehensionibus non paucis respersum, acta quidem illius per neminem episcoporum, qui his interfuerant destinavit: ut tamen firmarentur, denuo precibus agere non cessavit. Sed dejectorum iterato clamore crebrescente clericorum, nec sic quod petebatur laudabilis præsul indulsit. Præcepit autem per alteram suæ sanctionis epistolam, ut ipse ad concilium cum illis occurreres, ad quod suum ipse legatum, Petrum videlicet episcopum Spoletanum, e latere suo direxerat: ad renovandum scilicet judicium vice sua, & congregatis rursus episcopis ad depositorum reclamantium auxiliante Domino trutinandum ac sopiendum negotium. Ita ut si eisdem dejectis clericis contigisset, ut in ipsa debuissent depositione persistere, & obedire renuissent, sedemque apostolicam iterum expetissent, ne ipsius apostolicæ sedis dissolveretur privilegium, illis ad eam veniendi non negaretur licentia. Cum quibus præcepit ut tua fraternitas vel missus ejus veniret: quatenus cum fratribus suis episcopis æquum de his judicium conferre potuisset, & utraque parte conveniente, causas eorum eadem sancta sedes canonice diffinisset. Verum qui prius episcopum, legatum videlicet concilii tui sedis apostolicæ visioni subtraxeras, etiam tuam audientiæ ab ea designatæ præsentiam subducens, probasti de te illa quæ dicta fuot: videlicet quod tale concilium statueris, quale superius monstratum est. Interea te voti effectu frustrato, apostolicæ sedis & beatæ recordationis pontifex Leo, qui fraternitatis tuæ propositum noverat, ab hac luce subtractus est. Cumque sanctæ memoriæ Benedictus vir apostolicus ei successisset in ordine pontificatus, rursus reverentia tua arma præparat, & eidem summo præsuli, tamquam suarum inexperto versutiarum, latenter subripit, & in ipso consecrationis ipsius principio suadet, ut concilium quidem ad votum unius hominis congregatum firmaret: non tamen ei ullo modo subripi aut suaderi potuit, ut a justæ definitionis & discretissimæ moderationis tramite vel aliquantulum declinaret. Nam sicut videre est, & ipse liquido nosti, qui ejusdem privilegii paginam penes te habere repositam dignosceris, ita per privilegium tibi concessum illius concilii roboravit institutum, ut auctoritatis summam sedi apostolicæ reservaret. Unde actum est, ut quod male petitum fuerat, Spiritu docente Dei, bene sapiens præsul concederet; & nihil proficeret humana subreptio, ubi pectus tanti pontificis divina replebat infusio: nec obesset cujusquam suasio, ubi antistitis sancti prudens obviavit & providentissima moderatio; dum in ipso privilegio tenorem præmiserit, quod sic decretum est ab eo manenda inconvulsa quæ petebantur, si ita essent per omnia, quæ de illa synodo sibi a sanctitate tua referebantur. Interposuit enim ancipitem in eo sententiam dicens: Si ita est, nostroque ut scriptis præsulatui intimasti, & gestorum serie demonstrasti, ratas easdem, quin diffinitiones, apostolica promulgamus fore auctoritate. Licet tu hujus tenoris circumstantiam de collati privilegii textu minus simpliciter excipiens, & nostræ visioni subduxeris, & aliorum notioni subtraxeris: interserens insuper quæ ille aut nunquam, aut aliter sanxerat. Ipse namque de memoratis diffinitionibus dixit: Ratas easdem apostolica promulgamus fore auctoritate, semperque manere statuimus, & sequentia. Quæ ipse quidem aliter posuit: ut vero addens atque commutans prosecutus es, dicens: Ratas easdem apostolica promulgamus in omnibus fore auctoritate, semperque manere statuimus, ut inde quæstio nullis aliquando temporibus oriatur. Quod quantum inter se discrepet, videlicet quod ille promulgavit, & quod tu minuisti, vel adjecisti, vel mutasti, ipse perpendis. Sed adhuc & in alio mira fraternitatis tuæ accedit astutia, & soli proprio voto favens se immiscet prudentia. Denique cum apostolicæ sanctitatis atque memoriæ idem decessor noster papa Benedictus tibi privilegium, de quo nunc diximus, contulisset, ita quæ in eo continentur firmavit, ut suspensam sententiam his jungeret, & ut per omnia sedi apostolicæ sua privilegia, sicut jam fati sumus, & auctoritatis propriæ jura, (quæ in hoc & nos quoque secuti sumus) inviolabilia reservaret. Interponens præterea nodos anathematis in eos, quibus prohibendum censuit, ne quilibet contra eadem canonica constituta & decreta pontificum Romanorum pertinaciter obviasset: id est, ne quis contra illa quæ tibi concesserat, vel quæ sedi propriæ reservarat, agere tentavisset. Sed tu quæ horum tuo libitui favere conspexisti, omnium notitiæ patefecisti: quæ autem sedis sunt apostolicæ reservata juri, cunctorum notioni subduxisti. Testantur hoc exemplaria ejusdem privilegii, quæ sunt ad sedem apostolicam diverso tempore missa. Quantum vero talis scriptorum depravatio aut mutilatio noceat, ipse jam potuisti cum fratribus & coepiscopis tuis advertere, qui in concilio videntes quædam ipsius constituti, sicut relatu ipsorum didicimus, quædam vero non videntes, cœptum circa oppressos pium laborem deterriti minus perfectum deseruisse nunc dignoscerentur, nisi nostris instructi monitis, & nostris ibidem confortati literis invenirentur. Quamobrem jure fortassis te fraudis aliquid in talibus committere fateri possemus, nisi reverentiæ tuæ, quod ipse non speras, parcere nostra moderatio studuisset. Siquidem relationum detruncatio, non solum cognitionem ab hominibus subtrahit, verum etiam audientes in errorem inducit. Ecce enim dicimus, Justus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo: unde si una sola syllaba subtrahitur, blasphemia protinus in Deum sine cunctatione committitur. Si ergo unius syllabæ tantum in Deum piaculum gignit ablatio, quantum putas tot potest dictionum recisio ignorantibus generare dispendium? Quamvis sit in hoc facto & aliud quoque subtiliter considerandum. Nam cum anathematis interpositio, non solum illos, qui contra beneficia tibi concessa committunt, verum etiam & hos, qui jura sedis apostolicæ temere dissolvunt, complectendo percellat, & tu ipsam interpositionem anathematis, quæ ad sedis apostolicæ pertinent privilegia tacens, post textum præceptionis tibi concessæ, in eo dumtaxat quod te mulcet commemoraveris, aperte claret te nos hujusmodi argumento callide tetigisse: cum profecto liqueat, sic illud vinculum anathematis decessoris nostri decretum non observantes percellere, ut tamen jus apostolicæ sedis semper maneat illibatum; & si ita esse quod suggerebatur, foret per omnia comprobatum. Quod ergo nos in causa dejectorum egimus clericorum, ad sedis apostolicæ pertinet

tinet privilegium, ac per hoc merito inde sumus immunes. Tu vero violationis ejusdem privilegii haberis obnoxius: qui pulsis illis clericis ad sedem apostolicam provocantibus, manum obicem subdole præparasse cerneris, ac per hoc illatam in eodem constituto anathematis pœnam convenientius incidisse crederis. Videlicet dum talem crebro dicti privilegii textum & tenorem additione, detruncatione, ac mutatione tua cunctis ostenderis, ut merito subinde memoratis clericis metum & desperationem posset incutere, ac eos ab inchoata reclamationis voce prorsus avertere. Nam cum nobis, quos nosti utique prisco ecclesiæ Romanæ more in regestis exemplaria scriptorum, quæ a sede dantur apostolica, reservare, & quos conjicere potuisti, cum tempore decessoris mei darentur, ea etiam præsentialiter intuitos esse, sic mutilatum & depravatum idem institutum mittere non formidaveris, quam depravatum & defraudatum nullam hujus experientiam habentibus ad subversionem vim patientium forsitan exhibuisti? Quam profecto rem magnopere, frater carissime, fugere debuisti: veritus videlicet, ne si non adversus sæpedictum tibi collatum privilegium, vel contra principale sedis apostolicæ jus agere videreris, saltem ne in aliquo ipse falsarius, quod absit, a sacerdotali verecundia reperireris. Misisti enim egregiæ recordationis decessori meo per scripta tua, quod iidem clerici ad vicinos episcopos provocaverint, contra te libellum proclamationis dederint, judices sibi ipsi elegerint, & cetera quæ longum est dinumerare significans. At ille divinitus inspiratus tibi rescribens: Si, inquit, ita est, nostroque ut scriptis præsulatui intimasti, & gestorum serie demonstrasti, (quod tu de textu penitus erasisti) ratas easdem (subauditur diffinitiones) apostolica promulgamus, non in omnibus, ut ipse addidisti, fore auctoritate, semperque manere statuimus. Deinde subjunctum est, quod tu longe aliter mutasti scribens, ut inde quæstio nullis aliquando temporibus oriatur. Nunc autem cum ita non fuisse, tam a nobis, quam a sancto concilio vestro fuerit comprobatum, quod dudum suggesseras, merito in irritum ductum est, quod contra dejectos non simpliciter impetraveras. Sed ad propositum redeamus. Igitur tandem aliquando clericis sæpe memoratis, qui semper ad apostolicam sedem appellaverunt, etiam nobis literis suis pro dejectione sua querimoniam exponentibus, non fuit dissimulandi, non fuit nobis tacendi libertas, quibus major cunctis Christianæ religionis zelus incumbit. Ac ideo primum tibi misimus, uti commemoratos viros, Vulfadum scilicet, collegasque ipsius, clementi animo studeres ad te revocare, depositaque omni funditus animositate, de restitutione ipsorum tecum fraterne tractares, atque misericorditer consummare contenderes, alioquin ad concilium cum ceteris in illis regionibus constitutis archiepiscopis & episcopis, quibus & nos quoque pro hoc ipso scripsimus, simul occurreres: quatenus omnes in unum convenientes causas eorumdem clericorum examinaretis, & non aliqua emergente disceptatione, Deo præ oculis habito diffiniretis. Si vero quælibet inter partes disceptatio proveniret, ad sedem apostolicam, nostrum suscepturæ speciale judicium personæ vices tenentes utriusque lateris convenirent. Quo Dei gratiæ juvamine peracto, suscepimus nunc literas amplectendæ dilectionis omnium vestrum, manifestissime significantes, crebro memoratos clericos a totius consona voce concilii dignos graduum suorum receptione pronuntiatos. Ubi nulla, sicut eisdem literis vestris reperimus, disceptatio provenit, nulla, sicut putatum fuerat, varietas alia atque alia defendentium accidit: nullus accusator, nullus condemnator repertus est: sed cunctorum una eademque sententia, atque in restitutione ipsorum diffinitio claruit, eisdem innoxiis a cunctorum unanimitate modis omnibus approbatis. Ergo si innoxii sunt illi quondam depositi ab unanimitate omnium approbati, qui deposuerant quomodo sint innoxii jure, nescimus. Arridet autem hujus unanimitatis vestræ sententiæ, atque diffinitioni, etiam tua, quamvis non simplex, summissa tamen professio, qua non solum eosdem fratres, & antea te minime ab officio suspendisse, vel judicasse, aut a gradibus ejecisse, sive in repulsione ipsorum subscripsisse, verum etiam & nunc ad synodum, sicut nos præcepimus, convenisse, & his quæ de restitutione illorum ceteri antistites consenserunt, paratissime annuisse, & obtemperare curasse testaris. Cujus etiam nomen in epistola synodica, sicut ejus relatio indicat, una cum convenientium fratrum & consacerdotum nominibus pariter adscriptum inventum est.

Illud tamen ridere libuit, quod fraternitas tua crebro memoratos clericos ab officio se minime suspendisse, vel judicasse, aut a gradibus ejecisse fatetur: præsertim cum hæc non veritate sulta multis etiam probentur indiciis. Sed quamvis superius summatim tetigissemus quæ gesta sunt, nolumus tamen hæc pleniter exaggerare, ne compellamur quæ digna sunt judicare. Nam nisi tu illos, etiam ante omnem audientiam, & adhuc cum ad te non accusantes, sed misericordiam postulantes accesserint, ab officio suspendisti, quid est quod in actis concilii tui, quod ipse ad sedem apostolicam misisti, a te suspensi ab officio fuisse memorantur? Quibus cum tacens nihil ipse responderis, quid aliud nisi vera eos prosecutos silentio tuo tribuisti patenter intelligi? Et e diverso illi super quo querelas suas crebro dictæ sanctæ memoriæ Leoni papæ mittebant, vel quem nisi te suum impulsorem a gradibus propriis, infestum sibi, quem circa se veluti patrem benignum debebant cognoscere, frequenti relatione pandebant? Postremo, nisi tu in dejectione ipsorum subscripsisti, immo nisi totius depositionis eorum seriem ipse scripsisti; quid est quod in subinde memorato privilegio, quod tibi ab apostolica sede roborari petisti, beatæ memoriæ decessor meus ad te loquens, quod tu diffinitiones illas in synodo cum ceteris episcopis collecta, juxta relationem utique tuam, propriis digitis roboraveris, manifestat? Quod si dicis, nunquam te in illa synodo subscripsisse, ergo nec decessor noster aliquam tibi synodum privilegio suo firmavit. Quippe cum ipse eam, quam auctoritate apostolica stabilivit, propriis digitis tuis te specialiter roborasse commemoret.

Jam vero, quod in epistola tua nobis scripsisti, dicens eorumdem clericorum salubrem ac regularem statum & cupisse te & cupere, & quæsisse & quærere, quis audiens eorum qui cursum negotii vel controversiæ hujus novit, non miretur, & non obstupescat? Porro si cupisti, ubi est certamen, quod pro eorum, utpote filiorum, recuperatione sumpsisti? & si quæsisti, ubi apparet? ubi datur saltem intelligi? Verum ostende tu nobis quando statum eorum cupiveris, vel quæsieris, & nos ostendemus tibi prolixitate dimissa breviter, quod non statum, sed casum semper eorum cupiveris & quæsiveris. Nam quid est quod obtinere modo legatis, modo literis, apud decessores meos, Leonem scilicet & Benedictum beatæ recordationis pontifices te cupere & quærere signi-

NO ISTI 6.

ANNO CHRISTI 866.

ANNO CHRISTI 866.

significas, nisi ut eorum quidem dejectio firmetur, restitutio vero nunquam speretur, casus perpetuo roboretur, status aliquando minime reformetur? Ecce quomodo statum eorum cupivisti, ecce quomodo statum quæsisti. Sed dicis fortasse, te non qualemcumque statum eorum, sed salubrem ac regularem cupivisse atque quæsisse. Verum vel hoc quibusvis exhibe testibus, aut quibus cupis ostende probationibus. Nam tua, nec alia quæ penes nos rejacent, de te tale quid indicant scripta; cum potius ad omnimodam ruinam ipsorum affectum tuum jugiter intentum fuisse patenter insinuent. Ad extremum, si tu eos non dejecisti, quare non cum tui fuerint erexisti? Jam vero, si & id tua sola auctoritate agere nequivisti, quare pro eis apostolicæ sedis auctoritatem non petivisti? quam sic contra eos utinam non petisses. Si quidem ubi est dolor, quem pro eis, utpote pro filiis, incurristi? ubi est saltem modicus labor, quem pro restituendis illis clementer arripuisti? Quamvis forte verum sit, quod te dejectioni eorum condoluisse & statui gaudere testaris: hoc dumtaxat modo, ut sicut de dejectione ipsorum condolueras, ita nunc de statu congaudeas, quia videlicet nec tunc casui eorum condoluisti, nec nunc statui fortasse congaudes. Sed inter hæc libet ad epistolæ tuæ verba intuitum mentis inflectere, & quam nobis non simpliciter scripseris, strictim ostendere. Indecens quippe est, licet te non pudeat, sedi apostolicæ subdole scribere, nisi astutiæ tuæ argumenta ipsa valeat comprehendere. In illa namque epistolæ tuæ constantia, nihil de abjectione clericorum eorum commemorasti; & quam injuste fuerint depositi, nihil penitus demonstrasti: cum te oportuerit eosdem profiteri clericos, pro consecratione sibi per Ebbonem collata, nullam sui gradus pati debuisse jacturam. Præsertim cum ipse cum ceteris fratribus & coepiscopis tuis in synodica epistola, quam ad sedem apostolicam communiter misistis, Ebbonem * solam iram principis in sua qualicumque dicta damnatione incurrisse profitearis. Verum si ita sacros canones intellexisti, cum illos judicasti, saltem hoc ipsum diceres, & quod hinc nos censuissemus, utpote majoris auctoritatis, amplecti contenderes. Per talem enim confessionem, quam Ebbo fecisse prætenditur, nemo canonicæ damnationi subjicitur. Quod si tu taces, nos silere non possumus, & quod omnes injustum fatentur, ipse justum, quantislibet utaris argumentis, probare non poteris. Quod si formidatum est, ne injusta damnatio eorum in discrimen redundaret auctoris, & ideo quod injuste fuerit prolata taceatur, non congruum initur consilium. Facilius quippe veniam quis veritate, quam exquisitis & minus aptis adinventionibus impetrat. Præsertim cum veritas liberet, mendacium vero perdat, maxime cum non sit timendum, ubi timor non est: nec agnoveris nos talem circa te gestare dilectionis affectum, ut quid te velimus incurrere detrimenti, cum potius tui semper avidi fuerimus augmenti. Nam & Ebbonis causa, & istorum clericorum negotium, quæ prima transierunt, ut tibi cautelam non discrimen tribuant, anhelamus. Regiam quippe viam tenentes, sic illis prodesse decrevimus, ut tuæ sanctitati obesse nullo modo videremur: sicque rursum securitatem tibi super hoc præbemus, ut clericis crebro dictis hanc nullatenus adimamus. Ad ultimum vero, epistola, quæ nobis a te nunc missa dicitur, utrum tua fuerit, convenienter ambigitur; cum nec legatum tuum, qui hanc a te nobis transmissam ediceret, direxeris, nec eam sigillo tuo secundum morem signare studueris. Unde mirandum est, cum in dejectionem ipsorum clericorum etiam volumen non breve composueris, quamobrem in restitutionem saltem unam epistolam simplicem non ediderit. In quo apparet, quantum ibi alacritatis, quantum hic desidiæ studium fuerit. Quamvis hæc ne nos arbitreris ad discrimen quodlibet tuæ sanctitatis vel dignitatis exaggerasse, cum meliora esse vulnera diligentis, quam fraudulenta odii oscula non nescias: sed ne adeo in privilegiorum tuorum defensionem vel elationem immoderatius erigaris, ut apostolicæ sedis jura quoquomodo temere tetigisse videaris. Nam mala consuetudo, quæ non minus, quam pernicioſa corruptela vitanda est, nisi citius radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab improbis assumitur: & incipiunt prævaricationes & variæ præsumptiones, celerrime non compressæ pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuo celebrari. Igitur nos in præfatorum clericorum restitutione gradus, omnibus hactenus argumentis rite collectis, & omnium vestrum hortatu generalis incitante consensus, omnimodam conniventiam præbere potuisse cognosce. Sed quoniam non secundum decretum nostrum eorum examinatio mera & perfecta discussio provenit, nec promotio vel abjectio ipsorum in synodali conventu qualis fuerit liquido reperta est, nec apostolicæ sedi sufficienti relatu monstrata, idcirco paullulum a consummanda restitutione ipsorum interim deliberativum consensum nostrum coercere necessarium duximus. Verum quia in decernendo, & in judicando quod canonice deliberatum est, ac in restituendis sæpedictis clericis, atque in omnibus, Deo præduce, sicut decuit, & ordo popoſcit, nostra præcessit auctoritas: conveniens ac honestum est, ut juxta postulationem vestram, nostræ firmationis perfecta subsequatur integritas: eo dumtaxat ordine, ut frequentius intimati clerici, qui evidentissime irregulariter ab officio graduum suorum suspensi fuisse noscuntur, & hinc sedem apostolicam sæpissime provocasse nonnullis indiciis comprobantur; ante omnia pristinis gradibus & officiis reformati consistant: ita ut prioribus redditi gradibus & ordinibus, & quodam modo suis omnibus revestiti, vires adversus impetentes se integras habeant. Non enim inermis cum armato rite conflictum inire potest. Quibus videlicet gradibus ac officiis fruentibus eis fraternitati tuæ licentia sit, intra totius hujus capedinem anni sæpedictos exhibere clericos ab ordinibus suis canonice fuisse dejectos: ita ut quidquid habes adversus eos calumniarum prosequendi & exequendi tibi sit omnino facultas. Quod si totius hujus anni circuitu dilapso, contra eos nullam justam apud sedem apostolicam querimoniam composueris, nec illos appetere de quocumque vel cujuscumque reatu vel excessu seu damnatione studueris, ipsis quidem deinceps suis ordinibus permanentibus, nos profecto nulli torpori dabimus operam, nec ullo pacto a summa cessabimus diligentia, donec aut tu juste nunc illos comprobes restitutos, aut juste per te quondam ostendas remotos. Alioquin nos subsequenter exhibere procul dubio convenit, non solum sæpefatos clericos præjudicialiter absque canone ab officio sequestratos, verum etiam ordinatorem eorum inconvenienter ac sine consequentia ecclesiastica regimine præsulari privatum: quod plane præter te nullus, ut remur, omnino dubitat, nullus profecto non prædicat, quandoquidem & nobis ita claret, quantum autumare possumus, quemadmodum his qui illo in tempore præsto fuisse memorantur. Postremo scire te volumus, nostris auribus intimatum

* Forte, solum. H.

Dist. 8 consue

tum esse, fraternitatem tuam non certis tempo- A
NO ribus, & juxta morem aliis metropolitanis anti-
RISTI stitibus definitis, pallio a sede apostolica conces-
66. so uti. Quod valde displicet, si id a sanctitate tua fuerit elate commissum, ut humilitatis oblita ceteris fratribus suis studeat videri sublimior: quamvis hoc non ad inanem gloriam utendum sit, sed ad ornatum cunctarum virtutum gestandum. Quod bene tempore, quo ipsius pallii usum a sede apostolica percepisti, scripto paginæ more solito tibi ostensum atque præceptum est. Cujus usus si fraternitati tuæ a sede apostolica omni tempore concessus est, licet sit præter ecclesiæ consuetudinem perceptus, ac per hoc rationabiliter amittendus, (nam privilegium meretur, ut sanctus papa Simplicius scribit, amittere, qui con- B
cessa sibi abutitur potestate) tamen his nostris admonitus competenter affatibus, stude ita modeste hoc uti, ut nec elatio mentis invadat, nec jactantia inflet, nec vana gloria vulneret, nec modum propriæ dignitatis excedat, nec temperantia, sine qua ceteræ virtutes imperfectæ consistunt, oblivioni tradatur. Optamus fraternitatem vestram nunc & semper bene valere. Data VIII.
Ch.866. Idus Decembris, indictione XV. *

XIII.

EPISTOLA NICOLAI PAPÆ I. AD CAROLUM REGEM.

Respondet ad superiores ejus literas de gestis in synodo Suessionensi.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei dilecto filio Carolo glorioso regi.

CUm talem se gloria vestra circa nos semper exhibeat, & frequentibus vel literis vel legatis missis erga pontificium nostrum devotæ visitationis cultum impendat, & decretis nostris obedientiæ sublimia colla gratanti facilitate summittat: non nisi beatum Petrum apostolum dilectorem suum, cujus locum meritis oppido discrepantes observamus, in nobis honorare se debet pro certo cognoscere: immo Deum in suo apostolo D
venerari, qui & sanctis suis tantam gloriam tribuit, & nos sollicitudinis eorum hæredes ac successores esse constituit. Sed & nos gratiarum actiones condignas promptæ devotioni vestræ referentes, multo magis ejus omnipotentiæ, per quem & pro cujus nomine talia gerantur, laudes assidue persolvere non cessamus. De cetero, fili carissime, grates piæ benignitati vestræ rependimus, quoniam totum desiderium suum colligens in dejectorum clericorum recuperando statu, studuit delere noxam, quam in depositione ipsorum consensum præbendo contraxerat. Et credimus quod superet merces alacritatis, quam nunc habuistis in receptione, delictum quod commiseratis in E
eorum dudum repulsione: quoniam istud Dei amore, illud hominis subreptione patratum est. Verumtamen hortamur, & sicut dilectum filium admonemus, cavere vos ne talibus de cetero conniventiam facile tribuatis: quoniam quod hodie committitur, utrum ad emendationem pervenire quandoque valeat ignoratur. Illud præterea commemorare libet, quod inter alia epistolæ vestræ de fratre & coepiscopo nostro Hincmaro textus enuntiat, dicens videlicet, quod omnino consequenter cum reliquis consacerdotibus omnino explere acceleraret, nisi juxta privilegium decessoris nostri domni Benedicti, & nostrum, summam nobis reservandam cœpti de restitutione docerent

negotii. Quorum scilicet privilegiorum tenorem si non suatim frater Hincmarus partim celasset, & quædam, quæ illic habentur inserta, quadam astutia cognitioni communi negasset, neminem putamus privilegia nostra a sedis apostolicæ institutis, vel ab obedientia quam exigimus, avertisse. Non enim nos inobedientiam prædicavimus, vel ne obtemperaretur decretis sedis apostolicæ definivimus: cum potius eisdem testantibus privilegiis, salvo Romanæ sedis in omnibus jussu atque judicio, synodum, quam ille pro clericorum dejectione memoratorum collegerat, stabiliter esse manendam censuerimus: & ea conditione ipsius privilegii tenorem ei firmaverimus, si nunquam ille a sedis apostolicæ præceptionibus aliquo tempore discrepasset. Frustra ergo privilegia a sede sibi apostolica concessa, ne sanctiones explere nostras acceleraret, asseverat impedisse: cum constet potius, ut ipsorum textus insinuat, quo magis ad obediendum nobis acceleraret, ea hunc multipliciter admonuisse: atque si rata, quæ sibi collata fuerant, circa se sentire voluisset, ad obtemperandum institutis nostris se illa plenius ac abundantius incitasse. Glorioſissimæ præterea caritati vestræ denuo pro Balduino gratias agimus, denuo circa eum exhibitum tantum inclinem vestræ devotionis affectum laudamus, denuo quod deest, oblatis pro eo petitionibus nostris, suppleri per pietatis vestræ munificentiam deprecamur. Justum enim est, ut bonum, quod pro divinitatis respectu nobis intervenientibus cœpistis, ut obedientiæ ac dapsilitatis vestræ, atque clementiæ merces perfecta sit, consummare benevole satagatis. De cetero, carissime, vigil esto, & solerter intentus circa sanctam Romanam ecclesiam, & erga sedem apostolicam, quemadmodum Dei cultores parentes vestros extitisse nonnulla scripta & probabiles viri testantur: quoniam illæ penitus vestri, dilectorumque vestrorum, penes apostolorum confessiones nullo modo poterunt oblivisci. De restitutis vero clericis quid decreverimus, epistola nostra fratri & coepiscopo nostro Hincmaro missa recitata sapientiæ vestræ auribus poterit intimare. Optamus excellentiam vestram in Christo nunc & semper bene valere, dilectissime fili. Data VIII. Idus Decembris, indictione XV. *

ANNO CHRISTI 866.

*An.Ch.866.

XIV.

EPISTOLA NICOLAI PAPÆ I. AD VULFADUM CLERICUM RHEMENSEM, & socios.

Gratulatur de ipsorum restitutione, quam ratam habet, monetque ne injurias ulciscantur, & ut Hincmaro præsertim reverentiam exhibeant.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, venerabilibus clericis, Vulfado scilicet & ceteris qui cum eo dudum depositi, nunc vero decreto sedis apostolicæ ac synodali promulgatione restituti Deo auctore consistunt.

DIvinæ miserationis plenitudinem neminem velle perire, nec de sacrato numero gregis sui casu quolibet decidere, nullus, qui divitias bonitatis ejus considerat, prorsus ignorat, cum etiam proprio Filio non pepercerit, sed pro nobis omnibus tradiderit illum: cujus ovis, quæ perierat, pietatis humeris reportatur ad gregem; cujusque clementiæ viscera nos quoque pro modulo nostro sectantes, non passi sumus voces vestras diu con-

temnere, nec ſuper contritione ac gemitu veſtro compaſſionis aures obſtruere, nec dejectionem, quam a fratre & coepiſcopo noſtro Hincmaro, ſeu ceteris epiſcopis, nullius æquitatis cenſura pertuliſtis, ſine iteratæ ventilationis examine præterire. Ideoque juſſimus fratrum & coepiſcoporum noſtrorum Galliæ, Neuſtriæ, vel Germaniæ ſynodum celebrari, & cauſſam veſtram in eodem venerando concilio examinari, & non aliqua emerſa diſceptatione, Deo præ oculis habito, diffiniri. Quo Dei gratiæ juvamine peracto ſuſcepimus nunc literas ſynodi, relationem omnium continentes epiſcoporum, vos innoxios cunctorum unanimitate comprobatos, & a totius conſona voce concilii dignos graduum veſtrorum receptione pronuntiatos, manifeſtiſſime referentes. Ubi nulla diſceptatio, nulla varietas alia atque alia defendentium, nullus accuſator vel condemnator inventus eſt: ſed cunctorum, una cum jam dicti fratris & coepiſcopi noſtri Hincmari conſenſu, una eademque ſententia, atque in reſtitutione veſtra par omnium conſonantia, ſimiliſque pronuntiata definitio claruit. Propterea & nos quoque in reſtitutione veſtra, & receptione graduum veſtrorum, conniventiam præbuiſſe cognoſcite, & congratulari vobis pro ſtatu veſtro, quemadmodum de abjectione condoluimus, procul dubio credite. Igitur quoniam in decernendo & in judicando quod canonice deliberatum eſt, & in reſtituendis vobis Deo præduce ſicut decuit & ordo popoſcit, noſtra præceſſit auctoritas, conveniens ac honeſtum eſt, ut noſtræ firmitatis perfecta ſubſequatur integritas. Ea pro re congaudemus vobis, &, ut jam faſſi ſumus, congratulamur, & quæ decreta ſunt ſuper ſtatus veſtri recuperatione, Dei omnipotentis, & beatorum apoſtolorum principum Petri ac Pauli, atque per eos noſtræ mediocritatis auctoritate roboramus, & ut ſecundum beneplacitum Domini jugi ſtabilitate faciente Deo maneant libenter oramus. Præterea volumus & hortamur vos, ut tales de cetero in omnibus vos exhibeatis, ut in nullo ingrati circa beneficia Domini vobis collata reperiamini. Proinde miſericordiæ ipſius gratias agite, & quoniam vos in finem non deſeruit ſemper in mentem reducite, humilitatem præ oculis ſemper habentes & cor veſtrum ad meditandum quæ æterna ſunt, infatigabiliter erigentes: ante omnia vero ſollicite præcaventes, ne memores veſtrarum ſitis injuriarum, neque ſuccenſeatis adverſus eos, qui has vobis intuliſſe probantur. Fratri autem & coepiſcopo noſtro Hincmaro debitam humilitatem, & competentem reverentiam exhibete: nec ſit aliquo tempore vobis licentia contra eum, pro eo quod ab eo fueritis ab officio ſuſpenſi, querimoniam componendi, vel ſiniſtram viciſſitudinem retribuendi. Quoniam nos in erectione veſtra nullius ruinam quæſivimus, nec ſic unam partem ſtabilire volumus, ut partis alterius dignitatis vel juris detrimenta patiamur. Fruimini ergo hujus noſtræ præceptionis decreto, & hoc pro veſtri munimine, ac graduum ſtabilimento, contra omnes calumniatores veſtros utimini: vobiſque ſemper exiſtat facultas in opportunitatibus ad ſedem apoſtolicam provocare, & ejus judicium ſecundum canones præſtolari. Nolumus tamen vos ignorare, nos fratri & coepiſcopo noſtro Hincmaro dediſſe inducias, ut intra ſpatium anni hujus licentiam habeat contra vos de dejectione vel reſtitutione veſtra, ſi velit, apud nos negotium exequendi. Quod idcirco dicimus, ut ſollicitos vos reddamus, & qualiter ſi neceſſe fuerit ei reſiſtatis, ante præſciatis, ut ejus telis arma juſtitiæ veſtræ præparare valeatis. Optamus vos in Chriſto bene valere. Data VIII. Idus Decembris, indictione decima quinta.

ANNO CHRISTI 866.

ANNO CHRISTI 866.

Nota Jacobi Sirmondi, S. J.

3 *Ad Wifadum & ſocios.*) Wifadi viciſſim, & ſociorum, in codice Laudunenſi extat epiſtola ad Nicolaum, in qua gratias agunt de ſua reſtitutione, petuntque ut ſibi ad altiores gradus provehi liceat, quam in appendice protulimus.

Nota Severini Binii.

a *Concilium.*) Hanc ſynodum auctoritate Nicolai papæ indictam fuiſſe, teſtatur epiſtola Nicolai papæ ad Herardum Turonenſem archiepiſcopum, quam ex bibliotheca Nicolai Fabri Pariſienſis cum aliis quibuſdam hactenus nuſquam editis, in fine epiſtolarum Nicolai ſupra ſubjungi procuravi. In eadem hac ſynodo lectam fuiſſe epiſtolam Nicolai papæ de excommunicatione Guntharii & Theutgaudi archiepiſcoporum, inſcriptio epiſtolæ 46. præfixa indicare videtur. Quid vero in hoc concilio geſtum, factum, dictumve fuerit, ſupradicta ſynodalis epiſtola ſatis aperte declarat. Vide Baronium anno 866. num. 48. 67. & 72.

Observatio Philippi Labbe, S. J.

Pariſienſe concilium non recte huic anno Chriſti 866. adſignatur in nupera ſumma conciliorum ex privilegio ſupra jam edito pag. ..... tomi IX. ad annum Chriſti 847. indictione decima, quo canonica electio abbatis Corbejæ ad Somonam fluvium ſtabilita eſt ab Hincmaro aliiſque epiſcopis atque abbatibus. Certe ut alia modo non urgeam, Paſchaſius Ratbertus ipſius monaſterii abbas, qui privilegium hoc relegit, ratumque decernens ſubſcripſit, jam abjerat pridem ad ſuperos cum Ercenrado Pariſienſi epiſcopo, Freculfo Lexovienſi, aliiſque pluribus, ut docent vel ipſæ ſubſcriptiones conciliorum ab anno 847. ad 866. celebratorum.

Porro de ſynodis Sueſſionenſi ac proxima Trecaſſina, aliiſque ad hæc tempora ſpectantibus nonnulla obſervatu digniſſima memorant annales Bertiniani ad annos 866. & 867.

Carolus menſe Auguſto Sueſſionis civitatem adit, & ſynodo a papa Nicolao convocatæ conſidet. Ubi ſecundum prædicti apoſtolici commendationem, quæſtione dirempta de Vvlfado & collegis ejus ab Ebone quondam Rhemorum archiepiſcopo poſt depoſitionem ſuam ordinatis, quoniam regulæ ſacræ non poterant aperte convelli, pro ſui reverentia, & quorumdam reſpectu, & rege ac quibuſdam pro Vvlfado nimium ſatagentibus, ſchiſma & ſcandalum aliter vitari non potuit, inventum eſt ut quia ſynodi epiſcoporum quinque provinciarum regularis definitio ex præfatorum dejectione, Benedicti papæ & Nicolai ſubſcriptionibus fuerat confirmata, ſecundum indulgentiam Nicænæ ſynodi de his quos damnatus ordinavit Meletius, & juxta traditionem Africani concilii de Donatiſtis, in gradibus reciperentur; ſi tamen Nicolao papæ placeret ſuam immutare quam confirmavit ſententiam. Indeque ſynodus congregata per Egilonem Senenſem archiepiſcopum, cum aliis pro quibus perrexerat, præſcripta conditione Nicolao papæ literas mittens, ſine ſacerdotum diſcordia eſt ſoluta. Et licet juxta Innocentii decreta quod de hujus neceſſitate temporis quondam reperit, ceſſante neceſſitate debuiſſet utique ceſſare pariter quod urgebat, quia alius eſt ordo legitimus, alia uſurpatio, quam ad præſens fieri tempus impellit, quoniam nil aliud. Sed hoc ſummopere quærebatur, ut quocumque modo Vvlfadus fieri poſſet epiſcopus, tolerabilius quibuſdam eſt viſum propter vitandam ſeditionem, hanc neceſſitatem, quæ nunc, ſicut & tunc urgebat, iterum in medium devocaret: ac ſi conſilio Jacobi & ſeniorum Hieruſalem, etiam poſt legis abolitionem circumciſo Timotheo cum Paulo legis cærimonias exercere, quam tumultus in eccleſia & in poteſtate regia concitare. His ita diſpoſi-

ANNO CHRISTI 866.

positis, Carolus jamdicto Vvlfado Bituricensem metropolim, nuper defuncto Rodulfo archiepiscopo, ante causſæ diffinitionem arbitratu ſuo committit. Sed antequam iidem episcopi ab ipsa recederent urbe, Carolus eos petit ut uxorem ſuam Hirmintrudem in reginam ſacrarent, quod & ipso atteſtante in Baſilica ſancti Medardi fecerunt, & una cum eo illi coronam impoſuerunt. De quo loco idem Rex cum regina Attiniacum palatium obviam Lothario adit. Quo Teutbergam nomine tantum reginam Hlotarii, quæ Romam pergendi licentiam habuit, revocant: & miſſaticum communiter ordinantes, Carolus per Egilonem Senenſem archiepiſcopum, & Hlotarius per Adonem Viennenſem archiepiſcopum, ac per Vvaltarium ſuum a ſecretis domeſticum, papæ Nicolao quæ ſibi viſa ſunt ſecretius mandant.

Poſt hæc Carolus ad conſignandam Bituricenſem Metropolim Vvlfado, filium ſuum Carolomannum abbatem monaſterii S. Medardi tranſmittit. Quo pervenientes poſt ſolutam, ut præmiſſum eſt, ſynodum, atque poſt literas ex eadem ſynodo per Egilonem archiepiſcopum Nicolao papæ directas, ſtatim in menſe Septembris a quibuſdam episcopis legibus eccleſiaſticis minus neceſſario peritis, factione prædicti Vvlfadi emendicatis, & minis a Carolomanno ex auctoritate patris ſui flexis, contra omnes leges eccleſiaſticas ſæpefatus Vvlfadus pro ordinatione episcopali maledictione indutus eſt ſicut veſtimento. Cujus exordinator potius quam ordinator Aldo Lemovicenſis episcopus, in ipſa ordinatione febre correptus, in brevi moritur.

Caroli filius nomine Carolus, & Aquitanorum rex, plaga, quam in capite ante aliquot annos acceperat, cerebro commoto, diutius * epelemtica paſſione vexatus, III. Kalend. Octob in quadam villa ſecus Boſentiacas moritur, & a Carolomanno fratre ſuo, atque a Vvlfado, in eccleſia S. Sulpitii apud Biturigam ſepelitur.

* epileptica

Deinde pergens Mettis ad conloquium fratris ſui Hludovici regis Germaniæ, XIII. Kalendas Junii obvium habuit in palatio Salmuntiaco Egilonem Senenſem archiepiſcopum, cum epiſtolis Nicolai papæ de reſtitutione clericorum Rhemenſis eccleſiæ, Vvlfadi ſcilicet, & collegarum ejus. Pro quibus valde ſatagens, ut in ſuis habeantur gradibus reſtituti, multa Hincmaro Rhemorum archiepiſcopo impoſuit in eiſdem epiſtolis, quæ non eſſe vera manifeſta ratione conſtabant. Attulit etiam præfatus archiepiſcopus eidem domno Carolo epiſtolas prædicti papæ ad Lotharium & episcopos regni ejus, de cauſſa uxorum illius, Theotbergæ videlicet, atque Vvaldradæ, eamdem Vvaldradam mitti Romam præcipiens. Quas Carolus Lothario obviam ſibi ad Attiniacum palatium venienti ex parte ipſius apoſtolici dedit.

Carolus ſynodum apud Trecas VIII. Kalend. Novembris auctoritate Nicolai papæ indicit, & cauſſa venandi, ac expendendi autumnale tempus, in abbatia S. Vedaſti, & in Audriaca villa, ac circum circa morandi, diſponit.

Synodus provinciarum, Rhemenſis, Rothomagenſis, Turonenſis, Senonum, Burdegalenſium, atque Bituricenſium, apud Trecas VIII. Kalend. Novembris convenit. Ubi quidam episcopi, ut aſſolet, gratia regis Caroli Vvlfado faventes, quædam contra veritatem, ac canonum ſacram auctoritatem adverſus Hincmarum moliri cœperunt. Sed iſdem Hincmarus eorum molitionibus ratione & auctoritate obvians, plurimorum ſententia prævalente, rerum geſtarum ordinem, de quibus agebatur communi conſenſu epiſtola ſcriptum per Actardum venerabilem Namnetenſem episcopum papæ Nicolao, episcopi qui convenerant tranſmiſerunt. Cujus epiſtolæ tenor idem extitit qui fuit in epiſtola Hincmari Rhemorum episcopi, quam per clericos ſuos ſub peregrinorum habitu propter contrariorum vitandas inſidias præcedente Julio menſe Romam miſerat. Epiſtolam autem in præſcripta ſynodo factam & archiepiſcoporum qui convenerant ſigillis ſignatam, Actardus perferendam ſuſcipiens, cum quibuſdam episcopis ad Carolum, ſicut ipſe præceperat, rediit. Carolus autem immemor fidelitatis atque laborum, quos pro ejus honore, & regni obtentu, ſæpefatus Hincmarus per plures annos ſubierat, eamdem epiſtolam ſibi ab Actardo deri exegit, & archiepiſcoporum ſigilla confringens, geſta ſynodi relegit. Et quia ſicut voluerat in eadem ſynodo Hincmarus non extitit confutatus, epiſtolam ſuo nomine ad Nicolam papam dictari in contrarietatem Hincmari fecit, quam & bulla ſui nominis ſigillavit, & cum epiſtola ſynodali per ipſum Actardum Romam direxit. Præfati autem Hincmari clerici in menſe Auguſto Romam venientes, Nicolaum papam jam valde infirmatum, & in contentione, quam contra Græcorum imperatores Michaelem & Baſilium, ſed & contra Orientales episcopos habebat, magnopere laborantem invenerunt. Quapropter uſque ad menſem Octobrium ibidem ſunt immorati. Nicolaus vero papa gratanter ſuſcipiens quæ Hincmarus ſcripſerat, ei de omnibus ſibi ſatisfactum eſſe reſcripſit. Sed & alteram epiſtolam eidem & ceteris archiepiſcopis & episcopis in regno Caroli conſtitutis tranſmiſit, innoteſcens præfatos Græcorum imperatores, ſed & Orientales episcopos calumniari ſanctam Romanam eccleſiam, immo omnem eccleſiam quæ Latina utitur lingua. Quia jejunamus in ſabbatis. Quod ſpiritum ſanctum ex Patre Filioque procedere didicimus. Quia presbyteros ſortiri conjuges prohibemus. Dicentes ipſi Græci, quod chriſma ex aqua fluminis Latini conficiamus. Reprehendentes nos Latinos, Quod octo hebdomadibus a caſei & ovorum eſu more ſuo non ceſſamus. Dicentes etiam, Quod in paſcha more Judæorum ſuper altare pariter cum dominico corpore agnum benedicamus, & offeramus. Succenſentes etiam nos, quia clerici apud nos barbas ſuas radunt. Dicentes, quia diaconus non ſuſcepto presbyteratus officio apud nos episcopus ordinatur. De quibus omnibus per ſingulas provincias a metropolitanis cum eorum coepiſcopis ſibi reſcribi præcepit, alloquens eumdem Hincmarum in epiſtolæ fine hoc modo: Tua, inquit, frater Hincmare, caritas cum hanc epiſtolam legerit, mox ut etiam ad archiepiſcopos, qui in regno filii noſtri Caroli glorioſi regis conſiſtunt, deferatur, ſummopere agere ſtudeat: & ut de his ſinguli in diœceſibus propriis una cum ſuffraganeis ſuis, in cujuſcumque regno ſint conſtituti, convenienter tractare, & nobis quæ repererint ſuggerere curent, eos incitare non negligant. Ita ut eorum omnium, quæ præſentis epiſtolæ noſtræ circumſtantiæ continent, tu & ſtrenuus executor illic exiſtas, & apud nos verax & prudens ſcriptorum tuorum ſerie relator inveniaris. Data X. Kal. Novembris, indictione I. Quam epiſtolam Hincmarus Idus Decembrias primæ indictionis ſuſcipiens, in Corbonaco palatio conſiſtenti regi Carolo cum pluribus episcopis relegit, & per alios archiepiſcopos, ſicut in mandato acceperat, dirigere ſtuduit. Nicolaus papa Idibus proxime præcedentis menſis Decembris obiit; cui ſucceſſit Adrianus papa electione clericorum, & conſenſu Ludoici imperatoris, in pontificatu. Quem Actardus Romam veniens cum ſupra

ANNO CHRISTI 866.

Id verbum ac in Frodoardo lib. III. hiſt. eccleſ. cap. XVII. ubi illa hinc ſumpſit.

scriptis epistolis, in apostolica sede jam ordinatum invenit.

ANNO CHRISTI 866.

Arsenius autem magnæ calliditatis, & nimiæ cupiditatis homo, spe falsa seducens Theutgaudum & Guntharium, de restitutione ipsorum, ut ab eis exenia acciperet, Romam venire fecit. Qui diutius ibi manentes, pene omnes suos amiserunt. Tandem autem Theutgaudus ibidem mortuus est, & Guntharius vix corporis mortem evasit.

A Lotharius Theutbergam uxorem suam Romam misit, ut seipsam criminaretur, quatenus ab ejus conjugio separari valeret. Sed Adrianus papa atque Romani talibus næniis non credentes, jussa est ad virum suum reverti. ANNO CHRIS 866.

Carolus consensu fratris sui Ludoici quosdam episcopos ad Autissiodorum in futuris Kalendis Februarii convenire præcepit, ut de caussa Lotharii quædam tractarent.

☞ SYNODUS TICINENSIS

Anno Christi DCCCLXVI. sub Ludovico II. anno XXI, Rege Italiæ. Nicolai I. Papæ IX.

Vulgavit primus e MS. cod. Colonienſi P. Josephus Hartzheim S. J. in Concilii German. tom. 2. pag. 317.

NUper, circa septuagesimam, sive sexagesimam Sanctæ Quadragesimæ, collecta est Synodus multorum Episcoporum jussu piissimi Imperatoris *Ludovici* in urbe Ticinensi, quæ etiam Papa nuncupatur. In eo Concilio inter alia pia negotia, quæ ibi sunt tractata, ventilatæ etiam fratrum *Tcotgaudi*, atque *Guntarii* caussæ; ubi & a Domino Apostolico innotuit, quod erga ipsos fratres suam per Ecclesiasticam pietatem, benevolentiam salubriter vellet exhibere, Guntario sane in eodem Concilio in sua, & prædicti fratris caussa assistente. Qui tamen cum licentia, & consilio ipsius Pontificis a Roma regressus ad Synodum ipsam devenit, quam fraterna caritas admodum compatiendo benigne mox recepit, & in suum conventum interduxit, consolationis, & spei hortamenta afflicto & humiliato fratri proponens. Epistolam sacer conventus prædictorum pro caussa Sanctissimo præsuli direxit, conferens hæc etiam capitula, atque retractans, quæ subsequuntur.

CAPUT I.

SAnctissimi Pontifices Romani multos Episcoporum, seu reliquorum clericorum, qui pro suis erant culpis abjecti, suoque gradu privati, post dignam satisfactionem cum fraterna, & Coepiscopali unanimitate pristinis sæpe officiis reformasse noscuntur; Ita semper suæ definitionis ordinem tenentes, quatenus Divinæ Maiestatis decreta adverterent. Quia Deus noster quotidiana misericordia peccatores recipit, & gratiæ suæ dono vivificat, atque conversos ab æternæ mortis damnatione in regnum gloriæ recipit. Neque ipsi Pontifices fundamentum sanctæ Ecclesiæ specialiter regentes, sententiam propriæ definitionis immutare veriti sunt in melius; cum ipsum Dominum Deum nostrum misericordiæ suæ multitudine noverint terroris sui sententias in misericordiæ caussam mutasse. Nam sicut Regum scriptura declarat tum dierum pestilentia, jubente Deo, Populum Regis David perimi definitum est, sed quia Rex subito proprii culpam reatus intuitus est usque ad horam prandii, reliquorum dierum spatio prætermisso, mortis indictæ plaga quievit. Similiter & Ezechiæ Regi comminatio mortis intonuit, dicente Propheta: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives*. Et adjecit illi Deus aspiciens illum contritum, & humiliatum quindecim annos, immutata subitæ mortis sententia. Ninivitis autem propter scelerum multitudinem subversio subitæ destructionis indicta est, Scriptura dicente: *adhuc quadraginta dies*, vel ut in aliis exemplariis habetur; Ninive *post tres dies subvertetur*; sed quia pœnitentiam egerant Ninivitæ, sententia mortis ab iis excluſa est, cum misertus est Dominus populo suo ne faceret malum, quod ei facere dixerat. His autem breviter de veteri Testamento susceptis, redeamus ad gratiam Evangelicæ redemptionis, quæ nos cum essemus filii iræ, in gloriam adoptionis filiorum reformavit. Inspiciamus exemplum illius filii, qui dissipavit substantiam suam, cum meretricibus vivendo luxuriose, sed post quam humiliatus, & animi contritione conversus, ad Patrem rediit, piæ paternitatis amplexibus est receptus, ac stolæ nobilitate, annuli, atque munimine calceamentorum est insignitus, & indignanti fratri sententia Patris edixit: *oportet te, fili, gaudere, quia frater tuus mortuus fuerat, & revixit: perierat, & inventus est.*

Petrus autem Princeps Apostolorum infirmitatis suæ caussas ignorans, se pro Domino mori paratum esse, fiducialiter repromisit; sed unius ancillæ metu promissionis suæ caussa mutata est. Hunc autem lapsum Divinæ misericordiæ magnitudo relevavit, ac tertio negantem eodem numero professionis in dilectione solidavit, & proprias oves illi pascendas commisit, cujus officium pro temporum successione Ecclesiæ Romanæ Pontifices sollemniter retinent. Ecce quantum debeat homo erga hominem esse discretus, atque moderatus, clemensque, quando & omnipotens Deus sententiæ suæ justitiam in talibus ita librare voluit, ut ad pietatis misericordiam eum iterum vellet, & revocaret.

CAPUT II.

Leonis Papæ ad Flavianum Constantinopolitanum de Uticete Hæretico. (a)

QUia Dominus noster, verus & bonus Pastor, qui animam suam posuit pro ovibus suis, & qui venit animas hominum salvare, imitatores nos vult esse suæ pietatis, ut peccantes quidem justitia coerceat; conversos autem misericordia non repellat. Tunc enim demum fructuosissime fides vera defenditur, quando etiam a sectaribus suis opinio falsa damnatur. Ad omnem vero caussam pie & fideliter exequendam fratrem nimirum Julium Episcopum, & Renatum presbyterum, sed & filium meum Hilarum Diaconum vice nostra direximus. Quibus Dulcium Notarium nostrum, cujus fides est nobis sæpe probata, sociavimus, confidentes adfuturum Divinitatis auxilium, ut

is,

(a) Est Epist. 28. ad Flavian. edit. Ballerin. cap. 6.

is, qui erraverat damnata sensus sui pravitate sal- A vitabat, hæc ad eos de nomine ejus scribens ut
NNO RISTI 866. vetur.

Item Leonis. (a) Donatum autem Saracensem ex Novatiano cum sua, ut comperimus, plebe conversum Dominico gregi volumus præsidere, ut volumen fidei suæ ad nos meminerit dirigendum, quod & Novatiani dogmatis damnet errorem, & pleniſſime confiteatur Catholicam veritatem. Maximum quoque ex laico, licet reprehensibiliter, ordinatum, tamen si Donatista jam non est, & ab spiritu schismaticæ pravitatis alienus est, ab Episcopali, quam quodammodo adeptus est, non repellimus dignitate.

Item Leonis. (b) Verum quia id per rumorem falsum, ut asseritis, subreptum huic sedi, & licitum per insidias demonstrastis, quia res ad salu- B tem rediit. Et ut veniam nos hanc in tantum nobis appetentibus, post condemnationem more vestris. apostolico subrogamus, tantisque nostris assertionibus, nobis tam bonis tam caris, non dare consensum omnibus duris rebus durius arbitramur, pro nostra approbatione, fratres carissimi, sententia, ac postulatione Episcopum Fotinum habetote licitum ita constituere, ut deprecamini, & nostram in melius conversam sententiam labore vel testimonio nostro compotes voti suscipite.

CAPUT III.

Item Leonis ad Anatolium Episcopum.

ANdream sane, qui rationabiliter Archidiaconi est privatus officio, & Eufratem, qui sanctæ memoriæ Flaviani, ut comperi, improbus extitit accusator, si professionibus pleniſſime scriptis non minus Euticianam hæresim, quam Nestorianum execrabile dogma condemnant, quum venia est præstanda correptis, Presbyteros consecrabis .... Ceteri vero, quos par reatus involverat, si veniam simili professione cum satisfactione depoſcunt, suis ordinibus reformentur.

CAPUT IV.

Item Leonis.

(c) QUia sicut quædam sunt, quæ nulla possint ratione * compelli, ita multa sunt, quæ compelli. aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitudine rerum oporteat temperari.

CAPUT V.

* *Hilarii Papæ ad Nicephorum, & ad alios Episcopos per Provincias.*

n reperi- nter ejus stolae.

NAutem, quem in Adrianopolitana Civitate in A eversionem regionis ipsius Episcopum didicimus consecratum, hoc nihilominus frater, & coepiscopus noster Euxitheus implere curavit, ut si prædictus in hoc officio, quod indigne adeptus est, E desiderat permanere, quidquid contra Catholicam fidem senserat cum Euticia, & Nestoria sua professione condemnet.

CAPUT VI.

De Historia Ecclesiastica.

IMperator Constantinus ad dedicationem Hierosolymorum ex omni orbe coire Sacerdotes in-

si expositionem fidei ejus probarent, vel nunc ab errore correctum clementi erga ipsum judicio uterentur. Quandoquidem tanta fuerit Concilii moderatio, ut non in personam ejus, sed in dogmatum pravitatem fuerit prolata sententia: si tamen & episcopi ejus Alexandri commodaretur assensus. Pergit interea Eusebius Alexandriam, ibique Confessorum Concilio congregato pauci numero, sed fide integri, & meritis multi, quo pacto post hæreticorum procellas, & perfidiæ turbines tranquillitas revocaretur Ecclesiæ, omni cura, & liberatione discutiunt. Aliis videbatur, fidei calore ferventibus, nullum debere ultra in Sacerdotium recipi, qui se utcumque hæreticæ communionis contagione commaculasset; sed qui imitantes Apostolum quærebant non quod sibi utile esset, sed quod pluribus: vel qui imitarentur Christum, qui cum esset omni vita pro salute cunctorum humilians se, descendit in mortem, quo scilicet inveniretur & in mortuis vita; dicebant melius esse humiliari se populum propter dejectos, & inclinare propter elisos, ut eos rursus erigerent. Nec sibimet solis puritatis merito Cælorum Regna defenderent: sed esse glorioſius, si cum pluribus illuc mererentur intrare &c. scripsit S. Gregorius respondendo ad Secundinum servum Dei inclusum de reparatione lapsi, ubi satis apte ostendit illos reparari posse, qui pro quibusdam culpis abjiciuntur. Et Policronus Hierosolymitanus Epis- C copus post suæ damnationis Synodicam subscriptionem a Sixto Romano Pontifice, cujus ipse jussu fuerat depositus, in pristinum restitutus est gradum.

ANNO CHRISTI 866.

CAPUT VII.

Ex Registro Beati Gregorii cap. XLVI. * *Gregorius Maximo Episcopo Salonitano.*

* lib. 9. Epist. 81.

QUamvis culpabilibus ordinationis tuæ primordiis gravem aliam per inobedientiam culpam addideris; nos tamen Sedis Apostolicæ auctoritatem eo, quo decuit moderamine temperantes, numquam contra te usque ad hoc quod causa D poscebat exarsimus. Sed ut longius se ingratitudo nostra, quam tu tibi excitasti, produceret, credita nos sollicitudo vehementer angebat, ne quædam illicita, quæ de te audieramus, negligenter omittere videremur. Quæ si bene consideres ipse per te satisfacere differendo firmabas, atque ex hoc adversum te zelum nostrum acrius incitabas. At ubi, salubri tandem consilio usus, jugo te obedientiæ humiliter submisisti, & dilectio tua pœnitentiam agens digna se, ut putavimus, satisfactione purgavit, redditam tibi gratiam fraternæ caritatis intellige, atque in nostro te receptum consortio gratulare, quia sicut perseverantibus in culpa districtos, ita resipiscentibus nos benignos esse decet ad veniam. Postquam ergo fraternitas tua Apostolicæ Sedis communionem se reparasse cognoscit, personam ad nos transmittat, quæ pallium tibi deferendum ex more percipiat; nam quemadmodum illicita perpetrari non patimur, sic quæ sint consuetudinis, non negamus. Licet autem ad hæc concedenda dispensatio nos loci nostri vocaverit, multum tamen a nobis petitio dulcissimi, atque Excellentissimi Filii Nostri Domini Callinici, Exarchi, ut temperantius erga te ageremus, exigit, cujus carissimam voluntatem, nec pertulimus, nec potuimus contristare.

Ga-

(a) Est Epist. 12. cap. 6. ad Episcopos Africanos ubi appellatur Episcopus Salicensis.
(b) Non reperitur in S. Leone. (c) Neque hæc pariter.

ANNO CHRISTI 866.

CAPUT VIII.

Item alia de eadem re. Mariniano Episcopo Ravenn. *

* Ibid. Epist. 79.

QUæ de cauſſa Maximi ſint agenda exceptis, quas ad vos antea tranſmiſimus, agnoviſtis: ſed quia qualis hac de re fraternitatis veſtræ voluntas ſit, ac magis petitio præſenti labore Caſtorio Cartulario noſtro renuntiante cognovimus; ideo ſi idem Maximus coram vobis, & prædicto Cartulario noſtro de Simoniaca hæreſi præſtito ſe Sacramento purgavit, atque de aliis ante corpus S. Apollinaris, ſicut ſcripſimus, tantummodo requiſitus liberum ſe eſſe reſponderit, cauſſam ipſius fraternitatis veſtræ de eo quod excommunicatus Miſſarum ſollemnia agere præſumpſit judicio committimus, qua debeat pœnitentia talis culpa purgari. Et ideo quidquid vobis, ſed dum placet, ſecuri diſponite, nec aliquod de nobis dubium habeatis; nam quidquid a vobis hac de cauſſa fuerit ordinatum, nos & grate ſuſcipimus, & libenter admittimus. Hortamur tamen, ut debeatis eſſe ſolliciti, & ita, quæ fienda proſpicitis, temperetis, quatenus & illi, ſi ita videbitur, benigne præſtetis, & vigoris Eccleſiaſtici genium congrua, ut oportet, diſpenſatione ſervetis: ſuprascriptum vero portatorem in præſenti quid nobiſcum ei ſit agendum inſtruximus, a quo cuncta ſubtiliter addiſcentes, ſic vos in omnibus exhibete, ut in veſtra ſollicitudine noſtram fuiſſe præſentiam ſentiamus.

CAPUT IX.

Item de eadem re ad Caſtorium Notarium. *

* Ibid. Epiſt. 80.

QUanto credi tibi a nobis, & neceſſarias vides cauſſas injungi, tanto te ſtrenuum debes & ſollicitum exhibere. Proinde ſi Maximus Salonitanus præſtito Sacramento firmaverit Simoniaca ſe hæreſi non teneri, atque de aliis ante corpus S. Apollinaris tantummodo requiſitus innoxium ſe eſſe reſponderit, & de inobedientia ſua pœnitentiam, ſicut deputavimus, egerit, volumus, ut ad conſolandum illum epiſtolam, quam ad eum ſcripſimus, ubi ei & gratiam noſtram, & communionem nos reddidiſſe ſignavimus, experientia tua dare debeat. Quia ſicut in contumacia perſiſtentibus ſeveros eſſe nos convenit, ſic iterum humilibus, & pœnitentibus negare locum veniæ non debemus. Præterea de Fratre noſtro Sabiniano Epiſcopo Jadertino, atque Honorato Archidiacono Salonitano, vel aliis, qui ſe ad Apoſtolicam Sedem contulerunt, cum eodem Maximo omnino ſtudioſe agendum eſt, ut eos in ea, qua decet, caritate recipiat, & dolorem contra eos nullo modo in corde retineat, ſed pura cum eis gratia, & ſincera dilectione vivat.

CAPUT X.

Item Gregorius Sabiniano Epiſcopo Jadertino. *

* Lib 8. Regeſti Ep. 10.

SIcut perſeveranti culpæ jure debetur vindicta, reſipiſcentibus & venia concedenda; nam ut res illa contra ſe merito iracundiam excitare, ſic hæc in ſua prorſus dilectione ſolet concordiam propagare ..... Hortor ergo, dilectiſſime Frater, ut Gregi Dominico Paſtoralem ſollicitudinem inſtanter impendas, lucrum de commiſſis ovibus facere diligenter invigiles, ut tanto tibi copioſæ retributio mercedis exuberet, quanto in adventu Judicis multiplicis laboris fructus obtuleris; ſtude itaque in culpa lapſos erigere; ſtude errantibus regrediendi viam oſtendere; ſtude communione privatos ad communionis gratiam ſalubriter revocare &c.

ANNO CHRISTI 866.

EPISTOLA SYNODICA SUPRADICTA.

Sanctiſſimo, ac Reverendiſſimo Nicolao Summo Pontifici & univerſali Papæ, Tado Mediolanenſis, & Rotlandus Arelatenſis, & Arperrus Ebredunenſis Epiſcopi, & ceteri nobiſcum Fratres, & Coepiſcopi apud Ticinum Urbe Liguriæ congregati perpetuam in Domino noſtro Jeſu Chriſto optant Salutem.

CUm ob diverſas neceſſitates a piiſſimo Imperatore convocati in prædicta urbe conveniſſemus, & pro noſtro modulo de pace, & unanimitate Chriſtiani Populi tractaremus, miſerabilis frater Guntarius in ſua, & Teotgaudi cauſſa nos multis lacrymis multoque luctu ad ſui flexit compaſſionem. Intimabat namque quia non malevolentia, neque alicujus gratia in has miſerias decidiſſe, ſed ſimplicitate ſola, & errore, ut ignorantia in cauſſa latebroſa, & obſcura deviaſſet. Vobis vero nihil imputare, ſed miſericordiam veſtram ut imploremus modis omnibus expoſtulabat, quatenus ipſi præfatoque ejus ſocio poſt tot labores tantaque diſcrimina veſtra ſubveniret clementia, quia numquam ſe ita obſtinatos fuiſſe commemorabat, ut errorem ſuum ad veſtram luculentam & ſalutiferam doctrinam corrigi recuſaverint. Nos vero humiliter ſuggerimus Paternitati veſtræ, ut ſicut errantibus diſciplinam adhibuiſtis, ita reſipiſcentibus indulgentiam non denegetis, attendentes, quæ ſit præfatorum fratrum in Eccleſia Dei utilitas, & ne propter unam offenſionem multæ opportunitates intereant: in quo vos facto omnes diligent, atque laudabunt, cum intellexerint non damnatione vos delectari, ſed correctione. Qui ſi in aliquo ſpecialiter veſtram læſerunt Paternitatem, jam ſatis digna luerunt ſupplicia, adeo ut ipſis quoque ſint inimicis miſerandi, quippe qui ab ineunte ætate generoſis orti natalibus honeſte, copioſeque ſunt educati, atque maximis inter ſuos honoribus decorati. Nunc autem egentes, anguſtiati, afflicti, peregrinando errantes, paupertate contemptibiles, morte graviores patiuntur miſerias, quibus ſi miſeramini, eoſque correctos reſtituitis Eccleſiæ Dei, & Filiorum veſtrorum lacrymoſis precibus inflexi, gratiſſimum, ut credimus, Deo munus offertis, qui venit quærere & ſalvare, quod perierat, omnibuſque ſatisfacitis, quia poteſtatem, quam in membris Chriſti eminentiſſimam accepiſtis, non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem exercere laboratis, & vulnus quod inflixiſtis non mortiferum, ſed ſalutiferum fuiſſe oſtendiſtis. Hoc anteceſſores veſtri, quod vos minime latet, erga ſingulas perſonas, & erga plenarias Synodos exercuerunt, ut cum rigore diſciplinæ reſultantes dejeciſſent humiliatos, correctoſque lenitatis manſuetudine reſtituerent. Conſolamini nos, qui ſumus in fratrum recuperatione, ut in quibuſcumque tentationum moleſtiis, & periculis fluctuantis ſeculi ad gremium veſtræ Paternitatis, tamquam ad tranquillitatis portum refugientes, correctionis pariter, conſolationiſque emolumenta nos aſſecuturos minime diffidamus. Scimus enim vos ejus eſſe diſcipulum & ſucceſſorem atque vicarium qui docuit: *Corripite inquietos, conſolamini puſillanimes*; atque ideo non abſurde a vobis, a quo correctionem laudabilem prolatam animadvertimus, indulgentiam conſolatio-

tionis per viscera pietatis exubérare postulamus. Paternitatem vestram ad correctionem, & consolationem Ecclesiæ suæ omnipotens Deus ævo longiore conservet. Amen.

ANNO CHRISTI 866.

EPISTOLA GUNTHARII AD HINCMARUM.

Venerabili, & carissimo Hincmaro Archiepiscopo; Guntharius Sanctæ fraternitatis devotus amator æternam in Deo optat salutem.

QUia meis exigentibus peccatis inopinata mihi provenerunt adversa, patientia mihi necessaria est in tribulatione, & bonorum intercessio. Pareat Dominus omnibus illis qui tam gravem sine misericordiæ remedio invectionem mihi deputaverunt, B sciant quem tantum ut inde se recognoscere non dissimulent, ego penitus oblivioni tradere proposui, permanere cupiens in veræ amicitiæ integritate, quæ debet esse in caritate radicata. Præterea de nostri infortunii melioratione certus esse credo, quod postea in his partibus vestra caritas A studere non omisit. Nam ego cum humilitate & timore vobis significare præsumo, quia propitio Divinitatis munere dominum Apostolicum ad nostram recuperationem voluntarium habemus. Adeo ut sacras ipse auctoritates & exempla, piaque documenta præscrutatus sit, quæ nostræ restitutioni, miserante Deo, plenariam fiduciam non denegant. Similiter, & omnes Episcopi spem nobis recuperationis fiducialiter insinuant, a quibus, & Imperator, & Imperatrix minime discordant. Pariter uno consensu epistolas valde idoneas pro nobis venerando Pontifici direxerunt. Hæc interim apud vos eo silentio secreta teneantur, ut his tantum quibus competit pandantur. Nunc, mi Pater, quoscumque Fratres, & Coepiscopos monere studete ut fraternæ caritatis & compassionis non obliviscantur, mihique desolato, ac peregrinanti omnes quantocyus succurrite, quia necessitatem patientes necessariis rebus indigemus. Fœneratur Domino, qui miseretur Pauperi. Venerandam paternitatem vestram bene in Christo valere optamus.

ANNO CHRISTI 866.

HINCMARI RHEMENSIS EPISTOLÆ ALIQUOT

Ad Concilium Suessionense III. anno DCCCLXVI. celebratum pertinentes.

I.

AD NICOLAUM PAPAM

Per Egilonem missa cum actis synodi Suession. anno DCCCLXVI.

Edidit Sirmondus ex veteri codice MS.

Domino sanctissimo & reverentissimo patrum patri Nicolao primæ ac summæ sedis apostolicæ & universalis ecclesiæ papæ, Hincmarus Rhemorum episcopus, & vestræ sanctissimæ paternitatis devotissimus famulus.

DEcimo quinto Kalend. Septembris XIV. Indictionis, secundum vestram apostolicam jussionem, ad Suessorum civitatem, cum fratribus ac coepiscopis Rhemorum provinciæ, archiepiscopis & episcopis illuc, ex mandato vestro convenientibus, occurrere festinavi, quo etiam dilectum fratrem nostrum Vvlfadum venire commonui. Eos etiam fratres nostros de ipsius collegio, qui sub nostra cura degunt, mecum adduxi, quos, sicut mihi scribere dignati estis, justum quid vel pium sentiens, sine retractatione in suis ordinibus consensu ac judicio coepiscoporum Rhemensis provinciæ, restituere maturarem, si illos ab eisdem gradibus cum eorum tantum judicio dejecissem. Sed quoniam synodi episcoporum quinque provinciarum, quorum meo consensu expetierunt judicium, diffinitione fuere dejecti; & sicut melius sapientia vestra novit, sacri canones usque ad similem excommunicationis vindictam decernunt, ut ab aliis dejecti, ab aliis non recipiantur, minime autem restituantur, sed aut eorumdem, aut majoris concilii episcoporum diffinitiones ac judicia præstolentur: aliorum opus in illorum restitutione nullatenus usurpare præsumpsi, quos meo arbitrio ab officio non suspendi, & in præfata synodo episcoporum quinque provinciarum, non tantum non judicavi vel dejeci, verum nec cum judicibus eorum subscripsi: quia mihi commissæ ecclesiæ filii finitimos episcopos juxta canones Sardicenses pro causa sua interpellarunt, & Africæ provinciæ canones hujusmodi vicinos episcopos audire, & inter eos ac proprium episcopum adhibitos ab eis episcopos jubent querimoniam diffinire. Unde humiliter obsecro ne pro inobedientia mihi reputetis, quoniam eos non statim restitui, qui ad synodum, sicut præcepistis, hoc solo meo ausu agere veritus, obedienter occurri, & his quæ fratres & coepiscopi nostri, vestræ sanctissimæ paternitatis devotissimi filii, vestra fulti auctoritate, de illorum restitutione decreverunt, secundum quod mystica Nicæna synodus, scribens ad diœcesim ecclesiæ Alexandrinæ, de ordinatis a Meletio damnato episcopo, clementi consilio statuit, videlicet ut mystica ordinatione firmati haberent honorem & ministerium, & proveheretur quilibet eorum in honorem episcopi in ecclesia defuncti, si visus foret dignus, & eum populus elegisset, cum consensu Alexandrini episcopi, sub cujus cura diœcesis illa degebat, condecernente quodammodo simili a Africano concilio de Donatistis: quæ non vobis ut incognita ingeruntur, sed ut notissima inculcantur, sacrorum canonum & sedis apostolicæ manentibus constitutis paratissime annuere, & sollicitus servare unitatem spiritus in vinculo pacis, obtemperare curavi: reservato per omnia sententiæ ac juris privilegio ejusdem apostolicæ sedis, & salva diffinitione ac confirmatione expectatæ vestræ discretionis atque auctoritatis. Et quia synodo, per hunc venerabilem archiepiscopum Egilonem, qui interfuit actionibus, dirigente epistolam omnium nostrum, qui adesse potuimus, cum ipso voce loquentem, quoniam si eis manum porrigitis, vobiscum pariter porrigemus, Vvlfado & ejus collegis pro disceptatione diversa judicantium, in eadem synodo omnibus consonanter idipsum sentientibus, sedem apostolicam non fuit necessarium appellare. Idcirco hujusmodi legatum, qui meam vobis repræsentans personam, cujuscumque diversa sentientis allegationibus, quæ modo nullæ sunt, responderet, & vestram exinde diffinitionem referret, omisi dirigere: quia quæ verbis & scriptis mihi per istum

reli-

ANNO CHRISTI 866.

religiosum archiepiscopum exinde sequenda atque A tenenda mandaveritis; pro scire & posse, obedire & conservare curabo, sicut hactenus ea, quæ inde fuerant statuta & confirmata, servavi. Nec caussa inobedientiæ missum meæ subditionis cum hoc venerando archiepiscopo dimisi transmittere: sed quia sic intellexi in litteris vestræ auctoritatis contineri, tunc solum, ut verbis earum utar, si disceptantibus, vel fortassis alia atque alia decernentibus nobis, præfati dejecti sedem appellaverint apostolicam, & ejus speciali se judicio damnari vel absolvi petierint, si ego, vel si Vulfadus, aut socii ejus, ad vos venire per nos non possemus, vicarios nostros ad hoc negotium ventilandum & finiendum, mox post consummatum concilium xv. Kalend. Septemb. præsentis xiv. B Indictionis auctoritate vestra collectum, nostras præsentaturos vobis personas, nullam penitus excusationem prætendentes, utrique ad sedem beati Petri mitteremus. Unde supplico, ut merear scripto hinc vestram diffinitionem recipere, quam paratus sum, ut oportet, obnixius observare. Gestorum autem seriem, de omnibus quæ in concilio relata, examinata, atque reperta sunt, quæ, sicut veneranda decreta statuunt, discretioni vestræ dirigi præcepistis, ut quæ salubria videbuntur, corroborentur, si forte aliqua supersunt epistolæ synodali, quæ debeant explanari, hic venerandus ac religiosus sanctitatis vestræ devotissimus filius, & unanimis frater ac consacerdos noster Egilo archiepiscopus plena fidelique C relatione apostolicæ auctoritati vestræ poterit patefacere, & sicut ea visu & auditu comperit, ac episcopaliter contulit, intimare. Sed & de præfatis fratribus nostris, Rhemorum ecclesiæ filiis ab Ebone post depositionem suam ordinatis, qui inter canonicos & monachos, urbanos & parochianos, una cum Vulfado apud nos non sunt amplius quam novem, de quibus sanctissima vestra paternitas mihi scripsit, ut cum dejectionis suæ caussam venire ad examen optaverint, nullam ex his quilibet indignationem meam sustineat, nullum ad cœpta peragenda per suggestionem meam patiatur incommodum, qualiter me antea & postea erga eos egisse in synodo fratres & coepiscopi nostri una cum eo repererint, sufficienter di- D gnationi vestræ prævalet enarrare. Quorum salubrem ac singularem statum & cupivi & cupio, & quæsivi & quæro, & quorum dejectioni condolui, & statui eorum congaudeo. De Teutberga etiam regina, unde sublimitati vestræ ab humilitate mea mandari rogastis, quia Hlotharium vel ipsam Teutbergam, postquam Arsenius venerandus episcopus, & sanctæ ecclesiæ Romanæ apocrisiarius, ab Attiniaco palatio domni Karoli regis glorioso perrexit, non vidi, certæ salubritatis rationem mandare vobis non valeo. *Et alia manu.* Deus omnipotens sanctitatem vestram, ad doctrinam & correctionem sanctæ suæ ecclesiæ, in suo apto servitio per annorum multa curricula conservare dignetur, Domine sanctissime & re- E verentissime patrum pater in Domino. Data Kalend. Septemb. Indictione xiv.

II.

AD EGILONEM ARCHIEPISCOPUM SENONENSEM.

Romam euntem instruit de iis quæ in synodo gesta sunt in caussa Vulfadi, & quemadmodum in Urbe gerere se debeat.

Hincmarus nomine non merito Rhemorum episcopus, ac plebis Dei famulus, sanctissimo & reverentissimo Egiloni archiepiscopo, & carissimo ac unanimi atque fidissimo mihi, plurimam in Salvatore salutem.

QUanta fiducia vestra utar dilectione, ex vestra mente pensare potestis. Non enim aliter in mente mea vos teneo, quam me alterum, exceptis peccatis meis.

Quapropter sicut in vobis & de vobis confido, & sicut vobis & pro vobis in omnibus esse cupio, ita erga me in omnibus sitis. Ceterum exemplar epistolæ domni Apostolici, ad domnum Karolum, quod non mandastis, sed & exemplar epistolæ mihi directæ, sicut mihi mandastis, dilectioni vestræ transmitto. Exemplar autem epistolæ, quæ uniformiter per archiepiscopos istius regni directa est, vos habetis, sine qua ire non debetis.

Mitto etiam vobis capitula, in quibus summa continetur de omnibus epistolis, quas pro ista caussa vobis omnibus domnus Apostolicus misit. Et necesse vobis erit, ut ipsa capitula bene cognita habeatis, & memoria teneatis quæ sparsim in ipsis epistolis continentur: ut si illi quos scitis, more suo sua dicta involvere voluerint, habeatis veritatem quam illis respondere possitis. De scriptis denique quæ porrexi in synodo, de quibus mandastis ut discernerem si vobis ad portandum necessaria forent, non mihi visum est vos ullam habere necessitatem: sed videtur mihi, quia si ostensa fuerint Apostolico aut Romanis, ut aliquam dubitationem possint afferre domno Apostolico, quasi contentiones inter nos fuerint in restitutione Vulfadi; & una cum vestro missatico suspecta synodi & mea epistola fiat, inde aliquod impedimentum & dilatio ad ea quæ senior noster cito obtinere vult de ipso Vualfado. Et puto non displicebit quibusdam, si aliqua occasio intercederit, unde ad illos sit ei necesse recurrere, & sicut mihi jam mandatum est, increscit Apostolico & Romanis tanta legere. In scripto quippe quod primum dedi, nihil aliud habetur, nisi quia ego non suspendi eosdem fratres ab officio, neque judicavi, neque e gradibus ecclesiasticis eos dejeci, neque cum judicibus eorum subscripsi, sed synodus episcoporum quinque provinciarum, & quod vos regulariter inde inveniretis, ego sine cunctatione sequerer secundum tenorem epistolarum domni Apostolici. Unde & synodus & ego rationem reddimus in epistolis nostris domno Apostolico, quare eos ego non restitui. Alterum autem scriptum ideo dedi, quia sicut scitis non putabat me Vulfadus ad illum condescendere velle: & licet non in mea præsentia, tamen audiebam per alios illum dicere interdum, Ebonem non fuisse regulariter depositum, interdum autem regulariter restitutum. Et ideo demonstravi eumdem Ebonem regulariter depositum, & non regulariter restitutum. Qui damnatus anno Incarnationis Dominicæ dcccxxxv. iv. Nonas Martias, & per decem & septem annos postea in carne vivens, suam sedem

dem regulariter in ſynodo non repetiit, neque obtinuit, nec etiam ſuam canonicam reſtitutionem, aut a ſede apoſtolica aut a ſynodo regulariter factam, ſecundum canones & decreta ſedis Romanæ, ulli ſynodo in vita ſua oſtendit, & omnem quæſtionem de illo ſecundum leges eccleſiaſticas & humanas jam tricennale & eo amplius tempus excludit. Quoniam ut Leo ad Theodorum ſcribit, quod manens in corpore non recepit, conſequi exutus carne non poterit. De cujus depoſitione admodum plura habeo quam in ſynodo modo oſtenderim, ſicut & in ipſo ſcripto in ſynodo eſt relectum, ubi me canonice electum & canonice ordinatum monſtravi. In quibus, ſicut ſcitis, & Rex & omnes concordaverunt, ſcientes me non in duritia velle contra Vvlfadum perſiſtere, qui interdum etiam dicebat quod meus non eſſet clericus, anguſtians, ſicut ſcitis, ut qualicumque modo gradus poſſet habere. Quæ etiam ſcripta vobis non ad oſtendendum, ſed ad habendum mitterem, ſi notarius noſter infirmus illa tranſcribere concurriſſet. Poſtea autem oſtenſa eſt ſynodus, cui ego non ſubſcripſi: in qua ab ipſis, qui Ebonis damnationi interfuerunt, & verbis & ſcriptis atque auctoritatibus, coram rege comprobatum fuit, qualiter Ebo a ſe juxta decreta Zoſimi, Leonis, Joannis & Gregorii, per libellum profeſſionis manu ſua ſubſcriptum, & a quadraginta tribus epiſcopis, ſecundum ſuam profeſſionem & ſubſcriptionem, regulariter depoſitus fuit, & regulariter reſtitutus non fuit. Et ob id, ſecundum decreta Innocentii, qui ſcribens ad Martianum Naxitanum epiſcopum, juſſit eos recipi in ſuis ordinibus, quos Bonoſus ante damnationem ſuam ordinavit; poſtea ſcribens ad Rufum & Euſebium ac ceteros Macedoniæ epiſcopos, eos quos poſt damnationem ſuam idem Bonoſus ordinavit nequaquam recipi in ordinibus eccleſiaſticis permiſit: & ſecundum decreta Zoſimi ad Aurelium, & ad univerſos epiſcopos per Africam & ceteras provincias conſtitutos, & ad Maſſilienſem eccleſiam, & ad Patroclum Arelatenſem epiſcopum, de his quos poſt damnationem ſuam Proculus ordinavit, qui ſe libello profeſſionis ſuæ ſubſcripto in ſynodo depoſuit: & ſecundum decreta Leonis & ſacrorum canonum: qui excommunicato communicarunt in dejectione permanere, illi fratres judicati fuerunt. Oſtenſa eſt etiam ſynodus epiſcoporum provinciæ Bituricenſis, cui præſedit Rodulfus, manibus eorum ſubſcripta, in qua ab ipſis qui interfuerunt, & ab Aiulfo, qui unus fuit de judicibus Ebonis, audierunt, comprobatum fuit eumdem Ebonem regulariter fuiſſe depoſitum. Deinde oſtenſa ſunt privilegia domni Benedicti, & domni Nicolai, qui ſuis ſubſcriptionibus & Ebonis depoſitionem, & iſtorum dejectionem confirmaverunt. Quæ ſi omnia vobis longum fuerit enarrare, breviter poteritis dicere, quæ bene firma tenere debetis, quia ſcitis quales ſunt quidam. Et peto ut non diſpliceat vobis, quod talia vobis mando firma tenere debere, quaſi me putem vobis ſapientiorem, quia ex caritate hoc dico, & talia mihi a vobis mandari vellem, ſi tale miſſaticum haberem, ſicut vos habetis. Verba autem quæ vos firma habere debetis, & etiam veſtra, ſi aliquis inde fuerit tentatus, iſta ſunt. Quia ſecundum tenorem epiſtolarum domni Apoſtolici, ſicut in eis ſcriptum habetur, cuncta per ordinem quæ in illis fratribus geſta ſunt canonice examinantes, inveniſtis Ebonem juſte & regulariter depoſitum, & non regulariter reſtitutum, & iſtos fratres non a me, ſed a ſynodo epiſcoporum quinque provinciarum judicatos ſecundum ſacros canones, & decreta Innocentii, Zoſimi, & Leonis, ſicut in ſynodali epiſtola continetur. Et quia in domni Apoſtolici epiſtolis continetur, ut quæ ſtatuta ſunt non ducat diſſolvenda, niſi ſacris legibus inveniantur adverſa: & in eiſdem epiſtolis intelligens ſynodus ipſius benignitatem erga hos fratres, inventa eſt iſta auctoritas Nicæni Concilii de ordinatis a Meletio quondam damnato epiſcopo, quam epiſcopi in ſynodali epiſtola illi unanimiter mandant, ut priſcis, ſicut dicit Gelaſius, pro ſui reverentia manentibus conſtitutis, & ſalvis apoſtolicæ ſedis privilegiis, cum eorum etiam ſalvamento, qui ſynodo ſubſcripſerunt, in qua fratres de quibus agitur fuere dejecti, per indulgentiam & auctoritatem ipſius in ſuis ordinibus recipi & provehi poſſint abſque contradictione, migratis jam omnibus qui in Ebonis depoſitione fuerunt epiſcopis, excepto ſolo Rothado. Verum & illi epiſcopi, qui eidem Eboni poſt depoſitionem ſuam dicebantur communicaſſe, jam ad divinum judicium migraverunt, & aliis in eorum locis ſubſtitutis, ac per eos, ut ita dicamus, innumeris ordinatis, a nullo iſtorum fratrum reſtitutio contradicitur. Tamen ſi vos non gravaret, multum vellem, ut omnem plenitudinem ſupra ſcriptam de Ebonis depoſitione, & de iſtorum adjudicatione, domno Apoſtolico referretis, quod ſapientiæ veſtræ committo arbitrio, cui melius credo, quam ſi ipſa ſcripta tranſmitterem. Eſt etiam, quoniam ſi aliqua ſcripta per vos mitterem, & vos illa portaſſetis, niſi tantum epiſtolam ſynodalem, & meam epiſtolam concordantem eidem epiſtolæ, ſcitis quales ſumus, poſſet fieri ut aliquorum mentes inde contra nos ſcandalum ſumerent, quod & modo in ſynodo, quantum potui, devitavi, ubi, ſicut comprobatum eſt, iſtos fratres non judicavi, nec eidem ſynodo ſubſcripſi. Et erant auctoritates canonicæ & decretorum ſedis Romanæ pontificum, quibus ipſi epiſcopi hos fratres judicaverunt: & qui eidem ſynodo ſubſcripſerunt, me tacente neceſſe habebant hoc ſtatuere quod judicaverunt & ſubſcripſerunt: aut contra profeſſionem aut ſubſcriptionem ſuam euntes, ſecundum Carthaginenſe concilium ſe honore privarent: & privilegia ſedis apoſtolicæ duorum pontificum, qualia ſunt, & quæ confirmaverunt quod ipſi epiſcopi judicaverunt, ipſi vidiſtis & audiſtis. Tamen ne ſcandalum fieret, ſecutus exemplum Domini, qui dixit ad Petrum, nos cenſum non debemus, ſed ne ſcandalizemus eos, videlicet qui cenſum exigebant, *da ſtaterem de ore piſcis pro me & pro te*: vitato ſcandalo & præjudicio ſedis apoſtolicæ, ut non nos, ſed ipſius auctoritas, ſi voluerit, ſolvat & immutet ſuam ſententiam quam ligavit & confirmavit, ſervandam vidi unitatem ſpiritus in vinculo pacis, ſimiliter & in hoc ſicut & ibi, ut nullum ego ſcriptum mittam, nec vos aliud portetis, niſi quod cum rege & cum epiſcopis nobis convenit.

Eamus ſimpliciter, quia ſicut ſcriptura dicit, *Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter*. Sed ſi locum videritis, domno Apoſtolico aperire debetis, quoniam multi jam dicunt, ſi illa firma non fuerunt quæ tunc inde confirmata ſunt, nec iſta quæ modo fiunt, firma erunt. Et nihil eſt jam firmum quod epiſcopi & apoſtolica ſedes decernunt. Neque de noſtris judiciis, nec etiam de excommunicatione curant, nec presbyteri a nobis degradati pro noſtro judicio, ſuum miniſterium dimittent, quia nihil eſt firmum quod agimus: ſed ſicut vult Rex, ſicut nos aut odium movet, aut gratia, aut cupiditas, aut timiditas, ita & noſtra & apoſtolicæ ſedis vadunt judicia. Et recordari debetis Apoſtolico, qualiter de ſua excommunicatione & propriæ manus confirmatione ſecit

ANNO CHRISTI 866.

ANNO CHRISTI 866.

cit Guntharius. Qua de re providendum est in talibus, quia jam homines plus proclives & voluntarii sunt ad impune peccandum quam ad regularem disciplinam suscipiendam & observandam. Et si domnus Apostolicus a vobis quæsierit ipsas auctoritates, qualiter isti dejiciendi judicati fuerunt: potestis si vobis videtur illi respondere, quia unanimiter episcopi suum studium ad hoc converterunt, ut isti fratres restituerentur: unde illi miserunt auctoritatem quam invenerunt. Et quia non fuit eorum studium ut in dejectione permanerent, illas auctoritates sacrorum canonum, & decretorum Innocentii, Zosimi, Leonis, quæ supra dictæ sunt, & illi sunt satis cognitæ, ei transmittere omiserunt. De quorum restitutione, si Vvlfadus in causa non foret, satis Ecclesia indurare potuisset, qui inter canonicos & monachos, urbanos & parochianos, una cum Vvlfado non sunt amplius quam novem. Ego dico quod mihi videtur caritatis affectu: vestra autem prudentia & ad hæc & ad plura alia, Deo gratias, satis sufficiet. Peto etiam ut ad hoc quod domnus Apostolicus mihi scripsit de duritia Pharaonis, sicut in epistola mihi missa legetis, ei ex ordine condicatis quam benigne eosdem fratres & antea & postea tractavi, sicut coram ipsis in synodo comprobavi, ne talem me æstimet, sicut me æmuli mei illi depingunt. Et habere exemplaria de epistola synodali, & de mea epistola, ut si aliqui inde quiddam voluerint dicere, postquam illas Apostolico dederitis, habeatis earum exemplaria, & habeatis eas bene cognitas. Similiter satagite, ut illas epistolas quas domnus Apostolicus de ista causa facere jubebit, legatis antequam huc mittantur, ne aliquem dolum in eis scriptores, sicut dicuntur facere, possint imponere. Et non obliviscamini ut faciatis certum Apostolicum, quia illa epistola quarti Leonis papæ de istorum fratrum reclamatione, quam memorat in suis epistolis, istis Cisalpinis regionibus non innotuit, nisi per suas nuper missas epistolas. Et rogate aliquem de vestris memorosum hominem, qui vos sæpe admoneat, quoniam occupati eritis, ut non obliviscamini impetrare gesta pontificum, ab initio gestorum Sergii papæ, in quibus invenitur Ebo fuisse damnatus, usque ad præsentem annum istius præsulatus, quia nos in istis regionibus satis hoc indigemus. Nam aliorum pontificum gesta, si vos non habetis, per me aut per Fulcricum habere poteritis.

De omnibus istis quæ dilectioni vestræ mando, qualiter vobis placeant, aut qualiter displiceant, quantum vobis placuerit & licuerit; & quæ mitto, qualiter ad vos salva pervenerint, per istum missum nostrum mihi literis remandate. In conclusione autem vobis scribo, quod sanctus Petrus apostolus Apollinari dixit, quando eum Ravennam prædicare transmisit, Dominus meus Jesus Christus mittat angelum suum coram te, qui custodiat vias tuas ante te, & annuat quæ postulaveris.

III.

AD NICOLAUM PAPAM.

Respondet increpatoriis ejus literis purgans se de tumore ac dolo, & de objectis in causa Ebonis & Vvlfadi, tum de Benedicti papæ privilegio, & actis synodi Suessionensis, deque immoderato usu pallii.

Domino sanctissimo & reverentissimo patrum patri Nicolao, primæ ac summæ sedis Apostolicæ & universalis ecclesiæ papæ, Hincmarus Rhemorum episcopus & vestræ sanctissimæ paternitatis devotissimus famulus.

DEcimo tertio Kalend. Junii præsentis xv. Indictionis, mandatus a domno nostro, devotissimo filio vestro, Karolo rege glorioso, obviam illi eunti ad colloquium fratris sui Hludouvici regis glorioso ad Metis civitatem, quo secum me duxit ad palatium ejus, quod Salmontiacus dicitur in Laudunensi parochia, veniens, & secundum justionem illius fratres nostros de Vvlfadi collegio mecum ducens, quo & fratres ac consacerdotes nostros Rothadus Suessorum episcopus, & Hincmarus Laudunensis episcopus convenerunt, conveniente etiam præfato dilecto fratre nostro Vvlfado literas sanctissimæ paternitatis & præcellentissimæ auctoritatis vestræ coram eodem domno rege & prædictis fratribus nostris ab Egilone venerabili archiepiscopo Senonensi accepi. In quibus, sed & in literis generaliter ad episcopos qui in synodo, vestra auctoritate congregata, apud Suessiones fuerunt, ibidem relectis, tantas & tales increpationes indignitati meæ a dignitate vestra inlatas inveni, sicut peccata mea merentur. Unde si præsens corpore vobis adessem, quod sanctus Spiritus per os beati Benedicti in regula ab ipso dictata præcipit, sine cunctatione vel aliqua mora exequi procurarem. „ Si quis, inquit, frater, pro „ quavis minima causa a quocumque priore suo „ corripitur quolibet modo, vel si leviter sensérit animos prioris cujuscumque contra se iratos vel commotos quamvis modice, mox sine „ mora tamdiu prostratus in terra ante pedes ejus „ jaceat satisfaciens, usque dum benedictione sanetur illa commotio. " Quod quia corporaliter ante vestræ sanctitatis vestigia implere non valeo, mente & spiritu, ubicumque sum, cum debita mentis devotione adimpleo. Suadente beato Gregorio sanctitatis vestræ prædecessore, atque dicente in expositione evangelicæ sententiæ, *si offers munus tuum ad altare*, ac reliqua: „ Debemus, *Matth.* „ inquit, ad proximum quamvis longe positum „ longeque disjunctum mente ire, eique animum „ subdere, humilitate illum ac benevolentia placare; & scilicet conditor noster, dum tale placitum nostræ mentis aspexerit, a peccato nos „ solvet, quia munus pro culpa sumet.

Et quia tempus annuum quod in literis humilitati meæ directis de causa fratris Vvlfadi collegarumque ejus inveni, ex benignitatis vestræ commotione mihi concessum intellexi, diutius sustinere passus non fui, quin post reversionem de præfato itinere, nunc consequenter isto qui instat mense Julio præsentis xv. Indictionis cum domno nostro rege in hoste ex omni regno suo collecta contra Brittones & Nortmannos illis conjunctos, sicut & ceteri confratres ac consacerdotes nostri, secundum nostrarum regionum gravem consuetudinem, cum suis vadunt, quam longe infirmitate attritus potero, cum hominibus commis-

A Sirmo edita ex dice S. M riæ Laud nensis.

ANNO CHRISTI 866.

missæ mihi Ecclesiæ perrecturus, quantocius potui vestræ sublimitati satisfacturus, has humilitatis literas ad vestræ sanctitatis vestigia, quoniam propter insidias principum mihi infestorum, quibus ad sua vota placere non audeo, aperte non valui, modo quo potui transmittere maturavi. Denique post præfatas vestræ auctoritatis epistolas, relectum est in supradicto loco decretum vestræ præceptionis de restitutione prædictorum fratrum nostrorum, & quod decrevistis libenter amplexi sumus. Et quod præfatus venerandus archiepiscopus Egilo mihi ex vestro mandato inde injunxit, sine retractatione exequi procuravi. Qua de re nil aliter, nisi veluti a vestra auctoritate est diffinitum, in postmodum repetere cupio, sicut in processu horum doloris mei apicum, pro commotione erga me vestra explanans plenius inculcabo, in quibus ut legitur a doloroso dictum, *Si locutus fuero, non quiescet dolor meus; & si tacuero, non recedet a me.* Scio enim quia nisi multam rubiginem in me conspiceret fictor meus, non totiens me isto igne purgationis, ex apostolicæ sedis auctoritate quorumdam factione adversus exiguitatem meam commota, tam duriter conflaret, & utinam expurgaret. Sic enim bonæ memoriæ dominus Hlotharius in initio ordinationis meæ, apud Sergium, & postea apud successorem ipsius Leonem, pro contentione regni quam erga fratrem suum habebat, domnum Karolum, cujus obsequiis fideliter adhærebam, sategit. Unde postea, Deo inspirante, pœnitentiam egit, & literis ad sedem apostolicam missis quod excesserat corrigere studuit. Per quos etiam serenissima sanctitatis vestræ tranquillitas erga indignitatem meam totiens & adeo sit commota, non debet a me conqueri, nec indebitis suspicionibus debeo agitari. Duo tamen sunt quæ tenere me veraciter puto, & tertium quod in mente mea cognosco. Scilicet quia commotio animi vestri erga humilitatem meam, non ex vestris propriis motibus, sed alienis procedat suggestionibus. Et si vera essent quæ vobis de me a quibusdam audio dicta, non solum merito erga me taliter moveremini, verum & incomparabiliter severius quam moveamini zelo rectitudinis accenderemini. Sed gratia illi, cujus gratia sum id quod sum, quia perhibente mihi testimonium conscientia mea, licet in aliis sim peccator, tamen in his de quibus me apud auctoritatem vestram audio denotari, non talis sum in oculis divinis, qualis depingor in auribus humanis. De tumore namque erga sedem apostolicam, omnium ecclesiarum matrem atque magistram, jam apud sanctæ recordationis Sergium atque Leonem fueram denotatus: sed debitis obsequiis, cooperante Domino, quocumque se locus mihi præbuit, demonstravi quod fidelis & devotus, humilis quoque atque subjectus semper in omnibus & ubique erga sedem apostolicam & ejus rectores extiterim: & modo cum tumore, quem quantum potui ab ineunte ætate vitavi, dolositate atque crudelitate, apud sanctam & prudentissimam simplicitatem vestram videor denotari. Qui postquam sensualiter percepi dictum a sancto Spiritu, & imprecari a sancta Dei ecclesia, de his qui in corde & corde loquuntur, *Disperdat Dominus universa labia dolosa*, ac *muta fiant labia dolosa*, & ut *virum sanguinum*, ita nihilominus *& dolosum* abominari a Domino, dolositatem & crudelitatem quasi *a facie colubri* fugiens execrari curavi, sciens beatos esse misericordes, & judicium illi futurum sine misericordia, qui non facit misericordiam. De quibus vitiis, in istis partibus ecclesia mihi commissa, sed nec vicinæ ecclesiæ adversum me hactenus fuere conquestæ, sed nec modo conquerunt. Unde datur intelligi, quoniam illi qui de me ista falso disseminant, si vel similitudines aliorum criminum in me percepissent, (quod non ad excusandum excusationes in peccatis fateor) utique vobis non tacuissent. Sed benedictus Dominus, qui hactenus non dedit me in captionem dentibus eorum qui sæpe expugnaverunt me a juventute mea, & non potuerunt mihi, protegente Domino, qui de multis tribulationibus eripuit me, in quem spero quia & adhuc eripiet. Hæc, domine & pater sanctissime, cum omni animi contritione, & qua possum humilitate deposco, ut pensantes quanto cordis mœrore sint dicta, non aspernanter accipiatis, & non subdole auctoritati vestræ subjectionem meam scripsisse, vobis a quoquam persuaderi sinatis. Nec ea quæ modo dignationi vestræ scribere fisus de clementia vestræ benignitatis præsumo, ad hoc scripta intelligatis, quasi increpationibus vestris duriter susceptis, contumaci corde resistere, & quæ scripsistis, inreverenti fronte vel erecta cordis cervice dissolvere, aut vestris apostolicis jussionibus, vel diffinitionibus resultare modo quolibet, vel in modico velim; qui sicut domino famulus & patri filius, in omnibus satisfacere & parere apostolicæ vestræ auctoritati desidero.

Ceterum de Ebone, de quo humilitati meæ sanctitatis vestræ sublimitas scripsit, multa & in regum, & in gestis episcoporum, qui jam nos ad Dominum præcesserunt, & adhuc nobiscum in suis monimentis atque subscriptionibus vivunt, habentur, quæ apud nos & apud alios in nostris regionibus conservantur, multa etiam in scrinio sanctæ & summæ sedis Romanæ haberi non dubito. Unde ne videar quasi mei causa mortuo derogare, & sepulti reprehensibilia gesta velle resuscitare: de actis quæ apud nos exinde conservantur, cur & qualiter depositio ejus acciderit, rationabilius videtur a nobis sileri quam pleniter & ex ordine dici. Sed & contra multiplicem sapientiam vestram, quæ excedit nostrum sensum atque intelligentiam, & contra vestram summam auctoritatem, quæ supereminet nostram subjectionem, de illius qualicumque depositione quamcumque contentionem, quod absit, conserere, vel quamcumque resultationem inire non volo, non præsumo, non debeo. Præsertim cum & ipse, & illi qui eum non clamantem vel resistentem, sed potius, quantum ab eis qui interfuerunt videri potuit, sponte conniventem ante triginta & tres annos jam evolutos judicaverunt, illic procul dubio sint, ubi unusquisque sub tanto judice, cujus oculis nuda & aperta sunt omnia, non possunt perdere sui meriti qualitatem. Verumtamen ut pauca ex eorum gestis ob rei notitiam vobis suggerendam commemoremus, Hildemanno ecclesiæ Belgivacorum episcopo, calumniis, quibus fuerat denotatus, regulari satisfactione exuto, Ebo, qui pridem cum aliis archiepiscopis & episcopis libellum, quem habemus, de restitutione imperatoris Hludovici manu sua cum additamento archiepiscopi edidit, in eadem synodo secundum traditionem apostolicæ sedis, velut Zosimus de Proculo, Joannes de Contumelioso, Gregorius de Paulo, decernentes ostendunt: & sicut Gregorius multoties de episcopo non valente pro infirmitate corporis ad ministerium episcopale adsurgere, quod si voluerit hoc modo (videlicet dato libello) ab episcopatu se removere valeat, scripsit, datis literis in abdicationem sui, sacerdotio se sponte amovit.

Quem, ut Alexander papa in decretis suis ostendit, metus aut vis vel fraus, quæ a nemine pertulit, innoxium vel excusabilem reddere nequi-

ANNO CHRISTI 866.

verunt. Neque, ut Gregorius de Pompejo monstrat, violentia aut afflictio, quæ a nullo sustinuit, nec etiam reclamatio ad apostolicam sedem, quam præsens in judicio non emisit, ei consulere debuerunt: qui nullo cogente, nec etiam postulante, sed propria sponte, conscius criminum, de quibus partim in synodo fuerat accusatus, partim autem, nisi locum peteret quærendi consilium, cum quibusdam episcopis, foret nihilo minus accusandus, & de quibus se purgare non poterat, secundum eorumdem episcoporum consilium, sequentium Africanum concilium, propter ecclesiæ opprobium, & insolentem insultationem sæcularium, ne dignitas sacerdotalis polluueretur, libellum temperantia, quam beatus Leo ad universos episcopos per Campaniam & Samnium, ceteraque provincias decrevit, manu sua subscriptum, propriaque confessione attestatum, synodo sine ulla resultatione porrexit.

Et Africani canones testimonio episcopi, etiam de se mentientis, adeo credi debere dicunt, ut episcopatum amittat, sicut & Dominus in evangelio monstrat dicens: *Ex ore tuo te judico*: &, *ex verbis tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis*. Et David propheta mentienti quod occiderit Saul, *Sanguis tuus super caput tuum: os enim tuum locutum est adversum te*. Et sanctus Gregorius de Andrea, quia flagitari judicium non debet de causa quam ipse judicavit; quia si verum de se confessus fuit, sicut in libello suæ professionis quem habemus, scriptum est, cujus exemplar cum exemplari notitiæ synodalis, sanctæ memoriæ Leoni papæ directum est, in quo pro reatibus suis a pontificali ministerio alienum se reddidit, & alium in loco suo absque repetitione canonica consecrari decrevit; tamquam criminosus suo testimonio a ministerio pontificali cessare, & juxta Leonis & Gregorii decreta, ad promerendam misericordiam Dei, privatam secessionem expetere debuit.

Luc. 19. Matth. 12. 2. Reg. 1.

Et si falsum de se protulit, tamquam falsus contra semetipsum testis abjiciendus fuit, prohibente Domino, *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*. Quod si non licuit contra proximum, multo minus contra semetipsum. Et idcirco, ut judices sui dixerunt, juste & rationabiliter a pontificali ministerio alienum una cum ipso eum reddiderunt.

Exod. 20.

De quibus, quantum rescire possumus, qui in nomine episcopi tunc fuerunt, in istis Cisalpinis regionibus nemo in corpore vivit, nisi solus Rothadus: licet adhuc plures supersint, qui ecclesiam & provinciam suam, eum prius nullo impetente, deseruisse contra regulas sacras noverunt, & post ejus depositionis ordinem cognoverunt. Et Apostolus *testamentum* dicit *in mortuis confirmatum*. Verum & de his qui me in illius loco ordinaverunt, non habentur superstites, nisi præfatus Rothadus & Erpoinus: quamvis in istis provinciis, Rhemorum scilicet, Trevirorum, Agrippinensium, Moguntinæ, Lugdunensium, Arelatensium, Narbonensium, Rotomagensium, Turonensium, Senonum, Bituricensium, Burdegalensium, non facile plures inveniri possint episcopi, vel presbyteri, aut diacones, qui aut ab illis non sint ordinati, qui in Ebonis depositione fuerunt (& me quidam eorum & ab eis ordinati ordinaverunt) aut qui in ordinatione mea consentientes non subscripserint, seu qui a me aut ab illis non sint ordinati: quos ego Dei gratia ordinavi. Qui post decennium quam idem Ebo, sicut Cisalpini episcopi dixerunt, depositus fuerat, & sine regulari repetitione vel reclamatione permanserat, atque post annum quam a Sergio papa sententiam notam susceperat, quam rectissime auctoritas vestra, ut videlicet Divinæ legis oraculum, in epistola synodali per Egilonem directa nobis exposuit, in synodo apud Belgivacum civitatem Rhemensis provinciæ, a Clero & plebe Rhemorum metropolis, sed & ab episcopis ejusdem provinciæ petitus & electus, & cum decreto canonico præsentia & unanimitatis consensu omnium suffraganeorum ipsius metropolis, cunctis adclamantibus, nullo autem reclamante vel contradicente, regulariter in eadem ecclesia sum ordinatus, sicut epistolæ de ordinatione mea sanctæ memoriæ Leoni papæ directæ, & scripta ecclesiasticæ traditionis, quæ in Rhemensi ecclesia conservantur, ostendunt.

Hebr. 7.

In quibus inter cetera secutos se fore dixerunt episcopi, ordinatores videlicet mei, auctoritatem Africani concilii, quod missis episcopis, ecclesiæ diutino tempore pro fuga Equitii destitutæ jussit ordinari episcopum: & Damasi papæ decreta, ad Paulinum episcopum a congregata in urbe Roma synodo directa, de episcopis adhuc etiam in statu suo manentibus, & contra regulas transmigrantibus. „ Eos, inquit, qui de ecclesiis ad eccle- „ sias migraverunt, tamdiu a communione nostra „ habemus alienos, quamdiu ad eas redierint ci- „ vitates, in quibus primum sunt constituti. „ Quod si alius, alio transmigrante, in loco vi- „ ventis est ordinatus, tamdiu vacet sacerdotii „ dignitate qui suam deseruit civitatem, quam- „ diu successor ejus quiescat in Domino. “ Epist. 2.

Ego autem decernentibus sacris canonibus Carthaginensis concilii, ut quicumque clerici vel diaconi, pro necessitatibus ecclesiarum non obtemperaverint episcopis suis, volentibus eos ad honorem ampliorem in sua ecclesia promovere, nec illic in gradu suo ministrent, unde recedere voluerunt: quod & sanctus Gregorius in epistola ad Galliarum episcopos approbat, dicens: „ Sicut „ is qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris „ est altaribus admovendus; sic qui ultro am- „ bit, vel importunum se ingerit, est procul du- „ bio repellendus: “ mentis & corporis ad obediendum episcopis & ordinatoribus meis colla supposui: quoniam aliter, ductus devotione, sicut tunc mihi videre videbar, agere non præsumpsi. Qui in monasterio, ubi ab ipsis rudimentis infantiæ sub canonico habitu educatus, indeque eductus, in palatio domni Hludovici imperatoris non modico tempore mansi: conversis autem ad regularem vitam & habitum fratribus in monasterio sancti Dionysii, ubi nutritus fueram, in illud, sæculum fugiens, sine spe vel appetitu episcopatus, aut alicujus prælationis diutius degui: & exinde adsumptus, familiaribus obsequiis præfati imperatoris, ac episcoporum conventibus, pro sola obedientia mihi injuncta inserviens, post aliquot annos monasterii quietem repetii. A quo, peccatis meis exigentibus, rupto ancoræ fune, quo me in portu negligenter devinxeram, sub obtentu salutis plurimorum, persuasus hortamentis eorum, quibus facilius quam mihi necesse foret credidi, ad tempestates maris magni & spatiosi periculosissime sum rejactatus. Lib. 7. Ep. 110.

Emenso autem anno post ordinationem meam, Hlotharius imperator, ut prædixi, causa fratris sui erga me commotus, epistolas a Sergio papa exegit, sicut postea mihi innotuit, pro refricando concilio de Ebonis depositione, quasi discordia esset in Rhemensi ecclesia pro mea ordinatione, quod nullatenus consistit. Unde isdem domnus apostolicus literas domno Karolo misit, præcipiens, ut Guntboldum Rotomagensem archiepiscopum cum ceteris episcopis regni sui, quos prædictus Guntboldus ad hoc sibi eligeret, obviam

ANNO CHRISTI 866.

viam missis ejus Treveris ad hanc causam discutiendum dirigeret, & me ad ipsam synodum venire faceret. Ipsi quoque Guntboldo inde literas misit, ut cum post diem sanctæ Resurrectionis missos suos idem domnus papa in servitium imperatoris mitteret, ad prædictum locum cum episcopis hanc causam diffiniturus adiret. Sed & mihi inde literas misit, ut ad idem venirem concilium. Nos autem expectavimus eosdem missos usque ad conductum terminum, & non venerunt.

Quapropter auctoritate literarum domni papæ Sergii, annuente domno nostro rege Karolo, cum consensu archiepiscoporum & ceterorum episcoporum regni ipsius, Guntboldus synodum condixit, quo Ebonem literis, quarum exemplar habemus, per Erponium provinciæ Rhemensis episcopum directis, ex auctoritate prædicti papæ convocavit: ut secundum ejus commendationem, hanc causam regulariter diffiniret, & diffinitionem ipsius rei ad sedem apostolicam secundum sacras regulas referre curaret. Quo isdem Ebo sibi conscius venire non voluit, nec ut apud sedem apostolicam, a qua notam sententiam susceperit, absolveretur sategit, cum eundi illuc facultatem habuerit, quoniam diu in Italia immoratus, & proprietatem de facultatibus Rhemensis ecclesiæ comparatam possederit, & abbatiam sancti Columbani apud Hlotharium obtinuerit, sed & in istis regionibus alteram abbatiam adeptus fuerit, quas & habuit usque dum legationem in Græciam a Hlothario susceptam exequi detrectavit, & ob id honores quos a præfato imperatore acceperat perdidit, & per clementiam Hludouvici regis Germaniæ in provincia Moguntina conductum promeruit. Et nullum documentum canonicum de sua restitutione, vel a sede apostolica absolutione, sicut præcipiunt regulæ, in vita sua Synodo ulli ostendit.

Qui sine documenti testimonio vel literis de sua restitutione, ut Felix papa decrevit, ministrare vel recipi in ministerio sacro non debuit, a se & a plurimarum provinciarum metropolitanis cum suis coepiscopis in judicio præsens, & ad sedem apostolicam non reclamans, consonanter exclusus. Maxime quia per tot annos, etiam post acceptam sententiam a sede apostolica, innocentiam suam non asseruit, quam demonstrare non potuit: sed & quia ante regularem audientiam, vel ante prolatam & confirmatam atque ostensam a sede apostolica suam restitutionem, per edictum imperiale Hlotharii imperatoris, quod habemus, ministerium episcopale præsumpsit, quod, ut Gelasius in epistolis suis de Acacii damnatione ostendit, manifestissime sacris est canonibus inimicum, qualia & quanta judicia incurrerit melius ipsi scitis.

Nam etsi, ut prædiximus, exigente imperatore Hlothario, a sede apostolica literæ missæ fuerunt pro synodo ex hac causa congreganda, cum legatus ipsius sedis in has partes veniret: tamen sicut ad nullam synodum, sed nec ad eam quam Guntboldus auctoritate literarum domni Sergii papæ congregavit, isdem Ebo convenit: ita nec missus a sede apostolica pro synodo ex hoc congreganda in istas partes advenit, veluti & epistola ipsius imperatoris, nec non & episcoporum Belgicæ Galliæ, Neustriæ, & Aquitaniæ provinciarum epistola, cum literis domni regis Karoli, sanctæ memoriæ Leoni papæ directæ, quas in scrinio Romano credimus servari, demonstrant.

Sicque sepædictus Ebo, absque ulla repetitione vel reclamatione suæ sedis apud quamcumque synodum, vel apud sedem apostolicam, a qua fuerat decretum, ut nec communionem inter clericos susciperet, post datas literas papæ Sergii, pro synodo ex hac causa congreganda, cum missos suos in istas partes dirigeret, & post synodum auctoritate literarum ipsius congregatam, quo vocatus, ut prædicimus, non convenit, usque ad obitum suum permansit. Videlicet, sicut superius memoratæ literæ auctoritatis nostræ demonstrant, talis a sede apostolica & papa Sergio habitus, qualis ab aliis non ignorabatur haberi, id est, ut codex episcopalis ostendit, pro criminibus suis honore privatus, & ab ecclesia pulsus, & ideo, ante synodalis examinis discussionem, ad quam Dei judicio non pervenit, secundum sacros Nicænos canones non receptus.

Quod ergo, ut Leo scribit, manens in corpore non recepit, consequi exutus carne non potebrit. Sicut sanctus Gelasius de Acacio dicit, qui a sede apostolica damnatus & non restitutus, licet Anastasius papa, sicut in libro episcopali legimus, eum recipere voluerit, vitam finivit. Talis est, inquiens, dictus, qualis signatus est nunquam esse solvendus, talis usque in finem permansit, talis esse non destitit. Ita talis est hodie qualis est & dictus, non talis esse jam non potest. Nunquam igitur talis permanendo solvendus est.

De dilecto autem fratre nostro Vvlfado, & ejus collegis, de quibus mihi summa dignitatis vestræ auctoritas quæ sibi placuit scripsit, nihil aliud sanctitati vestræ scribere præsumpsi, nisi quod increpationes vestras non negligenter, sed diligenter suscipio, & præceptiones obedienter obaudio. Et quia illis sufficere debet præstabilis auctoritatis vestræ benignitas, & mihi abundanter sufficiet, si satisfactionem humiliatis meæ suscipientes, credere dignati fueritis me vobis simpliciter scripsisse.

Nam secundum ordinatorum meorum præceptionem, qui mihi necdum duobus exactis mensibus post ordinationem meam, in synodo apud Meldis civitatem habita præceperunt, eatenus ignoranti, quod Ebo post depositionem suam aliquos in Rhemensi ecclesia ordinaverit, ut eis mecum usque ad diligentiorem tractatum ministrare non permitterem, egi. Et hoc ipsum eisdem fratribus (decernente Cathaginensi concilio, ut ordinatis episcopis vel clericis, prius ab ordinatoribus suis placita conciliorum auribus eorum inculcentur, ne se aliquid contra statuta concilii fecisse pœniteant) per Pardulum tunc diaconum ecclesiæ Rhemensis, qui interfuit synodo, mandaverunt: quoniam canones posteriores anterioribus jubent deferre, post synodum apud Suessiones habitam, cum eorum literis, quarum exemplar habemus, & quas in Romano scrinio inveniri posse existimo, cum meis pro eorum petitione literis, & cum aliis petitionibus meis, ad sedem apostolicam domno papæ Leoni, pro confirmandis eorum gestis, ex eisdem fratribus ad synodum non coactis, quæ non scripsi, nec eis subscripsi, sicut & in synodo vestra auctoritate collecta ostendi, me direxisse non denego.

In quibus gestis veram præfatorum fratrum prosecutionem adversum me silentio non firmavi: unde ex communi consensu, secundum canones, sicut eos intelleximus, judices postulavi. Quorum sententiam sequendam vidi, usquequo majoris auctoritatis aliter exinde diffinitionem acciperem. Recepta autem domni papæ Leonis excusatoria epistola cur eadem gesta non confirmaverit, dicens inter cetera: „ Causas pro quibus hoc us„ que ad tempus suspendimus, caritati vestræ di„ cemus. Prima igitur hæc est, quia sicut ab „ episcopis prænominata synodus utiliter ventilata „ sive scripta est, ita per aliquos ex eis, ut du„ bita-

ANNO CHRISTI 866.

„ bitatio foret radicitus evulsa, statuta vestræ sy- A „ gitis, vobiscum pariter porrigemus. Et item
„ nodi destinare debuistis. “ Nescientes quia nos „ post aliquanta: Quæ verbis & scriptis mihi per
metropolitani in istis regionibus non habemus po- „ istum religiosum archiepiscopum exinde sequen-
testatem, ut sine consensu vel jussione regis, aut „ da atque tenenda mandaveritis: pro scire & pos-
nos ipsi ire, aut coepiscopos nostros quoquam „ se, obedire & conservare curabo. “ Quam epis-
longius possimus dirigere. tolam idcirco, ut veraciter vobis confitear, sigilla-

Subjunxit autem idem pontifex in suis apostolicis literis dicens: „ Alia autem juxta votum „ vestri desiderii id nos perficere minime permi- „ sit: eo quod legati sedis apostolicæ præsentes „ ibidem non fuerunt, neque imperialis epistola „ nobis talis est præsentata, quæ hoc quod expe- „ tendum misistis, specialiter indicare potuisset. “ Quarta scilicet causa hæc est, „ quia hi, quos de- „ positos caritas vestra auctoritate synodi fore ad- „ firmat, per proprias literas sedem apostolicam B „ appellati sunt, & volunt iterum nostra se apo- „ stolica audiri præsentia, & tunc si culpabiles „ inventi fuerint, non se abnuunt canonicam su- „ bire censuram. “

Et postquam has literas domni papæ Leonis accepi, sicut mihi innotuit, domnus Hlotharius petente quodam episcopo regni sui qui adhuc vivit, per Petrum Aretinum episcopum præfato domno papæ mandavit, ut gesta episcoporum de eisdem clericis non firmaret. Quæ cum ad fratres & coepiscopos nostros retuli, rogantibus eis apud Hlotharium imperatorem, epistolam exinde, ipso ex animo largiente, per missos meos obtinui, ubi inter cetera ita scriptum habetur: „ Sed ad no- „ stras petitiones exequendas & obtinendas Pe- C „ trum venerabilem & dilectissimum nobis Spole- „ tinum episcopum viva voce nostra vice execu- „ torem instruximus: & alium Petrum venera- „ bilem æque & amantissimum episcopum Areti- „ num literis commonuimus, & alios fideles ve- „ stros atque nostros similiter inde monuimus, & „ reliqua. “

Sicque cum ista epistola, & cum legatione imperatoris, per præfatum venerabilem episcopum missos meos cum literis Romam direxi, quibus in via nuncius venit de obitu papæ Leonis. Pervenientes autem Romam cum præfatis literis, & intervenientibus prædictis episcopis, domnus nomine & gratia Benedictus mihi quod nostis privilegium inde direxit. Synodum autem pro sæpedictis clericis, aut à Petro Spoletino, aut ab alio aliquo in istis regionibus, nec fama, nec veritate, ex apostolica auctoritate congregatam, vel congregari jussam, sicut & per alios in istis partibus rescire potestis, unquam audivi: nisi illam quæ anno præterito vestræ auctoritatis jussione extitit congregata, in qua eorum restitutioni secundum traditionem majorum paratissime annui. Quam, posteaquam literas vestræ auctoritatis inde suscepi, salubrem ac regularem cupivi: & idcirco ab ipsis qui eos destituerunt, vel non a minori numero, una cum meo consensu, eos restitui peroptavi. Et propterea inde usque ad synodum expectavi, & plenius a sede apostolica vestra auctoritate firmandam cupivi, cujus arbitrio E potestatis reservata erat summa, ac firmitas privilegiorum apostolicæ sedis, sicut & vestræ epistolæ nobis directæ continent, & in epistola synodali, cujus exemplar habemus, sanctæ auctoritati vestræ directa communi consensu, scripsimus: in qua nullam mentionem de quacumque Ebonis depositione habuimus.

Sed & literis meæ exiguitatis simplici mente inserui inter cetera dicens: „ Quia synodo per „ hunc venerabilem archiepiscopum Egilonem, „ qui interfuit actionibus, dirigente epistolam om- „ nium nostrum qui adesse potuimus, cum ipso „ voce loquentem: quoniam si eis manus porri-

tis, vobiscum pariter porrigemus. Et item ANNO CHRISTI 866.
„ post aliquanta: Quæ verbis & scriptis mihi per
„ istum religiosum archiepiscopum exinde sequen-
„ da atque tenenda mandaveritis: pro scire & pos-
„ se, obedire & conservare curabo. “ Quam epistolam idcirco, ut veraciter vobis confitear, sigillatam non misi, quia synodus epistolam a se directam non sigillavit, ducens incongruum, ut quoniam archiepiscopus de ipsa synodo, qui eidem vestris ad eam vocatus apostolicis literis interfuit, ad vos mittebatur, quasi incredulo epistola sigillata committeretur; & quod synodus non egit, ego agere, ne scandalum cuiquam generarem, non præsumpsi.

Sanctitas igitur vestra, caritate quæ omnia credit repleta, veraciter mihi credat, quia simpliciter & absque ullo dolo in restitutione prædictorum fratrum, postquam vestram dispositionem inde rescivi, ex benevola mente consensi, & simpliciter ac sine ullo dolo scripsi, quæ vestræ sanctitati transmisi. A quo consensu modo quolibet postea non diverti, nisi veluti in præfatis literis vobis scripsi, dicens, reservato per omnia sententiæ ac juris privilegio apostolicæ sedis, & salva diffinitione ac confirmatione expectatæ vestræ discretionis atque auctoritatis. Nunc autem suscepta diffinitione de illorum restitutione, quam vestra, sicut decuit & ordo popposcit, summa auctoritas præcessit, & subsequente synodali consensu, vestræ perfectio firmationis corroboravit, nunquam vel nusquam exinde quamcumque querimoniam contra quemcumque molior vel dispono, intendo vel cupio habere, renovare, excitare sive conserere.

Nec meditatus sum, literis pro hoc vestræ benignitatis acceptis, a consensu in synodo contra ipsius diffinitionem & vestram confirmationem aliquid removere ex tunc in postmodum usque in sempiternum. Quia enim nullo crimine proprio denotati, nescientes Ebonem damnatum, non importune ad ordinationem, sicut ipsi dicunt, & non est qui contradicat, se ingesserunt, sed electi & vocati obedierunt, sicut secundum excellentiam sapientiæ vestræ domno regi Karolo scripsistis, si nollent obedire volenti eos ad majorem D gradum provehere, omnes illi velut procaciter renitentes reprehenderent, & tamquam contumaces circa sacros canones damnarentur, veluti in epistola episcopis, qui per gratiam Dei & decretum vestrum apud Suessionis urbem convenerunt, directa intimastis. Qualiscumque fuerit, vel quæcumque pertulerit Ebo, a se ordinatis, qui nihil præter humilitatem & obedientiam exhibuerunt, nullum prorsus intulit offendiculum: quoniam & beatissimus Leo ad Mauros scribens, ita de quodam Maximo præcipit dicens: „ Maximum quo- „ que licet reprehensibiliter ordinatum, tamen si „ Donatista jam non est, & a spiritu schisma- „ ticæ pravitatis alienus est, ab episcopali, quam „ quoquo modo adeptus est, non repellimus di- „ gnitate. “ Epist. finem.

Et Anastasius ejusdem apostolicæ sedis præsul, quod mali bona ministrando sibi tantummodo noceant, nec ecclesiæ sacramenta commaculent, ad Anastasium principem scribens, evidentissima ratione demonstrat. Cui sane pio sensui, sicut in eorum decretis cum additamento conditionum legimus, juxta quemdam modum non inconvenienter coaptari posse videtur quod beatus Augustinus scripsit, de cujus sensu ac verbis Anastasius papa in præfata epistola hinc quædam assumpsit. „ Si „ quem forte, inquit, coegerit extrema neces- „ sitas, ubi catholicum per quem accipiat non in- „ venerit, & in animo pacem catholicam custo- „ diat, a. prin unice.

„ diat, per aliquem extra unitatem catholicam
„ positum acceperit quod erat in ipsa catholica
„ unitate accepturus, si statim etiam de hac vi-
„ ta emigraverit, non eum nisi catholicum de-
„ putamus. Si autem fuerit a corporali morte li-
„ beratus, cum catholicæ congregationi etiam præ-
„ sentia corporali redierit, unde nunquam corde
„ discesserat, non solum non improbamus quod
„ fecit, sed etiam securissime verissimeque lauda-
„ mus, quia præsentem Deum credidit cordi suo,
„ ubi unitatem servabat. "

Exemplar denique privilegii sanctæ memoriæ Benedicti, sine ulla mutilatione vel adjectione seu immutatione, per venerabilem fratrem & coepiscopum nostrum Hodonem sanctissimæ paternitati vestræ transmisi. De quo & in epistola a me per illum vobis directa, inter alia, si placet, potestis relegere, ubi scriptum habetur: „ Mitterem,
„ inquam, ipsam authenticam privilegii chartam,
„ quam beatæ recordationis præcessor vester dom-
„ nus Benedictus mihi sua auctoritate direxit: sed
„ timui ne mihi inde aliquid siniştri in via con-
„ tingeret, & solatio, quod inde adversus insur
„ gentium impetus habeo, fierem destitutus. Ve-
„ stra vero dignatio in scrinio sanctæ Romanæ
„ ecclesiæ ex more exemplar illius potest requi-
„ rere, & utrum ita se habeat evidenter agno-
„ scere. In quo si vestræ sanctitati placet, neces-
„ se est nobis ut quædam superaddatis, quæ hic
„ frater ac filius noster, juxta quod necessitates
„ nostras cognoscit, vestræ suggeret sanctitati.
„ Quia, sicut S. Augustinus dicit, necesse est,
„ ut ad nova morborum genera, nova quærantur
„ medicamentorum experimenta. Sed & de syno-
„ do apud Suessiones habita, de qua, factione
„ cujusdam clerici nostri, qui a nobis negligen-
„ tiis suis territus aufugerat, quiddam ibi sub
„ quadam dubitatione est positum, hic frater ac
„ filius noster vobis rei veritatem potest narrare,
„ qui eidem synodo interfuit, & adhuc in no-
„ mine abbatis subscripsit. "

Hæc sunt verba mea in epistola sanctæ paternitati vestræ directa. Nam si inde quod ibi est positum, *si ita est*, erasissem, superflue quod quiddam ibi sub quadam dubitatione esset positum scriberem. Et si aliquid ibi adderem, mutarem, vel demerem: ut in scrinio sanctæ Romanæ ecclesiæ exemplar illius requireretis, & utrum ita se haberet agnoscere tis, scribere non auderem. Ceterum si quocumque modo, quacumque occasione, a quocumque aliter ad vos delatum fuit: tamen ego per præfatum venerabilem coepiscopum nostrum, sicut se habet exemplar ipsius privilegii vobis direxi. Quod si vobis non fuerit tædium, reservato in Romano scrinio illud quod eum misi conferre, verum invenietis.

Sed & illum ipsum privilegii tomum, & non exemplar, synodo vestra auctoritate congregatæ, cum privilegio vestræ sanctitatis ostendi, & incorruptas scripturas atque sigilla monstravi, & ex integro, coram filio vestro domno rege Karolo, audientibus omnibus episcopis, & qui synodo interfuerunt, relegi feci.

Unde in epistola synodi vestræ auctoritati directa, scriptum inter cetera habetur ad locum: " In
„ suis ordinibus restituere maturaremus, quin præ-
„ dictos fratres, nisi privilegiis sanctæ Romanæ
„ sedis, per reverendum confratrem nostrum
„ Hincmarum archiepiscopum nostræ unanimita-
„ ti prolatis, quæ de ipsis viris quædam statue-
„ runt, debita reverentia exhiberetur: quorum
„ summa, perfecta, & integra firmitas, ut cla-
„ ret & justum est in apostolicæ sedis reservata
„ est arbitrio potestatis. " Quod synodus vobis non scriberet, si integra privilegia eis non ostendissem.

De eo quod benignissima & sanctissima paternitas vestra mihi est dignata scribere, ut non arbitrarer ad discrimen quodlibet quæ mihi mandata sunt exaggerasse, cum meliora esse vulnera diligentis, quam fraudulenta odientis oscula esse, non nesciam; sed ne adeo in privilegiorum meorum defensionen vel elationem immoderatius erigar, ut apostolicæ sedis jura quoquo modo temere tetigisse videar: veraciter fateor, hoc nunquam in cor meum ascendit, qui semper, & apostolicæ sedi, & ejus rectoribus, postquam me nosse potui, pro meo scire & posse fidelis & devotus, & humilis ac subjectus extiti, sum, & adjuvante Domino permanebo. ANNO CHRISTI 866.

Privilegia autem sedis apostolicæ non ideo petii, ut mihi non sufficeret quod sacri canones, & decreta sedis Romanæ pontificum, cuique metropoli sedi concedunt: & nec alia, vel amplius quam ecclesiæ Rhemorum conlatum est ex antiquo, mihi largiri specialiter appetii, neque appeto. Sed quia non solum diœcesis, verum & parochia mea, inter duo regna sub duobus regibus habetur divisa, & res mihi commissæ ecclesiæ sub multorum principum potestate conjacere videntur, de quibus aut parum aut nihil utilitatis ecclesia nostra potest habere, quia veteres constitutiones jam quasi pro vili apud quosdam habentur: his novis decretis carnales & animales homines terriți, quiddam reverentius contra ecclesiam indiguitati meæ commissam agerent. De quibus privilegiis, quorum defensionem mihi non arrogo, sed nec aliis quibuscumque, est unde inflari valeam vel efferri, qui etsi justus fuero, non levabo caput, saturatus afflictione & miseria.

Postremo de pallio, a mea præsumptione non certis temporibus & juxta morem aliis metropolitanis diffinitis uso, unde vestræ sanctitatis auribus intimatum esse indiguitati meæ scripsistis. auctoritati vestræ veraciter fateor, quod & in istis regionibus per alios, si vobis placuerit, rescire valebitis, quia nisi die Natalis Dominici, & in die sanctæ resurrectionis ejus, vix in toto anno eodem pallio utor: quoniam de illorum numero peccatis meis exigentibus factus, de quibus scriptum est, Impedimenta fæcuſi fecerunt eos miseros, raro in decretis festivitatibus, quo pallio uti metropolitanis conceditur, in sede mea, propter multas occupationes & necessitates ecclesiæ & regni, esse mihi permittitur. Et nisi quando in eadem sede sum in decretis festivitatibus, non solum non totiens, sicut mihi concessum est, verum vix aut nunquam eodem pallio utor.

Pro cujus usu apud sedem apostolicam nihil petii, nisi sicut decessores ac prædecessores mei eo uti, & in episcopi ordinatione, solebant. Non enim usum pallii esse meæ dignitatis puto, sed genii sedis metropolis esse cognosco. Et cum multi sint sancti episcopi, qui eodem pallio non utuntur, non nescio quia si sine virtutibus, quas exponente beato Gregorio pallium signat, pallio utor, etsi excellentiorem ceteris Rhemorum provinciæ sedibus metropolim sedem pallii usus demonstrat in oculis hominum, non tamen majorem me facit in oculis Domini.

Et veraciter confiteor sanctæ vestræ paternitati, quia si episcopus ordinatus non essem, non solum pallii usum non quærerem, quoniam scio, sine ordinatione episcopali, fide recta & operibus bonis per Dei gratiam vitam æternam me potuisse adquirere in isto sæculo: cognoscens illud, sicut modo cognosco, episcopalem ordinem non subirem, si vitare valerem. Sed & nunc jam sufficit

ficit mihi anima mea pro spolio. Ego enim mul- ANNO CHRISTI 866. tis afflictus infirmitatibus, & ætate gravatus ac injuriis fatigatus, jam delibor, & tempus meæ resolutionis instat. Quapropter licet alius ab amicis meis Cisalpinis in partibus Romanis, sicut a multis jactatur, confingar: ad aliud me oportet tendere, & de aliis cogitare, quam alicui pompæ ac ostentationi; minime autem in ecclesiastico ministerio adplaudere, aut modo quolibet inservire.

Hæc autem de quibus clarissimæ sanctitati & famosissimæ sapientiæ vestræ scripsi, non ad ullam controversiam, vel contumacem resultationem, quod absit, protuli: sed animatus veridica sententia vestræ, immo divinæ auctoritatis, quam mihi scribere dignati fuistis, dicentes quia veritas liberet, mendacium vero perdat, humiliter veritatis narrationem suggessi. Tandem meæ servituti a vestra dignatione remandari deposco de fratribus nostris, Rhemensis ecclesiæ filiis, vestra auctoritate in suis ordinibus restitutis, quoniam venerandus archiepiscopus Egilo ex vestra auctoritate eis præcepit, ut in suis gradibus ministrarent, & ad altiores ascendere non præsumerent, utrum debeam eos ad altiores gradus provehere, si confratres ac comministri nostri illos elegerint: quoniam eorum animos mea incuria lædere nolo, & ne contra vestram jussionem ac dispositionem agam, modis omnibus devitare cupio, qui apostolicæ sedis decretis in omnibus parere desidero. Deus omnipotens sinceritatem vestram, ad doctrinam & correctionem sanctæ suæ ecclesiæ, in suo apto servitio per annorum multa curricula conservare dignetur, domne sanctissime & reverentissime patrum pater in Domino.

IV.

AD NICOLAUM PAPAM

Ejusdem argumenti cum superiore, maximaque ex parte iisdem verbis contexta.

Domino sanctissimo & reverentissimo patrum patri Nicolao, primæ ac summæ sedis apostolicæ & universalis ecclesiæ papæ, Hincmarus Rhemorum episcopus, & vestræ sanctissimæ paternitatis devotissimus famulus.

Literas sanctissimæ paternitatis & præcellentissimæ auctoritatis vestræ, XIII. Kalendas Junii, XV. Indictionis, ab Egilone venerabili archiepiscopo Senonensi accepi, in quibus, sed & literis generaliter ad episcopos, qui in synodo vestra auctoritate congregata apud Suessiones præterito anno fuerunt, tantas & tales increpationes indignitati meæ a dignitate vestra inlatas inveni, sicut peccata mea merentur. Quibus ad omnia respondere, & humilitati meæ præsumptuosum, & sublimitati vestræ constat incongruum: præsertim cum post multa, pusillitatem meam refoventes, mihi scribere dignati fueritis, dicentes: „ Hæc „ ne nos arbitreris ad discrimen quodlibet tuæ „ sanctitatis vel dignitatis exaggerasse, cum me„ liora esse vulnera diligentis quam fraudulenta „ odientis oscula non nescias. „

Ceterum quoniam propter multas & maximas ac pene continuas infestationes paganorum atque falsorum Christianorum, quas patimur, continue laborantibus antea episcopis regionum nostrarum, in unum convenire non licuit, ut nobis communiter vestræ sanctitatis epistola communiter missa relegeretur, & sicut justistis, quæcumque super hac re, de qua agitur, scripta tam a vobis prius & nunc, quam a nobis edita reperiuntur, & quid inde humilitas mea, & illi dejecti clerici, sedi apostolicæ suggesserimus, vel retulerimus, in volumen unum ordine quo missa sunt redigerentur, & apostolicæ sedi, ut competens est, eorum nobis exemplaribus reservatis, summo studio dirigerentur. Nunc in aliqua regni parte, aliquantulum de paganorum infestatione respirantes, sed aliarum anxietatum gemitibus laborantes, & adhuc graviora quæ imminent metuentes, & fratres ac coepiscopi nostri devotissimi filii vestri, quæ justistis, videlicet de Ebonis dejectione, & de ipsius restitutione, ac fratris Vulfadi & collegarum ejus promotione, & de præfati Ebonis iterata repulsione, atque ad aliam ecclesiam migratione, sed & quæ de ordinatione mea comperere- ANNO CHRISTI 866. runt, exequi studio fideli procurant. Et humilis mea servitus, de his quæ indignitati meæ vestra scripsit dignatio, omni humilitate ac puritate conscripta, his quæ auctoritati vestræ collectis dirigunt, subjungenda & suggerenda atque perferenda secundum vestram præceptionem eis porrexi. De dilecto scilicet fratre nostro Vulfado & ejus collegis, de quibus mihi summa dignitatis vestræ auctoritas quæ sibi placuit, scripsit, nihil aliud sanctitati vestræ scribere præsumo, nisi quod increpationes vestras non negligenter, sed diligenter suscipio, & præceptiones obedienter obaudio. Et quia illis sufficere debet præstabilis auctoritatis vestræ benignitas, & mihi abundanter sufficiet, si satisfactionem humilitatis meæ suscipientes, credere dignati eritis, me vobis simpliciter ac veraciter inde scripsisse. Nam secundum ordinatorum meorum præceptionem, qui in Ebonis dejectione fuerunt, & mihi necdum duobus exactis mensibus post ordinationem meam, in synodo apud Meldis civitatem habita præceperunt, eatenus ignoranti quod Ebo post dejectionem suam aliquos in Rhemensi ecclesia ordinaverit, ut eis mecum usque ad diligentiorem tractatum ministrare non permitterem, egi. Et hoc ipsum eisdem fratribus decernente Carthaginensi concilio, ut ordinatis episcopis vel clericis prius ab ordinatoribus suis placita conciliorum auribus eorum inculcentur, ne se aliquid contra statuta concilii fecisse pœniteant, per Pardulum, tunc diaconum Rhemensis ecclesiæ qui interfuit synodo, mandaverunt. Ab ea autem synodo, Pardulus mecum Rhemis reversus, eisdem fratribus qui nobiscum erant, & de quibus agebatur, hoc quod mihi præceperunt episcopi, retulit, & ut non in gradibus, quos ab Ebone post depositionem suam acceperant, ministrarent, usque ad diligentiorem tractatum observarent, præcepit. Frater quippe Vulfadus adhuc mecum non erat: sed post plures evolutos menses, si rite remetior, antequam fere anni spatium compleretur, de alia provincia ad me veniens, cum benignitate est & cum liberalitate susceptus & honorabiliter habitus, usquequo domno nostro regi Carolo ipso petente illum commendavi. Defuncto autem Ebone anno Incarnationis Dominicæ DCCCLI. Indiction. XIV. XIII. Kalendas Aprilis, quia præfati fratres nostri ab eo ordinati qui mecum erant, post annos circiter octo suæ ab officio suspensionis, anno scilicet Incarnationis Dominicæ DCCCLIII. me petierunt, eisdem fratribus ad synodum ire permisi, & his qui indiguerunt, subsidium necessarium, ut ad ipsum concilium sine difficultate ire possent, ministrari præcepi. Ubi eos non judicavi, neque dejeci, nec etiam cum judicibus eorum subscripsi, sicut norunt qui interfuerunt, & ipsa episcopalia gesta, quæ authentica cum subscriptionibus episcoporum qui eis subscripserunt, sine mea subscriptione, præterito anno in synodo vestra au-

auctoritate apud Sueſſiones habita oſtendi, demonſtrant. Et quoniam canones poſteriores anterioribus jubent deferre, præcipientibus eiſdem epiſcopis, cum eorum literis, quarum exemplar habemus, & quas in Romano ſcrinio inveniri poſſe exiſtimo, cum meis pro eorum petitione literis, & cum aliis petitionibus meis, ad ſedem apoſtolicam domno papæ Leoni pro confirmandis eorum geſtis, quæ non ſcripſi, me direxiſſe non denego: in quibus geſtis veram præfatorum fratrum proſecutionem adverſum me ſilentio non firmavi. Unde ex communi conſenſu ſecundum canones, ſicut eos intelleximus, judices poſtulavi, quorum ſententiam ſequendam vidi, uſque quo majoris auctoritatis aliter exinde diffinitionem acciperem. Recepta autem domni papæ Leonis excuſatoria epiſtola: *&c. ut in ſuperiori epiſtola uſque ad finem.*

ANNO CHRISTI 866.

ANNO CHRISTI 866.

Ex Tom. III. Conc. Galliæ, omiſſa in collectione regia.

CLERICORUM RHEMENSIUM EPISTOLA AD NICOLAUM PAPAM,

Cujus auctoritate gradibus ſuis fuerant reſtituti.

Domino reverentiſſimo & apoſtolatus culmine decenter ſublimato Nicolao univerſali papæ, Rhemenſis eccleſiæ filii, ab eccleſiaſticis gradibus quondam prohibiti, ſed pietatis veſtræ ſacro ſtudio eiſdem, auctore Deo, redditi.

MUltiplices totius famulatus noſtri laudum actiones perſolvimus, quod ſollicitudine qua univerſali præcipitis ſolerter eccleſiæ, noſtris quoque precibus atque clamoribus clementer miſereri, noſque a gradibus propriis pulſos canonice reſtitui, miſericorditerque redintegrari juſſiſtis. Sed & patrem noſtrum reverendum archiepiſcopum Hincmarum ſuper noſtra reſtitutione benevolum atque devotum piis noſtri apoſtolatus adhortationibus in omnibus perſenſimus, noſque deinceps paterno moderamine, piaque lenitate tractare incunctanter credimus. Cui impigro & ſummiſſæ devotionis obſequio obedienter in cunctis parere gaudemus. Ceterum Egilo venerandus archiepiſcopus regreſſus a veſtræ dominationis præſentia, nobis veſtra de parte injunxit, tamdiu in receptis gradibus immorari, quouſque benigniſſimam pietatis veſtræ ſerenitatem noſtri placuerit reminiſci, & clementius, juxta quod veſtra ſagaciſſima delegaverit clementia, de nobis terminari. Et idcirco veſtræ clementiæ provoluti veſtigiis ſupplices preces fundimus, ut ſicut hactenus noſtris clamoribus aurem accommodare dignati fuiſtis, ita de cetero, ſi forte, Deo miſerante, aliquem noſtrum eccleſia mater ad altiora vocare, ac neceſſario promovere quæſiverit, veſtræ auctoritatis in hoc ſibi clementiam propitiari ſentiat; ut apices ſanctitatis veſtræ ad venerabilem Hincmarum noſtrum archiepiſcopum deſtinare, nobiſque, quibus manum pietatis porrigere veſtra conſuevit ſublimitas, in præſenti quoque poſtulatione, licet immeritis, pro ſanctæ paternitatis veſtræ intuitu ſubvenire non renuat pietas, ſitque prædux & prævia in noſtri promotione clementia, ſicut extitit in reſtitutione veſtra largiſſima gratia. Gloriam ſancti apoſtolatus veſtri divina virtus protegat, & perpetua felicitate corroboret, ornet, & amplificet, papa beatiſſime.

PRIVILEGIUM (1) MONASTERII ATREBATENSIS CONCESSUM

In concilio Vermerienſi circa annum * DCCCLXVI.

* Ego malim 869. de quo concilio plane conſtat.

Ex archivo monaſterii S. Vedaſti Atrebatenſis.

HIncmarus Rhemorum archiepiſcopus, ac plebis Dei famulus, omnibus confratribus noſtris archiepiſcopis, & epiſcopis nunc ad ſynodum vocatis, atque mecum Vermeriaco palatio conſtitutis. Gaudendum eſt nobis, fratres cariſſimi, ac nimis in Domino Jeſu Chriſto exultandum, pro ſenioris noſtri Caroli ſereniſſimi ac glorioſiſſimi regis ferventiſſimo ſtudio, quod ob amorem Dei & ſalutem animæ ſuæ gerit circa monaſteria & loca ſanctorum relevanda, inſtauranda, atque religioſe ordinanda. Ad quod negotium, ut ferveret, ſi forte teperet, nos epiſcopos conveniret illum admonere. Sed ille, Deo gratias, Spiritu ſancto plenus, utilitatibus ac neceſſitatibus ſervorum immo pauperum Chriſti conſulens, non ſolum nos admonet, ſed etiam humiliter deprecatur, ut in hac re illius adjutores prompta voluntate exiſtamus; videlicet ut quod ille per ſuum præceptum confirmavit, nos divina auctoritate & noſtra epiſcopali ſententia ita corroboremus, ut in æternum nullus mortalium id audeat temerare atque violare. Nunc vero maxime de monaſterio ſanctiſſimi confeſſoris Chriſti Vedaſti, ejuſdemque loci monachis, quod dicitur Nobiliacus, curam atque ordinationem præ manibus habet: quoniam ipſam abbatiam nunc noviter, reddente * ſibi nepote ſuo Lothario rege, recepit, quam olim poſt bellum Fontanidum fratri ſuo Lothario imperatori ob gratiam firmioris inter ſe amicitiæ præſtitit. Quapropter idem dominus rex ſenior noſter de eadem abbatia, ſicut ſibi ſuiſque fidelibus viſum eſt, quaſdam res, villas, prædia, mancipia, cum omnibus ſuis appendiciis imperiali præcepto ſuo indidit, auctoritate ſigilli ſui ſignavit, atque confirmavit, quarum villarum nomina ſunt hæc. Ad matriculam ſcilicet eccleſiæ Manubodvillam, Bais Senons, Herboteiſternam, Pomerias, Herlinicurtem, manſos decem, cum omni longo Bragio; Maminium, Morſole; & Sceldogotheium, Juventiacum; & in dominica curte manſum. Has villas, cum mancipiis, & omnibus ad ſe pertinentibus, in uſus luminariorum, matriculariorum & ceteris quæ in eccleſiis in præfato monaſterio poſitis neceſſaria fuerint, deputavit,

* Annal. Bertin. an. 866. *Abbatiam S. Vedaſti donante ſibi Lothario ſuſcipit.* Baluz.

(1) Emendatius illud exhibemus ex Baluzio ad Marcam de Concordia Sacerdotii & Imperii p. 314. editionis Francofurt. 1708.

vit, cum omni censu de omnibus precariis mo- ANNO CHRISTI 866.
nasterii eo modo, ut quidquid etiam ad medicinam opus fuerit, ex præfatis villis suppleatur. Ad necessaria vero fratrum, victus scilicet, & potus, has villas delegavit: medietatem vici, qui vocatur Novavilla, juxta ipsum monasterium siti, & tabernam unam, Filciacum villam, Dominicam curtem Theuludum, Bigartium, Hernancurtem, & Bernallam. In pago Belvacensi, Medioanas, Puteas aquas, & Ungiscurtem, mansum indominicatum unum, & alios mansos viginti quatuor, cum ecclesia, & vineis, & ceteris appendiciis, Valles super fluvium Summam, cum camba una, & duobus molendinis, & mansis ad eosdem pertinentibus, Stragas, Saliacum, Atramentarias, Mast, Marcheim, Strigotheim, precariam Emmonis & Tagentarii. Has omnes villas, cum ceteris omnibus usibus fratrum æternaliter deservituras deputavit. Ad cameram vero fratrum præfatorum has villas destinavit: Athejas, Salciacum, Limacum, Campanias; & in Fontanido mansos tres, & mansum unum in Lambras, & alterum in Hadas, cum homine nomine Godone, & tabernam unam in vico monasterii, cum omnibus appendiciis, familiis, & ecclesiis, & universis ad se pertinentibus. Ad portam vero Vernejam villam, & in Ausinio, mansum unum cum molendino; & in Anez, mansos quinque cum molendino, & decimam omnis abbatiæ. Ad hospitale vero pauperum; in Daginvilla mansos septem; & in Bonejam villam & Totsales, mansos tres, & quintam partem omnis decimæ, quæ ad portam venerit; & de omnibus lignariis omnium villarum quæ ad præposituram vel ad cameram pertinent, carros decem. Ad domum vero infirmorum, omne teloneum ex mercato. Pro remedio namque animæ genitoris & genitricis suæ, ac pro salute sua, & Ermentrudis suæ carissimæ conjugis, dedit has villas fratribus, Trontellicurtem, Silliacum, Lutosum montem, ac Tilgidum; ut in eorum anniversariis refectio plenissima eis præparetur. Unde nos omnes episcopi, qui synodali evocatione hic adsumus senioris nostri Caroli regis jussu, ex auctoritate Dei omnipotentis & potestate nobis divinitus collata præcipimus atque statuimus, ut nullus rex, nullus episcopus, nullaque persona alia de jam fatis rebus, & de nominatis villis, prædiis, & mancipiis ipsis monachis deputatis unquam in sequenti tempore aliquid agere præsumat; sed illarum ordinatio in abbate vel monachis pendeat: nullaque omnino servitia, nec mansionaticos, nec parafredos, nec carricaturas ab illis villis exigat; nec placita in illorum villis quisque teneat, ut ipsi monachi ab omni sæculari inquietudine immunes, libere, religiose, & quiete in monasterio viventes, absque ullius senioris impedimento ipsas res teneant, dominentur, atque possideant, Deique misericordiam pro senioris nostri, prolisque regiæ sanitate & æterna beatitudine, proque totius sanctæ ecclesiæ statu ac pace illos fideliter exorare delectet. Monasterium vero ipsum, ejusque custodia, atque omnis ordinatio ad ipsos monachos, & ad abbatem, quem sibi elegerint, pertineant. Neque canonici extra claustrum ad habitandum admittantur ulterius, sicuti hactenus, omnimodis inhibemus; excepto servitore illorum: quia non modicas dissensiones audivimus propter hoc in illo exortas fuisse cœnobio. Si quis vero, quod absit, his nostris præceptis & statutis aliqua levitatis vel avaritiæ, cupiditatis vel malitiæ præsumptione contraire voluerit, vel aliquod impedimentum supradictis monachis vel abbati beatissimi Vedasti inferre tentaverit quolibet ingenio, qualibet arte, quoque modo, clam, vel manifeste, omnium nostrum sententia damnatus a Patre & Filio & Spiritu sancto Deo omnipotente, cui injuriam facere non timuit, quia ipse dixit; *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*, anathematis vinculis obligatus a cœtu sanctorum separatus in æternum, cum his, quorum vermis non moritur, & ignis non extinguitur, nisi publica satisfactione digne pœnituerit; deposito, si laicus fuerit, sæcularis militiæ cingulo; si clericus, ecclesiastici honoris dignitate. Pax vero & misericordia Dei super illos qui illa custodierint quæ in isto divinæ nostræque auctoritatis privilegio conscripsimus, nostrisque nominibus in Dei nomine firmavimus. Amen. Statuimus denique ut hoc idem privilegium a nobis editum, divinaque auctoritate roboratum per omnes synodos quæ in posterum agendæ sunt, deferatur. Nostrosque oramus humiliter successores, ut pro Dei amore & S. Vedasti, ipsi quoque subscribendo corroborent, quod a nobis constitutum est. ANNO CHRISTI 866.

Hincmarus sanctæ metropolis Rhemorum archiepiscopus subscripsi.

Egilo divino munere archiepiscopus Senonensis subscripsi.

Vvenilo Rotomagensis archiepiscopus subscripsi.

Herardus Turonis archiepiscopus subscripsi.

Vulfadus Bituricensis archiepiscopus subscripsi.

Froterius Burdegalensis archiepiscopus subscripsi.

Erchenraus Catalaunensis episcopus subscripsi.

Hildegarius Meldensis episcopus subscripsi.

Folcricus Augustæ Tricorum episcopus subscripsi.

Hilmeradus Ambianensis episcopus subscripsi.

Helias indignus * episcopus subscripsi. * Engolismensis.

Æneas Parisiacensis episcopus subscripsi.

Raginelmus Noviomagensis episcopus subscripsi.

Gumbertus Ebroicensis episcopus subscripsi.

Ercanbertus gratia Dei episcopus * subscripsi. * Baiocensis.

Joannes Cameracensis episcopus subscripsi.

Vvalterius Aurelianensis episcopus subscripsi.

Villebertus Carnotensis episcopus subscripsi.

Hincmarus Laudunensis episcopus subscripsi.

Heirardus Lexoviensis episcopus subscripsi.

Christianus Dei gratia episcopus * subscripsi. * Autissiodorensis.

Erpuinus Sylvanectensis episcopus subscripsi.

Odo Belvacensis episcopus subscripsi.

Rothadus Suessionensis episcopus subscripsi.

Anselmus Lemovicensis episcopus subscripsi.

Isaac Lingonicæ episcopus subscripsi.

Actardus Nannetensis episcopus subscripsi.

Abbo Nivernensis episcopus subscripsi.

Singenandus Constantiacensis episcopus subscripsi.

Hildebrandus Sajensis episcopus subscripsi.

Bodo Augustodunensis episcopus subscripsi.

Carlomannus abbas subscripsi.

Hugo abbas subscripsi.

Gauzlenus abbas subscripsi.

Hiduinus abbas subscripsi.

Vulfo abbas subscripsi.

Berengarius abbas subscripsi.

Vulfardus abbas subscripsi.

Hildebertus abbas subscripsi.

Odo abbas subscripsi.

Fulco abbas subscripsi.

Ego Gauzlenus abbas jussu domini Hincmari archiepiscopi hoc privilegium scripsi & subscripsi.

CON-

ANNO CHRISTI 867.

CONCILIUM (ω) TRICASSINUM

ANNO CHRISTI 867.

NICOLAI PAPÆ I.

Jussu apud Trecas ab episcopis, qui præcedenti anno apud Suessiones convenerant, celebratum die VIII. kalendas Novembris anno Christi DCCCLXVII.

editione Sirmondi.

EPISTOLA EPISCOPORUM IN REGNO CAROLI ET LOTHARII AD EPISCOPOS in regno Ludovici manentes.

Ad synodum convocantur.

Reverentissimis atque sanctissimis fratribus omnibus archiepiscopis & episcopis in regno domini & gloriosi regis Hludovici consistentibus, devotissimi fratres omnes archiepiscopi, & coepiscopi ex regnis dominorum & gloriosissimorum regum Caroli atque Hlotharii summæ felicitatis gaudium, pacem, & sempiternam in Deo vero beatitudinem.

CLaret vestræ prudentiæ quod periculosorum temporum series jam jamque illo tendere cernitur, ut sancta mater ecclesia in suis rebus, & ordinibus non modica patiatur discrimina. Quam acerba vero scandala, & quam detestabilia schismata in his regnis, & sanctis Dei ecclesiis magis magisque crebrescant (quod lugubre dicendum est) cuncti pene sanctæ matris ecclesiæ filii acriter sentiunt. Hinc fieri videmus ecclesiarum deprædationes, suarumque rerum rapacissimas mutilationes, pontificum quoque dehonorationes, optimorum importabiles oppressiones, spoliationes, orbationes, captivitates, & ceteras intolerabiles ærumnas, * potest omnia mala, quæ nobis pro nostris peccatis ab impiis inferuntur paganis. Unde nos, desideratissimi fratres, graviter condolentes, hos lacrymabiles vestræ sanctitati direximus apices, humiliter petendo, ut nobis in tantis miseriarum gurgitibus constitutis, veræ caritatis piæque compassionis auxilium ferre non dedigneminí, implentes illud apostoli dictum: *Si patitur unum membrum, compatiantur necesse est omnia membra.*

Et quia unum corpus sanctæ ecclesiæ per orbem diffusæ ab uno pastorum principe regitur, omnium quoque membrorum debet communi ac salubri provisione tueri. Quippe sancta & inviolabilis apostolicæ dignitatis antiquitas a Christo Domino nostro in fide fundata totam ecclesiæ successionem salubribus & felicibus instituit documentis; inter quæ decenter inseruit, bis in anno concilia celebrari ut sacræ religionis & canonicæ auctoritatis norma, sanctissimorum præsulum conciliis, & Christianissimorum principum sanctionibus roborata in nullo a suæ rectitudinis statu interpolata varietate rerum exorbitaret. Et quia hoc idem rarius celebratur, non modice persentit ecclesia. Revera malignorum persecutio admodum sæviens ecclesiastica negotia perturbare non cessat. Et ne ad suæ rectitudinis tramitem ullo pacto redire queat, ipsos quoque ministros Christi ab invicem dirimere satagit. Quid itaque inter hæc agendum est, dilectissimi fratres, aut quo nos vertere oportet? quemque invocabimus nisi cælorum principem? quoniam ipse prope est omnibus invocantibus se in veritate. Ipsum supplici-

A B C D E

citer obsecramus, ut corda quorumlibet schismaticorum ad meliora convertat, & suas justitias in eis ostendat, ne navis ecclesiæ procellosis turbinibus fiat submersa: populusque Christianus, immo ecclesiasticus ordo fiat confusus. Ob quam rem multum, desiderantissimi fratres, ob illius amorem, cujus Spiritu totum corpus ecclesiæ sanctificatur & regitur, vestræ sanctitatis solertiam ad generalem synodum invitamus; de generali sanctæ ecclesiæ utilitate, officio, & fervido studio tractaturi. Quod quidem non temere ac præsumtuose expetimus, sed potius cum consultu & consensu nostrorum gloriosissimorum principum Caroli, & Lotharii. Unde illi ferventissimo zelo pietatis accensi, petitionibus episcoporum, juxta canonicam institutionem salubriter acquieverunt; immo dilectum fratrem nostrum Adventium sanctæ * mediæ matri ... ecclesiæ episcopum, Hludovicum regem, inter cetera legationis verba interpellare sanxerunt, ut & suæ majestatis consensus vestram sanctitatem ad jam dictum concilium venire permittat. Credimus enim, quod Christus Deus noster, in cujus manu corda sunt regum, ejusdem principis cor ad suam & nostram, omniumque fidelium communem, saluberrimam utilitatem vertere debeat, suæque serenitatis consensus, vestram sanctitatem ad statuenda & relevanda ecclesiastica negotia, in eadem synodo dirigere non abnuet.

* Mediomatricorum.

Porro circa diem 9. Kalendar. Majarum eamdem synodum in loco qui vocatur Trecas, celebrare disponit nostra in commune omnis ecclesia. Ergo agat vestra sancta unanimitas, & ad concilium divina, ut credimus, dispositione coadunandum, citissime confluat, concurrentibus etiam nobis: ut instanter ac perseveranter de credita nobis pastorali cura, auxiliante pastorum principe, deceitemus, & si necesse fuerit usque ad mortem agonizemus. Multum equidem prævalebit sancta & concors episcoporum coadunatio, quæ cælos dividit & aperit, animas ligat & solvit, quod & præteritis temporibus multis claruit vicibus. Etenim synodalibus conventibus atque decretis totus orbis Christo dicatus & ab hæreticorum vesania, & schismaticorum violentia, & Judæorum perfidia, Paganorum quoque * infestigatione factus est immunis & pacatissimus. Multi quippe reges & principes synodalibus decretis colla subdiderunt. Igitur per illustrium pontificum instituta multi infideles ab erroribus sunt erepti, & ad viam veritatis atque canonicæ disciplinæ dignoscentiam transducti, & ad æternæ pacis gaudia sunt sublimati. Cur ergo nos, carissimi & Christo devoti milites, in nostro agone torpescimus? Quare non æmulatores legis, præcedentiumque patrum sumus, ut illorum comparticipes gloriæ efficiamur? Si enim prophetica tuba terribiliter clamat: *Maledictus vir, qui prohibuerit gladium suum a sanguine*, ut quid nostra vox & auctoritas, immo pia unanimitas, ac zeli ardor tepescit, quorum numerositas salus erit ecclesiæ?

* l. infestatione.

Jer. 48

Con-

(ω) Ex hoc Concilio editum privilegium pro Ecclesia Nivernensi de Magnaco a Mabillonio allatum in lib. 9. de re Diplomat. p. 540. cui subscribit etiam Helisæus, qui non legitur subscriptus Synodicæ hujus Concilii. Hæ literæ inferius afferentur.

ANNO CHRISTI 867.

Confidimus enim in Domino, quia si in unum conglobata fuerit nostra sincera fraternitas, multiplex ecclesiæ Dei propagabitur utilitas, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui suis fidelibus promisit, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. Quos etiam inter pressuras constitutos spiritali armavit antidoto dicens: *Confidite, quia ego vici mundum*. Verum humiliter contestamur vestram sanctitatem per viventem in sæcula sæculorum, ut hujus epistolæ verba ex affectu veræ caritatis procedentia benigne a vestra sanctitate suscipiantur, & per legatos vestros in manibus omnium archiepiscoporum & coepiscoporum fideliter imponantur. Omnipotens Deus desiderabilem sanctitatem vestram virtutum floribus multipliciter insignitam, ad exaltationem sanctæ Dei ecclesiæ consolari, semperque exaltare dignetur. Amen.

Matth. 28.

Joan. 16.

EPISTOLA SYNODICA CONCILII

AD NICOLAUM PAPAM I.

Totam Ebonis, ordinatorumque ab eo clericorum historiam accurate, ut jussi fuerant, exponunt: & pallium pro Vulfado petunt.

Reverentissimo & sanctissimo domino patri ac universali papæ Nicolao, episcopi qui præterito anno per gratiam Dei & decretum vestrum apud Suessonicam urbem cum aliis qui tunc nequiverunt adesse, VIII. *Kalendas Novembris prima indictione apud Trecas convenimus.*

Hæc epistola cum destinata fuisset Nicolao papæ, reddita est Hadriano II ejus successori.

SEriem rerum gestarum de Ebonis quondam Rhemorum archiepiscopi dejectione, sed & de ipsius restitutione, nec non & de fratris Vulfadi ac collegarum ejus promotione, & jam dicti Ebonis iterata repulsione, ad aliamque ecclesiam migratione, unde a nobis investigari & vobis remandari jussistis, quia his nemo nostrum in ordine episcopali interfuit, nisi frater Rothadus, sicut ex rerum & episcoporum monimentis, atque relationibus, qui interfuerunt, & scriptis suis posteris reliquerunt, breviter collegimus, vestræ sanctissimæ paternitati & præcellentissimæ auctoritati transmittimus, quæ antea colligere, & auctoritati vestræ dirigere, necessarium non putavimus: atque ideo ampliora scribere sagacitati vestræ supersedimus. Nobis in dejectorum fratrum, de quibus scripsistis, restitutione, non quidem disceptantibus, nec alia atque alia decernentibus, sed unum idemque, secundum traditionem majorum, quam discretioni vestræ intimare curavimus, sentientibus, quos non procacia obnoxios fecit, sed obedientia inculpabiles in adeptionem sacrorum graduum, juxta sinceriſſimum sapientiæ vestræ intellectum induxit, sine contradictione in suis ordinibus restituere maturaremus, nisi privilegiis sanctæ Romanæ sedis, per reverendum confratrem nostrum Hincmarum archiepiscopum nostræ unanimitati prolatis, quæ de ipsis viris quædam statuerunt debita teverentia exhiberetur. Quorum summa, perfecta, & integra firmitas, ut claruit & justum est, in apostolicæ sedis reservata erat arbitrio potestatis: quorumque privilegiorum authenticas chartas cum salvis sigillis & incorruptis scripturis, idem confrater & consacerdos noster, non ad ullam controversiam, sed ad debitam reverentiam sedi apostolicæ, ut dignum est, exhibendam ostendit, cum gestis episcoporum, quorum vos acta relegisse, & qualiter præsignati clerici degradati fuerint, reperisse, nobis aperire dignati estis. Nobis quoque in ejusdem rei negotio decertantibus, & quædam deflorantibus, non tamen terminantibus, eo usque causſam perduximus, ut solummodo magisteriali vestro culmini eorum assignaretur restitutio, attribueretur reformatio, ascriberetur redintegratio. Unde postea unanimitas nostra in quamcumque partem proterve non declinavit, etsi quidam inevitabili necessitate in aliquo eorum secus quam scripsimus peragere maturarent: urgente quoque devotissimi filii vestri domini nostri pro regni totius discidio regali jussione. Egimus siquidem prout potuimus, in succincta collectione de gestis rerum & episcoporum, ex causſa Ebonis, & ut præcepistis & præsignavimus, vestræ auctoritati transmittimus. Justo Deo judice permittente, & invidia diaboli operante, olim recolendæ memoriæ Hludovici pii Augusti filii, factione malivolorum hominum, sine consilio atque consensu papæ Gregorii, quem Hlotarius sub obtentu pacificandi eos cum patre Roma promoverat, & secum usque in Elisatium pagum perduxit, patrem imperio pepulerunt, & sub custodia usque ad Suessionis civitatem perduci fecerunt. Et ut populo credibile posset fieri, quod merito fuerat a regno expulsus, in eum quædam crimina conficta fuerunt, pro quibus prætextu publicæ pœnitentiæ ab ecclesiæ liminibus cum excludi quorumdam episcoporum judicio, Ebone, ut dicebatur, in hoc præcipue satagente, obtinuerunt, usque dum Hlotarius territus conventu plurimorum fidelium ejusdem imperatoris, fuga lapsus patrem suum adhuc ab ingressu ecclesiæ sequestratum dimisit, & abscedente illo, qui affuerunt episcopi, imperatorem in ecclesia sancti Dionysii reconciliaverunt, & ecclesiasticæ communioni restituerunt. Quod Ebo audiens, pondere perpetratæ in imperatorem actionis, quæ illi maxime reputabatur, exterritus, relicta sua provincia, in alteram provinciam fugam arripuit, ubi aliquamdiu delitescendo se occulere posse putavit, usquequo rerum eventu videret quid sibi salubrius agere posset. Quod imperatorem latere non potuit: & fama vulgante quod contrarias imperatori partes sequi disponeret, per Rothadum coepiscopum suum, & per Ercanraum, in cujus ecclesia latitabat, sed & per alios suos fideles eum ad se imperator sub custodia deduci præcepit, quem in monasterio S. Bonifacii usque ad tempus synodi servari præcepit. Ad quam anno incarnationis dominicæ DCCCXXXV. omnes qui convenerunt episcopi, singillatim libellos de restitutione imperatoris communi consilio atque consensu ediderunt: quos in corpus unius voluminis nobis ostensi congestos propriis manibus subscripserunt, cum quibus & Ebo libellum manu sua auctoritate archiepiscopali subscriptum edidit, in quo professus fuit, quidquid in ipsius imperatoris dehonoratione atque regni privatione contumelioſe gestum fuerat, nec canonice, nec juste factum fuisse: ceterorum etiam episcoporum, qui ad eumdem conventum confluxerant libelli de objectis criminibus in imperatorem compilati non tacent. Et post datos libellos, venientes episcopi cum imperatore, & quam plurimis ejus proceribus atque fidelibus, in urbem Metensium in basilica beati Stephani, inter alia quæ tunc ibi fuere acta, Ebo publice tam pro imperatoris placanda offensa, quam pro gratia ejus recuperanda, & sua injuria removenda; quædam minus caute, pro sui tamen ereptione, in imperatoris justificatione, & in sua denotatione pronuntiavit. Indeque ad Theodonis villæ

pala-

ANNO CHRISTI 867.

palatium cum quibus perrexerat imperatore regreſ-
ſo, in epiſcoporum ſynodo Ebo præſens ab im-
peratore præſente eſt accuſatus, quod eum falſo
fuerat criminatus, & eiſdem falſis criminibus im-
petitum a regno dejecerat, armiſque ab eo abla-
tis, nec confeſſum, nec convictum, contra regu-
las eccleſiaſticas, ab eccleſiæ aditu ac Chriſtiano-
rum ſocietate eliminaverat. In quo moleſtiſſimum
in ſe ſentiens domnum imperatorem, petiit E-
bo feceſſum, quatenus ſine præſentia imperatoris
liceret ei in ſynodo epiſcoporum ſuam agere cauſ-
ſam. Quod obtinens, convocavit ad ſe quoſdam
epiſcopos, & eorum uſus conſilio, ut & ipſe op-
probrium vel periculum imminens de impetitis vel
impetendis declinaret, & ſacerdotalis dignitas in-
ſultationem ſæcularium devitaret, libellum tempe-
rantiæ, juxta decreta Leonis papæ, ſicut tunc
cautius invenire potuerunt, dictavit, & ſcribi co-
ram ſe fecit, ac propria manu ſubſcripſit, eum-
demque propriæ ac judicum ſuorum vocis profeſ-
ſione atteſtatum, ſynodo in abdicationem ſui ſpon-
te porrexit. Poſt cujus libelli recitationem, & e-
piſcoporum quibus ſecretius confeſſus fuerat reſ-
ponſionem, omnium denuntiatione actum eſt, ut
a pontificali ceſſaret miniſterio. Cujus libelli e-
xemplar papæ Leoni miſſum auditu didicimus:
ſed & veſtræ auctoritati in altera ſchedula, cum
his quæ eidem libello epiſcopi ſupraddiderunt,
dirigimus. Quæ qualiter regulis ſacris conveniant,
veſtra trutinabit clariſſima ſapientia. Sicque ſine
reclamatione manifeſta, in Ciſalpinis regionibus
idem Ebo per diverſa monaſteria commendatio-
ne imperatoris deguit, uſque ad annum incarna-
tionis dominicæ DCCCXL. & uſque ad obitum
ipſius imperatoris, qui eodem anno XII. Kalen-
das Julii contigit. Defuncto autem eodem impe-
ratore, Hlotharius ab Italia in Franciam venit.
Cui ad Vvormatiam civitatem Ebo, deducente
Boſone abbate, cui commendatus ad cuſtodien-
dum fuerat, occurrit, eique Hlotharius poſt aliquot
dies per edictum imperiale, quod in altera ſche-
dula vobis mittimus, ſedem & diœceſin, conſen-
tientibus & cooperantibus non paucis epiſcopis,
ſicut ibidem eſt ſcriptum, reſtituit. Carolo deni-
que a Hlothario Sequanam tranſmiſſo, Ebo
Rhemorum eccleſiam recepit, & tenuit, atque e-
piſcopale miniſterium, ſuffraganeis eccleſiæ Rhe-
morum epiſcopis præſentibus ac conniventibus,
agere cœpit: & hos fratres, de quibus agitur,
Vulfadum videlicet, & ejus collegas, tempore ca
nonico ordinavit. Qui, ſicut profitentur, de ex-
communicatione & reſtitutione illius tunc aliud
neſcierunt, niſi quoniam in eccleſia Rhemenſi
eum ab epiſcopis, ſicut ipſe dicebat, regulariter
reſtitutum, nullo contradicente, ſollemniter ſa-
crum officium & pacifice per annum circiter cele-
brare viderunt. Et non ſe ad ſacros ordines pro-
vehendos importune ingeſſerunt, ſed acclamatione
& atteſtatione ipſius eccleſiæ, ut ordinarentur o-
bedierunt: Et hoc modo, ut diximus, per illud
temporis ſpatium Ebo Rhemenſem eccleſiam te-
nuit, donec Carolus reſumptis viribus & copiis
Sequanam tranſmeavit, & in Belgicam regio-
nem iterum reverſus fuit. Quod audiens Ebo,
relicta Rhemenſi eccleſia, ad Hlotharium ſeceſ-
ſit, & in ejus familiaribus obſequiis, vario even-
tu accidente inter illum & fratres ejus, manſit,
& in Ciſalpinis regionibus abbatiam ſancti Re-
macli, ſed & abbatiam ſancti Columbani in Ita-
lia apud eum obtinuit, ubi rerum proprietatem
pretio comparavit: & per idem tempus ipſius im-
peratoris diverſas legationes in diverſas partes per-
egit, uſque dum anno incarnationis dominicæ
DCCCXLIV. una cum Drogone Metenſium e-

piſcopo ſub Sergio papa Romam adiit. Quorum
ſiquidem adventum moleſte Sergius papa acci-
piens, quid in eum intulerit, ſufficienter epiſtola
ſancti apoſtolatus veſtri nobis miſſa edocuit. De-
mum Roma reverſus, quodam proceſſu tempo-
rum legationem in Græciam a Hlothario ſibi in-
junctam ſuſcepit, quam exequi detrectavit. Et id-
circo ſibi ab eodem imperatore abbatiis ablatis,
& a ſe data ſupraſcripta proprietate Hirmingardi
imperatrici, Hludovici largitione regis Germaniæ
in provinciæ Moguntina, & regione Saxoniæ,
non longe a vicinitate finium Northmannorum,
quibus a Paſchali papa prædicator fuerat deſtina-
tus, epiſcopium Hildenesheim vacans obtinuit: ubi
etiam, auctoritate cujuſdam privilegii nobis oſten-
ſi, a beato Gregorio papa ſibi collati, conniven-
to ſupra memorata ſua reſtitutione, miniſterium
pontificale ſine tenus exercuit. Hujus quippe e-
xemplar vobis in alia ſchedula mittimus, quo con-
tinetur, in tranſmigratione alterius parochiæ ut
epiſcopali & prædicationis licenter fungeretur of-
ficio. Anno autem incarnat. dominicæ DCCCXLV.
Carolus ſynodum epiſcoporum regni ſui apud Bel-
givacum civitatem provinciæ Rhemenſis convoca-
vit; ubi inter cetera eccleſiæ ac regni negotia ne-
ceſſaria, de Rhemenſi eccleſia, quæ Fulcone ab-
bate ſive presbytero illam diu tenente, & Notho-
ne eidem in ea ſuccedente, ſicut Hlotharius im-
perator in epiſtola Leoni papæ, poſtquam cum
fratre ſuo rediit in concordiam, directa demon-
ſtrat, & Ebone ut præmiſimus ad aliam eccle-
ſiam tranſmigrato tanto tempore, paſtore vaca-
bat, cum eis tractare cœpit. Qui auctoritate Da-
maſi papæ de epiſcopis, etiam in ſtatu ſuo ma-
nentibus, & contra regulas tranſmigrantibus, ſed
& Africani concilii, quod miſſis epiſcopis quibuſ-
dam reſultantibus, eccleſiæ diutino tempore pro
fuga Equitii deſtitutæ juſſit ordinari epiſcopum;
unanimi conſenſu, neceſſitate cogente, & ratione
atque auctoritate ſuadente, decreverunt ut jam
poſt decennium, quam idem Ebo amotus fuerat,
in Rhemenſi eccleſia ordinaretur epiſcopus. Un-
de a clero & plebe ipſius metropolis, ſed & ab
epiſcopis ejuſdem provinciæ petitus, ſicut petitio
eorumdem manibus ſubſcripta declarat, & ab ar-
chiepiſcopo tunc ſuo Senonenſi, & proprio epiſ-
copo Pariſiorum, nec non & a coepiſcopis aliis
Senonenſis provinciæ, cum conſenſu abbatis ſui,
& fratrum monaſterii in quo degebat, favente et-
iam domno Carolo rege glorioſo, epiſcopis Rhe-
menſis provinciæ, & clero ac plebi ipſius metro-
polis, per canonicas literas ipſorum ſubſcriptas
manibus, quas patentes nobis oſtendit, frater
Hincmarus eſt traditus. Sicque de proprio jam
eccleſiæ ipſius clero effectus, cum decreto canoni-
co eligentium manibus roborato, judicio metropo-
litanorum, & eorum qui circumcirca fuerunt, ſe-
cundum Laodicenſe concilium, præſentia & una-
nimi conſenſu omnium ſuffraganeorum ipſius me-
tropolis, adſtante quoque metropolitano ſuo qui
eum cum conſenſu coepiſcoporum ſuorum illis
tradiderat, omnibus acclamantibus, nullo reſul-
tante aut * abdicente, canonice, & juxta decre-
ta ſedis Romanæ pontificum, veluti litteræ nobis
oſtenſæ, quas Africanum concilium ordinatum ab
ordinatoribus ſuis jubet accipere, monſtrant, in
ea eſt ordinatus. Qui juxta ſanctionem Carthagi-
nenſis concilii, quam & auctoritas veſtra apoſto-
licis litteris ſuis inſeruit, quamque ſanctus Gre-
gorius in epiſtola ad Galliarum epiſcopos appro-
bavit, mentis & corporis ad obediendum epiſco-
pis & ordinatoribus ſuis colla ſuppoſuit. Emen-
ſo autem anno poſt ordinationem ejus, Hlo-
tharius imperator, pro contentione regni, quam

ANNO CHRISTI 867.

Conc. Africani can 45.

Can. 22.

* *id eſt*, contradicente.

Can. 5.

erga

erga fratrem ſuum domnum Carolum habebat, cujus obſequiis præfatus Hincmarus fideliter adhærebat, erga eum commotus, epiſtolas a Sergio papa exegit pro refricando judicio de Ebonis abjectione, quaſi diſcordia eſſet in Rhemenſi eccleſia pro ejus ordinatione. Unde idem papa domno Carolo, ſed & Guntbaldo archiepiſcopo, & eidem Hincmaro litteras miſit, ut cum poſt diem ſanctæ reſurrectionis miſſos ſuos in ſervitium imperatoris mitteret, Trevirim cum epiſcopis ad hanc diſcordiam ſopiendam convenire ſtuderent. Qui, expectatis eiſdem miſſis uſque ad condictum terminum, ut ab epiſcopis illius temporis comperimus, minime venerunt, ſicut in literis continetur Hlotharii imperatoris, & Caroli regis, & epiſcoporum Ciſalpinarum regionum, quas ſanctæ memoriæ prædeceſſori veſtro Leoni directas didicimus, & in ſcrinio ſanctæ Romanæ eccleſiæ reſervari credimus. Hæc ſicut veſtra juſſit auctoritas, quæ de Ebonis quondam archiepiſcopi, quæ ante triginta & tres circiter annos extitit, abjectione, & poſt de ipſius reſtitutione, nec non & de fratris Vulfadi ac collegarum ejus promotione, & jam dicti Ebonis iterata repulſione, ad aliamque eccleſiam migratione, in eorum qui jam nos ad Dominum præceſſere ſcriptis, verum & quæ illorum qui interfuerunt veridicis ut putamus relationibus comperimus, ſubjungentes quædam de electione reverendi fratris & coepiſcopi noſtri Hincmari, veſtræ auctoritati deſtinamus. Scripta quoque, quæ hinc a veſtra auctoritate directa, & veſtræ ſanctitati remiſſa relegimus, ordine quo miſſa vel remiſſa fuerunt, ſecundum veſtram juſſionem in volumine iſto congeſſimus, & ſi forte alia ex hoc negotio aut a vobis aut ad vos miſſa fuerunt, nos tamen non legimus. Quæ etiam frater & conſacerdos noſter Hincmarus nobis veſtræ auctoritati mittenda porrexit, ſecundum quod præcepiſtis, dicentes inter alia; Quæcumque ſuper hac re ſcripta a nobis prius & nunc, quam a vobis edita, reperiuntur, & quid hinc coepiſcopus Hincmarus, & illi dejecti clerici ſedi apoſtolicæ ſuggeſſerint, atque retulerint, in volumen unum ordine quo miſſa ſunt redigantur, & apoſtolicæ ſedi, ut competens eſt, vobis eorum exemplaribus reſervatis, ſummo ſtudio dirigantur, his ſubjunctis dirigimus. His ergo ita pro quantitate intelligentiæ noſtræ decurſis, ſummiſſæ devotionis obſequio veſtri apoſtolatus exoramus magnificam beatitudinem, ut ſapientiſſima indagine conſideratis utriuſque partis relatis, more beatiſſimorum prædeceſſorum veſtrorum, quæ de ſtatu ſacri pontificalis ordinis ab eis ſtatuta & imprævaricabili auctoritate firmata ſunt, ut immota de cetero maneant, mucrone apoſtolico quorumcumque metropolitanorum temeraria præſumptione ſuppreſſa, quin etiam reliquorum epiſcoporum quorumcumque, ſeu quantorumcumque, audaci conniventia penitus ſummota, privilegia & decreta ſervari innovata conſtitutione decernatis: ita ut nec veſtris nec futuris temporibus, præter conſultum Romani pontificis, de gradu ſuo quilibet epiſcoporum dejiciatur, ſicut eorumdem ſanctorum anteceſſorum multiplicibus decretis & numeroſis privilegiis ſtabilitum modis mirificis extat: videlicet ne aliqua varietate & vilitate ſummus ordo diaboli adminiſtratione nutare aut irregulariter labefactari ſinatur, domine beatiſſime, & omni orbi papa celebrande. Veſtram denique inter hæc ſanctiſſimam & præſtantiſſimam ac piiſſimam paternitatem cum omni ſupplicationis devotione petimus, ut conſulentes laboribus atque afflictionibus noſtris aſſiduis, & eccleſiarum commiſſarum nobis, fratris & conſacerdotis noſtri Vulfadi ordinationem, cujus reſtitutioni & promotioni propitiari dignati fuiſtis, largitione quoque uſus pallii confirmare & condecorate dignemini, & his omnibus quæſtionibus paterna benignitate, incumbente vobis ſollicitudine totius univerſalis eccleſiæ, terminum perneceſſarium ponere deliberetis. Sacri culminis veſtri apoſtolatus proſperitatem, ad honorem & tutamentum ſanctæ ſuæ eccleſiæ, Chriſtus Jeſus diutius conſervare dignetur.

ANNO CHRISTI 867.

Hæc ſunt nomina epiſcoporum, qui huic Trecaſſinæ ſynodo interfuerunt.

Hincmarus Rhemorum epiſcopus.
Herardus Turonum epiſcopus.
Vvenilo Rothomagenſis epiſcopus.
Frotarius Burdigalenſis epiſcopus.
Hegilo Senonenſis epiſcopus.
Vvlfadus Bituricenſis epiſcopus.
Rothadus Sueſſonum epiſcopus.
Actardus Namnetis epiſcopus.
Hildegarius Meldenſis epiſcopus.
Æneas Pariſii epiſcopus.
Hincmarus Laudunenſis epiſcopus.
Gislebertus Carnotenſis epiſcopus.
Ercanraus Catalaunenſis epiſcopus.
Ercambertus Bajocenſis epiſcopus.
Odo Belgivacenſis epiſcopus.
Folcricus Trecaſſinenſis epiſcopus.
Liudo Auguſtidunenſis epiſcopus.
Joannes Camaracenſis epiſcopus.
Hilduinus Ebrocenſis epiſcopus.
Abbo Nevernenſis epiſcopus.

Et eorum metropolitanorum epiſcoporum ſigillis hoc volumen præſtantiæ veſtræ directum ſuperſigillari nobis eſt viſum. Data IV. Nonas Novembris indictione prima.

EPISTOLA CAROLI CALVI REGIS AD NICOLAUM PAPAM I.

De Ebonis cauſſa, ut pontifex per Anſegiſum mandarat, uberrime ſcribit. Excuſat deinde acceleratam Vvlfadi promotionem, & pallium pro eo petit. Actardum etiam epiſcopum legatum ſuum commendat.

Domino & reverentiſſimo patri Nicolao, catholicæ & apoſtolicæ ſedis ſummo pontifici, & univerſali papæ, Carolus gratia Dei rex, & ſpiritalis filius veſter.

QUamvis omnium Deo miniſtrantium ſacerdotum ſint expoſcenda ſuffragia, & veneranda faſtigia, congruum decentiſſimumque, pater ſanctiſſime, antiſtitumque excellentiſſime, noſtra comperit liberalitas, veſtræ præ ceteris reverentiæ pontificatus regia colla ſubmittere, veſtriſque ſaluberrimis monitis aurem cordis ad obtemperandum humillima devotione ſubdere. Quippe quem luce clarius cernimus, eccleſiæ inter mundi turbulentam voraginem fluctuantem ſolidiſſimam ancoram conſtitutum, paxillumque immobilem, in quo ſarcinam dependere noſtrorum valeamus peccaminum, Dei gratiſſima clementia credimus attributum. Tanto namque benevolentiam pietatis veſtræ noſtra ferventius ardeſcit humanitas, quante vos perſpicimus unicum ad defenſionem crudelium belluarum eccleſiam Chriſti infeſtiſſime lacerare volentium extitiſſe. Igitur quoniam ſanctitatis veſtræ literis epiſcopis regni noſtri mandaſtis, ut de cauſſa Ebonis vobis ſcriberent quidquid ſecundum veritatem comperire poſſent: nobis vero non literis, ſed per ſervum veſtrum * An-

* al. Anſe fum.

ANNO CHRISTI 867.

Anſigiſum monachum, quando hoc anno infirmato Egilone archiepiſcopo ſecundo Romam ad veſtram paternitatem rediit, mandaſtis ut vobis veritatem rei ſcriberemus, & ſcripto noſtro ſignaremus. Ut vero veſtræ ſanctæ paternitati in omnibus pareamus, quæ de ipſo vidimus & ſcimus, fideliter vobis ſignificamus. Nam nullus epiſcoporum jam ſupereſt, præter Rothadum, qui tunc ipſius cauſſæ interfuerit. Ac ne quid præterire patiamur intactum, primo de natalibus ipſius cenſuimus exequendum. Ipſe igitur Ebo regii fiſci familia oriundo progreſſus, regia pietate pii ac glorioſi avi noſtri Caroli ſuſceptus, palatinis negotiis non mediocriter annutritus, libertate donatus, * ad nobilitatem vehementis ingenii, in ſacris ordinibus gradatim promotus, genitori Hludovico piiſſimo Auguſto Aquitanicum regnum regenti ab eodem glorioſo eſt ad ſerviendum deputatus. Quem ipſe ſervitio ſtrenuum, ingenioque agilem comperiens, non poſt multum temporis bibliothecarium conſtituit. Poſt obitum vero divæ recordationis avi noſtri Caroli excellentiſſimi imperatoris, genitor noſter Hludovicus piiſſimus Auguſtus, Deo donante, paternum adeptus imperium, Rhemorum venit ad urbem: ubi præceſſor veſter ſanctæ memoriæ Stephanus ſummus pontifex ei obviam venit, atque in imperii honorem eum Deo inſpirante conſecravit. Eo tempore Vulfarius præfatæ urbis venerabilis archiepiſcopus valida vexabatur infirmitate, qua & mortuus eſt. Eo autem defuncto, & ab imperatore, ſecundum ſacrorum canonum inſtitutionem, plebi electione conceſſa, contigit eos quemdam virum, Gislemarum nomine, ad pontificatus honorem elegiſſe. Qui dum ante epiſcopos diſcutiendus aſſediſſet, oblatus eſt ei textus evangelicus. Cum autem ipſum aliquatenus legere, nihil tamen intelligere omnes pariter cognoviſſent, reprobatus ac velut inſipiens ab omnibus eſt dejectus. Tunc vero domno imperatori viſum eſt, ut præfatus Ebo pro ſcientiæ capacitate, meritorumque reverentia, ad jam dictum promoveretur epiſcopatum. Quod cum plebi atque omnibus ſane ſapientibus eſſet relatum, placere ſibi omnes unanimiter affirmavere ac ſic ſecundum canonicam inſtitutionem eſt archiepiſcopus ordinatus. Prima vero vice, quando inſtigante diabolo Francorum populus imperatorem ſibi a Deo ordinatum, & ab apoſtolica ſede coronatum, ſuo ſunt moliti propellere imperio, ipſe Ebo in ipſius fidelitate immobilis perſtitit, & ut rectum erat, uſque ad recuperationem perſeveravit. Secunda vero, cum hortatu & molimine Hlotharii fratris noſtri omnis populus a piæ recordationis genitore noſtro receſſit, & eum, uxore ipſius in Italiam, Tardonem ſcilicet civitatem, abducta, cuſtodia mancipavere; nos quoque, non adhuc decennem, quaſi multorum criminum obnoxium, pari cuſtodia Prumia monaſterio mancipandum delegavere. Abducto autem imperatore a Hlothario Sueſſionis in monaſterium S. Medardi, ipſe Ebo, cum aliis pene omnibus epiſcopis, quibuſdam volentibus, quibuſdam invitis, jam dictum imperatorem nec confeſſum, nec ab aliquo convictum, uxore & filio, & omnibus fidelibus, dignitate privatum, ab eccleſiæ communione removerant. Tandem vero clementia miſerantis Dei humilitatem pii imperatoris reſpiciens, tetigit corda quorum voluit, & ut eum cuſtodia educerent, & imperio reſtituerent, ſua inſpiravit miſericordia. Quem in monaſterio beatiſſimorum martyrum Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii a cuſtodia reducentes archiepiſcopi & epiſcopi, ut dignum erat, ſe in eum humiliter deliquiſſe confitentes, veniam ab eo ſuppliciter poſtulaverunt; Hlotharium vero ab imperiali poteſtate ſecedere hortati ſunt. Unde ipſe & qui cum eo erant, ab illo in alias partes receſſerunt. His Ebo compertis, dum Rhemis moraretur, territus Pariſiacam fugit ad urbem ad quemdam recluſum, ut ſaltem cum eo deliteſcens, imperatoris iram evaderet; imperator namque hoc audiens, quia non longe erat, ſtrenuos & fideles nuntios dirigens, eum comprehendi & cuſtodia mancipari juſſit, eccleſiam vero Rhemenſem Fulconi venerabili abbati commendavit. Inde Mettis civitatem eſt ductus, ubi in eccleſia ſancti Stephani ambonem coram omnibus conſcendens, profeſſus eſt non æquum in glorioſum imperatorem dominum ſuum intuliſſe judicium. Ibi etiam idem piiſſimus imperator ab omnibus epiſcopis, clero, & populo, & honorabiliter coronatus, & priſtino reſtitutus imperio. Hinc iterum placito generali convocato, præfatum Ebonem ſibi juſſit exhiberi, & eum pro illata injuriarum contumelia, ac nonnullis epiſcopis præſentibus, epiſcopi ſiquidem imperatori ſatisfacere, & pontificalem reverentiam ſervare cupientes, obtinuerunt apud eumdem imperatorem, ut non coram laicis, ſed in ſacrario ipſius Ebonis cauſſa diſponeretur. Ebo autem omni temporali privatus ſubſidio, omnique humano deſtitutus ſolatio, tempori conſulens, accerſito quodam recluſo, nomine Framegaudo, miſit per eum genitrici noſtræ Judith glorioſæ imperatrici annulum, quem ab ea quondam acceperat, quem etiam, quotieſcumque aliquo tangebatur incommodo, mittere ſolebat, & ut ſui miſereretur flebiliter peroravit. Eumdem vero annulum genitrix noſtra in ipſo noſtræ nativitatis articulo, quia archiepiſcopus erat, pro ſua religione & ſanctitate, ut noſtri jugiter in ſuis orationibus memor eſſet, ei miſerat. Tunc ipſa horum reminiſcens, ejuſque lacrymabilia ſuſpiria agnoſcens, pio ſuaſu apud epiſcopos, qui illuc convenerant, obtinere curavit, quatenus & imperatoris animum ſatisfaciendo lenirent, & leges divinas tranſgrediendo non violarent, ne forte vindictam ſeveritatis exercentes in eum qui in eos deliquerat, non viderentur dignam Deo reddere viciſſitudinem, qui eos a tanto periculo miſericorditer liberaverat. Statuerat enim animo, ut pro reverentia tanti miniſterii nullatenus in depoſitionem cujuſquam epiſcopi præberet aſſenſum. Et ob hoc apud pium imperatorem obtinuit, ne in ejus depoſitionem amplius impelleret: quod & ſecundum moderatiſſimum ejuſdem genitricis noſtræ glorioſæ imperatricis conſilium ſatisfacerent piiſſimo imperatori, & in eumdem Ebonem non aliam ſententiam intuliſſent, niſi quam ipſe ſcripto ediderat. Hanc autem authenticam ſcriptionem a præfato Fulcone venerabili abbate, cui tunc eccleſia Rhemenſis commiſſa fuerat, Hincmarus venerabilis archiepiſcopus accepit, & vobis eam, ut ipſe nobis retulit, tranſmiſit. Sed utrum pure ac ſimpliciter vobis ſit directa ignoramus. Hoc tamen veriſſime novimus, quod nullus epiſcoporum eam propria manu ſubterfirmaverit. Nam idem Ebo, comperta inevitabili ſui diſcriminis cauſſa, protulit tres teſtes, tamquam ſuos confeſſores, Ajulfum videlicet archiepiſcopum, Moduinum, & Badaradum epiſcopos: qui vicem illius obtinentes dicerent, ſi ita verum eſt, ut ipſe Ebo eis confitebatur, conſilium ei darent, ut a pontificali miniſterio abſtineret. Qui etiam ſibi alios tres adſciverunt, qui eum illis confitentem viderunt, Nothonem ſcilicet archiepiſcopum, Theudericum & Actardum epiſcopos. Quibus expletis, reductus eſt in cuſtodiam. His autem ab epiſcopis taliter definitis, domnus imperator per Godefridum monaſterii ſanc-

ANNO CHRISTI 867.

ti

ti Gregorii venerabilem abbatem ſuæ dignitatis
ANNO CHRISTI 867. litteras prædeceſſori veſtro domno Gregorio venerando papæ dirigit, ejus aſſenſum, ſi fieri poſſet, in depoſitione ipſius Ebonis expoſtulans. Ipſe vero per præfatum abbatem ſuæ auctoritatis literas ei remiſit, ſed quid in ipſis inſertum fuerit, omnibus epiſcopis, & cunctis regni noſtri ordinibus habetur incognitum. Sed ſanctitatis veſtræ ſolertia per ſcrinia dignitatis veſtræ inveſtigare poterit, quid iſdem prædeceſſor veſter ſenſerit inde. Credimus tamen, quia ſi in abjectionem prædicti Ebonis domnus imperator ipſum prædeceſſorem veſtrum fautorem habuiſſet, continuo vacanti eccleſiæ illi alium pontificem ſubrogaſſet; quod quidem moderatiſſimo conſilio agere differens efficaci egit ſagacitate, ut & ſic audacia in hujuſmodi viris temerariis deinceps comprimeretur, & eccleſiæ ſtatus non labefactaretur. Poſt obitum vero domni imperatoris, præfatus Ebo ab illo qui eum cuſtodiebat fratri noſtro Hlothario ductus eſt. Quem iſdem frater noſter venerabiliter & benigne ſuſcipiens, cum epiſcopis qui cum eo tunc juncti erant, quorum ipſe Ebo uſus conſilio, dudum libellum ſuæ confeſſionis, * ut imperatori ſatisfaceret, communi eorum conſenſu ſuis gradibus eſt reſtitutus. Nobis autem pro imminentibus negotiis in Aquitaniæ partes recedentibus, ab univerſo Rhemenſis eccleſiæ clero & populo avidiſſime expetitus, ſicque demum a coepiſcopis & ſuffraganeis ſuis ſedi priſtinæ eſt reſtitutus. Cui tunc omnes qui affuerunt communicaverunt, omneſque ſuffraganei, qui eo abſente ordinati fuerant, annulos & baculos, & ſuæ confirmationis ſcripta, more Gallicarum eccleſiarum ab eo acceperunt. Univerſis autem quibus ad eum præſtabatur acceſſus communicantibus, Vulfadum & alios quoſdam ipſius eccleſiæ filios ibi ordinavit. Hæc de Ebonis dejectione & reſtitutione breviter prælibavimus, ut ex his veſtræ ſagacitatis decernat prudentia, utrum hæc ad Vulfadi pertineat depoſitionem, necne. Si quis autem veſtræ ſanctitati intimavit quod iſdem ad Sueſſonicam ſynodum canonice vocatus fuerit, & ſuæ damnationis literas firmaverit, aut porrexerit, ſciatis nullatenus verum eſſe, quia nec ipſi ſynodo interfuit. His ita geſtis, neceſſarium duximus, nos humillime & devotiſſime ante conſpectum majeſtatis veſtræ noſtris apicibus excuſabiles reddere, eo quod ante reverſionem Egilis reverendi archiepiſcopi, vel reſcriptionem veſtri præſulatus, præfato Vulfado ſedem Bituricenſis archiepiſcopatus commendavimus, & eum epiſcopi nulla temeritate, ſed magna incumbente neceſſitate, ſiſi de magnitudine miſericordiæ veſtræ, ad honorem epiſcopatus provexerunt. Ideo enim cum in illas Aquitaniæ partes ad filium & æquivocum noſtrum direximus, & eccleſiam illam ei commendavimus, quoniam eum in educatione alterius filii noſtri, Carlomanni ſcilicet ſervi veſtri, quem veſtræ beatitudini ſpecialiter commendavimus, & aliis utilitatibus noſtris experti ſumus & ingenio ſtrenuum, & moribus probum, & nobis in omnibus fideliſſimum. In qua acceleratione ſi quid veſtræ ſanctæ ſerenitatis animo diſplicuit, a veſtra ſancta paternitate nobis donari depoſcimus. Et quia in eodem regno magna Paganorum perſecutio graſſabatur, quos miſericors Dominus per filium noſtrum & fideles ſæpe proſtravit, & ea occaſione non minor malorum Chriſtianorum infeſtatio latius effervebat, ſicut hic noſtrorum apicum gerulus viva voce vobis indicare poteſt; ipſa urgente neceſſitate ipſius regni excitati epiſcopi, ne majora mala ſupercreſcerent, & præſentia ſedarentur, & quoniam illius regionis ſedes illa principatum obtinet, ut ejus prudentia & vigore, auctoritate etiam ſedis freti, facilius mala exorta compeſcerent, tempori conſulentes ejus ordinationem mutaverint. In cujus ordinationis maturatione quia veſtra licentia, pro jam dicto imminente periculo, expectata non eſt, veſtra benigniſſima ſanctitate petimus indulgendum. Præterea veſtram præ omnibus glorioſam & amplexabilem paternitatem ſuppliciter exoramus, ut ſi quid in ſanctis promiſſionibus veſtris confidere audemus, hinc appareat nos apud vos plurimum poſſe, ut quidquid in prædictis dimittendum eſt dimittatis, & prædictum fideliſſimum ſervum veſtrum Vvulfadum pallio apoſtolicæ auctoritatis exornando decoretis, & decorando confirmetis. Actardum Namneticæ quondam ſedis venerabilem epiſcopum, exilium, vincla, mare, dura pericula paſſum, ſed gratia Dei liberatum, Northmannis nimium Britonibuſque vicinum, ac perinde civitas ſibi commiſſa, olim florentiſſima, nunc exuſta & funditus diruta, redacta per decennium cernitur in eremum, fidelem legatum noſtrum veſtræ ſanctiſſimæ paternitati dirigimus, quod litteræ noſtræ minus habent, pro tempore & per ſpatium vobis placens verbo tenus ſignificandum. Cui quia nulla manet ſpes in propria, ſi annuit & favet vigilantiſſima veſtræ diſcretionis ſolertia, voluntate & mente promptiſſima optamus vacantis ſedis conſtituatur in cathedra, quo poſſit injuncta ſibi & ordinata peragere miniſteria, quoque valeat utilitatibus eccleſiaſticis, & obſequiis parere noſtris. Qui Romæ deſtinavit aliquas facere moras, ut adventantibus Britonibus poſſit coram poſitus eos convincens, ſuæ eccleſiarumque vicinarum ab eis perpetrata pandere detrimenta. Unde ſynodus Sueſſionica & Tricaſſina ſe monuerat legationem ſumere, quatenus gens temeraria, fallax, & barbara, apoſtolico mucrone a talibus auſis exceſſibus coerceatur, & præſumptione præſenti. Huic noſtro alumno, veſtroque clientulo, ſolito more oramus pietatis veſtræ caritoſiſſima viſcera patula fore: quo valeat mens diutino quaſſata mœrore vivis ac ſalientibus reſolidari & recreari fluentis.

* *Deeſſe videtur non, dederat.* H.

CODEX LAUDUNENSIS.

Has proxime præcedentes epiſtolas Actardus Namneticæ urbis epiſcopus a ſynodo apud Trecas habita Romam deferens, Nicolaum defunctum, & Hadrianum ordinatum loco ejus invenit, cui & epiſtolas tradidit. Ad quas iſdem Hadrianus papa iſtas quæ * ſequuntur epiſtolas reſcripſit; duas ſcilicet ad epiſcopos, qui præfatæ ſynodo interfuerunt, quarum unam detulit Sulpicius miſſus Vulfadi, alteram Actardus, ſimul cum epiſtolis quæ ſequuntur, Carolo regi & Hincmaro Rhemenſi epiſcopo miſſis.

* *eas cum infra dicti exhibebit paullo po ſub Hadr no II.*

Notæ Jacobi Sirmondi S. J.

1 *Sortem rerum geſtarum.*) Quam colligi, & ad ſe mitti juſſerat Nicolaus epiſtola LIX. reſcribens ſynodo III. Sueſſionenſi.

2 *Fugam arripuit.*) Pariſiacam ad urbem, ut eſt in ſequenti epiſtola Caroli regis. At fuſius iſta commemorantur in narratione clericorum Rhemenſium, cujus ſupra meminimus: *Morabatur*, inquit, *tunc temporis Ebo epiſcopus in monaſterio ſancti Baſoli, infra parœbiam Rhemenſem, claudus utroque pede, & nimia afflictus infirmitate. Timens vero, quia nec cum Lothario exire poterat, nec animum imperatoris adverſum ſe quidquam emollitum habebat, ne ſicut tali turbine fieri ſolet a levibus & indiſciplinatis hominibus, quaſi pro infidelitate domni imperatoris perderetur, juſſit ſe deportari ad fluvium nomine Maternam, qui propius erat, & mitti in navim, atque Pariſios ad quamdam deduci cellulam cujuſdam recluſi, ſperans ſe ibi tuto latere poſſe, uſque dum aut animum imperatoris quoquomodo placare potuiſſet, aut recepta ſanitate ire poſt Lotharium*

ANNO CHRISTI 867.

valeret. Audient vero domnus imperator eum illuc transfugisse, misit & jussit eum deduci ad Foldam monasterium sancti Bonifacii, ibique servari, & post biennium adduci ad Theodonis villam in parochia Metensi, ubi erat placitum imperatoris publicum.

3 *Per diversa monasteria.*) Clericorum Rhemensium narratio: *Finito autem concilio, reductus est sub arcta custodia ad idem sancti Bonifacii monasterium. Post aliquantum vero temporis, commendatus est similiter ad custodiendum Freculfo Luxoviensi episcopo. Inde Bosoni abbati in monasterio sancti Benedicti, sub cujus manu exulabat, quando domnus imperator viam totius ingressus est carnis.*

4 *Rhemorum ecclesiam recepit.*) Clerici Rhemenses: *Remissus est autem a jam dicto imperatore Lothario, seu a præfato concilio, ad sedem propriam, Rhemensem scilicet ecclesiam. Ad quam veniens VIII. Idus Decembris, receptus est ab episcopis suffraganeis suis, Rothado episcopo, Simeone episcopo, Lupo episcopo, una cum legatis omnium aliorum episcoporum Rhemensis diœceseos, qui variis detenti infirmitatibus illuc corporali præsentia occurrere non valentes, suam tamen per ecclesiasticos legatos, & excusatorias literas, illi exhibuerunt præsentiam. Insuper etiam a canonicis & monachis, atque corregionalibus presbyteris totius diœcesis, atque infinita multitudine utriusque sexus. Qui omnes cum ramis palmarum & cereis ardentibus, laudesque Deo intimis cordibus, & excelsissimis vocibus proclamantes, longe ei ab ecclesia obviaverunt, & usque ad ecclesiam indesinenter psallentes eum perduxerunt. Tunc oratione completa, silentioque impositio, ascendit Rothadus episcopus ambonem, ducens secum Ingobertum monachum. Et primo allocutus est gaudente plebe de desiderabili reversione proprii pastoris, & qualiter restitutus a sancto concilio, seu ab imperatore Lothario, eis remittebatur: & jussit Ingobertum monachum alta voce ipsam ejus restitutionem legere. Dederunt etiam, præsente omni ecclesia, legati episcoporum unusquisque assensum proprii sui episcopi & plebis scriptum, qui omnes ab Ingoberto monacho publice relecti sunt. His ita peractis, iterum reboantibus signis, & vociferante omni ecclesia* Te Deum laudamus, *ductus est jam sæpe dictus Ebo episcopus in vestiarium, & indutus episcopalibus vestimentis; similiter etiam alii episcopi, & processerunt cum eo ad celebrationem missæ. Nam Rothadus episcopus dextra manu eum sustentans habuit suæ partis Lupum Catalaunensis ecclesiæ episcopum, & Hirminfredum presbyterum, postea vero Belvacensis ecclesiæ episcopum: sinistra autem manu sustentans eum Simeon episcopus similiter suæ partis habuit Erpuinum episcopum, & Vitaum Cameracensis ecclesiæ chorepiscopum. Et sic ad sanctum altare cum eo procedentes ad propriam sedem deduxerunt, atque cum eo consedentes in omni pontificali officio ipsa die ei communicaverunt.* Et alia quæ sequuntur de episcoporum ordinatione datis annulis & baculis confirmata.

5 *Quamvis omnium.*) Extat, tum in codice sanctæ Mariæ Laudunensis, tum in altero sancti Laurentii Leodiensis, in quo alia erant plurima Hincmari opera, quæ conjecturam faciunt, hanc etiam ab Hincmaro regis nomine dictatam epistolam fuisse.

Nota Severini Binii.

a *Concilium.*) De rebus in hac synodo gestis Flodoardus in historia Rhemensi libro 3. capite 17. ista scribit: *Anno dominicæ incarnationis octingentesimo sexagesimo septimo synodus provinciarum Rhemensium, Rothomagensium, Turonensium, Senonum, Burdigalensium, atque Bituricensium, apud Trecas octavo Kalendas Novembris convenit. Ubi quidam episcopi, ut assolet, gratia regis Caroli Vulfado faventes, quadam contra veritatem & canonum sacram auctoritatem adversus Hincmarum moliri cœperunt. Sed eodem Hincmaro eorum molitionibus ratione & auctoritate obviante, plurimorum sententia prævalente, rerum gestarum ordinem de quibus agebatur communi consensu epistolæ scriptum per Actardum venerabilem Namnetensem episcopum papæ Nicolao episcopi qui convenerant transmiserunt. Cujus epistolæ tenor idem extitit qui fuit in epistola Hincmari Rhemorum episcopi, quam per clericos suos sub peregrinorum habitu propter contrariorum vitandas insidias præcedente Julio mense Romam miserat. Epistolam autem in præscripta synodo factam & archiepiscoporum qui convenerant sigillis signatam Actardus perferendam suscipiens cum quibusdam episcopis ad Carolum sicut ipse præceperat rediit. Carolus autem immemor fidelitatis atque laborum, quos pro ejus honore & regni obtentu sæpefatus Hincmarus per plures annos subierat, eamdem epistolam ab Actardo sibi dari exegit, & archiepiscoporum sigilla confringens gesta synodi relegit, & quia sicut voluerat in eadem synodo Hincmarus non extitit confutatus, epistolam suo nomine ad Nicolaum papam dictari in contrarietatem Hincmari fecit, quam & bulla sui nominis sigillavit, & cum epistola synodali per ipsum Actardum Romam venientes Nicolaum papam jam valde infirmatum, & in contentione, quam contra imperatores Græcorum Michaelem & Basilium, sed & contra orientales episcopos habebat, magnopere laborantem invenerunt. Quapropter usque ad mensem Octobrem ibidem sunt immorati. Nicolaus papa grataner susciptens quæ Hincmarus ei scripserat, de omnibus sibi satisfactum esse rescripsit. Sed & alteram epistolam eidem & ceteris archiepiscopis & episcopis in regno Caroli constitutis transmisit, innotescens præfatos Græcorum imperatores, sed & orientales episcopos, calumniari sanctam Romanam ecclesiam, immo omnem ecclesiam quæ Latina utitur lingua, Quia jejunamus in sabbato; quod Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere dicimus; quia presbyteros sortiri conjuges prohibemus; & quoniam eosdem presbyteros chrismate linire baptizatorum frontes inhibemus, dicentes ipsi Græci quod chrisma ex aqua fluminis Latini conficiamus: reprehendentes nos Latinos quod octo hebdomadibus ante pascha a carnium, & septem hebdomadibus a casei & ovorum esu more suo non cessamus, dicentes etiam quod in pascha more Judæorum super altare pariter cum dominico corpore agnum benedicamus & offeramus. Succenseutes etiam nobis, quia clerici apud nos barbas suas radunt, & dicentes, quia diaconus non suscepto presbyteratus officio apud nos episcopus ordinatur. De quibus omnibus per singulas provincias a metropolitanis cum eorum coepiscopis sibi rescribi præcepit.* Hæc Flodoardus quæ summatim excerpta sunt ex epistola Nicolai 70. supra.

AD TRICASSINAM SYNODUM

Anno 867. habitam

ADDITIO.

ppl. tom. 997.

PRæter ea, quæ in collectionibus afferuntur, ad acta pariter hujus concilii pertinent literæ ejusdem synodicæ pro ecclesia Nivernensi, quas ex chartario ejusdem ecclesiæ exhibet Mabillonius Annal. Ordin. S. Benedicti to. III. append. num. XIV. ex quo hic dantur.

LITERÆ SYNODICÆ CONCILII TRECENSIS

Pro ecclesia Nivernensi.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi, Abo Nevernensis ecclesiæ episcopus, una per consensum, & voluntatem domni archiepiscopi mei Egili, ac ceterorum Episcoporum sibi subditorum, omnibus tam præsentibus, quam & futuris sanctæ Dei ecclesiæ coepiscopis notum esse volumus, religionis canonicæ quendam sacerdotem, Adelardum nomine, adisse nostram, immo omnium sanctæ Synodi Trecas habitæ ceterorum coepiscoporum paternitatem, quorum nomina in sequentibus, cum propriis adsignationibus inserta tenentur, petiitque humiliter, ut regiam donationem, quam per venerabilem præceptorum suorum conscriptionem ecclesiis sanctorum, quæ in nostra Nevernensi parochia habentur, scilicet sancti Nazarii venerandi martyris, & S. Vincentii pretiosi confessoris, ubi sacratissimum ejus corpus jacens miraculis claret, sanctique Joannis præcursoris Domini, sanctique Martini, necnon & sancti Hilarii, ac S. Germani, conferre dignatus est, ad restaurationem, & revelationem earumdem ecclesiarum nostra confirmatione, & auctoritate corroboraremus. Reperit enim domnus, & senior noster res quondam ibi delegatas, ut ejus auctoritas testatur, per diminutiones beneficiorum quorundam exinde inordinabiliter abstractas, unde sus-

ANNO CHRISTI 867.

ANNO CHRISTI 867.

ſtentari debuerant, & contineri, & ſollicita procuratione reintegrare ordinabili adminiſtratione eas ut prius fuerant, ſtuduit, videlicet in ulu ſacrificii ſalutaris, & illuminatione, ac rædificatione jam dictarum ſanctarum eccleſiarum, quas multimoda everſione deſtitutas condoluit, ſeu in victu & ſtipendiis canonicorum ibidem deſervientium, omnem donationem, & reintegrationem ſtatuit diſtribuendam, quemadmodum præcepti ejus veneranda conſcripta pronunciant. Donat præterea Adelardus eidem vico Magniaco res quaſdam proprietatis ſuæ in honore S. Vincentii, ejus videlicet ſcriptæ, ubi ſanctum corpus ejus in eccleſia S. Nazarii jacet, quæ ſunt in pago Nevernenſe, in agro Magniacenſe, in villa Lurſiaco; hoc eſt caſuales cum vineis & ortilibus, ubi colligi poſſunt vini modii centum quinquaginta; poſcitque, ut tam ea, quæ ipſe conferre, quam etiam ea, quæ catholici fideles devoti ob utilitatem ſuam ibi contulerint, noſtra auctoritate firmetur, & corroboratione fulciatur. Quod nos audientes, piaque meditatione tractantes æquum credimus, ratumque ducimus, talibus petitionibus aſſenſum præbere cum ea obſceratione, in qua precatur, ut omnis iſta donatio ab ordinatione, & dominatione laicorum, comitum ſcilicet, vel principum ſæcularium abſtrahatur, & ſub dominatione Nevernenſis epiſcopi agatur; ita ut idem Adelardus, ejuſque ſucceſſores deinceps annis ſingulis matri eccleſiæ Sancti Cyrici libram ceræ exſolvant. Non tamen aliud humanæ ſervitutis obſequium a jam dicto Adelardo, ejuſque ſucceſſoribus præter hoc exigatur, niſi quod dilectionis dulcedo per caritatis adminiſtrationem exhibere jubet prælatis. Unde in Chriſti nomine cunctos, qui nobis Deo propitio per tempora labentia ſunt ſucceſſuri, coepiſcopos conteſtantes precamur, ut nullo pacto tantorum virorum decretum parvipendatis, ſed potius veſtra ſanctiſſima auctoritate, quicquid in præſenti privilegio de eodem viro, regiſque redintegrationibus, ac Adelardi petitionibus a ſancta ſynodo definitum habetur, inconvulſum atque inviolatum permanere conſentiatis, & paterna defenſione, ſpiritalique juvamine eis auxilium conferre in omnibus quibuſcumque veſtri indiguerint, prout vobis Deum propitium habere vultis, non differatis; ne ullam ſæculi poteſtatem exinde nocere ſinatis; ſed liceat eundem locum canonica exercitatione degere, ac prædictas donationes, & petitiones ubi delegatæ ſunt permanere, abſque aliqua inquietatione principum, & ſine, præter quod ſuperius inſertum eſt, cenſu, quatenus quieto ordine, ac ſecura mente Deo ibi ſervire, ejuſque ſanctis, ac pro pace, & utilitate ſanctæ Dei eccleſiæ, ejuſdem loci canonici valeant exorare, nec non etiam pro regis ſalute & proſperitate, ac pro conjugis, & ſobolis incolumitate omnibus diebus ac noctibus intercedere, atque clementiam ſuperni regis per eorumdem ſanctorum interventionem pulſare. Eigil archiepiſcopus ſanctæ Senonenſis eccleſiæ ſubſ. Vvanilo humilis Rotomorum epiſcopus ſubſ. Æneas Pariſienſis epiſcopus ſubſ. Herardus Turonum archiepiſcopus ſubſ. Folchricus indignus epiſcopus ſubſ. Actardus Namnetenſis epiſcopus ſubſ. Heliſeus I. D. ſubſ. Giſſebertus Karnotenſis epiſcopus ſubſ. Hildegarius Meldenſis eccleſiæ humilis epiſcopus. Abo humilis Nevernenſis eccleſiæ epiſcopus. Anno archidiaconus ad vicem Agii Aurelianenſis eccleſiæ epiſcopi ſubſ. Acta IV. nonas Novembris anno Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCLXVII. indictione I. anno etiam XXVI. regnante domno noſtro Karolo rege, in Dei nomine feliciter.

CONCILIABULUM CONSTANTINOPOLITANUM

Photii, quo damnatur Nicolaus PP.

Ex P. Pagi ad an. 867. n. 11.

De hac Pſeudo-Synodo Metrophanes in literis ad Manuelem Patricium hæc habet: Cum intellexiſſet (*nempe Photius*) Legatos Pontificis Romani in Bulgariam miſſos, confirmationem ejus reprobaſſe, omneſque Bulgariæ Principes & ſubjectos chriſmate iterum inunxiſſe, tum vero velut reſtro percitus œcumenicam ſynodum confinxit. Cui confictæ ſynodo, qui tum imperitabant, Michaelem & Baſilium noſtrum Præſides induxit; Orientis etiam trium Patriarchiorum Vicarios, ac totum Senatum Palatinum, & Conſtantinopolitanæ ſedis Epiſcopos; nec non accuſatores inſtituit, qui Nicolai Papæ ſcelera videlicet exponerent, & deplorarent, judiciumque ſynodi implorarent, teſteſque adhibuit, qui accuſatorum calumnias confirmarent. Atque ipſe quidem ficta erga Papam pietate reſpondebat, non eſſe abſentem judicandum, interimque orationes contra Papam aſſidentium ſibi Antiſtitum, quaſi repugnantium ſibi inferebat, quibus ſcilicet victus accuſationes admiſerit, cauſſamque cognoſcere cœperit. Itaque tandem ſexcentis obrutum falſis criminibus Nicolaum damnat, atque anathemata in illum & communicantes cum illo conjicit, confictis omnium, qui per ejus ſcilicet ſomnia erant in Conciliabulo, ſubſcriptionibus, Imperatorum nempe duorum, & trium Vicariorum Orientis, totius Senatus, & Hegumenorum, & Clericorum. *Auctor vero libri de Synodis Synodo CL.* Photius Nicolai contra ſemet excandeſcentem animum agnoſcens, Michaele, in omnia mutabili, ſibi adſcito, clamque compoſita ſynodo, Locumtenentes aliorum Patriarcharum comminiſcens, voces, & ſubſcriptiones omnium Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & Abbatum ſibi ſubjectorum conſcripſit, & Patriciorum penitus noſcentium, quando, & quomodo, & propter quid coacta eſſet. Per quos omnes depoſitionem & anathematiſmum Papæ Romano Nicolao divina ſapientia imbuto miſit per Zachariam Chalcedonenſem Metropolitam, & Cariæ Theodorum, qui in Laodiceam aſcenderat, *translatus ſcilicet a Caria ad Laodicenſem Epiſcopatum. De hoc Conciliabulo legendus etiam Anaſtaſius in Præfatione ad Synodum VIII.*

ANNO CHRISTI 867.

CONCILIUM CONSTANTINOPOLITANUM,

ANNO CHRISTI 867.

In quo Photius deponitur, & Ignatius ſedi ſuæ reſtituitur.

P. Pagi in. Ch. nu. 15.

BAſilius imperator *poſtero die quam renunciatus erat Imperator*, ideoque die 25. Septembris, *Photium e throno deturbatum in cœnobium Scepen appellatum ejicit*, inquit Nicetas, qui paucis interpoſitis ſubdit: *Tunc vero Baſilius Imp. adductum in Magnaturæ palatium Ignatium, ſilentio indicto, multis laudibus coheneſtavit. Dies erat dominica tertia & vigeſima Novembris* (anno nempe 867. quo Dominica & dies ille coincidunt) *quo etiam anni tempore prius in exilium pulſus erat*; (textus Græcus habet) *ſicut prius in exilium pulſus erat*; A (eodem nempe die licet non eadem feria;) *qui Dei præſidio & clementia fretus novennalem ac perfectam ex virtutis certamine lauream adeptus, Eccleſiæ ſuæ throno reſtituitur*. Curopalates ait: *Coacta ſynodo abdicavit Photium, qui ſibi honorem illum vindicaverat*; quæ ſynodus nonniſi ex Epiſcopis, qui Conſtantinopoli erant, componi potuit. De hac Photii addicatione, & Ignatii reſtitutione agit Baſilii Imper. Epiſtola ad Nicolaum, quæ extat in Concilio VIII. act. 3.

VITA EPISTOLÆ ET DECRETA HADRIANI PAPÆ II.

HAdrianus [a] natione Romanus, ex patre Talaro, poſtea epiſcopo regionis tertiæ, ſedit annos quinque. Hic ex proximitatis genealogia beatæ recordationis Stephani IV. & Sergii junioris pontificum deſcendens, dum miris polleret actibus, a venerandæ memoriæ Gregorio quarto ſedis apoſtolicæ præſule ſubdiaconii ſortitus eſt miniſterium. Deinde vero in Lateranenſe patriarchium familiariter aſſumptus laudabiliter converſatus ad regendum titulum ſancti Marci confeſſoris Chriſti atque pontificis presbyter ordinatus tam inculpabiliter degit, tam viriliter miniſtravit, ut non tantum ſicut factus presbyter, ſed ſicut futurus pontifex, reverenter ab omnibus coleretur. Siquidem in eo erat in Chriſto ejuſque genitrice (apud cujus Præſepe jugibus orationibus incumbebat) tanta fiducia, ut benefaciens non deficeret, nec quidquam diſcriminis, cuncta quæ habere poterat diſcretiſſime largiens, incurrere formidaret.

Nam cum die quadam inter compresbyteros ſuos a ſanctiſſimo papa Sergio conſuetudinaliter denariis quadraginta perceptis domus ſuæ portas revertens ingredi vellet, ac præ multitudine peregrinorum, quæ ibi fiducialiter more ſolito velut ad horreum commune confluxerat, omnino nequiret: miſericordia motus * equeſtri ſuo retulit, nil ſine tantis fratribus in tantillis denariis ſibi eſſe commune.

Cumque ille neque tertiæ parti pauperum ſingulos denarios poſſe ſufficere intuliſſet, in virtute, inquiens, Chriſti, qui de quinque panibus & duobus piſcibus quinque millia hominum ſatiavit, non ſingulis ſingulos, ſed ternos ſingulis denarios erogabo. Et hæc dicens, forinſecus portæ ſuccedens, ac de manu equeſtris ſui ſuſcipiens, peregrinis cunctis egredientibus ternos ſigillatim denarios erogavit. In qua redundatione cum miraretur equeſter non ſolum non defeciſſe denarios, quinimmo ſuperfuiſſe, liberalis presbyter, qui ſupererant demum recipiens, multitudini familiæ ſuæ ternos nihilo minus perſonatim nummos largitus eſt. At cum ſex itidem ſupereſſent, Vides, inquit, quam largus, & quam ſuavis ſit omnipotentiſſimus Dominus, qui quadragenariam quantitatem nummorum & fratribus noſtris per ternos diſtribuit, & mihi ternos, tibique ternos æqua ſorte ſervavit. Erat præterea tantæ hoſpitalitatis & largitatis, ut non immerito beato Job in his valeat comparari, nam ab infantia crevit cum eo miſeratio, & de utero matris cum ipſo egreſſa eſt. Non deſpiciebat prætereuntem, eo quod non haberet indumentum, cujus latera nimirum ovium calefaciebat velleribus, nec buccellam quidem ſuam comedebat ſolus, cum hanc cum pupillis & egenis comederet. Quippe qui oculus eſſet cæco, & pes probabatur exiſtere claudo, & ut ſcriptis virtutum ejus multiplicitas referatur, pater erat pauperum & cordis viduæ conſolator. Oſtium ejus viatoribus patebat, nec erat clauſa janua domus ipſius quidpiam poſtulantibus ab eo, ut ab omni clericali gradu, ab omni ſenatorio, & populari concordiſſimo cœtu, ſic ut poſt mortem IV. papæ Leonis, ita poſt obitum III. Benedicti pontificis ſubire ſummum pontificium, niſi ipſe diverſis argumentis, & exquiſitis excuſationibus verecunde ſubterfugiſſet, cogeretur. Sed cum apoſtolicæ memoriæ ſanctiſſimus papa Nicolaus rebus exceſſiſſet humanis, & iſte impræſentiarum tertio * quintum & vigeſimum annum tranſiret, omnes urbis Romanæ concives ſimul & hi quos extrinſecus tunc adeſſe contigerat, tam pauperes, quam divites, tam clericalis ordo, quam cunctum populi vulgus, omnis ſcilicet ætatis, profeſſionis, & ſexus, contemptis omnibus ejus excuſationibus, Hadrianum deſiderant, Hadrianum dari ſibi præſulem ac paſtorem exoptant. Nulluſque in totius urbis ampliſſimo ſpatio repertus eſt, niſi vel ſe, vel ſuum quemque provehi voluiſſet, qui non Hadrianum promoveri ad hoc culmen meduliitus exoptaret. Proceres vero, licet ſoluto in duas partes corpore viderentur eſſe diviſi, una tamen mente, parique circa hunc flagrabant ardore, quoniam cauſſam diviſionis eorum non niſi nimius in tantum virum faciebat caritatis affectus, dum ſic alterutra pars ſibi præferri geſtiret, ut ſi hunc altera pars deligeret, pars altera penitus dubitaret, nec erat * ibi parti alteri * retinendi voluntas, niſi quia opinabatur eam ſua in alium vota dirigere, præſertim cum multi monachorum, plerique religioſorum ſacerdotum ac fidelium laicorum cælitus emiſſis viſionibus, multo jam tempore Hadrianum futurum pontificem, non ſolum non dubitarent, verum etiam apertis vocibus proclamarent. Inter quos quidam Hadrianum in ſede apoſtolica pallio humeris obducto reclinatum videbant. Alii eum cum apoſtolicis inſulis miſſas celebrantem. Nonnulli more apoſtolico

[a] ætate 76.

Refugit dignitatem pontificatum.

Omnes conſpirant in Hadrianum.

Dubitant nonnulli proceres.

* ulla
* *forte* retinendi.

Viſiones divinæ de futuro pontifice.

lico in basilica Lateranensi aureos erogare. Pleri-
que in equo, cujus sessione sanctissimus papa Ni-
colaus ad sanctum Petrum pergens usus fuerat,
eum cum pontificali pallio impositum præcedenti-
bus axiomaticis, & subsequentibus reliquis turbis
in urbem redire, patriarchiumque subire conspe-
xerant. Verum ubi evidentibus indiciis hunc eum-
dem utraque diligi claruit, tanta in eum unitas,
& animorum, & corporum fuit, ut unum in eis
erga eumdem Domini sacerdotem cor, & unus
spiritus inesse omnibus videretur; ita ut lapis an-
gularis, salva reverentia Jesu Christi Domini no-
stri, quodammodo possit vocari. Quoniam per
ostensionem, immo profectionem suam, solvens
inimicitias cordium, fecit utraque unum. Colle-
Dist. 63. c. 29. & addit. ctis igitur omnibus tam episcopis cum universo
clero, quam primoribus urbis, cum obsecundanti-
bus sibi populis, ab ecclesia sanctæ Dei genitricis
semperque virginis Mariæ, quæ appellatur Ad
præsepe, rapitur, trahitur, & ad Lateranense pa-
triachium certatim, ac procerum & plebis multi-
tudine deportatur. Quod audientes tunc missi prin-
cipis molestе tulere, indignati scilicet non quod
tantum virum nollent pontificem, quem nimirum
anxie cupiebant, sed quod se, dum præsentes es-
sent, Quirites non invitaverint, nec optatæ a se
futuri præsulis electioni interesse consenserint. Qui
accepta ratione, quod non Augusti causa contem-
ptus, sed futuri temporis hoc omissum fuerit om-
nino prospectu, ne videlicet legatos principum in
electione Romanorum præsulum mos expectandi
per hujusmodi fomitem inolesceret, omnem suæ
mentis indignationem medullitus sedavere, ac ad
salutandum electum etiam ipsi humiliter accessere.

Cumque patriarchium Lateranense ascenderent,
atque descenderent, tantis clamoribus universæ plebis,
ut sibi diu desideratus vir ad consecrandum dare-
tur clamitantis, obsessi sunt, ut nullus eorum lo-
quentis secum collegæ sui verba posset audire.
Erat enim cernere singulos circa consecrandum
pontificem tantam dilectionis efficaciam possidere,
quantam nec vidisse, nec visurum unquam quis
æstimasset. Denique omnes hunc certatim coram
eisdem legatis rapere, & ad summum pontifica-
tus apicem provehendum trahere, ac anxie nite-
bantur portare, nisi blanditiis senatorum & con-
siliis aliquantulum sedati fuissent. Quorum om-
nium unanimitatis desiderium audiens Ludovicus
Imperator approbat electionem factam. Christianissimus imperator, cognoscens etiam qua-
liter in eo decretum suis subscriptionibus robora-
verunt, valde gavisus est. Et ut tantus Domini
famulus, cunctisque gentibus videlicet tam Ro-
manis, quam diversis advenis desideratus & desi-
derabilis Christianæ plebi præficeretur medullitus
exoptavit: & mox imperialem scribens epistolam,
Epistolam scribit ad Romanos. cunctos Romanos quod dignum tanto elegissent
officio præsulem collaudavit, per quam videlicet
innotuit, nulli quidpiam præmii fore ex conse-
cratione ipsius quoquo modo pollicendum, cum
ipse hanc non suorum suggestione, sed Romano-
rum potius unanimitate commotus ardentissime
cuperet provenire. Maxime cum reddi quæ abla-
ta fuerant, non auferri ab ecclesia Romana, vel
Hadrianus consecratur. deperire quidpiam se diceret amare. Itaque sab-
bato, peractis rite orationibus, vigiliis, & elee-
mosynis, dominico secundum morem idem vene-
rabilis sacerdos ab universitate ad ecclesiam san-
cti Petri apostolorum principis deductus XIX. Ka-
lendarum Januariarum indict. I. anno præfati Au-
gusti XIX. per episcopos reverendissimos, scilicet
Petrum Gavensem, Leonem Silvæ candidæ, dein-
de tertio loco Donatum Ostiensem, quia episco-
pus Albanensis obierat, Formosus vero Portuen-
sis a beatissimo Nicolao ad prædicationem & in-
structionem Bulgarorum destinatus extiterat, be-
nedictionem summi pontificatus ad consolationem
videlicet multorum sanctæ Dei ecclesiæ filiorum,
qui factiosorum tyrannide liberius solito sæviente
inter unius decessionem & alterius substitutionem
pontificis diversis agebantur exiliis, variisque af-
ficiebantur incommodis, suscipere meruit in no-
mine Domini.

Siquidem ad celebritatem missæ ipsius tam in-
credibilis extitit multitudo, ut certatim de manu
ejus omnibus communicare nitentibus, Theutgau-
dus Trevirorum archiepiscopus, & Zacharias Ana-
gninus episcopus, qui a domno Nicolao sacerdo-
tio denudati, etiam communione caruerant, simul-
que Anastasius, qui dudum a Leone Benedicto-
que pontificibus presbyterio denudatus inter laicos
communicare solitus erat, ecclesiasticam commu-
nionem sub congrua satisfactione receperint. Igi-
tur mox ad patriarchium Lateranense reversus
est, & consuetudinem ab eo, qua diversorum xe-
niorum hinc inde confluentium (retentis solum
quæ usibus mensarum sufficerent reliquiis) pre-
tia capiuntur, exclusit, dicens, non esse pium
quod gratis accipimus pretio venumdare, & ca-
riores habere rationalibus fratribus irrationabiles
nummos, pro quibus Christi pretiosus est cruor
effusus. Sed parvipendantur, inquit, obsecro hæc
pudenda pretiorum commercia, & quod gratis
accepimus, gratis, juxta præceptum Domini, lar-
giamur, & oblationes Christi cum ejus hospitibus
ac inopibus partiamur, propter quos has nobis
tribui divinitus scimus. E vestigio etiam Domini-
cum & Grimoaldum episcopos, quos decessor suus
sanctæ recordationis papa Nicolaus in Bulgariam
patriam ire præceperat, & a se in ipso articulo
sui discessus absolverat, quique videntes tanti pa-
tris obitum ire distulerant, eadem fungentes le-
gatione direxit, & quasdam epistolarum, quas il-
le mittendas delegerat, ut se ejusdem voluntatis
& studii fore ostenderet, suo nomine titulari præ-
cipiens, in quantum tempestas fluctuosi tempo-
ris permittebat, piissimi patris votum pius hæres
implevit.

His ab urbe dimissis, continuo exules, Gaude-
ricum videlicet Velitrensem, & Stephanum Ne-
pesinum episcopos, & Joannem cognomento Si-
monidem, quos procacissima falsitas, serenissimo
Augusto incusans, domo patriaque proscripserat,
ab Augusta mansuetudine multis epistolarum do-
cumentis requirere studuit, dicens, se bonum ec-
clesiæ Dei pastorem videri non posse, nisi oves
quas fideles sanctæ ecclesiæ infidelis vir per suam
surreptionem proscripserat recepisset.

Qua religiosa suggestione lætificatus Augustus,
una cum Christianissima conjuge, non solum eos,
propter quos summus pontifex miserat, honori-
fice ad urbem remisit: verum etiam quoscumque
privata simultate tamquam reos imperatoriæ ma-
jestatis, & in ergastulis quilibet truserat, ut re-
verterentur, præcepit.

Post hæc summus pontifex basilicam Nicolaita-
nam, quam sanctissimus papa Nicolaus a funda-
mentis adeo luculenter cum tribus aquæ ductibus
fabrefactis extruxerat, ut omnes Lateranenses ba-
silicas sui pulcritudine superaret, juxta votum de-
cessoris sui picturis variis decoravit.

Cujus ipse conversationis exempla sic solertis-
sime sequebatur, ut ab hostibus sancti Nicolai,
qui in omnibus ejus acta penitus infringere nite-
bantur, Nicolaitanus & scriberetur, & publice di-
ceretur. Quorum scilicet hostium, quia nonnul-
los parturientes injustitiam, conceptum dolorem
effusuros esse cognoscens, penes se, veluti zizania
inter frumenta usque ad maturitatis tempus dis-

pen-

Deposiri Nicolao I episcopi r cipiuntur communio. nem.

Mittit ep scopos in Bulgariam.

Basilican Nicolao erectam pingit.

Imitatur cessorem N colaum.

penſatorie retinebat, rumore fallaciter exurgente creditum eſt, quod omnia deceſſoris ſui acta, quæ ille zelo divino ſanxerat, hoſtes vero ejus ad proprios libitus infamabant, voluiſſet infringere. Unde accidit ut omnes occidentalium regionum epiſcopi ſollemnes ac honorificas literas emittentes religioſam ejus memoriam, utpote orthodoxæ & veræ philoſophiæ pontificis excolendam, ſummo pontifici jugiter inculcarent. A cujus videlicet ſanctiſſimi Hadriani papæ collegio, cum per dies aliquot quidam Græcorum, & aliarum gentium ſervorum Dei per id tempus Romæ morantium, ſe clanculo ſuſpendiſſent, ſexta feria LXX. idem ſanctiſſimus antiſtes eos ſecundum conſuetudinem refectionis gratia ſolito plures numero convocavit. Quorum omnium manibus per ſemet humiliter aquam fudit, cibos appoſuit, pocula miniſtravit, & quod nullum pontificum ante ſe feciſſe noverat, ut eos promptiores ad prandium redderet, cum illis diſcubuit, canticis ſpiritalibus ibi per totum ſpatium jugiter laudes concrepantibus.

Dum ſurrexiſſet ab epulis in faciem ſuam coram omnibus procidit, dicens: Rogo vos, & ſuppliciter obſecro, patres, fratres, & filii, ut fundatis Domino pro ſancta catholica eccleſia ſua preces, oretis pro Chriſtianiſſimo filio noſtro Ludovico imperatore Auguſto, ut ei Deus omnipotens, ad noſtram perpetuam pacem, Saracenorum faciat ſubditam nationem. Oretis etiam pro me fragili & imbecilli, ut det mihi Chriſtus virtutem tantam eccleſiæ ſuæ multitudinem in ſanctitate & juſtitia regendi, qui commiſit beato Petro apoſtolo cunctos regere quos redemit; quatenus qui curarum ſæcularium pulvere caligans, plerumque ſpiritalia minus luculenter intueor, veſtra mihi jugis oratio, quæ tanto purior, quanto ab inquinamentis ſæculi remotior eſt, divinitus ſuffragetur. Cumque illi pro ſe magis illum oportere preces fundere clamitarent, qui tanto acceptior apud Deum haberetur, quanto ſolus pro omnibus in labore ferventior, interna miſeratione commotus cum lacrymis ait:

Quia pro valde bonis orare, cariſſimi, gratiarum actiones Deo perſolvere eſt, peto ut Dominum patrem, deceſſoremque meum ſanctiſſimum, & orthodoxum papam Nicolaum habentes in veſtris orationibus communes grates Domino referatis, qui eum eccleſiam ſuam miſeratus elegit, & ad excludendum mundi tumidiſſimos ſtrepitus, ſicut Joſue, clypeo protectionis armavit, & gladio ſpiritalis potentiæ roboravit.

Quo audito cuncti famuli Domini, videlicet Hieroſolymitani, Antiocheni, Alexandrini, ac Conſtantinopolitani, quorum aliqui legationibus mundi principum fungebantur, diutino ſtupore attoniti, in vocem clariſſimam prorupere, dicentes: Deo gratias, Deo gratias, qui talem eccleſiæ ſuæ præficiendum diſpoſuit, qui noſſet, ſui patris & deceſſoris reverentiam præ oculis ponens, gregem dominicum in virga & baculo paſcere: teſtamentumque patrum non convellere, ſed implere. Deo gratias, Deo gratias, qui in ſede ſui apoſtoli non poſuit apoſtaticum papam, qui domus ſuæ fundamenta poſuit non ſupra arenam, ſed ſuper firmiſſimam petram, qui te ſuccedere fecit ſanctiſſimo papæ Nicolao, nec ab ejus decretis abſcedere. Eia, ceſſet invidia, mendax fama recedat. Domino noſtro Hadriano a Deo decreto ſummo pontifici, & univerſali papæ vita: dictum eſt ter. Cumque manu ſilentium innuiſſet, ſummus præſul intonuit, dicens: Reverentiſſimo, ſanctiſſimo & orthodoxo domno Nicolao a Deo decreto ſummo pontifici & univerſali papæ ſempiterna memoria: dictum eſt ter. Novo Heliæ vita perennis & immarceſcibilis gloria: dictum eſt ter. Novo Phinees æterni ſacerdotii infulas merenti ſalus æterna: dictum eſt ter. Sequacibus ejus pax & gratia: dictum eſt ter.

Igitur Lampertus Vintonis filius, dux Spoletanus, tempore conſecrationis hujus venerandi pontificis Romanam urbem præter conſuetudinem ſicut tyrannus intravit, non rebellantem ſicut victor ſatellitibus ſuis ad prædandum diſtribuit, majorum domos multis muneribus vendidit, nullis monaſteriis, eccleſiis nullis pepercit, quinimmo nobiliſſimi generis puellas tam intra Urbem, quam extra, ſuis ſatellitibus indifferenter diripiendas conceſſit. Propter quæ apud Auguſtos piiſſimos Romanorum querimoniis prægravatus, ducatum perdidit, iram principium, & invidiam pene cunctorum Gallorum, tamquam revera ſedis apoſtolicæ hoſtis adjudicatus, incurrit.

Dux Spoletanus tyrannus Romam occupat.

Dux Spoletanus privatur ducatu.

Mox Romanus pontifex tanta tyrannide liberatus Hiſtaldum, Vvalterium, Gilpianum, Odonem, & Theupertum, cum cunctis aliis raptoribus & prædonibus, quouſque rapta redderent, ſibique legaliter ſatisfacerent, omni eccleſiaſtica communione privavit. Sed Theupertus quæ rapuerat haud difficulter reddere ſtuduit. Hiſtaldus vero vir devotus, belloque fortiſſimus, ad præſulem ſe percutientem tota humilitate converſus eſt, ejuſque gratiam ſecundum omne Romanorum libitum, ſatisfacturus accipiens, ſpem quoque reſumendæ communionis accepit. Quam nimirum recipere prævaluiſſet, niſi conjurationi Lamperto-rum poſtea conſcius cum viris excommunicatis ac rebellibus fugiens Beneventum petere maluiſſet.

Papa excommunicat urbis prædones.

His ita compoſitis poſtquam Michael Græcorum imperator Bardam Cæſarem, Photii fautorem, ſuum, ſicut perhibent, interitum machinantem peremit, Baſilium collegam ſibi adoptans imperatorem conſtituit: cumque novus imperator Baſilius a catholicis, tamquam qui ſemper eis faverit, ſummo ſtudio coleretur, Michael a ſpadonibus ſuis (dubium an filii voluntate) peremptus eſt. Moxque Baſilius rerum potitus, primo quidem non ſe fuiſſe conſcium necis Michaelis, ut fertur, omnibus ſatisfecit. Tum vero ſecundum Romanæ eccleſiæ conſtitutum pervaſorem Photium pepulit, & Ignatium patriarcham, populo annitente, patriarchio reſtituit, ac ex utraque parte, Ignatii videlicet patriarchæ, Photiique neophyti, legatos Romam per ſuum ſpatharium Baſilium nomine deſtinavit, qui præſente ſummo antiſtite alternatim confligerent, & juſtitia ſuffragante aut juſtificarent Photium, aut perpetuo condemnarent. Sed divino judicio diſertiſſimam partem Photii pelagus ſorbuit, & ſimpliciſſimam partem Ignatii cum legato imperiali ſalvam ſervavit. Nulluſque ex neophyti parte niſi monachulus, Methodius nomine, ſolus evaſit. Qui poſtmodum neque Photium, pro cujus parte venerat, neque Ignatium, contra quem, ſed neque univerſalis eccleſiæ, ad quam venerat, jura ſuſcipiens, tertio conventus, tertio perfidiæ denotatus, ſemel anathematizatus, abſceſſit.

Photius pſeudopatriarcha pellitur, & Ignatius reſtituitur.

Photii patroni in mari pereunt.

At vero Baſilius legatus imperatoris, & Joannes metropolita Cæſareæ Cappadociæ Nicolao fuerant deſtinati. Hinc ſanctiſſimo papæ Hadriano cum epiſcopis & proceribus in ſecretario ſanctæ Mariæ majoris juxta morem ſanctæ ſedis apoſtolicæ reſidenti ſe ſatis humiliter præſentarunt; dona & epiſtolas obtulerunt: quibus ſuſceptis ſanctæ Romanæ eccleſiæ, cujus conamine Conſtantinopolitana eccleſia de ſchiſmate purgata ſurrexerat, multiplices gratias retulere, ac poſt innumera laudum præconia concordi voce dixere: Devotiſ-

tissimus filius vester imperator Basilius, & patriarcha munere vestro restitutus Ignatius, dum ecclesia Constantinopolitana per interventum vestrum invasorem Photium populisset, in archivo ejus librum summa falsitate congestum contra ingenium sanctæ Romanæ ecclesiæ, sanctissimique papæ Nicolai reperere. Quem bullatum quasi vere contagiosum a sua urbe penitus populere, vobisque utpote summo capiti, cui Christus cælo terraque solvendi atque ligandi potestatem tribuit, misere.

Quem, precamur, suscipientes rimamini, & fraudulentiam quam insontibus Constantinopolitis noster versipellis Photius inferre potuit, ex eo quod in hanc sanctam Romanam ecclesiam non habentem maculam neque rugam, aut aliquid hujusmodi, audacem linguam exacuit prorsus advertite. Et quid ecclesiæ Dei de hoc latrocinio sit sentiendum, quod sub nomine synodi furtim ab eo confictum est, palam omnibus promulgate. Utrarumque partium consessu pontificem annuente, Romanam contra sedem apostolicam, pontificemque ipsius, quia Photius vocem non habuit, sententiam forte præcipitare potuit, judicium vero librare non potuit. Sed a sede apostolica bis judicatus bisque damnatus est.

Et quia viribus suis Photius confidens in sanctissimum pontificem nostrum Nicolaum falsa garrire non timuit, os suum nimirum in cælum posuit, & linguam suam, ut terram pertransiret, exeruit. Ideoque conciliabuli ipsius librum scrutandum admittimus, ut auctor illius & fabricator mendacii, & inventor perversorum dogmatum tertio judicetur. Egressus metropolita librum exhibuit, & in terram præcipitavit, imprecando illi dicens: Tu maledictus Constantinopoli, sis Romæ iterum maledictus. Te minister Christi Nicolaus novus Petrus veritatis amator attrivit. Et spatharius calce suo, enseque librum percutiens, nihilo minus ait: Credo in hoc opusculo diabolus habitat, quia per os complicis sui Photii ea, quæ per se dicere nequit, eructat.

Photii liber maledicitur.

Nam & subscriptionem Basilii nostri imperatoris post subscriptionem Michaelis, quem ebriosissimum subscribere noctu suasit, falsissime continet, quam ejus non esse restitutio Ignatii declaravit, & satisfactio nostra, si vobis placuerit, jurejurando firmavit. Neque enim unius semper catholici Basilii nomen potuit falso suis feralibus commentis inserere, qui mutato charactere potuit multorum absentium episcoporum nomina cum paucis complicibus suis describere. Quorum videlicet episcoporum universitas tam immunis est hujus subscriptionis, quam tenoris ignara. Siquidem nullus Constantinopolitanorum, quando illud conciliabulum collectum fuisset (quia revera nec fuit) agnovit, sed quia Constantinopolim comprovinciales, veluti regiam civitatem, pro diversis negotiis instar istius urbis ascendunt, pervicacissimus Photius mendacium suum veritatis medicamento, sicut ei a primævo fuerat institutum, linivit.

Photius falso imperatoris & episcoporum nomina libro subscripsit.

Dum in locum quorumdam sanctissimorum episcoporum eives quidem aliquorum illorum, sed transfugas, ut fama vulgatum est, muneribus excæcatos, subscribere fecit. Inde est, quod subscriptionum istius videntur diversi characteres, & quidam eorum acutiori penna, quidam grossa, nonnulli vero decrepitum simulantes grossiori membranam inquinantes describunt, ut videlicet fraude præsentium, simplicitati absentium illudatur: & illud credat facilius universitas esse verissimum, quod dissimilibus literis fecerit falsitas esse diversum. At vos illico subscriptionum quidem dissimilitudinem referentes characteres videbitis. Fraudem vero, nisi Constantinopolim, ut omnis illa ecclesia deprecatur, miseritis, minime cognoscetis. Tunc summus pontifex utriusque linguæ peritis librum scrutandum per aliquot dies decrevit, & omnia quæ in eo continebantur coram synodo fideliter propalari; quæ ubique omnia strenue perscrutata est. Nam venerabilis pontifex, annitente omni senatorio popularique conventu, apud beatissimum Petrum apostolum in defensionem suæ ecclesiæ decessorisque sui sacrum concilium convocavit. Et primo quidem per legatos Constantinopoleos veritate luculenter audita, decessoris sui super hujusmodi literas legens, sinistram ipsius famam purgavit. Deinde Photium cum conciliabulo complicibusque suis tertio anathemate perculit. Ad extremum vero ceterorum subscriptionibus & sententiis roboratum, præ foribus gradum nefandi dogmatis librum cunctorum pedibus conculcatum excussit. Quem nimirum rogus ut tomentum quoddam ignis excepit, & pene, antequam semiustum credi potuisset, cum magno fœtore, piceoque colore consumpsit. Et cum forte focus inundatione pluviæ naturaliter debuisset extingui, & ad pluviam quasi ad guttas olei flamma convaluit, & in laudes Dei, sanctissimique papæ Nicolai, simulque Hadriani summi pontificis miraculi stupor tam Latinorum quam Græcorum corda resolvit. Post hæc cum epistolis decessoris sui, sicut ab eo fuerat ordinatum, Donatum episcopum Ostiensem, & Marinum diaconum Constantinopolim destinavit, deinde ejusdem epistolas suo tantum nomine titulatas, & commonitorium. Sed & Stephanum Neposinum episcopum sociavit, eisque præcepit, ut omne scandalum ecclesiæ Constantinopolitanæ solerter sopirent, consecratisque a Methodio & Ignatio sub satisfactione libelli, quem de scrinio susceperant, proprias ecclesias redderent. Photianis vero sub eadem, ac districtiori satisfactione communicarent quidem, sed sacerdotum judicium usque ad sedis apostolicæ sententiam manente sanctissimi papæ Nicolai judicio protelarent. Itaque multorum anfractuum laboriosos circuitus penetrantes, tandem Christo præduce Tessalonicam veniunt, in quam Basilius imperator Eustachium spatharium candidatum cum suæ salutationis officio sanctæ Romanæ ecclesiæ legatis obviam destinavit.

Photii liber a Basilio imperatore damnatur examinandum.

Concilium convocatur Romæ.

Ignem liber Photii conjicitur.

Legati a papa missi Constantinopolim.

Imperator obvios eis mittit legatos Thessalonicam.

Qui eos admodum honorifice per contigua itineris loca ducens Sillambriam pervenerunt. Ubi a Sisinnio imperiali protospathario, & Theognisto patriarchali hegumeno, qui Romæ apud sanctissimum papam Nicolaum pro restituendo Ignatio sedulus intercessor extiterat, cum quadraginta equis de stabulo imperiali, & totius mensæ argenteo apparatu, officialibusque, qui sibi ad omnem libitum famularentur, sunt excepti, ad Castrum rotundum, in quo est ecclesia miræ magnitudinis sancti evangelistæ Joannis nomine dicata, favore Augustali sabbato mansionem suscipiunt. Et dominica, quæ quinta decima dies Septembris erat, indictione tertia, singulos equos cum sellis aureis devotione imperatoria capientes, obviatis omnibus scholis, videlicet spathariorum, candidatorum, strategorum, mandatorum, ceterorumque palatinorum ordinum, cum omnibus clericorum planetatis ordinibus ad portam Auream veniunt. Ibi a Paulo librorum custode, & Joseph vasorum custode, simulque Basilio sacellario, ecclesiasticis induti vestibus salutati cum syncellis patriarchæ Constantinopoleos sollemniter præceduntur, & ab omni populo cum cereis & lampadibus prosequuntur. Sicque ad Irenes palatinum descendentes, in domum, quæ dicitur Magnaura,

Honorifice excipiuntur Constantinopoli.

ra, a Joanne a secretis, spatharioque candidato, & Strategio spathario candidato, qui submini-
strationis gratia deputati fuerant, laudabiliter susci-
piuntur, per quos imperialia mandata susciplunt devotissime procul dubio suggesta, ne forte mo-
leste ducerent, quod imperiali natalitio imminente, in crastinum susci non valerent. Quo feli-
citer celebrato, misit imperator in occursum ip-
sorum omnes ordines palatinos.

onveniunt illum im-atorem, epistolas æ oscula-.

Quibus præcedentibus ante imperatorem in chry-
sotriclinio sibi continuo assurgentem salutabundi conveniunt, apostolicas epistolas imperatori offe-
runt: quas imperator per semet susciplens oscula-
tur. De statu Romanæ ecclesiæ, & salute domni Hadriani summi pontificis, deque omni eccleslas-
sticorum, senatoriorumque ordine ordinabiliter perscrutatur, legatosque amabiliter osculatus, Igna-
tio patriarchæ jussionem apostolicam perlaturos
folvit, id, dimisit. absolvit. Qui sequenti die ad imperatorem rede-
unt, a quo taliter alloquuntur: Sanctæ Con-
stantinopolitanæ ecclesiæ per ambitionem pervica-
cissimi Photii diversis schismaticorum fluctibus la-
ceratæ sancta omnium ecclesiarum Dei mater ec-
clesia Romana, sanctissimi domni & universalis
ratio im-atoris ad atos. papæ Nicolai (sicut ex eis literis, quarum auc-
toritate præsens pater noster Ignatius, qui violenter fuerat a Photianis expulsus, sedi propriæ nuper, juvante Domino, restitutus est, potest luculenter intelligi) fida provisione consuluit.

Quapropter nos cum omnibus orientalibus pa-
triarchis, metropolitanis, atque episcopis, censu-
ra sanctæ matris nostræ Romanæ ecclesiæ per bien-
nium præstolantes, propter Deum petimus, ut Dei negotium viriliter peragatur, & tandem ali-
quando auctoritate vestri sacri collegii tam pesti-
feræ Photianæ tergiversationis scandala propellan-
tur; quatenus unitas & tranquillitas optatæ diu-
tius juxta decretum sanctissimi papæ Nicolai re-
staurentur. Legati sanctæ sedis apostolicæ respon-
Respondo atorum. derunt: Et nos ideo venimus; ideo missi sumus: sed neminem orientalium vestrorum nunquam in nostram synodum susclpere possumus, nisi oblato libello, cujus formam de scrinio sanctæ sedis apo-
stolicæ sumpsimus, nobis fuerit satisfactum. Im-
perator & patriarcha dixerunt: Quia novum hoc & inauditum de libello proferendo asseritis, ne-
cesse est ut tenoris illius formam videamus. Nec mora, libelli forma prolata est, & de Latino in Græcum conversa omnium notitiæ declaratur. Quorum quidam libellum proferentes in sancta
t fuit viii, odus œcu. nica. synodo resederunt: proferre nolentes extra synodum inglorii relicti sunt, sed dietim fervore sancti Spiri-
tus temperati, præmissa libelli satisfactione ad uni-
tatem sacræ synodi reversi sunt. In hanc synodum
notius in odum ac-r & dam ur, libris combu Photius ille pervasor de multis criminibus perpe-
tratis rationem redditurus adducitur. Omnes epi-
stolæ sanctæ Romanæ ecclesiæ contra eum prola-
tæ deguntur. Et depositionis ac anathematis sen-
tentia dudum apostolica sede prolata, in eum ab omnibus idemtidem jaculatur, inque ipsius con-
spectu nefandissimi conciliabuli profanata volumi-
na, quibus contra sanctissimum papam Nicolaum susurra fauce latraverat, igne combusta, veritatis, innocentiæque lampas emicuit. Qui laqueum, quem olim alteri paraverat glorificandus, nunc rationis virtute ad extremam taciturnitatis iner-
tiam devolutus intravit; & apertum sibi commu-
nionis ostium, qui sub satisfactione libelli susci-
piendus admonebatur, quasi cæcus in meridie de-
odus de-habuit onat. clinavit. Denique gestis salubriter omnibus, quæ in decem sessionibus synodi textus complectitur, legati sanctæ Romanæ ecclesiæ texlum synodi, ne quid Græca levitas falsum in eum congesserit, a synodi ostasio bi- Anastasio sanctæ sedis apostolicæ bibliothecario (qui tunc temporis pro causa Ludovici sereniss-
simi nostri Augusti cum Suppone archimini-
stro post eos Constantinopolim, divina ut creditur dis-
pensatione, pervenerat) subtiliter inquirendum, antequam subscribant, commisunt. A quo, quia in utrisque linguis eloquentissimus existebat, stu-
diosissime perscrutatus, omne quod ad laudem serenissimi nostri Cæsaris sanctissimus domnus Hadrianus pontifex in epistola sui decessoris Ar-
senio episcopo imminente adjecerat, resecatum inveniunt. bliothecario Græce perito exami nanda dan-tur.

Quapropter epistolam sedis apostolicæ, fraudu-
lenter corrosam summis clamoribus conqueruntur, fatentes se nullo modo synodalibus actionibus sub-
scripturos, nisi totius epistolæ integritas gestis sy-
nodicis jungeretur. Hoc modo Romanis certan-
tibus; Græcis vero, non esse in synodo de lau-
de imperatoris, sed solius Dei tractandum altisone respondentibus, nomenque Imperialis nostro Cæ-
sari penitus invidentibus; tandem ad hoc usque perventum est, ut interposita conditione volunta-
tis apostolicæ diffinitis sententiis minus finite sub-
scriberent, ita legentes: Ego ille vices agens Do-
mini mei sanctissimi & universalis Hadriani papæ in hac sancta synodo præsidens usque ad volunta-
tem ejusdem eximii præsulis, ad omnia, ut su-
perius legitur, consensi, & manu propria sub-
scripsi.

His expletis quidam Græcorum imperatorem conveniunt, & Constantinopolitanam ecclesiam per oblatos libellos in potestatem Romanam redactam flebiliter conqueruntur, & dubietate subscriptio-
num, omnia quæ in synodo decreta fuerant, re-
volvenda, cunctaque recidivis erroribus confun-
denda fatentur: & nisi libellos reciperent, liber-
tatem pristinam se non posse recipere fingunt. Et illico quidam libellorum a custodibus, quoniam excellentiorum episcoporum libellos legati sanctæ Romanæ ecclesiæ, futurorum præscii, prorsus oc-
culuerant, defraudantur. Ac per hoc incredibili-
ter consternati ipsi legati, Supponis archimini-
stri, & Anastasii disertissimi sanctæ sedis apostolicæ bi-
bliothecarii fidelissimis auxiliis innituntur. Quibus diverso modo non sine magno labore periculis im-
minentibus, libellos quidem vix tandem recipiunt: sed imperatoris iram pro nimia suæ districtione fi-
dei vehementer incurrunt.

Igitur post diem tertium, quo sacratissima sy-
nodus cum suis scriptionibus omnino in codice consummata, retractaque ad omnem elegantiam in ecclesia sanctæ Sophiæ fuerat, ab imperatore in domo, quam cum vicariis patriarcharum, vi-
delicet Alexandrino, Antiocheno, & Hierosoly-
tano, simulque patriarcha Ignatio, qui cum ali-
quibus ibi residebat, callide convocati sedere ju-
bentur, & quod principes Bulgarorum eis lite-
ras, & dona per Petrum, aliosque direxerint, audiunt. Bulgarorum legati au-diuntur.

Quorum legationem imperatore potissimum an-
nuente susciplunt, sicque post salutationem Pe-
trus Bulgarorum legatus exorditur: Domnus Mi-
chael princeps Bulgaricus audiens quod pro uti-
litate sanctæ Dei ecclesiæ ex diversis partibus au-
ctoritate sedis apostolicæ conveneritis, gratanter accepit, vobisque, qui ex sede apostolica missi estis, quia in vestro transitu vestris cum literis visitare dignati estis, multiplices gratias agit. Le-
gati sanctæ Romanæ ecclesiæ responderunt: Nos quia vos filios sanctæ Romanæ ecclesiæ novimus, insalutatos vos prætierire neque debuimus, neque voluimus: quos nimirum sancta sedes apostolica ut propria membra complectitur. Bulgari filii Romanæ ec-clesiæ.

Bulgarorum legati dixerunt: Usque hodie pa-
gani fuimus, & nuper ad gratiam Christianitatis

acces

acceſſimus: ideoque, ne in aliquo errare videamur, cui eccleſiæ ſubdi debeamus, a vobis, qui vices ſummorum patriarcharum geritis, noſſe deſideramus. Legati ſanctæ Romanæ eccleſiæ reſponderunt: Sanctæ Romanæ eccleſiæ, cui per te, o Petre, tuus * ſenior & beato apoſtolorum principi Petro cum omni gentis ſuæ populo ſe tradidit, a cujus ſucceſſore, videlicet egregio papa Nicolao, & præcepta vivendi, & epiſcopos ac presbyteros ſuſcipere meruit: vos & pertinuiſſe & pertinere debere etiam in eo monſtratis, quod poſtulatos noſtros ſacerdotes & ſuſcepiſtis, & hactenus veneratione congrua retinetis.

* Senior id eſt dominus rex.

Bulgarorum legati quærunt utrum Romanæ an potius Conſtantinopolitanæ eccleſiæ debeant ſubeſſe.

Bulgarorum legati dixerunt: A ſancta Romana eccleſia ſacerdotes nos petiiſſe, & ſuſcepiſſe, & hactenus habere nos confitemur, & eis in omnibus obedire decernimus, verum utrum Romanæ an Conſtantinopolitanæ eccleſiæ rationabilius ſubdi debeamus, cum his patriarcharum vicariis definite. Legati ſanctæ Romanæ eccleſiæ reſponderunt: Propter quæ nos ſancta ſedes apoſtolica cum orientalibus diffinienda mandaverat, Domino juvante finivimus; de cauſſa autem veſtra non ſecus quam diffinita eſt diffinienda, quia nihil in mandatis accepimus, nihil vel diffinimus, vel in præjudicium ſanctæ Romanæ eccleſiæ diffinienLegati papæ reſpondent, Romanæ ſubeſſe debere.

dum cenſemus. Quin immo, quia omnis veſtra patria noſtris ſacerdotibus ubique plena eſt, nulli vos niſi ſanctæ Romanæ eccleſiæ pertinere debere, diffinitiva ſententia, quantum ex nobis eſt, promulgamus.

Vicarii orientalium patriarcharum Bulgaris dixerunt: Quando vos illam patriam cœpiſtis, cujus poteſtati ſubdita erat, & utrum Latinos, an Græcos ſacerdotes habuerit, dicite?

Legati Bulgarorum dixerunt: Nos illam patriam a Græcorum poteſtate armis evicimus, in qua non Latinos, ſed Græcos ſacerdotes reperimus.

Orientales volunt Conſtantinopolitanæ debere ſubeſſe ob linguam Græcam.

Vicarii orientalium reſponderunt: Si Græcos ſacerdotes ibi reperiſtis, manifeſtum eſt, quia ex ordinatione Conſtantinopoleos illa patria fuit.

Legati ſanctæ Romanæ eccleſiæ reſponderunt: A Græcis ſacerdotibus argumentum ſumere non debetis: quia linguarum diverſitas eccleſiaſticum ordinem non confundit. Nam ſedes apoſtolica, cum ipſa Latina ſit, in multis tamen locis pro ratione patriæ Græcos ſacerdotes & ſemper & nunc uſque conſtituens, privilegii ſui detrimenta ſentire nec debet, nec debuit.

Romanus papa habet jus etiam Græcos ſacerdotes ordinandi & mittendi.

Vicarii orientalium patriarcharum dixerunt: Etiamſi Græcorum presbyterorum ordinationem veſtri juris fuiſſe doceatis; illam tamen patriam Græcorum regno pertinuiſſe nunquam negare poteritis.

Legati ſanctæ Romanæ eccleſiæ reſponderunt: Sicut Bulgariæ nobis diverſo modo pertinere ordinationem nos dicentes mendacium non loquimur, ita nimirum eamdem Bulgariam ex Græcorum regno fuiſſe nunquam negamus. Sed in-

Non jure regnorum, ſed ſedium.

tueri vos decet, quia aliud ordinant jura ſedium, aliud patiuntur diviſiones regnorum. Nos de diviſione regnorum non agimus, ſed de jure ſedium loquimur.

Vicarii orientalium patriarcharum dixerunt: Illud quod vobis diverſo modo Bulgariam pertinere dicitis, addiſcere volumus. Legati ſanctæ

Epirus utraque jam olim papæ ſubjecta.

Romanæ eccleſiæ reſponderunt: Sedes apoſtolica, juxta quod decretalibus ſanctiſſimorum Romanorum præſulum doceri poteritis, utramque Epirum, novam videlicet, veteremque, totamque Theſſaliam, atque Dardaniam, in qua & Dardania civitas hodie demonſtratur, cujus nunc patria ab his Bulgaris Bulgaria nuncupatur, antiquitus canonice ordinavit, & obtinuit. Ac per hoc ordinationem, quam tunc paganorum Bulgarorum irruptione amiſerat, non a Conſtantinopolitana eccleſia, ut modo fingitur, abſtulit, ſed ab his factis modo Chriſtianis recepit. Secundo modo, quia Bulgari, qui jure gentili ſibi patriam ſubjugantes, ecce per tot annos retinent quod cœperunt, ſedis apoſtolicæ ſemet (ut ſuperius diximus) patrocinio ordinationique ſpecialiter committentes, nobis debent nec immerito ſubjici, quos ultronea voluntate magiſtros elegere. Tertio modo, quia eoſdem Bulgaros ſancta ſedes apoſtolica, juſſu quondam ſanctiſſimi papæ domini Nicolai, tam per aliquos noſtrum qui hic ſumus, illic multas eccleſias dedicantes, ſacerdotes creavimus, quam per Paulum, Dominicum, Leopardum, ac Formoſum venerabiles epiſcopos, ſed & Grimoaldum coepiſcopum noſtrum, quem hactenus iſti Bulgari cum multis noſtris ſacerdotibus in conſpectu noſtro habere ſe faſſi ſunt, a diverſis erroribus ad catholicæ fidei veritatem multo ſudore, Chriſti gratia præduce, transferens, ecce ultra triennium tenuit, tenet, ordinat, ac diſponit. Ideoque conſequens non eſt, ut ſine conſcientia Romani ſummi pontificis eccleſia Romana, de quibus præſentialiter veſtita cernitur, ſpolietur.

Tribus rationibus probant legati Bulgaros jure ſubdi Romanis.

Vicarii orientalium patriarcharum dixerunt: At quem iſtorum modorum modo diſpenſare velitis, edicite. Legati ſanctæ Romanæ eccleſiæ reſponderunt: Sancta ſedes apoſtolica vos, quia revera inferiores eſtis, ſuper ſua cauſſa judices nec elegit, nec per nos eligit, utpote quæ de omni eccleſia ſola ſpecialiter fas habeat judicandi: ſed neque nobis de hac cauſſa ſententiam proferre commiſit. Quapropter quod ab ea faciendum non accepimus, ejus cogitionis judicio quæ librorum multiplicitate ad defenſionem ſui multa proferre prævalet, ex integro reſervamus; a qua omnis veſtra ſententia tanta facilitate deſpicitur, quanta levitate profertur.

Romana eccleſia ſola jus habet judicandi de aliis, & nulla de ipſa.

Vicarii orientalium patriarcharum dixerunt: Satis indecens eſt, ut vos, qui Græcorum imperium detrectantes, Francorum fœderibus inhæretis, in regno noſtri principis ordinandi jura ſervetis. Quapropter Bulgarorum patriam, quam ex Græcorum poteſtate dudum fuiſſe, & Græcos ſacerdotes habuiſſe comperimus, ſanctæ eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, a qua per paganiſmum receſſerat, nunc per Chriſtianiſmum reſtitui judicamus.

Orientales conenduot Bulgaros ſubjectos eccleſiæ Conſtantinopolitanæ.

Legati ſanctæ Romanæ eccleſiæ reclamantes dixerunt: Sententiam quam non electi, neque admiſſi, ſive tumore, ſeu gratia, vel quidquid illud eſt, modo præcipitaſtis potius quam protuliſtis, auctoritate ſancti Spiritus uſque ad diffinitionem ſanctæ ſedis apoſtolicæ omnino reſcindimus, ita ut nullo modo vel nomen habere ſententiæ mereatur. Teque adjuramus, patriarcha Ignati, auctoritate ſanctorum apoſtolorum principum coram Deo, ſuiſque angelis, omnibuſque præſentibus conteſtamur, ut ſecundum hanc epiſtolam ſanctiſſimi reſtitutoris tui domni Hadriani ſummi pontificis, quam tibi ecce offerimus, induſtria tua ab omni Bulgaria ordinatione immunem te, nullum tuorum illuc mittendo, cuſtodias, ne ſancta ſedes apoſtolica, quæ tibi tua reſtituit, per te ſua perdere videatur, quin potius, ſi, quod non credimus, juſtam te habere querimoniam æſtimas, ſanctæ Romanæ eccleſiæ reſtitutrici tuæ ſollemniter ſuggerere non omittas.

Reclamant legati papæ.

Tunc patriarcha Ignatius apoſtolicam epiſtolam ſuſcipiens, licet magnopere admonitus eam legere diſtuliſſet, reſpondit: Abſit a me, ut ego his præ-

Ignatius patriarcha credit legatis.

præsumptionibus contra decorem sanctæ sedis apostolicæ implicer, qui nec ita juveniliter ago, ut mihi subripi valeat, nec ita seniliter deliro, ut quod in aliis reprehendere debeo ipse committam. Hoc fine collocutio illa finita est.

Sed imperialis commotio, licet spem fronte simularet, augmentum suscepit. Legatos tamen sanctæ Romanæ ecclesiæ ad prandium convocans donis optimis decoravit, eosque Theodosio spathario, non ea qua congruebat sollicitudine, deducendi gratia commendavit, Acodytcharium usque perducti, negligenterque sine ulla provisione dimissi. Post dies aliquot navigantes, in Sclavorum deducti manus, proh dolor, inciderunt, bonisque omnibus, ac authentico, in quo subscriptiones omnium fuerant, exemplari denudati sunt, ipsique capite plexi fuissent, nisi ab his, qui ex illis aufugerant, sibi timuissent. Tandem apostolicis imperialibusque literis ab exilio liberati, & undecimo Kalendarum Januariarum die, indictione quarta, Romam reversi, omnia quæ superius diximus coram sanctissimo summo pontifice ac proceribus retulerunt, nihilque aliud scripturarum, quam librum actionis Ignatii, & libellos quos a Sclavis receperant, & reliquos libellos quos Supponi archiministro, & Anastasio prudentissimo bibliothecario sanctæ sedis apostolicæ (* cujus præscientiæ sollicitudine exemplar amissæ synodi, quod sibi scribendum impetraverat, ecclesia Romana suscepit) dudum Constantinopoli commendaverant, ostendere potuerunt.

Superiore tempore Formosus Portuensis & Paulus Populonienſis venerabiles episcopi, qui cum ceteris jussu sanctissimi papæ Nicolai causſa prædicationis destinati fuerant, remeantes de Christianitate Bulgarorum, ac omnimoda subjectione, qua specialiter sanctæ Romanæ ecclesiæ devotissima colla submiserant, sedem apostolicam recreaverunt, & Michaelis Bulgarici regis legatum, Petrum nomine, summo pontifici præsentarunt. Qui legatus cum donis regalibus regias quoque literas obtulit, summum præsulem summopere deprecantes, ut aut Marinum sibi bene compertum diaconum archiepiscopum consecratum remitteret, aut aliquem ex cardinalibus dumtaxat suæ ecclesiæ virum sapientia, persona, vitaque archiepiscopatu dignissimum Bulgaris eligendum dirigeret, quem post approbationem eorumdem, denuo remeantem archiepiscopali ministerio sublimaret. Sed Marino Constantinopolitanum missaticum devotissime, ut diximus, sortito, summus pontifex Silvestrum quemdam Bulgaris eligendum direxit, quem cum Leopardo Anconitano, & Dominico Tarvisiensi episcopis, simul & literas pro archiepiscopo aut Formoso Portuensi episcopo remittendo importunissime deprecantes remittentibus Bulgaris magna sub velocitate recepit. Quibus inter nonnulla rescripsit, ut quemcumque nominatim devotio regalis exprimeret, eum sine dubio pontificalis provisio Bulgaris archiepiscopum commodaret. At vero Bulgarorum rex expectationum moras diutius ferre non valens, ad Græcorum imperatorem natorum Theodoræ occasione, qui alterna regna sibi alternatim rapere machinabantur, adductus eumdem Petrum, quem a Roma sine desiderii sui effectu sero receperat, cum aliis e latere suo Constantinopolim requisitionis gratia, cui potissimum Bulgaria pertinere deberet, emisit, ibique a legatis nostris, quod juri Romano pertinerent, sunt convicti; at postmodum per orientales Constantinopolitanosque donis ac promissionibus persuasi Græcos sacerdotes, juxta quod Grimoaldus episcopus, qui ab his se repulsum fatetur, suscipientes, nostros ejiciunt, & per eumdem Grimoaldum episcopum, quia sine conscientia sedis apostolicæ, commissum sibi prædicationis officium deserens, Romam ditissimus remeavit, magnum epistolæ volumen frivolis allegationibus tamquam sub prætextu deliberatæ sententiæ synodo præsidentium implicatum apostolicæ sedi super excusatione sua remisit. In quo facto quia episcopus a Bulgaris expulsum epistola tacente se asserit, & presbyteri non se pulsos a Græcis, vel Bulgaris, sed ab episcopo circumventos, profecto dubium, quin mutuæ subsit proditionis imago, donec Christus renum rimator & cordium, in suorum servorum examine hanc in lucem protulerit, non videtur. Locus mendosus.

Videntur aliqua deesse sub finem.

Nota Severini Binii.

a *Hadrianus.*) Cum ab obitu Nicolai papæ menstruo spatio sedes pontificia pastore destituta fuisset, decimo nono Kalendas Januarias Hadrianus ergæ pauperes munificentissimus, dandisque eleemosynis miraculose illustratus, in thronum apostolicum, quantumvis reluctaretur, evectus fuit communi totius cleri ac populi consensu. Ludovicus imperator electionem Hadriani legatis imperialibus absentibus factam, ea intentione, ne consuetudo expectandi legatos imperatoris electioni apostolicæ præjudicium pareret, non tantum non improbavit, sed legitime factam commendavit, & deinceps ita fieri & usurpari per literas demandavit. Hadrianus pontifex factus quando.

Postquam volumen Photii contra Nicolaum papam confictum accepisset, illudque viris doctis & peritis examinandum tradidisset, convocato concilio Romano, de quo infra, Photium ter anathemate perculit, ejusque volumen igni adjudicavit. Ejusdem auctoritate ad petitionem orthodoxorum orientalium indicta est octava synodus œcumenica, de qua, præter ea quæ in vita Hadriani supra recensentur, plura dicemus infra in notis ejusdem concilii. Photii scripta comburuntur.

Lotharius rex Galliæ Hadrianum per epistolam rogat, ut quod a Nicolao obtinere non poterat, ipse benigne concedat: nimirum, ut pro sui expurgatione ad urbem venire liceat. Sed cum aliquoties illud petenti papa denegasset, permisit tandem: non sine ingenti orientalium Romæ degentium offensione, quasi ex professo acta S. Nicolai papæ prædecessoris sui rescinderet omnia, eo ipso, quod quem ille urbis accessu indignum prohibuerat, hic admiserit: quosque ille cum Gunthario Coloniensi relegaverat, aliisve pœnis addixerat, hic ab exilio revocaverit, & a pœnis absolverit. Qua ratione autem ab hac suspicione se liberaverit, refertur in vita Hadriani papæ supra.

Actardum Nannetensis ecclesiæ episcopum literis duarum synodorum Trecensis & Suessionensis commendatum a Northmannis, sua ecclesia spoliatum, & a Britannis eadem pessumdata multa perpessum, virum pietate & doctrina insignem, cum Romam venisset, digne excepit, eumque, ut haberet unde viveret providit, atque etiam pallio exornavit. Hæc ex epistolis Hadriani pro Actardo ad diversos scriptis. Actardus quis?

Lothario rege defuncto, Carolus Calvus regnum, quod Ludovico fratri illius jure hæreditario debebatur, per tyrannidem invasit. Quod cum pontifex intellexisset, eas quas infra cusas invenies epistolas ad Carolum regem ejusque regni optimates & episcopos scriptas per legatos transmisit: verum pontificis reprehensionem a Carolo bene acceptam, requę infecta legatos dimissos fuisse, cum filium ejus, quem in vinculis detinebat, Carlomannum liberassent, testatur Almoinus libro quinto capite vigesimo septimo. Lothario defuncto regnum ejus Carolus invadit.

Ludovicus imperator coronatur Romæ ab Hadriano rex Francorum, & successor fratris germani in illo regno, cujus regem Carolum Calvum jam ante coronaverat Hincmarus Rhemensis episcopus. Quæ res cum Basilio in oriente innotuisset, ille ad eum legatum misit cum literis quibus increpabat usurpantem nomen imperatoris, quod ille e literis Hadriani papæ per legatos Constantinopolim allatis abradi jusserat, quantumvis legati sedis apostolicæ reclamarent. Quibus acceptis, Ludovicus ad eumdem Basilium Autprandum legatum decrevit; cui ad eumdem imperatorem gravem & satis acrem apologeticam dedit epistolam, quæ extat apud Baronium anno 871. num. 51. Ludovicus imperator coronatur rex Galliæ. Basilius nomen Ludovici imperatoris erasit.

Tempore Hadriani papæ ecclesia Anglicana dignum exemplum regis maximi, pii, fideique constantis exhibet: De quo Matthæus Westmonasterienſis ista scribit: *Erat rex Æthelredus in tentorio missam audiens, ubi cum sæpe a suis invitaretur ad certamen, constanter affirmavit se non recessurum priusquam presbyter missam complevisset. Quæ fides Christiani regis multum sibi profuit die illa; victo scilicet adversario hoste potentissimo.* Hæc Matthæus. Exemplum constantiæ fidei.

Post hæc cum Hadrianus papa sedisset annos quatuor, men-

Hadriani obitus.

menſes decem, & dies ſeptemdecim, mortuus eſt anno redemptoris noſtri octingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, ipſis Kalendis Novembris: teſtatur illud Aimoinus hujus temporis ſcriptor * libro 5. cap. 29. in fine.

* errat. Quis auctor vitæ Hadriani?

Is enim qui poſt Anaſtaſium vitam Hadriani ſecundi & Stephani ſexti deſcripſit, collector potius, auctore Baronio, quam ſcriptor vitarum pontificum præteritorum eſt aſſirmandus.

Onuphrius Panvinius in Platinam poſt Nicolaum I. hæc notat: *Ad hunc uſque Nicolaum Romanorum pontificum vitas ſcripſit Anaſtaſius monachus, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ bibliothecarius, ſub quo & ejus ſucceſſoribus Hadriano II. & Joanne VIII. in orbe floruit. Quæ ſequuntur continuavit Guilielmus quidam alter bibliothecarius, quæ in libro, qui ſub Damaſi nomine circumfertur, extant.* Sed cum omnes Vaticanæ bibliothecæ codices Anaſtaſii hujus & quorumdam ſequentium pontificum vitas habeant, hanc ſententiam Onuphrii divinationem eſſe putat Baronius anno 88. num. 7.

EPISTOLA I. HADRIANI PAPÆ II.

AD BASILIUM.

Laudat imperatorem quod Ignatium reſtituerit. Nicolai pro Ignatio decreta pollicetur ſe obſervaturum. Theognoſtum exarchum commendat.

Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectiſſimo filio & Chriſtianiſſimo imperatori Baſilio a Deo protecto ſemper Auguſto.

QUoniam, tranquilliſſime imperator, audiſti vocem Dei, *&c. Extat infra actione 7. octavæ ſynodi verſionis Anaſtaſii.*

II. AD IGNATIUM.

Miratur quod ſe de ejus reſtitutione certiorem non fecerit: pollicetur ſe obſervaturum quæ a Nicolao pro eo decreta ſunt. Theognoſtum exarchum, nec non Euthymium imperatoris legatum ei commendat.

Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei honorabiliſſimo fratri & conſacerdoti noſtro Ignatio ſanctiſſimo patriarchæ Conſtantinopolitano.

COnvenerat ſanctitatem tuam, licet nos ad ſui adjutorium primum minime provocaverit, *&c. Extat actione 7. octavæ ſynodi verſionis Anaſtaſii.*

EPISTOLA BASILII IMPERATORIS

AD NICOLAUM PAPAM.

Hæc epiſtola miſſa eſt Nicolao, ſed eo defuncto reddita eſt Hadriano.

Brevi repetit quæ alias ſcripſit de calamitatibus, quibus Conſtantinopolitanam eccleſiam imperii ſui initio vexatam reperit: nuntiatque Photio expulſo Ignatium fuiſſe reſtitutum. Petit per legatos, ut ſtatuat, quid agendum cum his qui a Photio fuerunt ordinati, vel cum eo communicaverant. Poſtulat, ut quid ipſe pontifex ſtatuerit, per ejus legatos ſibi ſignificet.

In nomine Patris, & Filii, & ſancti Spiritus unius, & ſolius, & veri Dei, Baſilius fidelis imperator Romanorum, Nicolao ſanctiſſimo papæ Romano, & ſpirituali quoque patri noſtro.

QUaliter ſe habeat mentis noſtræ voluntas ſuper eccleſiaſticis negotiis noſtris, *&c. Extat infra actione 3. verſionis Anaſtaſii, & Græco-latina novæ translationis in eadem ſynodo, actione 3.*

III. AD BASILIUM IMPERATOREM.

Significat legatos ad Nicolaum miſſos ſe recepiſſe. Imperatorem de Ignatii reſtitutione laudat. Clericorum cauſſas qui Photio adhæſerant, vult in ſynodo Conſtantinopoli juſſu ſuo celebranda agi: in qua etiam jubet Photii conciliabuli exemplaria comburi, & Romanæ ſynodi capitula a ſingulis epiſcopis ſubſcribi: poſtremo ſuos & Ignatii legatos commendat.

Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei Deo amabili ac piiſſimo imperatori Baſilio Auguſto Chriſtianiſſimo & deſiderabiliſſimo filio.

LEgationis excellentiæ tuæ præſtantiſſimos gerulos ad anteceſſorem meum, *&c. Extat infra prima actione octavæ ſynodi Latinæ verſionis Anaſtaſii, item Græco-latina eadem actione octavæ ſynodi, ſed alterius translationis.*

EPISTOLA IGNATII

Iſta epiſtola miſſa fuit Nicolao, ſed eam, defuncto, recepit Hadrianus.

AD NICOLAUM PAPAM.

Gratias agit pontifici, quod Photium, cujus facinora narrat, damnaverit, ſeque ſuæ ſedi reſtituendum decreverit, quod ab imperatore executioni mandatum nuntiat: conſulitque per legatos pontificem, quid de iis agendum, qui aut a Photio promoti, aut a ſe ordinati, Photium ſecuti ſunt: præcipue vero commendat archiepiſcopum Cæſareæ, qui reſipiſcens a Photii errore, a quo fuerat ordinatus, multa pro fidei veritate paſſus eſt, demum petit, ut his de rebus legatos Conſtantinopolim mittat.

Deo honorabili dilecto fratri & comminiſtro Nicolao ſanctiſſimo papæ ſenioris Romæ, Ignatius miſericordia Dei archiepiſcopus Conſtantinopolitanus.

EOrum vulnerum atque livorum qui in membris hominis conſiſtunt, *&c. Extat actione 3. VIII. ſynodi.*

IV. AD IGNATIUM PATRIARCHAM.

Narrat prædeceſſoris Nicolai diligentiam, quam in ejus reſtitutione adhibuit, ſuamque parem voluntatem teſtatur. Gratulatur de ejus reſtitutione, qua de cauſſa imperatorem commendat. Oſtendit eos qui a Photio ordinati ſunt, ab omni ordine eſſe depoſitos: eos autem qui ab Ignatio promoti Photio communicaverant, ſi libellum quem legati deferunt ſubſcripſerint, recipiendos decernit. Præcipit ut Romanæ ſynodi capitula in concilio epiſcopi ſubſcribant; demum Joannem metropolitam commendat.

Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverendiſſimo & ſanctiſſimo confratri & comminiſtro noſtro Ignatio patriarchæ Conſtantinopolitano.

NEc ſcriptura pandere, nec profecto lingua ſufficit enarrare, *&c. Extat infra actione 3. octavæ ſynodi verſionis Anaſtaſii, & eadem actione Græco-latina, ſed diverſæ translationis.*

EPI-

EPISTOLA SYNODICA EX CONCILIO CONSTANTINOPOLITANO AD HADRIANUM II.

Nuntiat diligentia legatorum omnia recte esse peracta. Imperatorem laudibus effert, & a pontifice confirmationem petit.

Domino sanctissimo & coangelico summo sacerdoti & universali papæ Hadriano, sancta & universalis synodus Constantinopoli congregata, in Domino salutem.

OPportunum est cum sapientissimo Salomone nunc & nos clamare: *&c. Extat in fine octavæ synodi versionis Anastasii.*

V. AD BASILIUM IMPERATOREM.

Laudat ejus religionem. Conqueritur apocrisiarios suos nudos ac deprædatos rediisse. Ægre fert Ignatium Bulgaris antistitem consecrasse. De tribus capitulis quæ in synodo octava manserant indefinita, quæque Ignatius & Basilius imperator per literas ad pontificem scriptas ab eo definiri petiverant, respondet nihil ab eo diversum, quod jam constitutum erat, denuo se posse decernere. Eugnomenum & Theognostum de multa sedulitate commendat.

Hadrianus episcopus servus servorum Dei dilectissimis ac spiritalibus filiis Basilio, Constantino, & Leoni piissimis & tranquillissimis imperatoribus.

LEctis excellentis imperii vestri literis, *&c. Extat in fine octavæ synodi, ex versione Anastasii.*

VI. AD SYNODUM TRICASSINAM.

Probat illorum in colligendis gestis diligentiam, & pallium concedit Vulfado. Hortatur ut Nicolai nomen scribant in diptychis, caveantque ne quidquam contra ejus acta vel decreta tentetur.

Hadrianus episcopus servus servorum Dei sanctæ & in Christo diligendæ synodo apud Trecas collectæ.

LEgationis vestræ scripta, beatæ memoriæ decessori meo papæ Nicolao missa, nos jam in sede illius divina dignatione locati suscepimus, promptissimamque obedientiam vestram, quam in colligendis gestis, secundum diffinitionem prænominati sanctissimi præsulis exhibuistis, laudavimus. Et licet ad seriem rerum gestarum luce clarius agnoscendam non sufficiant, quæ tam de Ebonis dejectione, quam de his quæ postmodum acta sunt unanimitas vestra descripsit, & nonnulla relationi vestræ desint eorum quæ super his gesta sunt, quæque jam memoratus, & semper memorandus pontifex apostolicæ sedi voluit ex integro referari: pium tamen laborem vestræ sanctitatis & studium non solum laudabile, sed & longe lateque prædicabile judicamus. Innocentia quippe jam nunc fratris & coepiscopi nostri Vulfadi & collegarum ejus, quam quidam emergens casus per non brevis temporis intercapedinem obumbraverat, retractatione & refricatione vestræ sacratæ & apostolicæ sedis auctoritate frequenter adunatæ solertiæ, ecce, Deo gratias, venit ad lucem, & justitiæ suæ radios ad omnium omnino A certitudinem foras quasi solis splendor extendit. Ideoque nos vestrum judicium, ac vestram sententiam, quam apostolicæ sedis censura, sicut exegit ordo, præcessit, approbamus, admittimus & corroboramus: atque postulationi vestræ, cui quidquam negari difficillimum est, annuentes, ad pleniorem confirmationem, usum pallii jam dicto fratri nostro Vulfado Bituricensi antistiti, secundum priorem consuetudinem, ad genium & decus ecclesiæ sibi commissæ, & institutionem ipsius concedimus. Quod etiam sæpe memoratus decessor noster jamdudum libenter annueret, si quæ nunc misistis ipse reciperet, vel si is qui hoc suscipere conabatur, a Bituricensi missus probaretur ecclesia. Sed quod ille non egit, ecce nos egimus. Quin potius, quod ille perficere deliberaverat, nos ecce Deo auctore supplevimus. Non quippe est diversitas operis, ubi est una eademque concordia voluntatis: præsertim cum debeamus ei in labore succedere, cui successimus in honore. Nimirum qui sumus, ut psalmista canit, *Pro patribus nati filii*, & constituti, quamvis longe meritis impares, super omnem universalis sanctæ ecclesiæ terram. Precamur autem, & obsecramus in Domino, ut sicut nos unanimis fraternitatis vestræ precibus annuimus, & assensum de cetero non solum in hoc, sed & in omnibus præbere disponimus; ita quoque vos meis nunc votis satisfacere procurantes, crebro dictum apostolicæ recordationis papam Nicolaum in codicibus vel diptychis ecclesiarum vestrarum scribi, & nomen ejus inter sacra missarum sollemnia imprætermisse recitari faciatis: ita ut aliis quoque fratribus, & diœceseon vestrarum sacerdotibus, idipsum agere præcipiatis. Nihilo minus vero suadere vestræ dilectioni curamus, & admonemus, ut tam Græcis principibus, quam omnibus omnino clericali fungentibus ordine, contra personam ejus, vel acta seu decreta ipsius, agere vel decernere quidquam tentantibus, tam verbo, quam scripto viriliter obvietis, ac validissime resistatis. Scientes præterea, quia quæcumque hic adversus ejus personam vel acta seu decreta gerentur, me his nunquam præbiturum fore consensum: nec eis a quibuscumque, vel quomodocumque fiant, meum interesse mentis, vel diffinitionis, aut dispositionis affectum. Quamquam si quilibet apostolicæ sedis misericordiam humiliter postulaverit, circa hos præmissa satisfactione mitius agere nullo modo velimus inflexibiles apparere. Tantum ne hujusmodi homines sic innocentiam suam asserere studeant, ut in accusationem tanti pontificis, maximeque in Dei judicio collocati, quoquo modo prorumpere audeant: præcipue cum illum dum advixit, nemo impetere præsumpserit, vel eum de injusto judicio arguere, vel tenuiter ausus extiterit; nisi forte hunc quis humiliter adiit, cui ille satisfactione nondum curata jure remittere non consensit. Estote igitur circa hæc vigiles, estote fortes, & ista omnibus ultra Alpes constitutis episcopis nuntiantes, ut & ipsi quoque super his solliciti & intenti propugnatores sint, salutaribus monitis incitate. Quoniam si sedis apostolicæ præsul, vel ipsius decreta, detestationi vel abdicationi habentur, nullius vestrum vel nomen vel institutum firmum aut stabile permanere valebit. Quin potius & dogmatibus, quæ de sancta & individua Trinitate a præsulibus sedis apostolicæ promulgantur, nonnulla possunt fieri detrimenta, si præcedentium quorumque & maxime primæ sedis pontificum statuta vel ulli, quod dici nefas est, quin & ipso auditu prorsus horrendum, a subsequentibus quibusque, immo & inferioribus, abolitioni cuidam vel damnationi subjiciantur, vel

Ivo part 5 cap. 34.

vel impiæ temeritatis ausu saltem soli derogationi prodantur. Sanctam fraternitatem vestram optamus nunc & semper in Christo bene valere. Data XV. Nonas Februarii, indictione prima.

VII. AD EPISCOPOS SYNODI SUESSIONENSIS.

Actardum episcopum, pro quo scripserant, ecclesiæ quæ vacabit, etiam metropolitanæ incardinari jubet, eique ad afflictionum solatium pallii usum concedit.

Reverentissimis & sanctissimis confratribus & coepiscopis nostris, qui præterito anno apud Suessionicam urbem convenerunt.

INter cetera quæ apostolicæ sedis auctoritate in idipsum convenientes, de fratre jam & coepiscopo nostro Vulfado, & collegis ipsius præterito anno synodice definistis, etiam apostolicæ sedi causam venerabilis fratris nostri Actardi, Namneticæ quondam urbis episcopi, seu tribulationes exposuistis; simul etiam hunc mirifice commendantes, quo illi a tanta sede subveniretur, unanimiter ac magnopere postulastis. Quorum relationem, sive suggestionem, tanto gratanter tantoque libenter nos, jam Deo auctore illius sedis licet immerito moderamine potiti, suscepimus, quanto hanc ex fraternæ dilectionis affectu prodiisse luce clarius intelleximus. Præcipue cum ei vobiscum præcessorum meorum, Leonis scilicet & Nicolai sanctissimorum præsulum, recensita scripta non parvipendendum perhibeant testimonium. Igitur illi omnium qui in concilio Tricassino inventi sunt legatione fungenti, & instantius pro hoc satagenti, pallium fratri & coepiscopo nostro Vulfado sanctæ Bituricensis ecclesiæ, sicuti jam per alia scripta significavimus, deferendum commisimus. Sed quia idem reverendus antistes, ut vestra relatio manifestat, a propria ecclesia diutino jam tempore paganorum persecutione propulsus, hac illacque peregre proficiscitur, huc atque illuc multis jam fessus ærumnis vagabundus incedens, valde dolemus, & ei fraterna vincti caritate compatimur: maxime cum apostolice dictum sit: *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* Illud sane præcipue flentes, quod tantæ scientiæ tantæque morum probitatis viro sub hujuscemodi prætextu vagante, maximum dispendium dominicis ovibus generetur: dum scilicet utilitas, quæ per hunc ecclesiæ Christi provenire poterat, tantis jam temporibus excludatur. Qua de re secuti predecessorum patrum instituta, & apostolicæ sedis exempla pontificum, præcipueque beati papæ Gregorii, qui circa hujusmodi, quæ nos nunc erga præfatum antistitem Deo favente statuimus, sæpe statuisse dignoscitur, decernimus hunc sanctissimum crebro jam dictum fratrem nostrum & coepiscopum Actardum ecclesiæ, quæ forte suo fuerit viduata rectore, penitus incardinari: quatenus in ea constitutus & officia episcopalia, quæ per impositionem manus accepit, exerceat, & pastorale ministerium sollemniter agens, oves dominicas sapientiæ sibi divinitus attributæ sale condiat, & de hac lucrum conditori suo sine quolibet impedimento reportet. Si tamen ejus ecclesia, ut ipsius, & metropolitani proprii, ac litterarum vestrarum circumstantia innuit, funditus diruta, & per nonnulla curricula jam in solitudinem redacta esse dignoscitur, paganis videlicet non solum transitum, sed etiam stationem ibidem facientibus, ac per hoc depopulatis undique locis habitatore carentibus, sublatis etiam a Britonibus sibi quæ remanserunt rebus, nec ei minorem quam sua fuerat dari volumus: cum licet hoc minime postulet, ne videlicet alicujus ambitionis fama notetur, etiamsi se metropolis fortassis obtulerit, conveniat consequi potiorem. Nimirum qui inter cetera virtutum suarum insignia barbarorum rabiem sæpe perpessus, Christumque confessus, jam nunc Deo jure dicere debeat: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Pro cujus rei obtinendo prorsus effectu, dilecto filio nostro Carolo glorioso regi preces direximus, & ecce vestram unanimem caritatem, quo pietatis hujus operis favorem & studium curetis indeficiens præstare, præsentibus hortamur affatibus. Et ut nostram vultis erga vos in opportunitatibus esse benevolentiam, ita vestra erga hunc fratrem, cui manum porrigimus, vobis quoque manum porrigentibus, donec quod decrevimus effectum capiat, promptissima patescat industria. Siquidem & nos, illius multiplici miseriæ, & diutinæ peregrinationi, atque continuo mœrori compatientes, decus illi pallii solo miserationis affectu contulimus. Quod non aliter illi, nec cuilibet absque metropolitis concederemus, nisi multoties hunc exilia, mare, vincula passum, etiam ad capitalem sententiam frequenter tractum fuisse comperissemus, & nisi hoc ipse suis tantis ac talibus detrimentis, quin potius meritis, pro celerrimæ consolationis solatio meruisset, ut scilicet habeat pro exilio & catena pallii ornamenta, non ad ecclesiæ, cui incardinandus est, perpetuum institutum, sed ad suum specialem certique temporis usum. Siquidem indignum ducimus, quemquam ad apostolicam sedem, ubi semper catholicis subvenitur, accedere tribulatum, & non ex quavis parte consolatum recedere. Debet enim nostra compatiendi abundantia aliorum suppleri inopia, quo valeat esse mœrens cum mœrentibus, & cum gaudentibus gaudens, & consolatus jam queat Deo auctore consolari eos qui in omni pressura sunt, per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Psal. 93.

1. Joan. 3.

VIII. AD CAROLUM CALVUM REGEM.

Respondet literis quas ad Nicolaum de Ebone scripserat; pallium Vulfado concedit; petit ut Actardo faveat ad vacantem ecclesiam adipiscendam.

Hadrianus episcopus servus servorum Dei dilecto filio Carolo glorioso regi.

ACtardus venerabilis quondam Namneticæ urbis episcopus, ad apostolica perveniens limina, vestræ celsitudinis epistolam detulit, quam quidem vos sanctæ memoriæ decessori meo papæ Nicolao destinastis: sed nos * jam vice illius in apostolica sede dignatione ac miseratione divinæ magnitudinis ordinati suscepimus. Unde quæ ab illo flagitata sunt, nos pro viribus, indigni licet hæredes, supplere, & opitulante Christo forte tamquam non ingrati filii paternum debitum persolvere maturavimus. Quamdiu enim merita beati Petri apostoli Deo, cui omnia vivunt, non moriuntur, nequaquam fidei suæ vel sollicitudinis hæredes deficient: nec deerunt prorsus qui regulam, quam circa Deum ferventissimæ caritatis ostendit, pro quantitate virium, proque capacitate divinitus collati doni sequantur. Ipse namque quidquid ab indignis ministris negligenter agitur, supplet: ipse locum, quem olim delibatione proprii corporis Domino consecravit, quiscumque vel

* *Forte, ea* H.

qua

qualiſcumque vicarius extet, ſuæ tamen claritatis lumine hodieque indeficienter illuſtrat. Cui etſi deſunt merita ſucceſſoris, ſed adſunt beneficia deceſſoris, ac primi ſedis ejuſdem ſeſſoris. Itaque de Ebonis quondam Rhemenſis archiepiſcopi qualiſcumque reſtitutionis negotio benignitatis veſtræ literis ſatis edocti, obedientiam & ſtudium, quod hinc juxta definitionem apoſtolicæ ſedis exhibuiſtis, approbavimus, & auctori, a quo cuncta bona procedunt, immenſas gratiarum actiones perſolvimus. Verum illa ſi eſſent, apoſtolica ſedes de Ebone ad liquidum invenire ſatagebat, quæ reſtituendis a fratre & coepiſcopo noſtro Hincmaro olim dejectis clericis poſſent aliquid generare diſcriminis. At vero cum nec idem Ebo erroris alicujus defenſioni, quo hæreticus quis efficitur, dederit operam, nec jam memorati clerici aliud in hoc niſi humilitatem & obedientiam exhibuerint, illa quæ de Ebone dici poſſunt, quia, ut opinamur, nihil ad utilitatem proficiunt, jam jamque ſilentio cotegantur: maxime cum & ipſe, & omnes epiſcopi, præter Rothadum, qui cauſſæ illius notitiam habuere, deceſſerint, & præ longitudine temporis ad liquidum indubie, quæ tunc acta ſuper hoc ſunt negotio, ſciri non poſſint, atque de his qui ad Dominum migraverunt nobis facile judicare non liceat. Cum enim in manu judicii Dei conſiſtant, ſi humanis diffinitionibus quidquam de his tribuatur, non ſolum præſumptionis, ſed & damnationis eſt prorſus indicium. Ille quippe Ebo ſuo jam Domino aut ſtat, aut cecidit: quod ſi ſtat, quis hunc conetur dejicere? ſi vero cecidit, quis nitatur erigere? niſi forte is, qui ſua divino judicio præponere impia temeritate deliberat. Relinquatur ergo hujuſmodi Dei cunctarum intentionum ſcrutatoris judicio; nimirum qui, ſecundum apoſtolum, conſtitutus eſt a Deo judex vivorum & mortuorum, quique juxta fidei noſtræ ſtabile fundamentum judicaturus eſt vivos & mortuos. Præterea non modicas gratias veſtræ benignitati referimus, quoniam * prælatis reſtituendis clericis, quibus apoſtolicam ſedem manum porrigere ſenſit, ipſa quoque ad laudem Dei, & reverentiam principum apoſtolorum, nec non & honorem ſedis ipſorum, manum porrigere alacri ſtudio procuravit. Quamobrem poſtulantibus jam vobis, ut primus eorum, Vvlfadus ſcilicet frater & coepiſcopus noſter, pallii uſu more deceſſorum ſuorum noſtræ auctoritatis largitione decorari potuiſſet, merito condeſcenſionis aures accommodavimus. Et quoniam in reſtituendis his cum ſedis apoſtolicæ ſtudiis concordaſtis & concertaſtis ad percipiendum quoque quod decrat, veſtram floccipendere dilectionem ſatis inconveniens duximus. Innumeras nihilo minus pietati veſtræ gratias rependimus, quoniam tanta compaſſionis viſcera circa prædictum fratrem noſtrum coepiſcopum Actardum, ſicut ex relatione ipſius, & ex epiſtolæ veſtræ pio affectu datur intelligi, exhibere contendit, ut dolorum & ærumnarum ipſius maximam partem vos geſtare luce clarius innoteſcat. Verum nos votis excellentiæ veſtræ conſonantes, non ducimus tantum virum, & eccleſiæ Chriſti perneceſſarium, debere tantis involvi miſeriis, vel tantis gravari, cum ſit etiam ætatis maturitate maceratus, incommodis, præſertim cum & ſcientia non contemnenda polleat, & hunc veſtri regni eccleſiarum præſulum relatio non parvipendenda commendet. Qua de re, ſi ejus eccleſia, ut ipſius, & metropolitani proprii, ac multorum antiſtitum, nec non & literarum veſtrarum circumſtantia innuit, funditus diruta, & per nonnulla curricula jam in ſolitudinem redacta eſſe dignoſcitur; paganis videlicet non ſolum tranſitum, ſed etiam ſtationem ibidem facientibus, ac per hoc depopulatis undique locis habitatore carentibus, ſublatis etiam a Britonibus, ſi quæ remanſerant, rebus, aliam ei vacantem dumtaxat concedendam decrevimus. Cujus decreti neceſſario inſtituto libenter æquum more ſolito præbete pro Chriſti dilectione favorem. Nec ei minorem, quam ſua fuerat, dari volumus, cum licet hoc ipſe minime poſtulet, ne videlicet alicujus ambitionis fama notetur, conveniat conſequi potiorem. Nimirum qui inter cetera virtutum ſuarum inſignia barbarorum rabiem ſæpe perpeſſus, Chriſtum confiteri, non ſolum coram hominibus, verum etiam coram paganis & infidelibus non erubuit. Ei ergo, cujuſcumque ſint numeri, merito poſſunt oves Chriſti committi, qui ipſum Chriſtum etiam inter gladios & vincula diverſaque pericula prædicare non renuit. Unde & nos illius multiplici miſeriæ, & diutinæ peregrinationi, atque continuo mœrori compatientes, decus illi pallii ſolo miſerationis affectu contulimus: quod non aliter illi, nec cuilibet abſque metropolitis concederemus, niſi multoties hunc exilia, mare, vincula paſſum, etiam ad capitalem ſententiam frequenter tractum fuiſſe comperiſſemus: & niſi hoc ipſe ſuis tantis ac talibus detrimentis, quin potius meritis, pro celerrimæ conſolationis ſolatio meruiſſet: ut ſcilicet habeat pro exilio & catena pallii ornamenta, non ad eccleſiæ cui incardinandus eſt perpetuum inſtitutum, ſed ad ſuum ſpecialem certique temporis uſum. Potiatur igitur tanti decoris ornatu, qui inter ſacerdotum infulas præcipuum tenere locum dignoſcitur, quatenus etiam per hoc inſigne veſtra excellens admoneatur induſtria, & hujus ſacrati muneris reverentia pium cor veſtrum ſollicitius ac ſalubrius urgeatur, quo tantus vir veſtro quoque favore vacantis, etiamſi ſe metropolis obtulerit, eccleſiæ moderamina conſequatur: ad excludenda videlicet cuncta contra ſe injecta obſtacula, & peragenda divinitus ſibi collata epiſcopalia miniſteria. Siquidem indignum ducimus quemquam ad apoſtolicam ſedem, ubi ſemper catholicis ſubvenitur, tribulatum accedere, & non conſolatum recedere: præſertim cum quemdam Romanorum principum, etiam a fide Chriſti extraneum, non debere quempiam ab imperatore triſtem diſcedere perhibuiſſe quædam fateantur hiſtoriæ. Debet enim noſtra compatiendi abundantia aliorum ſuppleri inopia: quo valeat eſſe mœrens cum mœrentibus, & cum gaudentibus gaudens, & non in ſcabellum pedum in perſonarum acceptione cernuus, ſed conſolatus queat jam Deo auctore conſolari eos qui in omni preſſura ſunt, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Oramus gloriam veſtram nunc & ſemper in Chriſto bene valere dilectiſſime fili. Data VII. Kalendas Martias, indictione prima. An. Ch. 868.

* Forte præ-is. H.

IX. AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

Laudat Hincmarum, eumque hortatur ut Carolum regem ad conſtantiam excitet in cauſſa Lotharii, & ut Actardo vacans eccleſia tribuatur.

Reverentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Hincmaro archiepiſcopo Rhemenſi.

LIcet frequens ſanctitati tuæ fama, quæ nunquam niſi cum laude ſemper exiſtit, te nobis dudum fecerit manifeſtum; tamen ut virtutum probabiliumque morum tuorum prædicamenta liquidius agnoſceremus, fratrum noſtrorum, videlicet Arſenii venerabilis apocriſiarii ſedis noſtræ,

ſtræ, quin & Actardi, ſanctiſſimorum præſulum, nec non & dilectiſſimi filii mei, ſanctæ ſedis apoſtolicæ bibliothecarii, fecit Anaſtaſii multis præconiis plena delectabiliſque relatio. Qua de re ſic animam meam tuæ dilectionis ardorem concepiſſe cognoſce, tamquam ſi millies mutuis fueremur alloquiis. Habeto ergo noſtræ repromiſſionis pignus, & in nobis, ut in noſtris anteceſſoribus, fiducia tota prorſus innitere. Præterea ſanctitas tua bene novit, quanta ſedes habuerit apoſtolica in cauſſa Lotharii regis certamina, & per præſules ſuos, Benedictum ſcilicet & Nicolaum, quot hinc labores aſſumpſerit. Unde & nos, habentes eumdem ſpiritum, quem & iidem patres noſtri habuiſſe probati ſunt, eamdem hinc quæ illi ſequimur & decernimus. Quamobrem tuæ fraternitatis induſtriam ſpecialiter admonemus, uti quod ſuper hoc olim negotio geſſiſti ſtudium nullatenus enervari conſentias: ſed vice noſtra fretus, coram regibus & præſidibus de teſtimoniis Domini loqui non ceſſes: ita ut quod auctore Deo deſtructum eſt, nullis doloſe machinantium reædificari valeat argumentis. In quo videlicet pietatis opere, quia de regibus idem dilectus filius noſter Carolus, de ſacerdotibus vero tu potiſſimum ſedi apoſtolicæ ſedule laboranti concurriſtis & concertaſtis, tuam proprie cohortamur inſignem ſolertiam, quo & ipſa pravis viriliter obviet, & prædictum piiſſimum regem, uti conſummet bonum quod inchoaverat, indeſinenter commoneat: quatenus & variarum virtutum veſtrarum tunica uſque ad talos pertingat, & ſacrificium boni veſtri operis Deo cum cauda oblatum holocauſtum effici mereatur: nec non & illud de vobis dicatur, quod de Job ſancto, dum a divinis non ceſſaret obſequiis, ſcriptis aſſeritur: videlicet ubi non legitur, Quia ſic fecit Job per aliquot dies: ſed, *Sic faciebat Job cunctis diebus*. Nam & ſancta animalia non poſt ſe, ſed ante ſe gradi viſa ſunt, cum incederent. Porro Actardum venerabilem epiſcopum fraternæ caritatis ulnis amplectere, & in opportunitatibus pro beatorum principum apoſtolorum amore ſemper auxiliari memento. Verum non hæc ideo dicimus, quaſi te ille ſibi compaſſum & miſertum fuiſſe non prædicet: ſed ut quod nunc uſque proxime feciſti caritatis intuitu, nunc etiam primorum perficias apoſtolorum, ad quorum limina feſtinavit, ac præſidium poſtulavit, dilectionis affectu. Inſta igitur opportune, importune, & quia propria caret, apud dilectiſſimum jam fatum filium noſtrum excellentiſſimum regem Carolum noſtra vice impetrare ſtudeto, uti ſuo quoque favore vacans ei epiſcopalis, etiamſi ſe metropolis obtulerit, eccleſia tribuatur. Fortis enim Domini bos ipſo auctore conſiſtit, & ideo plurimæ ſegetes ei ad trituram procul dubio committi debent. Nam ſcriptum eſt: *Ubi plurimæ ſegetes, ibi manifeſta fortitudo boum*. Optamus fraternitatem tuam nunc & ſemper in Chriſto bene valere. Data VIII. Idus Martii, indictione prima.

Job. 1. Exeth. 1.

Proverb. 14.

An. Ch. 868.

X. AD HERARDUM ARCHIEPISCOPUM TURONENSEM.

Ut Actardo epiſcopo concedat monaſterium quod in ejus diœceſi olim tenuit. Sibi curæ futurum, ut Britonibus contra ipſius eccleſiæ privilegia nihil concedat.

Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei Herardo archiepiſcopo Turonenſi.

MIſerias & diras calamitates Actardi communis fratris & coepiſcopi non eſt exponendi tuæ reverentiæ ulla neceſſitas. Quippe cum ipſa, utpote in his ſocia, & pene ſemper contigua, earum liquidius nobis experientiam habeat: ut ſicuti de ſanctimonia ſua credendum eſt, immo ut ipſo antiſtite referente comperimus, ejus continuis ærumnis non modice compaſſa ſit & miſerta. Verum quia noſtris ſæpe & apud dilectionem tuam literis adjuvari, & apoſtolorum principum, quorum præſidia tanto labore tantoque ſtudio requiſivit, amoris intuitu ſibi quamdam proprie voluit conſolationem conferri, caritatem tuam his hortamur & deprecamur apicibus, ut inter alia beneficiorum tuorum ſibi collatorum inſignia, monaſterium illud, quod olim in diœceſi ſua tenuiſſe dignoſcitur, tua nunc conſequatur ob amorem jam memoratorum apoſtolorum largiente benevolentia: quatenus qui ſuis valde deſtitutus eſſe comperitur, hinc ſaltem alienis ſuſtentationibus adipiſci queat ſuæ vitæ ſubſidium. Quod te negaturum profecto non credimus, ſi quam ſit a fratre frater adjuvandus intenta mente conſideres; ſi quam ſit indignum, ut quod a benignitate tua intuitu tantorum apoſtolorum dilectionis depoſcitur, petitor minime conſequatur, ſolerti, ſicut decet, perpendet induſtria. De his vero, quæ de eccleſiæ tuæ, vel diœceſeos privilegiis idem venerabilis Actardus præcipue ſuggeſſit, Salomoni duci & populo Britannorum ſufficienter deſcripſimus: quod etiam in exemplari, quod ſecum idem antiſtes deferet, experientia tua quibit agnoſcere: nihilque quod contra rationem poſtulabunt, ſi fortaſſis ad nos eorum aliqui venerint, agnoveris eos a nobis, opitulante Domino, fore penitus adepturos. Optamus fraternitatem tuam in Chriſto bene valere. Data VIII. Idus Martias, indictione prima. An. Ch 868

XI. AD ACTARDUM EPISCOPUM.

Pallii uſum Actardo conſolationis cauſſa concedit.

Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverentiſſimo & ſanctiſſimo Actardo ſanctæ eccleſiæ Namneticæ diebus vitæ tuæ tantummodo.

SI ſecundum divinæ pietatis viſcera circa nemi-nem conſiſtit reprehenſibilis quantacumque miſeratio, quanto potius erga illos exhibenda eſt totius caritatis affectio, qui circa divinum cultum irreprehenſibiles apparentes diverſarum dein tentationum exercitia pertulerunt, nec tamen in tentationibus Chriſto propitio defecerunt? Qua de re benedicimus Deo Patri Domini noſtri Jeſu Chriſti, Deo ſcilicet totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, ut poſſimus & ipſi conſolari eos qui in omni preſſura ſunt. Tibique, frater Actarde, qui dira fatigatus, & diuturna captivitatis miſeria quaſſatus, nec inter enſes infidelium defeciſti, quin etiam Dei providentia mirabiliter erutus & liberatus, circumquaque peregrinando procul a propria eccleſia, procul a notis & proximis, propter eorumdem rabiem barbarorum, & continuam Britonum oppreſſionem, quibus heu nimium vicinus eſſe noſceris, & pene pejus ab eis quam a piratis inſecutionem pateris, curriculis jam multis incedis, decus pallii pro Dei ſolius amore, quem inter furentium paganorum manus & gladios confeſſus es, prævidimus concedendum. Quo videlicet pallio, cum fueris auctore Dei noſtroque decreto aliquem vacantem adeptus epiſcopatum, ſcias a nobis eidem te ſtabiliter incardinatum: vel ſi contigerit forſan in proprio, certis valeas uti temporibus. Quod non aliter tibi, nec cuilibet abſque me-

metropolitis concederemus, nisi multoties exilia, mare, vincula, passo, etiam ad capitalem sententiam frequenter tracto, teste tuo metropolitano, qui & id nobis literis innotuit, & tibi spem in sede propria non superesse significavit, hoc tua ad celerrimæ consolationis solatia tanta exigerent detrimenta, quin potius merita: ut videlicet habeas pro exilio & catena pallii ornamenta, non in tuæ ecclesiæ perenne decretum, sed ad tuum certo tempore vitæque præsentis specialiter usum. Utere igitur, annuente Deo, pallio a nobis tibi solo miserationis & consolationis affectu collato; &, nisi sedis apostolicæ præsulibus ingratus extiteris, prænotato tenore illius, dum vixeris, ornare decore. Quod tamen fraternitati tuæ ad missarum sollemnia tantum celebranda concedimus: in die dumtaxat sanctæ ac venerandæ Domini nostri Jesu Christi resurrectionis ac nativitatis, seu ascensionis die, & in assumptione beatæ Dei genitricis semper virginis Mariæ, seu in natalitiis beatissimorum apostolorum, sive in nativitate sancti Joannis Baptistæ, nec non & in natali sancti Christi confessoris Martini die, pariterque in sollemnitatis ecclesiæ tuæ die, verum etiam & in ordinationis tuæ natalio concedimus die, sicuti a beatissimo prædecessore nostro Gregorio hujus apostolicæ sedis præsule sancitum est. In secretario vero induere tua fraternitas pallium debeat, & ita ad missarum sollemnia proficisci; & nihil sibi amplius ausu temerariæ præsumptionis arrogare: ne, dum in exteriori habitu inordinate aliquid arripitur, ordinate etiam quæ licere poterant amittantur. Si quid autem de rebus Namneticæ diœceseos, tam a depopulatione nefandæ gentis Northmannicæ, quam a Britannorum subreptione remansit, ad tuam decernimus pertinere sollicitudinem. Porro censemus, apostolicæque institutionis auctoritate definimus, ut nullus metropolitanorum antistitum, vel ceterorum episcoporum, in controversia criminis, si sedem appellaveris apostolicam, vel ejus speciali expetieris audiri vel discuti fortassis examine, præsumat de te proferre, non nostro præmisso decreto, judicium: sed apostolicæ sedis tantum reserveris examinandus vel judicandus incunctanter arbitrio: cujus videlicet decreto vel largitate vacanti ecclesiæ incardinatus & palliatus esse dignosceris. Scriptum per manum Zachariæ notarii, & scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ, in mense Februario indictione prima. Bene vale. Quinto Kalendas Martias, per manus Anastasii bibliothecarii sanctæ summæ sedis apostolicæ. Imperante domino nostro piissimo perpetuo Augusto Ludovico magno imperatore anno XIX. & post consulatum ejus anno XVIII. indictione prima.

Ch. 868.

XII. AD LUDOVICUM REGEM GERMANIÆ.

De victoriis Ludovici imperatoris adversus Saracenos, cujus interim & Lotharii fratris quæ sunt, tangi vetat.

Hadrianus episcopus servus servorum Dei dilecto filio Ludovico glorioso regi.

INter exordia divinitus ordinati, licet in indigno ministro, pontificatus mei, pacis studium præ ceteris virtutibus prædicandi suadendique mini necessitas non inconvenienter incumbit. Nimirum cum etiam in ipsius dominicæ nativitatis principio cælestis exercitus militiæ visę sint, quæ clamarent: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ubi profecto solerter intuendum est, quia sicut tunc pastores, qui super gregem suum præ ceteris vigilaverunt, tanti tripudii videre præ ceteris gaudia meruerunt: ita nos tunc procul dubio cælestium bonorum lætitiam adipisci merebimur, si super oves dominicas sollicite vigilemus: ne videlicet has vel per insidias odii seu discordiæ vorax lupus invadat, vel per cupiditatem avidus ille leo deglutiat, qui docente apostolorum principe circuit quærens quem devoret. Ideoque nunc, fili carissime, opportune importune suadeo, admoneo, & instanter adhortor, ut pacis & dilectionis vinculum, quæ major est omnibus virtutibus & holocautomatibus, insolubiliter in omnes & invicem observare gloria tua contendat, & inter subjectos medullitus custodiri semper admoneat. In hoc enim regni vestri status poterit incolumis tutius permanere, si vos neminem concutientes a nullo concuti dignoscamini. Præterea nolumus ignorare celsitudinem tuam, dilectissimum & spiritalem filium nostrum Ludovicum, piissimum & a Deo protectum imperatorem, non adversus sanctæ religionis filios, ut quidam, pugnare, nec contra fidei Christianæ domesticos, sed adversus filios Belial, & adversus Christi nominis inimicos, pro sanctæ ecclesiæ, & præcipue nostra securitate, proque fidelium liberatione multorum, qui pene jam fine tenus apud Samnium periclitabantur, ita ut etiam fines nostros infestatio jam jamque Saracenorum invaderet. Egressus a summo sublimitatis proprio solio, & a pacatissimæ quietis suæ fundamine, nec corpori parcit, nec æstibus, nec algoribus, nec denique ullis eventibus cedit, sed omnia incommoda, omnia discrimina pro Christi nomine tolerans, nihil est quod pro Christianorum ereptione recuset arripere, nihil est quod pro fidelium quiete ac pace declinet assumere. Denique non modicam ecclesiæ sanctæ quietem per eum divina jam pietas operata est, non modicæ paganorum vires fortitudine superna prostratæ sunt. Siquidem sæpius eosdem tamquam mures e cavernis suis egressos ad sua latibula terga vertere compulit, & brachia contra nostros exerta potenti virtute resolvit. Quin & nobis omnibus, qui longe sumus & qui prope, magnæ securitatis præsidium condonavit, dum scilicet nonnullos eorum prostravit, nonnullos etiam ab eorum superstitioso ritu convertens, Christi fidei & veræ religionis itinera sectari perdocuit. Qua de re ratum ducimus vestram commonere magno opere celsitudinem, quo non vestris motibus, non aliorum suggestionibus incitati, quidquam quæ illius sunt concutere præsumatis. Non solum autem quæ illius sunt, verum etiam quæ fratris ipsius, Lotharii videlicet glorioſi regis, consistunt, nullo commovere patiamini prorsus instinctu. Qui enim tangit ea quæ fratris ejus sunt, illa quæ ipsius sunt tangit: & qui illum livore victus commovet, hunc procul dubio commovere dignoscitur. Quamobrem suademus, & dilectionem vestram his apicibus cohortamur, ut iniquis suasionibus non cedatis, nec siniſtra machinantibus aures accommodetis: sed unusquisque vestrum suo jure contentus, quæ alterius sunt usurpare non tentet, nec invadere quocumque modo nitatur, quod invasum non modicum potest invasori generare sine dubitatione discrimen. Provideat ergo prudentia vestra, ne jam fato desiderabilissimo filio nostro semper Augusto, causſam Dei exequenti, & hæreditatem Domini vindicanti, ac ipsius bella prælianti, quodlibet offendiculum præparetur, quo sanctæ Dei ecclesiæ quavis ex parte impediatur, vel profectus fidelium excludatur: sed potius tela vestra paganorum acies paveant, & jacula vestra hi qui sine Deo sunt

acu-

acuta reperiant. Quin penitus, ſecundum apoſto-
Epheſ. 6. lum, non ſit vobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, id eſt homines, ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus. Alioquin manum apoſtolicæ ſedis cum eodem piiſſimo principe fortiter eſſe cognoſcite, & arma noſtra illi munimina validiſſima conferentia, ſummo agonotheta nobis concertante, & beatorum principum apoſtolorum interceſſione cooperante, præparata ſine cunctatione prænoſcite. Optamus gloriam veſtram nunc & ſemper in Chri-
An. Ch. 868. ſto valere, dilectiſſime fili. Data pridie Idus Februarias, indictione prima.

LOTHARII REGIS EPISTOLA AD HADRIANUM PAPAM.

Electionem ad ſummum pontificatum gratulatur ac de Nicolai deceſſoris nimia ſeveritate conqueritur.

Sanctiſſimo & perbeatiſſimo Hadriano ſummo pontifici & univerſali papæ Hlotharius divina præveniente clementia rex æternæ beatitudinis & præſentis proſperitatis pacem & gloriam.

INfauſta relatio, & in ambiguo hactenus manens, ut ita dicamus, acriter noſtræ ſerenitatis tranſverberavit aures, intimando quod beatæ memoriæ domnus Nicolaus univerſalis papa ab hac lacrymarum valle vocante Chriſto deceſſerit, cum ſanctis, ut credimus, inæſtimabiliter coronandus; (unde * noſtræ manſuetudinis affectio admodum ingemiſcens, gemino dolore concutitur. Videlicet quod mater omnium eccleſiarum Dei, ſancta & apoſtolica eccleſia, tali ac tanto caruit patre, atque in cæleſti Hieruſalem lucerna ardens & lucens noſtris periculoſis temporibus a tenebroſis maleſidis Dei finibus ſit remota) nec differt, ut omnis Chriſtiana religio de tanto pontifice doleat, & omnis ordo eccleſiaſticus de prudentiſſimo ac ſanctiſſimo papa ingemiſcat. Revera nos potius deflemus, qui cauſſas noſtræ calumniæ inſolentes & fraudulentas æmulatorum noſtrorum querimonias tam benigno patri æquitatis & juſtitiæ lance ponderandas ac determinandas ad tempus & in
* lugubrius. parte commiſimus. Sed quod * lugubriter replicamus, plus apud ſanctitatem illius valuere noſtrorum inimicorum inſidiæ & ſimulatæ deceptiones, quam noſtra ſimplex & pura defenſio. Quippe patienter atque æquanimiter, ultra ſufferentiam omnium prædeceſſorum noſtrorum, noſtram regiam diguitatem, ac divinitus attributam poteſtatem, reverentiæ illius, immo potius apoſtolorum principis, humiliter ſubmiſimus, & ultra quam credi poſſet, ſuis paternis monitis fidenter paruimus, ac miſſorum ſuorum varia & multiplicia hortamenta ſectando propter amorem Dei, & reverentiam ſanc-
c ſchemate. torum, in aliquibus a noſtro regio * themate, ſecus quam oporteret, in parte exorbitavimus. Igitur ſperantes & modis omnibus credentes, in ſanctiſſimo pontifice fidum noſtræ tuitionis auxilium ponimus. Sed neſcimus quibus ſuggeſtionibus, aut certe ſuperfluis promiſſionibus actum eſt, quod inſperata dilatio multiplices peperit ſimultates; atque ob hoc noſtra reſpublica non modicam uſquequaque pertulit læſionem. Nos autem literis & verbis indeſinenter proclamantes, & diverſis legationibus eadem repetentes, humiliter poſtulavimus, ut nos & accuſatores noſtri juxta divinas & humanas leges, ſui pontificii audientiam mereremur, ut ratio docet noſtram præſentiam exhibendo. Sed toties repulſi tandem multipliciter coacti, judicium ac refugium noſtrum in illa collocavimus petra, de qua pſalmiſta confidens ajebat: *Montes excelſi cervis, petra refugium herinaciis.* Porro illud *Pſal. 103.* potiſſimum noſtræ mentis aciem obnubilavit, quod nos ab ipſa ſancta ſede repellimur, quorum progenitores & atavi illam ſanctam matrem eccleſiam divino auxilio pie ac fideliter patrocinantes protexere. Et quidem ultra quam fari poſſit, congratulamur, quod Bulgares, & alia Paganorum feritas, ad limina ſanctorum apoſtolorum invitatur, immo quod ſancta eccleſia, juxta vaticinium prophetæ, *Dilatat locum tentorii ſui, & longos fa-* *Eſai 54.* *cit funiculos ſuos, ac pelles tabernaculorum ſuorum extendit.* Sed non modice contriſtamur, quod tum crebro illuc anhelando audientia prædeceſſoris veſtri potiri non valuimus. Sed his omiſſis, ad noſtræ mentis propoſitum, & veſtri Deo digni apoſtolatus excellentiam redeamus, & uti dignum eſt gloriam in excelſis Deo reſonemus, qui roſeo proprii ſanguinis pretio acquiſito gregi miſericordiſſima dignatione proſpiciens, veſtri pontificis jubar ſua electione in ſede ſanctæ matris eccleſiæ collocavit, ad noſtram & totius Chriſtianæ plebis ſa-
* Regino pauca contraxit cit. loc. lutem. * Et quia omnipotens Deus princeps paſtorum in illa ſancta ſede, veſtri pontificatus apicem ſublimavit noſtræ ſerenitatis ſalubre auxilium, ad defenſionem, ſtatum, atque honorem pontificatus veſtri, more prædeceſſorum noſtrorum, in omnibus exhibere parati ſumus. Et teſte rerum omnium conditore, nullus catholicorum regum, nullus Chriſtianorum principum devotior veſtræ ſanctitati, & promptior veſtræ utilitati eſſe deſiderat, quam noſtra exiguitas. Nam ſi tempus arriſerit, & auxiliante divina clementia ſcandala ſopita conquieverint, quæ ſimulate & ſuggeſtione æmulorum noſtrorum, membrorum videlicet ſatanæ, enormiter emerſere, veſtrum multipliciter deſideramus conſpectum, & veſtris Deo dignis animari colloquiis, ac melliflua benedictione potiri. Denique almifluam paternitatem veſtram humiliter precamur, ut nullum regiæ dignitatis & nominis nobis conſimilem præferre quoquomodo, aut præponere noſtræ manſuetudini decernatis, neque etiam apices beatitudinis veſtræ nobis porrigendos per aliquem dirigere placeat, niſi aut per noſtrum legatum, aut certe per veſtrum a veſtro ſancto latere deſtinatum, vel per nuntium auguſtiſſimi germani noſtri Hludovici imperatoris: quia ut vere fateamur, non modica ſimultas hactenus iſtis in partibus per hujuſmodi factum orta noſcitur, & niſi in poſterum caute præviſum fuerit, quoddam poterit generare diſcrimen. Interim modis omnibus obſecramus, ut de veſtra optabili proſperitate literis veſtris celſitudinem noſtram certam reddentes, caræ filiationis munus nobis impertiri dignemini, * & veſtris almifluis precibus noſtram apud Dominum commendabilem atque veniabilem exerceatis ſerenitatem: quatenus tanti patris precibus ſuffulti, creditum nobis regimen, Chriſto opitulante, gubernare valeamus. Omnipotens Deus veſtri pontificis ſplendifluum jubar, atque angelicam ſanctimoniam diu nobis incolumem conſervare dignetur. Amen.
* Hæc quæ præcipit Regino.

* Anſulis clauſa deſunt apud Reginonem libro II. an. ubi Nicolai papæ ad ann. 868 laudes mire deprædicat.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

Epiſtola qua Lothario regi Hadrianus papa reſpondit non extat integra ullibi quod ſciam, unus Regino libro II. chronicorum ad annum 868. hæc poſterorum memoriæ paucis commendavit & velut in ſumma: *Ad hæc ſupradictus papa reſpondit: Sedem ſancti Petri ſemper paratam eſſe dignam ſatisfactionem ſuſcipere, nec quod divinæ humanæque leges juſte decernunt unquam repulſſe. Itaque ſi immunem ab objectis ſe ſciret cum omni fiducia ſedem apoſtolicam oportere adire, ut expetitam benedictionem perciperet: ſi culpam autem recognoſceret, nihilominus abſque hæſitatione venire feſtinaret condigna pœnitentiæ remedia ſuſceperur.*

XIII. AD LOTHARIUM REGEM.

Quod Theutbergam ſolutionem matrimonii Romæ poſtulantem ad Lotharium redire juſſerit, donec in ſynodo de ea re ſtatuat. Monet Lotharium ut eam in conſortium recipiat, aut ſi alio in loco interim conſiſtat, promiſſas illi abbatias ad vitæ ſubſidia concedat.

QUia beato Petro apoſtolorum principi Dominus noſter oves ſuas, totam videlicet eccleſiam, pretioſo jam ſanguine ſuo redemptam, poſt paſſionis vincula, poſt clavorum vulnera, & crucis ludibria, atque reſurrectionis gloriam, tertio commendavit dicens: *Paſce oves meas, paſce agnos meos*, nos vice utique apoſtolatus illius Domino in omnibus cooperante fungentes, in virga æquitatis & juſtitiæ, in longanimitate benignæ humilitatis & patientiæ, gregem Domini pabulo ſpiritalis vitæ paſcendum, & cura ſolerti cuſtodiendum divina ſuſcepimus voluntate. Os apoſtolatus noſtri ſeptiformis ſpiritus gratia plenum, pro tui regni ſtabilitate, felicitateque perpetua, ſempiterna nempe vera animæ ſalute, qua nunc & æternum beate ſecuriterque fruaris, o inclyte rex Lothari, vicibus indefeſſis aperientes, excellentiam tuam paterno monemus affectu, & jure apoſtolico exhortamur, quatenus malorum hominum conſiliis relictis, & mortiferis perſuaſionibus omnimodo ſpretis, aurem cordis tui cæleſti ſane clavigero beato Petro in nobis loquenti aperias, omnique animoſitate & inclyta mundi dilectione procul abjecta, ea quæ juſtitiæ ac rectitudini maxime congruunt prædicantes toto deſiderio audias, evidentique perficias devotus affectu, quia non auditores, ſed factores legis Deus fore juſtos approbat. Unde ſedis apoſtolicæ ſalubrem admonitionem & correctionem venerabili ſinceraque mente ſuſcipere ſtude. Duo igitur a te carnis devicto illecebra dudum commiſſa videntur illicita, quæ ab anteceſſore noſtro piæ memoriæ papa Nicolao cenſura fuerant emendata canonica. Unum, videlicet nefarium Theutbergæ legitimæ conjugis tuæ divortium: alterum vero, ſceleſtiſſimus Vvaldradæ mœchæ concubitus: quæ non ſolum lex omnis divina reprobat, condemnat, & fieri omnimodis vetat, ſed etiam mundana prohibent jura. De quibus nos iterum reſcribere ullatenus ſtuderemus, niſi vos a juſtitiæ tramite per incentiva carnis procul dubio deviaſſe, bonumque conjunctionis legitimæ vinculum diſſolviſſe, & ad illicitum ac priſtinum ſtuprum incongruis reverti velle occaſionibus agnoſceremus. Theutberga itaque illuſtriſſima regina conjux veſtra, ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli ad limina veniens, menteque devota orationis deſiderium complens, noſtram faciem contemplari, cauſſaſque ſuæ neceſſitatis nobis ore proprio exponere quæſivit. Quæ cum a nobis pro amore Dei & veſtro, & ab omni noſtra eccleſia honorifice, ſicut oportebat, ſuſcepta fuiſſet; dixit ſe propter quamdam corporis ſui infirmitatem, & quia non legitimo vobis antea fuerit conjuncta connubio, a veſtro velle ſeparari conſortio, & ob amorem Dei ſæculi dignitatem & gloriam abjicere, ac ſub leni jugo Chriſti cervicem cordis ſubmittere. Quibus profecto auditis, & Domino auxiliante diligenter conſideratis, non modico fuimus turbati ſtupore; quod ſe pro talibus a vobis quæreret ſeparare, cum ſcriptum ſit dicente Domino: *A Deo jungitur mulier viro*: & iterum: *Quod Deus junxit, homo non ſeparet*. Et cum ipſa, ſicut dixit apoſtolus, ſui corporis non habeat poteſtatem, ſed vos, cui Domini eſt voluntate legitimo matrimonio regalique thoro conjuncta. Cui ſane quamvis cum veſtræ voluntatis conſenſu atque licentia hocce ſupplici nimis * pace depoſceret, noſtrum in tali voluntatis ſuæ deſiderio conſenſum nullo modo præbuimus. Licentiam vero illi revertendi ad magnitudinis veſtræ conſortium, juraque matrimonii regalis illibata cuſtodiendi præcepimus. Super his autem, quibus ſe a vobis quærit disjungere, tam repente ſine multorum fratrum noſtrorum conſilio, & ingenti examine, finitivam nunc proferre ſententiam, aut conſenſus noſtri immaturam dare licentiam jure diſtulimus. Deo autem nobis ſalutis opem vitamque præbente, tam pro his quam etiam pro aliis eccleſiaſticis cauſſis ſynodum facientes, & talia ſubtili examine indagantes, ut ſecundum Deum ſalvi eſſe poſſitis, idonea ſatis intentione deliberabimus coram Deo ſalvatore noſtro, atque finiemus. Propter quod excellentiam tuam apoſtolicis monemus alloquiis, & hortamur in Domino, ne aurem nobilitatis tuæ conſiliis impiorum & veritati repugnantium verbis inclines; ſed potius Dominicis & apoſtolicis præbens gratanter præceptis, eamdem Theutbergam nobiliſſimam reginam conjugem tuam dilectionis amore in conjugale conſortium lætus recipias, & pro amore Dei & ſancti Petri, noſtroque ſimul, honore digno eam retinere, ſicuti corporis proprii membrum dilectum, procures. Quod ſi ob itineris longitudinem & aſperitatem, vel aliquam carnis incommoditatem, ad vos uſque ipſa pervenire diſtulerit, elegeritque in aliquo proprietatis ſuæ loco ſibi utili magis conſiſtere, interim, donec ſynodus, ut prædiximus, fiat, ſalva & incolumis ſub veſtra regali tuitione atque defenſione ſecura permaneat; habeatque in poteſtate ſua ipſas abbatias quas ei dare ipſe ore proprio promiſiſti: de quarum ſumptibus atque reditibus neceſſaria poſſit habere ſtipendia, dignaque ſubſidia. Sin vero quilibet veſtrum ei aliquam fuerit molitus contrarietatem inferre, aut periculoſe præſumpſerit nocere; ſciat ſe a nobis perpetui anathematis vinculo eſſe procul dubio innodandum, & ab omni Chriſtianorum conſortio ſeparandum. Te autem, ſi talibus conſenſum præbueris, omnimodis excommunicandum.

* *Forte*, *piece* H

XIV. AD VVALDRADAM.

Vvaldradam, quia reſipuiſſe dicebatur, Ludovici imperatoris rogatu, communioni eccleſiæ reſtituit ea lege, ut ad Lotharii ſocietatem non redeat.

NEmo plane dubitat nullum facinus eſſe, quod eccleſia data ſibi divinitus poteſtate ab eo deſiſtentibus non poſſit abſolvere, & pœnitentibus relaxare, cui dicitur: *Quæcumque dimiſeritis ſuper terram, dimiſſa erunt & in cælis: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, ſoluta erunt & in cælis*. In quibuſcumque omnia ſunt, quantacumque & qualiacumque ſint. Quod etiam in ſententia tua rationabiliter obſervandum eſt, qua licet fueris obligata, quia tamen, ſicut multorum, ſed præcipue dilectiſſimi filii noſtri Ludovici clementiſſimi Auguſti, cui fides in omnibus adhibenda eſt, relatione didicimus, a nævo, quo tenebaris obſtricta, reſipuiſſe diceris, & ab obſtinatione, qua videbaris annexa, diſceſſiſſe narraris, pietatis tibi viſcera noveris & apoſtolicæ ſedis aperta, & tam* vinculis anathematis & excommunicationis exutam, quam cunctorum Chriſtianorum, Dei & beatorum primorum apoſtolorum auctoritate, ſocietati redditam, atque communioni te gaude reductam: ita ut deinceps eccleſiam ingrediendi, & oran-

Matth. 18. *Joan.* 20.

& orandi, convivandique, seu cum ceteris Christianis loquendi, sit tibi auctore Deo data licentia: præfati dumtaxat regis societati, propter antiqui hostis versutias, nullo pacto penitus adhærendi. Quod tamen beneficium, quamquam hoc moderatio flagitasset ecclesiastica, quæ sicut incorrectis inflexibilis, ita correctis semper debet esse flexibilis, instantiam precum & incomparabilem dilectionem desiderabilis & spiritualis filii nostri jam memorati & jugiter memorandi Augusti, tam tibi celeriter impetrasse cognosce. Cujus scilicet postulatio, sicut non nisi justa creditur, ita quoquo modo postponenda non ducitur. Verum tu sic te de cetero studе munire, ut donum solutionis, quod in terra percipere cerneris, in cælo Deo auctore veraciter capere merearis. Nam si te coram humanis oculis absolvendam exhibes, & coram Dei conspectibus obligata consistis, nec nodo cares, nec veniam impetras, quin immo & pro simulatione potiori nexu ligaberis. Etenim divino fertur oraculo, quia homo videt in faciem, Deus autem cor intuetur. Ergo ne delecteris in infirmis, sed superna cordis intuere semper obtutibus. Caduca sunt quæ cernuntur, quæ vero non videntur, æterna consistunt. Noli rogo pro terrenis cælestia, pro visibilibus gaudiis perdere gaudia, quæ quidem nec cogitari sufficiunt. Nullus tibi blandiatur, qui enim te beatificant, ipsi te decipiunt. Denique quantiscumque velaminibus justitia & veritas occultetur, quandoque tamen splendorem foras suæ claritatis emittet, nec poterit omnino diutius nubilo fœvæ defensionis obduci. Quod favente Deo tam sedis apostolicæ studio, quam rectissimi principis, carissimi videlicet filii nostri, cui nunquam fortitudo quælibet aliquando placuit, sed nec placere quoquo modo poterit, sollicitudine, radios suos ut solis candor extendet.

1. Reg. 16.

XV. AD EPISCOPOS GERMANIÆ.

Absolutam a se Vvaldradam, & congruentibus monitis instructam significat.

Hadrianus episcopus servus servorum Dei, reverentissimis & sanctissimis confratribus nostris archiepiscopis & episcopis in regno Ludovici gloriosi regis constitutis.

Sicut obstinatis & incorrigibilibus debetur vindicta, ita a conversis atque correctis amovenda est ultio & adhibenda curatio. Quapropter nos Vvaldradæ, quæ multorum ut refertur attestatione a pristinis & illicitis affectibus ad salutiferum correctionis iter conversa est, remedia miserationis apostolicæ sedis exhibere consensisse, illamque vinculo excommunicationis vel anathematis auctoritate Dei & principum apostolorum absolvisse cognoscite: ita ut deinceps Domini ecclesiam ingrediendi, & orandi, convivandique, seu cum ceteris Christianis loquendi sit ei auctore Deo concessa licentia. Cui Vvaldradæ videlicet competentia monita destinavimus, & quæ conveniebant literis inculcanda prævidimus: quarum scilicet literarum textum sibi vestra fraternitas exhiberi summopere postulet. Et quoniam ita convenit, a vobis exigendum & agnoscendum decernimus, quatenus per hoc scire valeat vestra sanctitas apostolicæ sedis austeritatis & mansuetudinis, remissionis & refrenationis indicia, & moderantissimæ discretionis prorsus insignia. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere. Data pridie Idus Februarias, indictione prima.

XVI. AD HINCMARUM ACHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

Commendat ecclesiam Laudunensem, dum Hincmarus episcopus Romam venit: Northmannum vero, nisi ablata restituat, excommunicari jubet.

Hadrianus episcopus servus servorum Dei, reverentissimo & sanctissimo confratri nostro Hincmaro archiepiscopo Rhemensi,

Illustrem Hincmarum * Lugdunensem episcopum, desiderio visendorum sanctorum apostolorum liminum anhelantem, & libenter amplectimur, & adventum illius non solum non differimus, verum etiam ne ultra Kalendas Augusti stare studeat, gravitate apostolica, scientes illum tali voto spiritaliter posse proficere, prohibemus. Huic ergo in veniendo, sicut auctoritas apostolica, sic faveat & episcopalis humanitas: quatenus episcopatus ejus omni careat per vestram sollicitudinem detrimento, dum prædiorum suorum, perverse a Northmanno possessorum, liberalitate vestra per intercessionem nostram fuerit potitus augmento. Quapropter & Northmannum scito auctoritate apostolica continuo ab ecclesiastica communione, nisi præsentialiter se omnibus Lugdunensis ecclesiæ rebus exuerit, per tui oris officium repellendum, & venerabilem virum Hincmarum episcopum, si proposito Romam veniendi abusus, quod bene vovit, reddere non studuerit, transgressoris judicio, quod Deus averterit, puniendum. Quicumque igitur a tempore, quo Romam venire cœperit, usque in id, quo Christo duce ad propria remeaverit, in quibuslibet rebus illius ecclesiæ quodlibet operatus fuerit detrimentum, quoniam episcopatum ejus sanctitati tuæ specialiter post regem servandum committimus, tamdiu se noverit sacramento corporis & sanguinis Domini fore privandum, quamdiu sanctæ Lugdunensi ecclesiæ, & tibi, ipsiusque pontifici legitime, immo canonice fuerit satisfactum. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere.

* Hoc est Laudunensem, a Lugduno Clavato: *Leon. H.*

XVII. AD CAROLUM CALVUM REGEM.

Commendat regi ecclesiam Laudunensem, dum ejus episcopus Romam venit.

Hadrianus episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Carolo excellentissimo regi.

Illustrem Hincmarum Lugdunensem episcopum, desiderio visendorum sanctorum apostolorum liminum anhelantem, & libenter amplectimur, & adventum illius non solum non differimus, verum etiam ne ultra Kalendas Augusti stare audeat, gravitate apostolica, scientes illum tali voto spiritaliter posse proficere, prohibemus. Huic ergo in veniendo, sicut auctoritas apostolica, sic faveat & humanitas regia: quatenus episcopatus ejus omni careat per vestram sollicitudinem detrimento: dum prædiorum suorum, perverse a Northmano possessorum, liberalitate vestra per intercessionem nostram fuerit potitus augmento. Sicut enim gaudemus cum serenitatem tuam erga statum ecclesiasticum, more prædecessorum principum, liberalem tam literis audimus quam vocibus: sic nimirum, cum eam in aliquo distrahentem extra consuetudinem suam comperimus, tota valetudine contristamur. Quapropter & Northmannum scito auctoritate apostolica continuo ab ecclesiastica communio-

nione, nisi præsentialiter omnibus Lugdunensis ecclesiæ rebus exuerit, repellendum: & venerabilem virum Hincmarum episcopum, si propositio Romam veniendi abusus, quod bene vovit, reddere non studuerit, transgressoris judicio, quod Deus averterit, puniendum. Quicumque igitur a tempore, quo Romam venire cœperit, usque in id, quo Christo duce ad propria remeaverit, in quibuslibet rebus illius ecclesiæ quodlibet operatus fuerit detrimentum, quoniam episcopatum ejus gloriæ vestræ specialiter servandum committimus, tamdiu se noverit sacramento corporis & sanguinis Domini fore privandum, quamdiu sanctæ Lugdunensi ecclesiæ, & vobis, ipsiusque pontifici legitime, immo canonice fuerit satisfactum. Optamus regiam excellentiam vestram sanctæ sedis apostolicæ scita consuetudinaliter observantem in Christo semper valere.

XVIII. AD CAROLUM CALVUM REGEM.

De causa Herlefridi presbyteri.

Hadrianus episcopus servus servorum Dei glorioso Carolo regi.

QUod præsentem presbyterum Herlefridum, potestate sui præsulis plusquam canonica veritate perculsum, ad sedem apostolicam, utpote caput omnium ecclesiarum, venire passi estis, bene quidem feciſtis: sed nunc melius faceretis, si quod in civili concilio apud suum episcopum perperam gestum est, in provinciali synodo apud vos rationabiliter, & apud fratrem nostrum Hincmarum archiepiscopum cassaretur. Quapropter apostolica dilectione gloriam vestram hortamur, ut aut præsentialiter huic Herlefrido presbytero suam ecclesiam cum omnibus suis, usque ad tempus provincialis synodi hanc libere possessuro, pro tempore quod sacri canones definiere, sollemniter reddere faciatis, aut Erpuinum episcopum suum legatum nobis, qui hæc plenius veriusque renuntiet, præsentialiter mittere cogatis: quatenus dum luce clarius cuncta noverimus, sciamus in quem apostolicæ animadversionis sententiam profe amus. Deus vos incolumes custodiat, dilectissime fili.

XIX. AD PROCERES REGNI LOTHARII.

Post mortem Lotharii regis, hortatur ut fideles sint Ludovico imperatori illius fratri, cui regnum hæreditario jure debeatur.

Hadrianus episcopus servus servorum Dei, omnibus primatibus & glorioſis comitibus consistentibus in regno domni Hlotharii, quondam magni imperatoris, & genitoris domni Hludovici imperatoris.

PErfectæ procul dubio caritatis est bonum, secundum apostolum, gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Unde quia Hlotharius quondam rex vester divina de hoc sæculo jussione migravit, vos de obitu ipsius valde tristes effectos, & lugubri doloris ingentis amaritudine, utpote viros fideles, repletos esse cognoscimus, carnalique affectu ejus nunc transitum flere: noster non minus apostolicus animus vobis compatiens & condolens, non solum pro æterna illius requie atque salute, sed etiam pro præsenti consolatione vestra, pro pace, concordia, & unitate, quam vos ex toto corde sequi, & fideli omnino devotione amplecti ceu Christi membra nullam habentia maculam, quæ instantem aut futuram mortis perniciem vobis possit inferre, incunctanter, ut oportet, flebilibus Dominum precibus precati sumus. Et quotidie suppliciter exoramus, ut & illi, qui carnali obiit conditione, vitam perpetuam, & vobis misericordiæ largitate consolationis, pacis, & unanimitatis affectum & desiderium inspirare donareque dignetur. Quoniam ipse est, qui nos paterno more virga justitiæ corripit, ac purgationis mœrore affligit, & ipse nos in omni tribulatione nostra clementer consolari dignatur, ut possimus sustinere, nunquamque deficere. Quamobrem, filii carissimi, apostolicæ sedis magisterio plurimum debentes, nos, qui per superuam gratiam apostolorum principis fungimur vice, omniumque ecclesiarum Dei curam & sollicitudinem nobis a Domino præ ceteris delegatam habentes, antequam antiquus noster adversarius mentes vestras occultis & impiis nequitiæ suæ versutiis corrumpat, & morbo insanabili sauciet, armis præcincti divinis occurrere, salubribusque vos informare præceptis debemus: quibus humiliter obedientes, sicut omnes qui ab initio Deo placuerunt, salvi esse possitis, dicente Domino in evangelio: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Quapropter caritatem vestram, o carissimi in Domino filii, apostolica tuba monemus, & cælesti magisterio exoramus, ut pro regni stabilitate, vos nunc in eadem fide, mentisque sinceritate, generaliter omnes satagatis consistere circa dilectissimum ac spiritalem filium nostrum, domnum Hludovicum imperatorem Augustum, quam circa divæ memoriæ quondam Hlotharium imperatorem patrem illius mundo pectore conservastis: ut nullus mortalium, cujuscumque sit dignitatis & gloriæ, vos ab apostolicæ sedis præcepto monituque salubri possit modis aut argumentis quibuslibet revocare, vel a via veritatis in obliquum deflectere, nec ullius præcepta magis, quam beati Petri apostoli, per os nostrum prolata, vobisque utiliora, jucundis percipere auribus studeatis. Quoniam ipsi & paterno & hereditario jure secundum legem & rationem hoc regnum debetur, & per paternæ hereditatis successionem summopere pertinet: quippe cum eum præfatus genitor illius, quondam imperator, constituerit imperatorem, regnique totius heredem præ ceteris sublimaverit natis. Sicut Isaac quondam Jacob filio suo benedicens, dominum illum Esau constituit: ita & huic ceteris prælato totum omnino est a patre concessum imperium. Quem ipse adhuc vivens imperiali voluit & consensit una vobiscum ab apostolica sede diademate coronari, sceptroque potiri sine dubio augustali permisit. Ideo nobilitatem vestram monemus & obtestamur in Domino, ut nullatenus ab eodem vos spiritali filio nostro Augusto quibuslibet promissionibus vel minis alicujus separare, dividereque tentetis; sed illi quamdiu superna vixerit voluntate, in omnibus veluti proprio seniori, proprio imperatori, justoque hæredi regni obedire, fidemque illæsam more solito conservare, studioque sagaci semper attendite, ut Dei omnipotentis & sancti Petri gratiam, nostramque plenariam habere mereamini benedictionem, & apostolicæ communionis consortium. Nam quem ex vobis contraria tentare nitentem, atque apostolicæ sedis monitis in contemptum beati Petri apostoli cælesti regni clavigeri spretis, ad aliam se partem conferre cognoverimus, velut infidelem, & ecclesiasticæ paci ac saluti contrarium, a nostri apostolatus communione non solum alienum habebimus, sed etiam anathematis vinculo jure me-

Joan. 14.

Gen. 27.

ritoque alligare omnino curabimus: & nos secundum apostolicæ privilegium dignitatis & potestatis, ipsum excellentissimum ac spiritalem filium nostrum, domnum Hludovicum imperatorem Augustum, regni hujus provinciæ, scilicet Galliæ totius, regem dominum & imperatorem, sicuti jam olim a Deo præordinatum esse constat, & ab antecessoribus nostris pontificibus statutum multis videtur indiciis, habemus, & quousque superfuerit ipse, eum habere studebimus. Quod sane regnum si tyrannus aliquis, contra divinam & apostolicam voluntatem, invadere præsumpserit, apostolicæ sine mora sustinebit ultionis censuram. Optamus nobilitatem vestram unanimi devotione consistere, & in insolubili caritatis vinculo manere conjunctos.

XX. AD PROCERES REGNI CAROLI CALVI.

Hortatur ut Carolum regem deterreant, ne invadat regnum Lotharii, & ut Paulum ac Leonem legatos suos benigne suscipiant.

Hadrianus episcopus servus servorum Dei, omnibus gloriosis ducibus, comitibus, & ceteris primatibus in regno Caroli excellentissimi regis constitutis.

OMnes quidem virtutes Christi cultoribus sectandæ sunt, sed nulla utilius quam pax cum dilectione mutua inter omnes, & maxime inter sublimiores personas, custoditur & colitur. Quanto enim quis sublimior, tanto ad mores suos quosque trahendum constat esse facilior. Ideoque his præsentibus opportune moneo, suadeo, & exhortor apicibus, quo pacis bonum in omnes, sed præcipue inter sublimiores mundi principes, ædificare & constituere satagatis. In hoc enim dilecti filii mei regis vestri regnum citius poterit incolume permanere, si neminem ille concutiens, a nullo concutiatur. Non autem ignorare vos credo, qualiter desiderabilissimus & spiritalis filius meus Hludovicus, piissimus & a Deo protectus imperator, non ut quidam adversus sanctæ religionis filios, non contra fidei Christianæ domesticos, sed adversus filios Belial, adversus Christi inimicos, præcipue pro nostra securitate, proque multorum liberatione fidelium, qui fine tenus apud Samnium, & circumquaque regiones, jam jamque periclitabantur, ita ut etiam fines nostros infestatio propemodum Saracenorum invaderet, egressus a summo sublimitatis propriæ solio, & a pacatissimæ requiei suæ fundamine, non corpori parcat, non æstibus, non algoribus, non denique ullis eventibus cedat: sed omnia incommoda, omnia discrimina pro Christi nomine tolerans, nihil est quod pro Christianorum ereptione recusset arripere; nihil est quod pro fidelium quiete ac pace declinet assumere. Denique non modicam ecclesiæ sanctæ quietem per eum divina pietas operata est; nec modicæ paganorum vires fortitudine superna prostratæ sunt. Siquidem sæpius hostes, tamquam mures cavernis suis egressos, ad sua latibula terga vertere compulit, & brachia contra nostros exerta potenti virtute dissolvit. Quin & nobis omnibus, qui longe fuimus & qui prope, magnæ securitatis præsidia contulit: dum scilicet nonnullos eorum prostravit, nonnullos etiam ab eorum superstitione convertens, Christi fidei & veræ religionis itinera sectari perdocuit. Qua de re ratum ducimus, vestram commonere dilectionem, quo præfato glorioso regi vestro, & filiis ejus suggerere satagat, & prudenti consilio suadere contendat, quatenus nec suis moribus, nec aliorum suasionibus impulsus, quæ tanti principis & tam pii Augusti sunt, invadere vel sollicitare consentiat; eorum videlicet, quæ cum sint in regno gloriosæ memoriæ Hlotharii quondam regis germani sui, ad se suffragantibus cunctis legibus, non tam pro fraterna successione, quam pro paterna dispositione, hæreditario jure pertinere probantur. Qui enim concutit fines, & sollicitat homines, qui sub moderamine quondam jam nominati regis erant, illa quæ Dei sunt, & ecclesiæ utilitati conveniunt, concutit: & qui hunc avaritia victus commovet, magnum procul dubio ecclesiæ dispergit augmentum. Iniquum præterea est, ut quod fratres sibi mutuo, pro integra inter se ac nepotes suos custodienda parte regnorum, quam singuli distincta sorte perceperant, juramentis teribilibus spoponderant, impia prævaricatione violetur, vel cujusquam cupidinis fomite temeretur: cum potius pio conveniat affectu fratrem fratri, ac patruos nepotibus, totius præsidium conferre juvaminis, & secundum promissam invicem juramento fidem, omnis auxilium præstare solatii. Præcipue jam fatum inclytum regem vestrum, qui hunc nepotem suum, magnum scilicet Augustum, de patris proprii dextra, cum omnibus quæ ad eum pertinere viderentur, ad fovendum roborandumque pro viribus veluti secundus pater accepisse dignoscitur. Iniquum autem & instar sacrilegii est, ut qui se ultro pro salute fidelium, & maxime pro sanctæ Romanæ ecclesiæ matris suæ defensione, tot periculis offert, a cœpto pietatis alicujus factione stimulatus recedat opere, atque ad patriam coactus vindicandam procedat hæreditatem. Verum quisquis suo vitio tam sancto labori, cupiditatis æstibus accensus, aliquod impedimentum præstiterit, condignam profecto, apostolica sede sanciente, luet cum suis fautoribus ultionem. Unde si quisquam vestrum hujus diabolicæ ambitionis auctorem sectatus fuerit, vel ei quoquomodo in rapinis concupiscenti favorem contulerit, anathematis vinculis innodabitur, ac pro hoc a regno Domini separatus, cum impiorum omnium capite, quod est diabolus, merito deputabitur. Attendat ergo rex prudentissimus, vestris quoque probabilibus consiliis adhortatus, ne iniquorum suasionibus cedat, nec siniſtra machinantibus aures accommodet: sed proprio jure contentus, quæ sua non sunt usurpare non tentet, nec invadere quocumque modo nitatur, quomodo invasum non modicum potest invasori generare discrimen. Ne itaque jam memorato dilectissimo filio meo, domino semper Augusto, causam Dei exequenti, hæreditatem Domini vindicanti, ac ipsius bella prælianti, quodlibet offendiculum præparet, quo sanctæ Dei ecclesiæ quavis ex parte impediatur utilitas, vel profectus fidelium excludatur. Alioquin manum apostolicæ sedis cum eodem piissimo principe fortiter esse comperiat, & arma nostra illi munimina validissima conferentia, summo agonotheta nobis concertante, & beatorum principum apostolorum intercessione cooperante, præparata sine cunctatione prænoscat. Hos præterea missos apostolicæ nostræ sedis, Paulum & Leonem venerabiles episcopos, dilectos consiliarios nostros, quos pro pace & concordia sanctæ Dei ecclesiæ illuc destinavimus, ob reverentiam principum apostolorum Petri & Pauli benigne suscipite, & ea quæ vobis pro utilitatibus Christianæ fidei atque religionis dixerint, aure cordis percipientes, ad effectum perducere festinate. Optamus gloriam vestram in Christo bene valere. Data Nonis Septembris, indictione III.

XXI. AD EPISCOPOS IN REGNO CAROLI CALVI CONSTITUTOS.

Ut Carolum regem deterreant ab invadendo regno Lotharii, & Paulum ac Leonem missos a se legatos benigne suscipiant.

Hadrianus episcopus servus servorum Dei, reverentissimis & sanctissimis fratribus & coepiscopis nostris in regno Caroli gloriosi regis ecclesiam Domini gubernantibus.

INter exordia pontificatus mei pacis studium præ ceteris virtutibus prædicandi suadendique arripuisse memini. Quippe qui noverim, quod in dominicæ nativitatis principio cælestis militiæ visus sit exercitus, qui clamavit *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Ubi profecto solerter attendendum est, qui super gregem suum præ ceteris vigilaverunt, tanti tripudii videre præ ceteris gaudia meruerunt: ita nos qui pastores dicimur, tunc cælestium bonorum letitiam adipisci merebimur, si super oves dominicas sollicite vigilemus: ne videlicet has vel per insidias odii seu discordiæ vorax lupus invadat, vel per cupiditatem avidus ille leo deglutiat, qui, ut princeps apostolorum scribit, rugiens circuit quærens quem devoret. Ideoque, fratres carissimi, nunc etiam id ipsum repeto, id ipsum opportune vel importune suadeo, prorsus efflagito. Quamobrem ut pacis seu dilectionis vinculum, quæ major est omnibus virtutibus & holocautomatibus, vestra quoque sanctitas insolubiliter inter omnes sed præcipue inter sublimiores personas observari doceat, indesinenter adhortor. Quapropter illud a vobis exigo, ut solliciti existentes, si quos senseritis velle filii nostri glorioſi regis vestri Caroli fortassis animos ad invadendum regnum, quod defuncto quondam inclyto rege Hlotario, ad dominum desiderantissimum filium nostrum piissimum imperatorem rediit, jureque hæreditario illi debetur, nequiter incitare; vos qui spirituales estis, horum carnales voces, quin potius & ipsum excellentissimum regem, ac filios ejus tamquam veri episcopi a tanto compescere piaculo studeatis. Quinimmo ad favorem & opem ejus hunc inflammantes hortemini, atque sicut eum in fide sua tamquam alter pater suscepit, ita foveat, & hunc ut proprium genitum amplectatur. Iniquum enim, & instar sacrilegii est, ut qui se ultro pro salute fidelium, & maxime sanctæ Romanæ ecclesiæ, matris scilicet omnium Dei ecclesiarum, defensione, tot mortis casibus offert, alicujus factione stimulatus, a cœpto pietatis recedat opere, atque ad patriam vindicandam procedat hereditatem. Non enim debet paternam hereditatem ille dimittere, qui, Deo gratias, non ignorat Naboth Jezrahelitam pro sola paterna vinea, etiam contra regem impium defendenda, usque ad mortem lapidum perveniſſe. Verum si & labor alicujus ambitione impediatur, quoniam paternum deseri patrimonium surripientibus non oportet, per quem quid tale contigerit, una cum fautoribus & sectatoribus suis, dignam paremque animadversionem exsolvet. Et si quis vestrum tam nefariæ temeritatis auctorem vel tacendo fugerit, vel non resistendo consenserit, non jam pastoris, sed mercenarii nomine se noverit fore censendum: & quia jam non pertinebit ad eum de ovibus, non pertinebit consequenter de pastoralibus dignitatibus. Hos præterea missos apostolicæ sedis, Paulum & Leonem venerabiles episcopos, dilectos consiliarios nostros, quos pro pace & concordia Dei ecclesiæ illuc destinavimus ob reverentiam principum apostolorum Petri & Pauli benigne suscipite, & ea quæ vobis pro utilitatibus Christianæ fidei atque religionis dixerint, aure cordis percipientes, ad effectum ducere festinate. Optamus sanctam fraternitatem vestram in Christo bene valere. Data Nonis Septembris, indictione III.

XXII. AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

Benevolentiam suam Hincmaro pollicetur, eumque hortatur ut operam suam interponat, ne regnum Lotharii quisquam invadat. Legatos denique Paulum & Leonem commendat.

Hadrianus Episcopus servus servorum Dei, reverentissimo & sanctissimo confratri nostro Hincmaro archiepiscopo Rhemensi.

SAnctimonia tua quam fuerit apostolicæ memoriæ papæ Nicolai familiaris, non forte dedit oblivioni. In cujus videlicet familiaritatis sinu nos quoque te recipientes, fiduciam penes apostolatum nostrum fraternitati tuæ gratanti mente offerimus. Præterea noveris misisse nos epistolas quasdam in Gallicanarum partium regiones, tam reges, quam præsules, & omnes omnino regnorum primates, ad comprimendum ambitum, & unicuique jus proprium reservandum; competenter admonentes, cohortantes, suadentes, contestantes, prohibentes, & deterrentes. Cujus rei sollicitudinem sanctitas tua speciali quodammodo certamine suscipiens, vice nostra tam reges, quam ceteros Dei vel mundi ministros, admonendo, suadendo, & prohibendo, a cupiditatis vel avaritiæ vitio comprimat & compescat, ut scilicet unusquisque suis contentus alienum non surripiat, non sollicitet, non usurpet. Præcipue ut regnum quondam regis Hlotharii, quod carissimo filio nostro domino imperatori jure debetur, vel homines in eo degentes, mortalium nullus invadat, nullus commoveat, nullus ad se conetur inflectere. Quoniam si per hujuscemodi temeritatem caritatem scindere, concordiam dividere, invidiæ facibus inardescere, cupiditatis æstibus anhelare, propinquitatem telo crudelitatis percellere, scandalum in ecclesia Dei generare non pertimescit, non solum per mediocritatis nostræ ministerium, Deo auctore, viribus infirmabitur, verum etiam vinculis anathematis obligatus, nomine Christianitatis privatus, cum diabolo, quem super hoc imitatur, omnino locabitur. Tua vero reverentia, si in hoc strenue secundum datam sibi divinitus sapientiam laboraverit, nostræ sibi, ut prætulimus, familiaritatis fiduciam non dubitet modis omnibus tribuendam, nec diffidat benevolentiæ nostræ benignitatem, cum necessitas exegerit, suis opportunitatibus adfuturam. Hos præterea missos apostolicæ nostræ sedis, Paulum & Leonem venerabiles episcopos, dilectos consiliarios nostros, quos pro pace & concordia Dei ecclesiæ illuc destinavimus, ob reverentiam principum apostolorum Petri & Pauli benigne suscipe, & ea quæ tibi pro utilitatibus Christianæ fidei atque religionis dixerint, ore cordis percipiens, ad effectum ducere festina. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere. Data Nonis Septembris, indictione III.

XXIII. AD CAROLUM CALVUM REGEM.

Regem increpat, quod Lotharii regnum invaserit, & sedis apostolicæ legatos contempserit: mandatque ut regno illo excedat, & alios legatos benigne suscipiat, Joannem videlicet, Petrum, Vvibodum, ac Joannem, episcopos, & Petrum presbyterum cardinalem.

Hadrianus episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Carolo glorioso regi.

SAcrorum itaque dogmatum evidentissimis documentis & apostolicis informamur exemplis, ut mitius agere debeamus cum mitibus, & severius per justitiam delinquentes corripiamus. Sed neque nos Deo placere possumus, si pastoris vicem suscipientes, non opus pastoris, sed mercenarii latibula præstolamur, & veniente lupo fugimus, ne solatium conferamus. Super quibus illud cavere debemus, quod Dominus per prophetam loquitur dicens: *Canes muti, non valentes latrare*: & rursum; *Væ pastoribus*, inquit, *qui pascebant semetipsos*; & reliqua. Quod si cunctis pastoribus dominici gregis Dominus pro desidia væ generaliter dicit, tanto magis nos illam sententiam formidare debemus, quanto præ omnibus & pro omnibus non solum honoris, sed etiam oneris in humeris nostris pondera quoque gestamus. An non pro te, rex, rationem coram Domino ponere compellemur? si, ut illud interim sileamus, quod missos apostolicæ sedis more regali recipere contempsisti, sanctum tuum non reprehendimus, & spiritali zelo redarguere desistimus, quando contra divinam, sanctorumque patrum auctoritatem, atque contra propriæ fidei sponsionem, qua jurejurando pollicitus es, ne aliena, & præcipue fratrum tuorum regna concupiscere, aut invadere, regnum quondam Hlothari imperatoris, quod spiritali filio nostro, domno Hludovico Augusto filio ejus, juxta divinas & humanas leges debetur, præsumpsisti invadere, & in reatum perjurii incidere non formidasti. Numquid a mente excidit, quod vestra vestrorumque juramenta sedi apostolicæ destinata discussimus, roboravimus, & in archivo nostro hodie illa recondita retinemus? Quod si nec tibi ista sufficiunt, tunc ad majoris reprehensionis tuæ cumulum tui te specialibus sententiis convenimus, & ut ad cor tuum redeas, ex oris tui professionibus incitamus. Quando igitur Hludovici, fratris tui filii, superatus viribus regnum perdidisti, numquid non epistolam, quam habemus præ manibus, sedi apostolicæ direxisti? in qua inter cetera confessus fuisti dicens: Cum fratribus nostris post Fontanicum bellum in unum convenimus, & inter nos divisione regnorum facta, pacem fecimus, & jurejurando juravimus, quod nemo nostrum regni alterius metas invaderet. Nunc autem regno meo juramentis spretis invaso atque sublato, misereatur vester apostolatus, & ne nomen Christi blasphemetur in gentibus, sine vindicante facinus non relinquatur. Ecce qualiter aliena tibi concupiscere minime convenit: ecce tibi ostensum est, quod juramenta publice facta contempta sunt; postremo ad fortioris tuæ reprehensionis indicium, aliquantisper monstratum est, quod & te impunitum dimittere non debemus. Qui quod alii facere precabaris, nunc in simili opere tibi facere justo nos oportet judicio, & te de tuis actibus increpare: præcipue cum apertius demonstraris, quod labiis tantum, & non corde, devotum sanctæ Romanæ ecclesiæ, veluti in epistolis ad decessores nostros & nobis a te directis continetur, te jactitares esse filium, & nunc adeo devotio fidei tuæ cassata est, ut jam, quia convenientibus responsis missos nostros a te minime dimisisti, nobisque rescribere callide omisisti, missos tuos vel epistolas, quas te missurum indicasti, hactenus ad contemptum apostolicæ sedis non direxisti. Quod si quis alius tale tibi dedit consilium, fidem circa te minime veram servavit: si autem in hoc tuo tantum consilio usus es, minus regalis excellentia quam debuit fecit. De pacis vero & concordiæ unitate, cujus nos inter piissimum Cæsarem & te mediatores esse debere suggesseras, libentissime suscepimus, & agere cœpimus. Sed illi contra hostes Christiani nominis dimicanti, pro liberatione populi Dei multis laboribus insistenti, & bella Domini præliando, Saracenorum multitudinem superanti, ut pax fieret, cedere noluisti: quin potius non ut pacis amator, sed ut scandali concitator, etiam & tyrannidis manifestissimus executor, pacis tempus non es præstolatus: quia postquam hæc illi callide mandare curasti, domni imperatoris regnum magis ac magis invasisti, sollicitasti, ordinasti, & homines ipsius regni ad tuam fidelitatem jurare fecisti. Cui talia facere pertimescere res, nisi ipse tantis laboribus ad perpetuam pacem sanctæ ecclesiæ diu noctuque pro Christi amore fideuter hæreret. Qui a cœptis bonis, in quibus illi te solamina oportebat conferre magis, quam Christianum populum contra fidem debitam persequi, manum & opus non subtrahens, dubium non est quod omnipotentem Dominum ad hæc peragenda sibi propitium faciet, & de hostibus Christiani nominis triumphum cito percipiet. Sed his succincte prolatis, quoniam, ut prædiximus, sicut omnium pondera in humeris nostris gestamus, ita omnium actus prævidere debemus, ne pro humanis favoribus nos hæc dicere quis existimet, si forte accideret, ut principes nostri, quibus a te pervasum regnum jure debetur, sibi illatas injurias non vindicarent; nos usque ad veram emendationem, quia omnes salvare volumus, perjuria illa, atque invasionum tyrannides impunitas nullo pacto dimitteremus: quia non ambitione regni, sed justitia commovemur, & non terrarum spatia quærimus, sed ex debito vitiis ac pravitatibus quibuscumque resistere vigilamus. Igitur ut interim perpaucis gloriam tuam conveniamus, monemus, & auctoritate apostolica quibus possumus modis spiritaliter suademus, paternoque affectu præcipimus, ut jam tertio monitus ab invasione regni spiritalis filii nostri Christianissimi principis te penitus subtrahas & compescas, aliena non concupiscas, & quod tibi non vis fieri, illi non facias. Noli justis tuis competentibusque tibi rebus injuste captas tyrannice sociare, ne & juste possessas amittas, & injuste pervasas justo Dei judicio te ambisse pœniteat. Nos etenim, quoniam salvum te consistere cupimus, & ut anima corporeque felici successu polleas anhelamus, nisi saltem nunc nostris, aliisve salubribus parueris monitis, ut & prius inobediens nostræ spiritali censuræ consliteris, nullo pacto, nulloque prætermittemus ingenio, quo minus, Deo juvante, partes illas nosmetipsi petamus, & quod nostri est ministerii penitus peragamus. Postremo magnopere commonemus, ut hos apostolatus nostri præcipuos missos, Joannem videlicet, atque Petrum, Vvibodum, & Joannem, reverendos episcopos, nec non & Petrum religiosum presbyterum cardinis nostri, dilectumque familiarem nostrum, pro principum apostolorum, ab omnibus præferenda reve-

Isai. 56.
Ezech. 34.

reverentia & amore, benigne suscipias, & utpote a tanta sede digressos, honorifice receptos colas. Ipsis enim, quæ pagina reticuit, tibi dicenda injunximus: & ideo quidquid verbo tenus exposuerint, sine scrupulo prorsus admitte: & ut efficaces ad nos reverti valeant, omnimodis vigila. Optamus gloriam tuam in Christo nunc & semper bene valere. Data v. Kalendas Julii, indi- n. Chr. 870. ctione III.

Nota Jacobi Sirmondi, S. J.

1. *Sacrorum itaque dogmatum.*) Caroli ad singula hujus epistolæ membra responsionis meminit Hadrianus in epistola XXVIII. Legatos autem, quos a Carolo rege contemptos ait, Paulum & Joannem episcopos intelligit, de quibus in epistola XV. & duabus sequentibus.

XXIV. AD EPISCOPOS IN REGNO Caroli constitutos.

Ut regem moneant, ut a regno Lotharii abstineat, & legatos benigne suscipiant.

Hadrianus episcopus servus servorum Dei, reverentissimis & sanctissimis confratribus nostris archiepiscopis & episcopis in regno Caroli gloriosi regis constitutis.

NUper apostolatus nostri missis atque epistolis reverentiam vestram salutiferis exhortationibus, ut vobismetipsis consuleretis, monuimus, & juxta quod vos oportuit, fraternitatis affectu non immerito corripuimus. Sed tantum apostolica monita contempsistis, quantum nec nostris epistolis respondistis, nec regem vestrum Carolum grave facinus incurrentem procul dubio doluistis. An non grave scelus incurrit, quando, sicut multi vestrum noverunt, sui oblitus, jusjurandum, quod olim cum fratribus suis pepigit, quo nemo illorum regnum alterius invaderet vel usurparet; ut evidentissime patefactum est, regnum quondam Hlotharii imperatoris, quod jure divo imperatori domno Hludovico filio ejus semper Augusto debetur, spretis juramentis invasit, & perjurii incidit crimen? Unde valde miramur, obstupescimus, & dolemus, ut si vos fidem illi promisistis, quare vosmetipsos perditis, & non eum modo suggerendo, modo illud aut illud opponendo, ut resipiscat circumvenitis: quin potius vobis consentiendo, & illi, tam detestabilia faciendo, quod vestri non fecere parentes, gehennam paratis. Præfatus siquidem imperator, terrena regna non ambiens, pro liberatione populi Dei multis laboribus fatigatus, triumphales in Saracenorum cervices potius manus, quam in eum regnum suum tollentem extendit. Redite ergo ad vos, dilectissimi, & ut olim fœdera inter seniorem vestrum, fratresque illius, cum juramentis habita, sed modo corrupta reformentur, sine cessationibus laborate. Commonete jugiter illum juxta vestrum ministerium, & ut episcopalis in vobis non refrigescat caritas, providete. Et si eum salvum consistere vultis, ut regni jura ad se non pertinentia desistat invadere, opportune importune insistite. Aliena non concupiscat, aliena non rapiat, & quod sibi non vult fieri, alii prorsus non faciat. Reminiscatur scripturæ dicentis: *Non concupisces rem proximi tui.* Et rursum: *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, eadem & vos facite illis.* Nos enim non tantum regnum cuicumque augendo, quam justitiam requirendo, ista prosequimur, & ne quis pro temporali regnum perdat æternum, non indebite contestamur. Quod si & nunc his salubribus nostris exhortationibus atque monitionibus tam jam fatus rex, quam vos parere contempseritis; scitote quia ducti paterno affectu, ferventissimoque zelo justitiæ, statim Christo opifice partes illas penetrabimus, & in contemptores dignam dabimus ultionem. Postremo magnopere commonemus, ut hos apostolatus nostri præcipuos missos, Joannem videlicet, atque Petrum, seu Vvibbodum & Joannem reverendos episcopos, nec non & Petrum religiosum presbyterum cardinis nostri, dilectumque nostrum familiarem, pro principum apostolorum ab omnibus præferenda reverentia & amore, benigne suscipiatis, & utpote e tanta sede digressos, honorifice receptos colatis. Ipsis enim quæ pagina reticuit, vobis dicenda injunximus. Et ideo quidquid verbo tenus exposuerint, sine scrupulo prorsus admittite, & ut efficaces ad nos reverti valeant, omnimodis vigilate. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere. Data v. Kalendas Julii, indict. III.

XXV. AD HINCMARUM ARCHIEPISCOP. Rhemensem.

Arguit Hincmarum, quod Carolum regem a regni Lotharii pervasione non revocarit, literisque apostolicis non rescripserit. Hortatur ut regem ab eo consilio deterreat, & alios legatos ea de caussa missos ei commendat.

Hadrianus episcopus servus servorum Dei, reverentissimo & sanctissimo confratri nostro Hincmaro Rhemensi archiepiscopo.

SI beneficiorum Domini, quæ sedis apostolicæ instantia consecutus es, memor esses; aut si ita de proximi, sicut de propriis, casibus juxta quod scriptum est condoleres, profecto aut amor Dei, aut timor gehennæ, ad pastoralis curæ ministerium peragendum a somno desidiæ excitaret, & ad annuntiandum iniquo iniquitatem suam vel modicum invitaret. Sed ut in multis cernimus, & oculo mentis nostræ conspicimus, abundante iniquitate, & multorum caritate refrigerante, ipsi pastores mercenariorum morem sequuntur, qui vident lupum venientem, & dimittunt oves, & fugiunt. Primum tamen reminisci debes, si unquam apostolicis epistolis non rescriptum sit, & convenientibus responsis de negotiis unde agebatur, apostolicæ sedi remissum: sicuti tuam reverentiam pro nostro contemptu fecisse penitus constat, quando nuper per nostros missos in Galliarum partes epistolas tam tibi, quam aliis destinavimus, & nullum inde responsum recepimus. Sed quia de his alio loco dicendum est, restat ut de tuis actibus per justitiam, ex caritate tamen, reprehendere non omittamus. Quis igitur melius te novit, quod filii quondam Hludovici imperatoris in unum convenientes regnum inter se diviserunt, jureque jurando sibi invicem promiserunt, ut nullus eorum regnum alterius fratris sibi usurparet, aut omnino pervaderet? & tunc Carolus rex, sacramentis illis contemptis, regnum, quod Hlothario imperatore defuncto domino serenissimo imperatori filio ejus debetur, invasit, & fidem debitam violavit. Tu vero, quia filuisti, & contra tale facinus saltem leviter non insurrexisti, non solum consors, sed etiam, quod est deterius, hujus tyrannidis auctor esse videris. Et ideo, ne & nosipsi pro taciturnitatis silentio apud Deum redditorem unicuique juxta opus suum, reprehensibiles esse videamur, apostolicis somnolentiam vestram excitamus affatibus,

& qui

& qui aliter non debemus, ut ad te revertaris præcipimus. Memento quod Dominus tales per prophetam increpet dicens: *Non ascendistis ex adverso, neque oppositistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini.* Ezech. 13. Quocirca ut ab invasione regni spiritalis filii nostri Hludovici principis rex vester jam tertio monitus procul recedat, insiste, ut amplius perjurium non incurrat, invigila, & ut pro retro culpis peractis apostolatus nostri jaculis non feriaris, præcave. Quia neque tu, qui honore & dignitate ceteris illius regni episcopis es sublimior, silentiis opprimi debes: neque, si non regi prave agenti restiteris, coram nobis excusabilis poteris inveniri. Mone igitur eum ut se corrigat, regnumque quondam Lotharii imperatoris, quod ad eum non pertinet, invadere jam desistat. Jam vero, si in obstinationis suæ perfidia post vestram conventionem persistere maluerit, quam juxta nostra monita resipiscere, ab illius vos communione, atque consortio sequestrate, & secundum apostolum, nec Ave ei dicentes, si nostræ communionis vultis esse participes, præsentiam ejus modis omnibus devitate. 2 Joan. v. 10. Nam & nos ita uniuscujusque justitiam volumus & exquirimus, ut si idem rex nostris apostolicis exhortationibus, salubribusque præceptis mox susceptis his literis non obedierit, & a tantis tyrannicis factionibus non declinaverit, adjuvante Deo, nec mora, continuo iter nostrum nostros subsequetur legatos: & quidquid de talibus tantisque viris, Deum per nos omnino spernentibus, oportet peragere, præveniente gratia sancti Spiritus, præsentialiter peragemus, nullo pacto, nulloque retractationis impedimento, talia sine ultione digna prætermittentes. Postremo magnopere commonemus, ut hos apostolatus nostri præcipuos missos, Joannem videlicet, atque Petrum, seu Vvibbodum, & Joannem, reverendos episcopos, nec non & Petrum religiosum presbyterum cardinis nostri, dilectumque nostrum familiarem, pro principum apostolorum ab omnibus præferenda reverentia & amore, benigne suscipias, & utpote a tanta sede digressos, honorifice receptos colas. Ipsis enim quæ pagina reticuit, tibi dicenda injunximus. Et ideo quidquid verbo tenus exposuerint, sine scrupulo prorsus admitte, & ut efficaces ad nos reverti valeant, omnimodis vigila. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere. Data v. Kalendas Julii, indictione III.

XXVI. AD PROCERES REGNI CAROLI CALVI.

Eadem quæ in epistola XXIV. ad episcopos:

Hadrianus episcopus servus servorum Dei, omnibus optimatibus regni Caroli glorioſi regis.

NUper apostolatus nostri missis atque epistolis reverentiam vestram salutiferis exhortationibus, ut vobismetipsis consuleretis monuimus, & juxta quod vos oportuit, paternitatis affectu non immerito corripuimus. Sed tantum apostolica monita contempsistis, quantum nec nostris epistolis respondistis, nec regem vestrum Carolum grave facinus incurrentem procul dubio doluistis. An non grave scelus incurrit, quando, sicut multi vestrum noverunt, sui oblitus, jusjurandum, quod olim cum fratribus suis pepigit, quo nemo illorum regnum fratris alterius invaderet vel usurparet, ut evidentissime patefactum est, regnum quondam Hlotharii imperatoris, quod jure divo imperatori domno Hludovico filio ejus semper Augusto debetur, spretis juramentis invasit, & perjurii incidit crimen? Unde valde miramur, obstupescimus, & dolemus, ut si vos fidem illi promisistis, quare vosmetipsos perditis, & non eum modo suggerendo, modo illud aut illud opponendo, ut resipiscat circumvenitis: quin potius vobis consentiendo, & illi tam detestabilia faciendo, quod vestri non fecere parentes, gehennam paratis. Præfatus siquidem imperator, terrena regna non ambiens, pro liberatione populi Dei multis laboribus fatigatus, triumphales in Saracenorum cervices potius manus, quam in eum regnum suum tollentem extendit. Redite ergo ad vos, dilectissimi, & ut olim fœdera inter seniorem vestrum, fratresque illius, cum juramentis habita, sed modo corrupta, reformentur, sine cessationibus laborate. Et si eum salvum consistere vultis, ut regni jura ad se non pertinentia desistat invadere, opportune insistite. Aliena non concupiscat, aliena non rapiat, & quod sibi non vult fieri, alii prorsus non faciat. Reminiscatur scripturæ dicentis: *Non concupisces rem proximi tui.* Exod. 20. Et rursum: *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, eadem & vos facite illis.* Matth. 7. Non enim tantum regnum cuicumque augmentando, quam justitiam acquirendo, ista prosequimur, & ne quis pro temporali regnum perdat æternum, non indebite contestamur. Quod si & nunc his salubribus nostris exhortationibus atque monitionibus tam jam fatus rex, quam vos parere contempseritis; scitote quia ducti paterno affectu, ferventissimoque zelo justitiæ, statim Christo opifice partes illas penetrabimus, & in contemptores dignam dabimus ultionem. Postremo magnopere commonemus, ut hos apostolatus nostri præcipuos missos, Joannem videlicet, &c. *usque ad finem ut in epistola* XXIV. *ad episcopos.* Optamus industriam vestram in Christo bene valere. Data v. Kalendas Julii, indict. III.

XXVII. AD LUDOVICUM REGEM GERMANIÆ.

Commendat legatos suos, & Ludovici imperatoris, propter Lotharii regnum a Carolo invasum missos. Episcopum Coloniæ sine suo consultu ordinatum fuisse conqueritur.

Hadrianus episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Hludovico glorioso regi.

SIcut sæpe per missos & epistolas vestras comperimus, de exaltatione matris vestræ Romanæ ecclesiæ jucundamini, & cum carissimo filio nostro domino Hludovico Augusto omnem concordiam, omnemque pacis dilectionem & fidei possidetis, & insolubiliter, quemadmodum idem serenissimus imperator nobis innotuit, vos retinere multis coram positis profitemini. Unde gloriosæ vestræ serenitati nonnullas grates referimus, & ut in cœptis bonis perseveretis, apostolicis affatibus, fili carissime, incitamus: quoniam scriptum est: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Matth. 10. Sed & laudanda est plane vestra constantia, quæ sui non immemor fidem promissam merito custodivit, & velut frater Carolus, alterius regni jura, Hlotharii quondam scilicet imperatoris, quæ juxta divinas atque humanas leges eidem piissimo imperatori filio ejus debentur, nec invasit, nec concupivit. Pro quibus scilicet iniquissimis actibus, quos idem Carolus Deo contempto peregit, & pro juramentis quæ corrumpere non trepidavit, valde obstupescimus & miramur. Quia & illorum, quos deviare cognoscimus,

mus, tantum animarum pericula gemimus & dolemus, quantum pro omnibus illis, qui nos ſuo gregi præeſſe dignatus eſt, rationes ponere procul dubio compellemur. Verumtamen miſſos noſtri apoſtolatus, cum ejuſdem ſpiritalis filii noſtri Auguſti legatis, tam ad vos, quam ad eumdem Carolum, ſicut nos nuper facere propoſuimus, ecce direximus. Quos benigne ac honorifice pro amore apoſtolorum ſuſcipientes, omnes utilitates & opportuna in opere præſenti negotia cum eis tractetis: quatenus, his peractis, ſicut nos & ſæpe dictus Auguſtus ſperamus, iidem miſſi ſalvi atque illæſi per veſtrum adjutorium, ad prædictum regem, duce Deo, perveniat, & regredi valeant. Jam vero ſi idem rex ab invaſione illa ceſſaverit, & ſuæ tyrannidi ceſſerit, ecce bene. Sin autem, ſcitote quia per nos illuc iter veniendi accelerabimus, & velut in contemptorem Dei, ac apoſtolicarum monitionum, ultionem debitam inferemus: ne nobis imputetur, ſi ille impunitus remanſerit, & ſi ſe a pravis actibus, perjuriis ſcilicet ac concupiſcentiis, aliiſque nefandis ſceleribus non correxit, venturus judex eum de manibus noſtris requirat, & pro deſidia merito reprehendat. Miramur præterea gloriam veſtram in præficiendo epiſcopo Agrippinæ Coloniæ tam indiſcrete præbuiſſe conſenſum; cum evidentiſſime ſcires, quod apoſtolicæ ſedis judicio atque conſultu ibidem debuerit ordinari antiſtes, cujus cenſura nuper fuerat eadem eccleſia ſuo privata rectore. Et quidem quod poſt judicium ſedis apoſtolicæ factum eſt, dure ſuſcepimus: ſed quod tua ſuper hoc devotio, quam circa nos habere probaris, omnimodis tacuit, durius æſtimamus. Præcipue quia Guntharii dudum archiepiſcopi cauſſam, antequam in locum illius ſubſtitueretur epiſcopus, nos iterum audituros, & vocem ejus admiſſuros fore ſpopondimus. Præfatam quippe ordinationem nec confirmamus, nec ratam habere decernimus, quouſque ille qui ordinatus eſt, noſtræ exhibeatur præſentiæ, & utraque pars coram nobis diſcuſſa, conventus ſynodalis perpendatur audientia. Poſtremo magnopere commonemus, ut hos apoſtolatus noſtri præcipuos miſſos, Joannem videlicet, atque Petrum, ſeu Vvibbodum, & Joannem, reverendos epiſcopos, nec non & Petrum religioſum presbyterum cardinis noſtri, dilectumque noſtrum familiarem, pro principum apoſtolorum ab omnibus præferenda reverentia & amore, benigne ſuſcipiatis, & utpote a tanta ſede digreſſos, honorifice receptos colatis. Ipſis enim quæ pagina reticuit, vobis dicenda injunximus. Et ideo quidquid verbo tenus expoſuerint, ſine ſcrupulo prorſus admittite, & ut efficaces ad nos reverti valeant, omnimodis vigilate. Optamus gloriam tuam in Chriſto nunc & ſemper bene valere. Data v. Kalendas Julii, indict. III.

XXVIII. AD EPISCOPOS IN REGNO LUDOVICI CONSTITUTOS.

Commendat legatos, monetque ut regi ſuo perpetuam pacem cum imperatore ſuadeant.

Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus reverentiſſimis & ſanctiſſimis confratribus noſtris, archiepiſcopis & epiſcopis in regno Hludovici glorioſi regis conſtitutis, ſalutem.

GRatias agimus Deo omnipotenti pro vobis, quod, ſicut fidelium relatione comperimus, ut inter ſereniſſimum principem noſtrum dominum Hludovicum Auguſtum, & glorioſum regem æquivocum ejus & patruum, ſeniorem ſcilicet veſtrum, firma caritas & pax perpetua maneat, utpote fidei cuſtodes invigilatis, & ut fœdera inter eos habita inconvulſa conſiſtant, ſuadere curatis. Quocirca, dilectiſſimi, noſtris vos apoſtolicis monitis exhortamur, ut in hoc ſemper perſeveretis, & idipſum ei ſuadere puro pectore ſtudeatis. Tam eſt enim illi invictus Auguſtus benevolus, quantum erga omnes probatur eſſe piiſſimus. State ergo in fide, viriliter agite, & Deo odibilium facta declinate: quia non decet vos fidem veſtram corrumpere, ſicut illos, qui Carolo regi ſeniori ſuo pro humano favore conſenſerunt, ut regnum ipſius principis noſtri pervaderet, & perjurii noxam incurreret. Pro quibus vos merito collaudamus, & ut in cœptis perſeveretis, paternitatis affectu præcipimus: quia *qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Matth. 10. Poſtremo magnopere commonemus, ut hos apoſtolatus noſtri præcipuos miſſos, videlicet Joannem atque Petrum, ſeu Vvibbodum & Joannem reverendos epiſcopos, nec non & Petrum religioſum presbyterum cardinis noſtri, dilectumque noſtrum familiarem, pro principum apoſtolorum ab omnibus præferenda reverentia & amore, benigne ſuſcipiatis, & utpote a tanta ſede digreſſos, honorifice receptos colatis. Ipſis enim quæ pagina reticuit, vobis dicenda injunximus. Ideo quidquid verbo tenus expoſuerint, ſine ſcrupulo prorſus admittite, & ut efficaces ad nos reverti valeant, omnimodis vigilate. Optamus ſanctitatem veſtram in Chriſto bene valere. Data v. Kalendas Julii, indictione III.

XXIX. AD CAROLUM CALVUM REGEM.

Pro Carolomanno Caroli regis filio, qui a patre vexatus ad pontificem per legatos ſuos & literas confugerat.

Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Carolo regi.

INter cetera exceſſuum tuorum, quibus aliena uſurpando invaſiſſe crederis, illud quoque nihilo minus objicitur, quod etiam beſtiarum feritatem excedens, contra propria viſcera, id eſt, contra Carolomannum genitum tuum ſævire minime verearis: ita ut more ſtruthionis, quod ex libro beati Job diſcimus, obduraveris ad filium tuum, quaſi non ſit tuus: eum videlicet non ſolum paterna gratia & beneficiis privans, verum etiam regni finibus eliminans, atque, quod impium eſt, ut excommunicationi ſubmittatur, affectans. Verum quia idem Carolomannus ſedem apoſtolicam legatis ſuis, tamquam quibuſdam pedum ſuorum paſſibus adiit, & per proprias literas nos appellat, quin potius interpellat: primo quidem ab hujuſcemodi conatum tuum intentu auctoritate apoſtolica refrænamus: deinde vero, ne adverſus apoſtolum ad iracundiam provoces filium tuum, ſalubriter exhortamur. Atque ideo & gratiam ei tuam ſicut convenit redde, & illum, ut verum proprium filium, paternis affectibus ſuſcipe, nec non & priſtinis beneficiis ac honoribus reſtituere ſatage, donec ſaltem apoſtolatus noſtri miſſi ad te veniant, & ſalvo debito utriuſque veſtrum honore, quidquid de illo ſalubrius inventum fuerit, competenti executione ac diſpenſatione ordinetur ac diſponatur. Ergo ne adjicias peccatum ſuper peccatum, ſed & de priſtinis invaſionis & avaritiæ pravitatibus deprecare, & correctionis oſtenſa perfectione, veniam eccleſiaſticam recipere totis medullis exopta, & ne fine tenus pereas, uſ- Ephes. 6.

quequaque decerta : quatenus per hoc finis pravitatum finis animadversionis efficiatur, & præstante Deo, cum termino culpæ terminus accedat & pœnæ. Data III. Idus Julii, indict. IV.

XXX. AD PROCERES REGNI CAROLI CALVI ET LOTHARII QUONDAM REGIS.

Prohibet ne arma capiant contra Carolomannum.

Hadrianus episcopus servus servorum Dei, omnibus glorioſis comitibus, & ceteris fidelibus in regno Caroli, & in regno quondam Lotharii regum constitutis.

AUditui nostro sonuit, quod Carolus rex etiam belluarum furorem transcendens, contra propria viscera, id est, contra Carolomannum filium suum sævierit, hunc videlicet non modo paterna gratia & beneficiis privans, verum etiam regni sui metis eliminans : quin etiam conetur adversus illum exercitum congregare, & vos omnes adversus eum totis nisibus destinare. Unde, quia per hujusmodi contentionem, atque conflictum sæpe sanguinis effusio contigit, providendum summopere ducimus, ne tale pronefas nostro proveniat tempore, ac per hoc nomen Dei blasphemetur in gentibus. Idcoque pacem & non bella volentes, (nam psalmista Domino dicit : *Dissipa gentes quæ bella volunt*) ea quæ pacis sunt inter genitorem & genitum, si potestis, constituite. Porro si non potestis, saltem bellis cedite, prælia dissipate. Alioquin, quisquis vestrum contra Carolomannum castra moverit, arma sustulerit, vel læsionis exercitia præparaverit, ac per id ut effundatur fidelium sanguis construxerit, non solum excommunicationis nexibus innodabitur, verum etiam vinculis anathematis obligatus in gehenna cum diabolo deputabitur. Optamus vos in Christo bene valere. Data III. Idus Julias, indict. IV.

Psal. 9.

XXXI. AD EPISC. IN REGNO CAROLI ET QUONDAM LOTHARII CONSTITUTOS.

Prohibet ne Carolomannum excommunicent.

Hadrianus episcopus servus servorum Dei, reverentissimis & sanctissimis confratribus nostris, archiepiscopis & episcopis in regno Caroli & in regno quondam Hlotharii regum ecclesiam Domini gubernantibus.

PRæsulatus nostri auribus intimatum est, Carolum regem Carolomannum filium suum gratia sua privatum, post multa dira simul & dura crudeliter irrogata, beneficiis, & ab ipsis quoque regni sui metis eliminasse : quinimmo ut vos etiam in eum excommunicationis spicula jaceretis, sanctimoniæ vestræ nihilo minus suasisse. In quo quid aliud intelligi datur, si rei se ita veritas habet, nisi quod resti delictorum, quam multipliciter extendendo contexuit, adhuc istud quoque impietatis genus velit adjicere, & sese talibus iniquitatum captum funiculis & constrictum gestiat irretire? unde nimirum valde dolemus, & ei affectu spiritali compatimur. Et quamvis exteriorem circa illum pacem solvamus, interiorem tamen integram conservamus. Nam & ideo illum percutimus, ut sanemus: & flagella ideirco extrinsecus adhibemus, ut intrinsecus vulnera delictorum curemus. Verba namque corrigentis sunt, non pœnæ damnantis. Verum quia idem Carolomannus nos missis suis, quasi quorumdam pedum suorum gressibus, adiit, & per syllabas proprias apostolicam sedem appellat, quin potius interpellat : decernimus, nullam vos in eum excommunicationis jaculaturos omnino sententiam ; quousque vivelicet nos, qui sacerdotum Domini matura volumus esse judicia, universa quæ gesta sunt, veraciter agnoscamus. Alioqui invalidam apostolicæ pondere auctoritatis futuram, contraque reverentiam vestram potius non immerito sævituram. Satius autem, & sine dubitatione præstantius est, ne Carolus proprium filium spernat, ne domesticos seminis sui despiciat, ne jura propinquitatis solito more corrumpat, ne pacis & caritatis fœdera violet, ne caduca mansuris antefe- B rat, ne temporalia æternis præponat. Præterea præfatus Carolomannus insontem quidem se circa patrem multipliciter asserit. Verum ut nos, non adstruendo, sed ratiocinando, quæ animadvertimus fateamur, quid mirum, si Carolus præcepta Dei, præfixos metis suis terminos transferendo, aliena invadendo, contemnens, ex suis reperit, qui ejus voluntatibus contrairet, & de lumbis suis procederet, qui ipsius nutibus resultaret : cum non ignoremus protoplastum, contra Deum se per inobedientiam erigentem, & vetita contingentem, non solum exteriora quæque rebellantia cognovisse, verum etiam in semetipso quæ sibi obsisterent invenisse? Quod tamen non dicimus, quasi Carolomannum rebellem circa patrem fatentes, aut C contumacem genitum erga genitorem fore docentes : sed quid secreto justoque divino judicio fieri possit considerantes, & ut hæc rex Carolus solerter attendat, salubriter admonentes. De quibus omnibus scitote nos ipsi regi Carolo scripta nostra misisse, & exhortatoria pontificatus nostri monita direxisse. Optamus fraternitatem vestram in Christo bene valere. Data III. Idus Julias, indictione IV.

XXXII. AD EPISCOPOS SYNODI DUZIACENSIS.

Actardum episcopum a Namnetica sede transfert ad Turonicam. Hincmari Laudunensis depositionem improbat, eumque Romam cum adversario ad renovandum judicium venire jubet.

D

Hadrianus episcopus servus servorum Dei, reverentissimis & sanctissimis confratribus nostris, archiepiscopis & episcopis qui apud Duziacensem Rhemensis provinciæ synodum convenerunt.

CAritatis vestræ literas per Actardum venera- Ex codice S. bilem coepiscopum, & glorioſi regis Caroli Remigii Rhe legatum, suscepimus, & quid de eo ad suggestionem & deprecationem nostram egeritis, non solum in eis, verum & per ipsum cognovimus. Egistis enim ut decebat, ostendentes in ipso veræ fraternitatis fervorem, & in nobis ecclesiæ, cui, E licet indigni, vicarii tamen dignissimi principis apostolorum præsidemus, debitum cum reverentia honorem. De quo prout significastis, peregimus, Nam sicut synodus expostulavit, plebs & Turonicus clerus eum concorditer elegit, per nostræ apostolicæ auctoritatis decretum constituimus cardinalem metropolitanum, & archiepiscopum Tu- Epist. unic. ronicæ ecclesiæ, atque provinciæ : quoniam dicente Antero papa in epistola sua, quibusdam eum de mutatione episcoporum de civitate in civitatem consulentibus : Scitote eam communi utilitate atque necessitate fieri licere, sed non libitu cujusquam, aut dominatione. Petrus namque sanctus magister noster & princeps apostolorum de Antiochia

chia utilitatis causſa translatus eſt Romam, ut ibidem potius proficere poſſet. Euſebius quoque de quadam parva civitate apoſtolica auctoritate mutatus eſt Alexandriam. Similiter & Felix de civitate, qua ordinatus erat electione civium, propter doctrinam & bonam vitam quam habebat, communi epiſcoporum & reliquorum ſacerdotum ac populorum conſilio, translatus eſt Epheſum. Non enim tranſit de civitate in civitatem, qui non ſuo libitu hoc facit, aut ambitu, ſed utilitate quadam, aut neceſſitate, aliorum hortatu & conſilio potiorum transfertur: nec transfertur de minore civitate ad majorem, qui hoc non ambitu, non propria voluntate facit; ſed aut vi a propria ſede pulſus, aut neceſſitate coactus, aut utilitate loci aut populi, non ſuperbe, ſed humiliter ab aliis translatus & inthronizatus eſt, quia homo videt in facie, Deus autem in corde. Et alios nonnullos, ſicut tripartitæ hiſtoriæ ſeries prodit, legimus pro temporis neceſſitate de una eccleſia fuiſſe mutatos in aliam: quia aliter tractanda eſt neceſſitatis ratio, aliter voluntatis. Unde ſancti patres Nicæni capitulo ſecundo dicunt, quoniam plura aut per neceſſitatem, aut alias cogentibus hominibus, adverſus eccleſiaſticam facta ſunt regulam. Et ſanctus Leo papa cap. 44. decretalium ſuorum dicit, omittendum eſſe, & inculpabile judicandum, quod neceſſitas intulit. Ita tamen hoc permittentes, ut Namneticæ eccleſiæ, cui fuerat ordinatus, in eo quod remanſit, quod deſtructa habetur, jura poteſtatemve nullo modo ſubtrahamus. Interponentes paſtoralis vigoris cenſuram, ut ſi quandocumque, vel quicumque alium, ipſo ſuperſtite, in præfata metropoli, & in iſta, vel in earum pertinentiis, locare tentaverit, aut ordinare præſumpſerit, eccleſiaſticæ dumtaxat communionis conſortio careat. Sane poſt ejus deceſſum, electio canonica, & ordinatio a ſuffraganeis epiſcopis ejuſdem metropoleos Turonicæ canonico celebretur ex more. Quod ſi Namneticæ contigerit eccleſiæ ad priorem Chriſto auxiliante ſtatum redire, nihil officiat ei hæc neceſſitatis unitio, quam videlicet exigit paganorum vaſtatio, quo minus proprium valeat habere pontificem. Sed vidimus eum valde triſtiſſimum propter perſecutionem paganorum. Et cum omnes pene res ipſius eccleſiæ depopulatæ, veſtræ dirigimus fraternitati, ut fraterna eum caritate commoti viribus totis adjuvare, apud excellentiſſimum regem veſtrum humiliter intercedendo, viriliter ſatagatis: quatinus veſtro ingenti certamine Chriſti eccleſia quieta & ſecura, & propriis rebus ditata glorioſaque conſiſtat. Igitur de Hincmari Laudunenſis epiſcopi depoſitione pontificio noſtro ſcripſiſtis, quatinus de eo ſecundum quod canonicum eſt vobis reſcribere juberemus. Primo denique veſtræ reſpondemus caritati, quia cum clamaret in ſynodo ſe ad ſedem apoſtolicam velle incunctanter venire, atque in præſentia ejus pro objectis ſibi ab adverſario criminibus reſpondere, damnationis in eum non erat proferenda ſententia. Tamen, ſicut ipſius concilii actionibus legitur, quoniam ſalvo in omnibus judicio ſedis apoſtolicæ, illum ab epiſcopis fuiſſe judicatum aſſeritis; nos, non aliqua contra quoslibet commoti invidia, nec alterius culpam in alterum retorquere cupientes, volumus & auctoritate apoſtolica, nullius partis favorem aut obſequium, ſed rei geſtæ veritatem magis invenire cupientes, jubemus ipſum Hincmarum Laudunenſem epiſcopum veſtra fretum potentia ad limina ſanctorum apoſtolorum, noſtramque venire præſentiam. Quo ſane veniente, veniat pariter accuſator idoneus, qui nulla poſſit auctoritate legitima reſpui. Et tunc in præſentia noſtra, & totius ſedis Romanæ ſynodali collegio, cauſſa illius prudenti ventilata examine, ac diligenter inquiſita, ſecundum Deum & ſacrorum canonum conſtitutiones ſpiritu Dei prolatas, ſine protelatione aliqua finietur; quoniam geſta ſynodalia quæ nobis mandaſtis, & illius judicantur damnatione, dicente nobis beato Gregorio ad Conſtantium Mediolanenſem epiſcopum de quodam ab eo damnato epiſcopo, idonee ſatisfacere non videntur. Ideo temere aliquid de epiſcopi perſona decernere nec debemus, nec poſſumus, ne (quod abſit) reprehenſibiles inveniamur in noſtris, quibus aliorum jure competit retractare ſententias. Item in alia epiſtola ſua Felici Sicilienſi: Nec nos, inquit, contra inauditam partem aliquid poſſumus definire. Hinc etiam ad Marinum quemdam ſcholaſticum ſcripſit dicens: Quia, ſicut præfati ſumus, cauſſarum origo & qualitas omnino nobis ignota eſt, pronuntiare aliquid definitive non poſſumus: ne, quod reprehenſibile nimis eſt, de rebus non bene cognitis proferre ſententiam videamur. Unde & ſanctus Leo, ſedis & doctrinæ apoſtolicæ decus, dicit in epiſtola ſua Flaviano Conſtantinopolitano pro Eutychete presbytero hæretico: Quoniam nos, qui ſacerdotum Domini matura volumus eſſe judicia, nihil poſſumus incognitis rebus in cujuſquam partis præjudicium definire, priuſquam univerſa quæ geſta ſunt, veraciter audiamus. Hinc & beatus Job dicit: *Cauſſam quam neſciebam, diligentiſſime inveſtigabam*. Inde etiam in Pentateucho Dominus dicit: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggravatum eſt nimis; deſcendam & videbo, utrum clamorem qui venit, opere compleverint, an non eſt ita, ut ſciam*. Ecce Dominus omnipotens, cui nihil abſconditum eſt, ſed omnia ei manifeſta ſunt etiam antequam fiant, cur hæc & alia multa per ſe inquirere dignatus eſt, niſi ut nobis exemplum daret, ne præcipites in diſcutiendis ſeu judicandis negotiis eſſemus, & ne mala quorumquam prius quiſquam præſumat credere, quam probare? Cujus exemplo monemur, ne ad proferendam ſententiam unquam præcipites ſimus, aut temere quoque modo judicemus. Quibus nimirum exemplis admoniti, aliter in præſenti de prædicto Hincmaro, niſi eum Romam veniendi, vobis mandare diſtulimus. Nam grave mentibus veſtris videri non debet, in præſentia ſedis apoſtolicæ ut illius retractetur judicium; quia veritas exagitata ſæpius magis ſplendeſcit in lucem, & pernicies revocata in judicium gravius & ſine pœnitentia condemnatur. Nam fructus divinus eſt, juſtiriam ſæpius recenſeri; nullumque bonum eſt, quod non pulcrius eluceſcat, ſi plurimorum fuerit ſententia comprobatum. Unde quouſque cauſſa illius, ſicut prætulimus, fuerit iterum refricata atque finita, epiſcopus in ipſa Laudunenſi eccleſia nullatenus ordinetur. Quapropter quæ vobis ſalubri & apoſtolica præceptione facienda mandamus, toto annisu & fideli devotione, ſicut filii cariſſimi, adimplere facereque debetis, ſi noſtro illibate frui apoſtolico ſemper deſideratis conſortio. Generalitatem veſtram optamus in Chriſto bene valere. Data VIII. Kal. Januarii, indictione V. An. Ch. 8.

Lib. VIII. epiſt. 30.

Lib. VII. Indict. II. epiſt. 43. Lib. eod. epiſt. 61.

Epiſt. 78.

Job 29.

Gen. 18.

XXXIII. AD CAROLUM CALVUM REGEM.

Dolet regem ſedis apoſtolicæ monita ægrius tuliſſe. Hincmari Laudunenſis depoſitionem non probat, eumque Romam ad retractandum judicium mitti jubet. Actardum vero ad eccleſiam transfert Turonenſem.

Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Carolo glorioſo regi.

LAudabilis caritatis & ſapientiæ pudicæ ac pacificæ vigore atque decore magnitudinem excellentiæ veſtræ, o cariſſime in Domino fili, longe lateque florere, nitide ſplendere audimus. Sed quia literis veſtris, apoſtolicæ correptionis apices membratim retexendo, adverſum paternitatem noſtram quoddam indebitæ reprehenſionis murmur, & tumultuoſum nobis clamorem miſiſtis, nec ſane patienter pontificii noſtri monita & correptiones audiſſe comperimus; liquido patet vos adhuc perfectæ aliquid caritatis minus dumtaxat habere. De illa enim dicit apoſtolus: *Caritas patiens eſt*, 1. Cor. 13. *benigna eſt, non inflatur, non irritatur, non agit perperam, omnia ſuffert, omnia ſuſtinet.* Omnia igitur quæ vobis a ſede apoſtolica, caſtiſſima utique matre veſtra, cui per Dei gratiam præſidemus, directa ſunt, velut aliquo ſedule negotio exigente mittuntur, auribus patefactis audire, alacri mente percipere, animoque grato amplecti, ſicut filius cariſſimus debes, & patris verba dilecti, non ex voto male optantis, ſed ex radice veræ procedentia caritatis, humili ſemper debetis intentione recipere: quæ ſicut Salomon ait, *quaſi ſtimuli, & ſicut clavi in altum defixi eſſe videntur*; Eccl. 12. quod culpas delinquentium neſciant palpare, ſed pungere. Unde quoniam te virum perfectum, & per omnia Deo placentem habere cupimus, ceu prudens pater, qui cariſſimum filium ſuum, etiam non delinquentem, ne quando ſecurus exiſtens flagitiis ſe audacter commiſceat illicitis, flagello ſevero affligere non deſiſtit, quia nec propter amorem carnis diſciplinali parcendum eſſe virgæ a ſapiente monemur. Hinc etiam de ipſo Deo noſtro, quem cœtus omnium fidelium patrem quotidie vocat, legimus ſcriptum: *Quem di-* Hebr. 12. *ligit Dominus, caſtigat, & corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit.* Quapropter ſcire vos decet, quia Deo permittente, juſto utique, quamvis alto & ſecreto, conſilio ſuo, pro veſtri ſalute talia veſtræ ſerenitati a ſede apoſtolica ſæpius monita venire videntur. Ideo magis omnipotenti Domino immenſas gratias agere, nobiſque deinde paternæ laudis gratanter debetis præbere obſequium, & non reprehenſionis vel murmurationis modicæ verba dirigere. Nam nos, nullius zelo livoris, nullius ſubdolæ calliditatis dolo, vel etiam favore alicujus tranſitoriæ laudis, cariſſimam veſtræ nobilitatis & magnitudinis prudentiam & dilectionem modo affabiliter monere, modo autem pro regiæ poteſtatis gloria, vobis, quoties neceſſaria temporis res, vel proximi depoſcit neceſſitas, humilis precator aſſiſtere, aliquando vero verbis ſevcrioribus fidenter corripere, ut Chriſti gratia in melius ſemper proficiatis, ſtudemus. Igitur de Hincmari Laudunenſis epiſcopi depoſitione pontificio noſtro ſcripſiſtis; *& cetera quæ ſequuntur, ut in epiſtola præcedenti, uſque ad* temere quoquo modo judicemus. Nos in depoſitione illius, quamdiu vivimus, nullatenus conſentiemus, niſi ad noſtram ipſo veniente præſentiam, cauſſa ejus depoſitionis noſtro fuerit examine diligenter inquiſita, atque finita. Quibus nimirum admoniti, aliter in præſenti de prædicto Hincmaro, niſi cum Romam veniendi, vobis mandare diſtulimus. Actardum denique venerabilem antiſtitem legatum veſtrum, de quo & nos olim vobis mandavimus, & vos veſtris apicibus noſtræ clementiæ direxiſtis, ſicut & ſynodus expoſtulavit, plebs & Turonicus clerus concorditer elegit, jam conſtituimus per noſtræ apoſtolicæ auctoritatis decretum cardinalem metropolitanum & archiepiſcopum Turonicæ provinciæ: ſic tamen, ut Namneticæ eccleſiæ, cui fuerat deſtinatus, in eo quod remanſit, quia deſtructa habetur, jura poteſtatemve nullo modo ſubtrahamus. Interponentes paſtoralis vigoris cenſuram, ut quandocumque vel quiſcumque alium ipſo ſuperſtite in præfata metropoli, & in illa, vel in earum pertinentiis locare tentaverit, aut ordinare præſumpſerit, eccleſiaſticæ communionis conſortio careat. Sane poſt ejus deceſſum electio canonica, & ordinatio a ſuffraganeis epiſcopis ejuſdem metropoleos Turonicæ canonice celebretur ex more: & ſi Namneticæ contigerit eccleſiæ ad priorem redire ſtatum, nihil officiat ei hæc neceſſitatis unitio, quam exegit paganorum vaſtatio, quo minus proprium valeat habere pontificem. Sed vidimus eum valde triſtem propter perſecutionem paganorum: & cum omnes ſint pene res ipſius eccleſiæ depopulatæ, precamur largiſſimam munificentiam & caritatem veſtram, ob amorem Dei & ſancti Petri, noſtramque deprecationem, & hoc ſit in memoriale perpetuum, quod conceſſeritis nobis hoc donum, ut non patiamini tantum locum peſſum ire, & in deſolationem, præſertim cum fuerit ex antiquo metropolis, & meritis gloriſiſſimi confeſſoris Chriſti Martini honorabilis, ſemperque venerabilis, & inter Gallicanas eadem vel ſecunda vel tertia provincia Turonenſis, & multis quæ ab ea diſtractæ ſunt, ditata villis, poſſeſſionibus, & abbatiis. Et cum aliæ, quæ ſub ea ſunt, civitates jam ſint pene deſtructæ, harum matrem tantam & metropolim ne patiamini deſtrui, deſolari, & dehonorari veſtro in tempore. Quin potius ſtudete eam de rebus veſtris propriis, vel procul ab ea poſitis, vel tutis a paganis, ditare, continere, & extollere. Quia tunc ea vobis in æternum confirmatis, cum quæ eccleſiarum Dei obſequiis condonatis, & reſervatis omnibus ſua jura metropolitanis. Noſtis enim, quia omne monaſterium in poteſtate epiſcopi conſiſtere debet juxta canonicam auctoritatem: & quia hoc eſt tranſgreſſum, ideo plurima monaſteria habentur deſtructa, ſicuti monaſterium ſancti Medardi Turonis, in quo jacent epiſcoporum primi Turonenſium Lidorius & Gatianus; ſicut & Monaſterium majus, ſicut etiam alia in eadem civitate monaſteria, quæ forſitan per epiſcopale miniſterium, & veſtrum ſapientiſſimum conſilium, & largiſſimum donum, poterunt redire ad priorem ſtatum. Debent etiam vici omnes eccleſiæ cujuslibet parochiæ in poteſtate conſiſtere præſulis, ſicut moris eſt eccleſiis plurimis. Res etiam quæ de eadem eccleſia noſcuntur fuiſſe, & olim ſunt abſtractæ, precamur vos idem reſtituere, & ſicut precati jam ſumus, ad præſens de veſtris rebus propriis per præceptum veſtrum eam ditare, conſtruere, & vobis in æternum propriam facere, ut non vocetur, ut antiquitus, Cæſarodunum ulterius, ſed Karolidonum in perpetuum. Omnipotens Dominus ſerenitatis veſtræ regalem excellentiam ſalvam in omnibus atque incolumem in ſui ſemper amore conſervare dignetur.

No-

NOTA JACOBI SIRMONDI S. J.

1 *Laudabilis caritatis*.) His rursum Hadriani literis offensus Carolus prolixam epistolam rescripsit, quæ inter ceteras edita est post Hincmari opuscula, embolo sub finem adjuncto, quod instar habet alterius epistolæ, revera autem ad eamdem ipsam referendum est. Carolum porro Hadrianus, acceptis ejus literis, sequenti epistola XXXIV. placare conatus est.

XXXIV. AD CAROLUM CALVUM REGEM.

Regem asperioribus literis offensum, multa de ejus laudibus prædicans, placare studet. De Actardo ad sedem Turonicam translato. Imperium Carolo post Ludovici obitum promittit. Et de Hincmaro Laudunensi.

Hadrianus episcopus servus servorum Dei, dilectissimo filio & glorioſissimo Carolo regi, conjugique salutem in Christo.

LIteras vestræ nobilitatis per venerabilem filium & fratrem nostrum Actardum episcopum suscepimus: in quibus multa reclamatoria, resultatoria, & tumultuosa perspeximus, aliter quam optaveramus murmurantia. Regnum Dei nullus murmurans accipit, nec murmurare poterit accipiens. *Audiens* enim *sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit.* Nos vero, licet indigni, tamen sumus illius vicarii, cui commisit Deus ecclesiam suam, dans ei potestatem ligandi atque solvendi: & qualescumque simus, illius primi sessoris meritis, quamdiu merita ejus in cælis non moriuntur, quod operandum est in ecclesia sibi commissa, ab ipso repletur. Et quidem quia quasi tumores & læsiones vestras palpitare sensimus, has oleo consolationis per melos dulcissimæ caritatis, & sanctæ dilectionis unguentum fovere, lenire, & ad integritatis sanitatem perducere medicamento quo valemus optamus. Cum noverimus omne donum optimum, & omne datum perfectum desursum esse descendens a patre luminum, procul dubio donum sapientiæ diligimus divinitus tibi collatum. Prædicatur enim de te, & longe lateque diffunditur, quod sis sapiens & Deum timens. Scriptum est enim: *Principium sapientiæ timor Domini.* Narratur etiam quod sis justus, quod congruit regiæ potestati, cunctisque judicibus, divina prædicante sapientia: *Diligite justitiam qui judicatis terram.* Annuntiatur etiam a pluribus probis, permaxime a comministro & fratre verbo tenus nostro, vestroque, & fratrum nostrorum regni vestri, Duziacensis synodi archiepiscoporum & episcoporum legato, archiepiscopo jam a nobis constituto Turonensibus Actardo, quod sis amator, exaltator, & illustrator specialis in orbe terrarum, & permaximus ecclesiarum Dei: ita ut nullus sit episcopus, nullumque monasterium in regno tuo, quod non auxeris rebus propriis, & restitueris suis perplurimum, optaresque ferventer & desiderares hanc principis apostolorum Petri primam sedem exaltare, honorare, multisque muneribus vicarium ejus, & clerum sibi commissum ditare, & ab omnibus hostibus, prout posse & tempus dictaverit, defensare, Deumque totis visceribus in hoc glorificare, monente propheta ex persona Domini: *Qui glorificant me, glorificabo in eis.* Quocirca sapientia præcellentem cum timore Dei, & diligentem justitiam, & glorificantem Deum, quis non diligat? quis non ambiat? quis non desideret? quis non optet revera, sicut regem præcellentem, sicut justitiam moderantem, sicut Deum glorificantem? In veritate credite nobis, quia tales virtutes sic diligo in vobis, sicut animam meam. Scriptum est enim: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, & talem intelligo proximum, quem constat talibus virtutibus repletum: & a die illa, qua vobis per præfatum fratrem nostrum mandavi fideles orationes & certissimas amicitias, nunquam aliorsum declinavi. Et si quædam literæ delatæ vobis sunt aliter se habentes in superficie, vel subreptæ, vel a nobis infirmantibus extortæ, vel a qualibet persona confictæ, durius aut acrius mordaciter sonantes: id tamen nobis fixum semper mansit in mente, quod vobis significavimus devote. Nec alienum judicavimus, judicamus, & judicabimus a nostra communione mentis devotione quem diligimus tota animi intensione, judicantes dignum laude, propheta monente: *Rectos decet laudare.* Quem profecto speramus, si nobis superstes fuerit, nostris omnibus propinquiis & amicis manum porrigere consolationis, indolem & fidem ejus cernentes in affinitatem propinquorum nostri decessoris. Namque solet sæpe uterque parens in prolem opprobria vel maledicta congerere, quam optat sine crimine & læsione manere. Cui simile solet sæpe doctoribus & prædicatoribus contingere. Quapropter non ad sonum, sed oportet ad votum respicere. Præfatum vestrum denique legatum, sicut significastis, & synodus & plebs expostulavit & Turonicus clerus, jam constituimus cardinalem metropolitanum & archiepiscopum Turonicæ provinciæ, per ferulam, pitacium, & annulum, nec non per nostræ auctoritatis literale decretum. Sic tamen, ut Namneticæ ecclesiæ, cui fuerat destinatus: *& cetera, ut in epistola præcedenti, usque ad* Karoli donum in perpetuum. Igitur ergo integra fide, & sincera mente, devotaque voluntate, ut sermo sit secretior, & literæ clandestinæ, nullique nisi fidelissimis publicandæ, vobis confitemur devovendo, & notescimus affirmando, salva fidelitate imperatoris nostri, quia si superstes ei fuerit vestra nobilitas, vita nobis comite, si dederit nobis quislibet multorum modiorum auri cumulum, nunquam acquiescemus, exposcemus, aut sponte suscipiemus alium in regnum & imperium Romanum, nisi teipsum. Quem, quia prædicaris sapientia & justitia, religione & virtute, nobilitate & forma, videlicet prudentia, temperantia, fortitudine atque pietate refertus, si contigerit te imperatorem nostrum vivendo supergredi, te optamus omnis clerus & plebs & nobilitas totius orbis & urbis, non solum ducem & regem, patricium & imperatorem, sed in præsenti ecclesia defensorem, & in æterna cum omnibus sanctis participem fore. De pontifice Laudunensi Hincmaro a præsulibus decem provinciarum depositio, & a metropolitano suo venerabili fratre Hincmaro archiepiscopo, reservato per omnia hujus primæ sedis privilegii judicio, cumulata in synodalibus literis, & præfati metropolitani, & vestris, nec non in libello reclamationis cleri & plebis Laudunensis, seu in libello continenti seriem gestorum synodi, tanta dictu nefanda, tantaque execranda, & auctorem suum damnantia referuntur, ut incredibilia ab ignorantibus videantur. Sed de his nihil audemus judicare, quod possit Nicæno concilio, & quinque ceterorum conciliorum regulis, vel decretis nostrorum antecessorum obviare. At de his quod præfati canones & decreta decernunt, ipsique cum ipsis una vobiscum congregati cum nostro spiritu similiter decernimus, & quod statuunt, statuimus; & quod judicant, judicamus. Nec in ullo deviantes a tenore canonico, servantes omnibus sua jura metropolitanis, & ut verbis loquamur beati papæ Leonis: Aliter enim, inquit,

Levit. 18.

Psal. 32.

Epist. 1. ad episcopos Italiæ.

quit, nobis commissos regere non possumus, nisi hos qui sunt perditores & perditi persequamur zelo dominicæ fidei, & a sanis mentibus, ne pestis hæc latius divulgetur, severitate qua possumus abscindamus, & quæ male pullulasse noscuntur, radicitus evellantur, & messem dominicam nulla zizania corrumpant. Ita enim fructum uberem quæ sunt sincera præstabunt, si ea quæ natam segetem enecare consuerunt, diligentius amputentur. Sed quia non satis idonea videntur & matura nostris, & huic sanctæ sedi condigna, donec ad hanc sanctissimam & apostolicam, quam appellavit, sedem spatium habeat veniendi: ideo veniat, & ostensis sibi literis, quas nobis misistis, & libello continenti seriem synodi, libellulo etiam cleri & plebis Laudunensis proclamationem, asserens se injuste damnatum: tunc electis judicibus, non tamen eo prius in gradu restituto, aut ex latere nostro directis legatis, cum auctoritate nostra referentur quæ gesta sunt, & negotia in qua orta sunt provincia canonice terminentur. Quod si venire detrectaverit, clareat quod idem ipse dederit locum damnationis in semetipsum, nec sacer ordo differendo moram patiatur vel detrimentum. Qualiter autem, aut quomodo, vel quando veniat, vel adducatur, seu interim custodiatur, præfato confratri nostro communi legato Actardo archiepiscopo vobis in mandatis & alia clandestina commisimus manifestanda. Sanctorum apostolorum Petri & Pauli intercessione, nostraque supplicatione, & pro ordine nobis a Deo collato, benedictionem mereamini, vitæ præsentis prosperitatem, regiam & imperialem dignitatem, nostramque & bonorum omnium communionem & societatem, peccatorum omnium remissionem, & æternæ vitæ glorioſissimam resurrectionis felicitatem. Amen.

Episi. 1. episcopis Campaniæ.

XXXV. AD ADONEM VIENNENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Nicolaum decessorem suum miris laudibus cumulat, seque excusat quod quædam ab eo severius zelo justitiæ pertractata magistra æquitate moderando mitigarit.

Hadrianus episcopus servus servorum Dei reverentissimo & sanctissimo confratri Adoni archiepiscopo Viennensi.

EPistolam sanctitatis tuæ magna cum exultatione suscepi, & relegens innumeras omnipotenti Deo grates exsolvi, quia creditæ speculationis officium non torpori tradere consentis, sed strenue cunctis quam sit in sanctæ ecclesiæ rectoribus sollicitius exercendum, studio non contemnendo demonstras. Ecce enim pro domo Dei non segnis paterfamilias satagis, cujus nimirum zelo comederis. Ecce pro civitate Dei ut fortis propugnator sollicitaris, cujus profecto quæ ad pacem sunt rogare non desinis. Igitur quæ pro privilegiis ecclesiæ Romanæ vel decretis decessoris mei apostolicæ memoriæ papæ Nicolai sine mutilatione servandis hortaris, laudamus, quæ suades admittimus, & quæ mones penitus approbamus. Siquidem acta præfati pontificis tanto a nullo patimur quolibet pacto convelli, quanto ipse nobis post longa tempora inter nubila præsentis vitæ quasi quoddam novum sidus apparens, & vitæ vel doctrinæ suæ fulgore auctore Deo errorum tenebras abigens, non quod abolendum, sed quod imitandum sit, & fecit & docuit. Denique quis etiamsi nihil aliud rationis obstaret ejus aliqua cassari permitteret, nisi qui sua quandoque infirmanda docere voluisset. Nam ut beatus papa docet Gregorius, nimis est asperum, & præcipue bonis sacerdotum moribus inimicum, nisi quempiam quacumque rationis excusatione & quæ bene sunt ordinatata rescindere, & exemplo suo docere ceteros sua quandoque post se constituta dissolvere. Sane si forte sunt quæ idem sacratissimus & vere Deo plenus antistes pro temporis vel causarum qualitate magistra æquitate gessit, veluti si quemquam zelo justitiæ studio corrigendi percussit, & nos ea rursus pro temporis æque vel causarum imitatione aliter moderando mitigamus, non illa cassare, sed quæ ipse cœpit consummare dignoscimur. Nam etsi ille vulnus aspero medendi genere curare cœpit, & nos leni fomento illud ad sanitatem perducere satagimus, utrique non diversum sed unum studium gerimus. Quia & ille quæ tunc congruere prospexit adhibuit, & nos quod nunc aptum fore consideramus apponere non renuimus. Si igitur ille a lenibus inciperet, non sanaret: Si vero asperis nos dandam filo tenus operam judicaremus, nihilominus ad sanitatis vota nullo modo pertingeremus. Si ergo te scandalizat diversitas medicamentorum, cum magis debeat ædificare una eademque inventio medicorum, immo sanitas ægrotorum. Quia & ipse si curatic languentium accessisset inter sanos & providentia divina curatos hos recipere nullatenus contempsisset. Legerat enim, & inter alia hujusmodi documenta pleniter noverat, dicente Domino: Videte quoniam ego sum Deus. Ego occidam & vivere faciam; percutiam, & ego sanabo. Et certe præfatus Magnus antistes Gregorius scribit: Sicut inquiens perseveranti culpæ debetur jure vindicta, ita resipiscentibus est venia concedenda. Verum hinc hoc dixisse sufficiat. Ceterum monemus dilectionem tuam, ut si qua sunt, quæ ad communem ecclesiæ pertinent utilitatem, vel quæ nostræ sedi spiritali genio convenire perspexerit, intente pertractet, & præsulatui nostro actutum scienda denuntiet. Quatinus per hoc, quantum beati Petri memoriam vel sedem diligat, & quantum illi hærere satagat, luce clarius innotescat. Sicque demum in ejus soliditate persistens, nullius auctore Deo fluctus paveat supervenientis incursum. Optamus sanctitatem tuam in Christo nunc & semper bene valere. Data VIII. Idus Maii, indictione prima. An. Ch. 86

XXXVI. AD EUMDEM.

Laudat ejus zelum ingeniique acumen in præcavendis insidiis impiorum.

Hadrianus episcopus servus servorum Dei reverentissimo & sanctissimo confratri nostro Adoni Viennensi archiepiscopo.

LEgatus cum literis a beatitudine tua decessori meo sanctæ memoriæ papæ Nicolao destinatus me in sede illius, quia sic Dominus voluit, ordinatum invenit. Et quia noluimus frustrare pium studium tuum, nos illius vice, licet propter legati moram partim de his quæ scripsisti fraternitati tuæ respondimus. Debemus enim ei in labore succedere, cui per Dei gratiam succesſimus in honore. Igitur de admonitione quam per Vvaltarium comitem circa glorioſum regem Hlotharium exercuit sollicitudo tua grates multas rependimus. In eo quippe te præcipue industrium pastorem dominici gregis ostendis, quo insidias lupi præcavendas esse longe positus adhoitaris. Perscrutatis præterea quaterniunculis, quos idem legatus detulit, ingenium & acumen sensus tui mirati

rati ſumus, & auctorem protinus conlaudamus. Verum ſicut exemplaria epiſtolarum, quæ apoſtolicæ recordationis deceſſor noſter ſuper hac re in Gallias, & ad omnes epiſcopos ultra ..... poſitos deſtinavit, indicant, & ſicuti nonnulli primores xx. *&c. quæ in mſ. codice deſiderantur.*

De diverſis ab Hadriano papa ſcriptis in Gallias epiſtolis plura refert auctor annalium Bertinianorum ad annum 868. *quæ rerum per ea tempora geſtarum memoriam refricant.*

CArolus ſabbato ante palmas ad monaſterium ſancti Dionyſii rediit, ibique paſcha celebravit. Et inde antequam Silvacum adiret, ſecunda die rogationum Adventio Metenſium epiſcopo, & Grimlando Lotharii cancellario deferentibus epiſtolas Adriani papæ, accepit unam ſibi directam, in qua iſdem apoſtolicus præcepit, ut regno Hludouvici imperatoris, ac regno Lotharii nullam moleſtiam ingerat. Alteram autem epiſtolam de abſolutione Vvaldradæ ad epiſcopos regni ipſius Caroli detulerunt, ſimiles dicentes miſſas epiſcopis regni Hludouvici atque Hlotharii. Abſolutio autem ipſius Vvaldradæ ea conditione eſt facta, ut Hlothario nullo pacto cohæreat. Silvacum autem Carolus perveniens, Actardum Namnetenſem epiſcopum Roma venientem ſuſcepit, ſibi deferentem epiſtolas, quarum una reſponſum reddidit de his quæ Nicolao in contrarietate Hincmari mandavit: inter cetera ei inculcans, ut de cetero ac perpetuo talis inutilis quæſtio ſopita maneret. Alteram autem epiſtolam Hincmaro detulit, laudibus & fidelitatis directionibus repletam, & ut ejus vice in iſtis partibus de Lothario fungeretur. Tertiam autem archiepiſcopis aliiſque epiſcopis Ciſalpinis detulit, ut quia iſdem Actardus pro paganorum infeſtatione & Brittonum oppreſſione in ſua civitate manere non poterat, ſi locus eveniret, etiam de metropoli iſdem Actardus in vacante civitate paſtore, auctoritate apoſtolica ab epiſcopis provinciæ ipſius incardinetur.

ANNO CHRISTI 868.

CONCILIUM ROMANUM [1]

ANNO CHRISTI 868.

APPROBATUM.

In quo Photius ter anathemate perculſus eſt, ejuſque volumen contra Nicolaum papam editum, igni eſt adjudicatum, anno Domini DCCCLXVIII. tempore Hadriani papæ II.

Acta hujus concilii extant ſupra apud Anaſtaſium in vita Hadriani II. item infra actione VII. octavæ ſynodi Græce & Latine ſatis perſpicue & breviter recitantur tribus allocutionibus ſeu colloquiis diſtincta. Incipiunt ſic: *Debemus, fratres & dilecti filii, agri dominici cultores eſſe ſtudioſi*, &c.

CONVENTUS EPISCOPORUM APUD CARISIACUM

Anno Domini DCCCLXVIII.

In quo VVillebertus presbyter Turonicæ diœceſis examinatur, alibi poſtea conſecrandus in epiſcopum Catalaunenſem.

ſupplem. cil. Gal. hoc edi. ex MS. dicenſi. beus in .to. VIII.

ANno ab Incarnatione Domini DCCCLXVIII. Indictione ſecunda, III. Nonas Decembris, convenientibus apud Cariſiacum in eccleſia ſancti Remigii, pro examinatione Vvilleberti presbyteri, qui futurus erat Catalaunenſis epiſcopus, Hincmaro diœceſis Rhemenſium archiepiſcopo, item Hincmaro Laudunenſium epiſcopo, Odone Belgivacorum epiſcopo, cum legatis Rothadi, Erpoini, Hilmeradi, Raginalmi, & Joannis, ejuſdem diœceſis coepiſcoporum, vicem eorumdem patrum ſuorum cum tractoriis, ſicut regulæ præcipiunt, exhibentibus, & quampluribus abbatibus, canonicis, monachis, presbyteris, diaconibus, atque ſubdiaconibus. Convenientibus nihilominus archiepiſcopis & epiſcopis aliarum provinciarum, Vvenilone videlicet Rothomagenſium archiepiſcopo, Herardo Turonorum archiepiſcopo, Egilone Senonum archiepiſcopo, & Fulchrico ipſius coepiſcopo: præſentes adfuerunt clerus, ordo & plebs Catalaunica, deceſſionem ſui patris Erchanrai quondam epiſcopi dolentes, cum decreto canonico manibus ſingulorum roborato, Vvillebertumque, quondam ſacri palatii presbyterum, a ſe electum, ab Hincmaro archiepiſcopo, & ejus coepiſcopis petentes ſibi ordinari epiſcopum. Quos invehens idem archiepiſcopus Hincmarus, cur obitum præfati epiſcopi per illos non cognoverit, ſed per alios hoc reſcierit, & rationes reddens, pro qua cauſſa duæ electiones in eadem eccleſia factæ fuerint, ſcilicet quia prima non regulariter facta extiterit, quoniam decretum non canonice factum fuit, ſed poſtea miſſo ad eamdem eccleſiam viſitatore Odone epiſcopo, & votis omnium in unum concordantibus, aliud decretum quod canonicum foret, fieri præcepit. Quo decreto coram omnibus relecto, & nominibus ſingulorum qui illud ſubſcripſerant recitatis, interrogati ſunt tam canonici & monachi de monaſteriis in eadem parochia ſitis, quam etiam parochiani presbyteri, & nobiles laici, ſi in eadem electione ipſius Vvillebertı

(1) Concilium Romanum ab Hadriano PP. coactum an. 868. 4. Id. Octob. Indict. 2. in quo confirmavit excommunicationem, & depoſitionem Anaſtaſii tit. S. Marcelli Presb. Card. a ſuis prædeceſſoribus Leone IV. & Benedicto III. factam. Hadriani ſententia legitur apud Labbeum tom. 9. in actis Concilii Romani ann. 853. Utrum autem in hac eadem Synodo, qua actum eſt contra Photium, actum etiam ſit contra Anaſtaſium, mihi pro incomperto eſt, cum quæ referuntur adverſus Photium acta, nulla indictione, vel nota temporaria conſignata ſint.

berti presbyteri consentirent: qui omnes viva vo-
ANNO CHRISTI 868. ce dixerunt, quod & ipsi, & illi qui illo venire non potuerunt, in eadem electione consentirent.

Tunc Hincmarus archiepiscopus dixit: Quia Vvillebertum eligitis, & nos illum non cognoscimus, ostendite illum nobis, ut sciamus quis sit, & perscrutemur si tanto honore dignus inveniri poterit. Qui in præsentia veniens interrogatus est, unde esset: isque respondit, pago Turonico oriundus. Iterum interrogatus, cujus conditionis esset: & ille, peccatis quidem obnoxius, sed Dei gratia, natura liber. Item ubi didicisti? item ipse, in schola Turonica liberalibus disciplinis erudiendus traditus sum. Item cujus ordinis, vel cujus es ordinatus? item ipse, præsentis patris mei domni Herardi per singulos gradus, usque ad diaconum sum ordinatus, postea autem ab eodem patre meo Herardo literis ad Erpoinum datis, presbyterii onus suscepi. Item Hincmarus, qua de caussa in nostram diœcesin venisti? & ille, per licentiam præsentis mei archiepiscopi Herardi, a parentibus meis, regiis sum mancipatus obsequiis. Item Hincmarus, quod ministerium in regio obsequio suscepisti? & ille, in breviator sive descriptor stipendiorum regalium, & relator a domno rege sum constitutus. Item Hincmarus, quia conductor alienarum rerum fuisti, audi quid sanctum
Can. 2. Chalcedonense inde dicat concilium. Et lectum est hoc capitulum, ad quod respondit: Sicut dixi, non fui conductor alienarum rerum, nec turpia lucra, vel exactiones, sive tormenta in hominibus exercens, sed ut præfatus sum, descriptor, & relator solummodo stipendiorum regalium. Unde interrogati sunt hi, qui in corte degebant, si scirent in illo ministerio hoc illum exercuisse, quod sacerdotali ministerio minime conveniret. Qui responderunt & clerici & nobiles laici, quod nullo modo in eodem ministerio perpetratum haberet, quæ sacris canonibus & suo ministerio in aliquo obviare deberent. Iterum interrogatus est, si aliquod ministerium de rebus ecclesiasticis aliquo habuerit loco: qui respondit, quod præpositura monasterii S. Vedasti, jubente Joanne episcopo, & consentientibus fratribus, susceperit. Et de hac jussione litteræ Joannis episcopi ibi relectæ sunt, idipsum continentes, & etiam testimonio fratrum de eodem monasterio, quod ita se res haberet, & de bona vita & conversatione sua, & quod non in eodem monasterio quiddam contra sacras regulas egerit, confirmatum est. Prosecutus est domnus Hincmarus: Quia ministeria domni regis habuit, nescimus si isdem dominus rex ab eo aliquid repetit vel repetere debeat, unde nobis sua voluntas vel auctoritas necessaria foret. Et porrectæ sunt literæ cum sigillo domni regis, continentes, quod de omnibus quæ illi commisit, optime ei rationem reddiderit, & nihil ab eo repetebat, vel unquam repetere debet: insuper & si eum dignum ad onus episcopale invenire valerent, episcopum Catalaunis eum ordinari petebat.

Denique de his suprascriptis coram omnibus testimonio multorum & literis idoneo approbato, Hincmarus episcopus ad Herardum archiepiscopum dixit: Quia vester natus, nutritus vel educatus & ordinatus dignoscitur; & clerus, ordo, & plebs Catalaunica illum exposcit: habeamus vestram licentiam, ut regulariter una vobiscum eum examinemus, si tanto oneri vel honori dignus. Qui libentissime annuit, & jussus est sedere coram eis. Data est ei regula pastoralis Gregorii, & jussum est ut relegeret capitulum de eo qui præesse debet, ubi scribitur: nulla ars docere præsumitur. Quo relecto interrogatum illi est, si illud intelligeret, & secundum hoc vivere vel docere vellet; qui respondit, utique. Iterum datum ANNO CHRISTI 868. ei ad relegendum capitulum de canonibus; ubi scribitur: Qui episcopus ordinandus est: & professus est se omnia intelligere, & obedire velle. Tunc relecta sunt ei placita, quæ episcopus jam ordinatus, ab ordinatoribus, & electoribus suis suscipere debet, ubi continetur, qualiter vivere, docere, & subditos suos regere debet secundum sacros canones, diem præferentia & consulem: & interrogatum est, si secundum ea omnia agere vellet, quæ minime abnuit. Tunc demum ostensus est illi libellus fidei & professionis suæ, ut legeret coram omnibus, quæ in eo scripta erant; & si ea ita credere ac tenere vellet, manu sua subscriberet, & archiepiscopo suo habenda traderet: si autem in eo quædam inveniret, quæ sensum suum offenderent, liber, sicut venerat, exiret. Quibus relectis, verbis fidem accommodavit, & per omnia se tenere, credere, ac prædicare velle professus est.

Quia enim, Deo gratias, post examinationem eum catholicum, literatum, & omnimodis aptum ad sarcinam episcopalem suscipiendam invenerunt, sed tamen de aliena provincia illum fore cognoverunt: relecta sunt sacrorum canonum capitula, quid de eo dicerent, qui de aliena provincia peti deberet. Et inventum est quod ab eo petere illum deberent, cujus natus, nutritus, & ordinatus foret. Humiliter domnus Hincmarus archiepiscopus, simul cum coepiscopis & clero, ordine, ac plebe Catalaunica, ab Herardo archiepiscopo eum petiit & impetravit, ac canonice illum ei commisit. Quem susceptum monuit, ut si ab eo episcopus ordinari vellet, libellum fidei ac professionis suæ, quem jam relegerat, & quæ in eo scripta erant, se credere ac tenere ante paullulum professus fuerat, manu sua propria in capite nomen suum scriberet, & ad finem subscriptione sua roboraret: quod sine dilatione ipse fecit.

Tunc relectæ sunt tractoriæ episcoporum, qui præ variis incommoditatibus ad eamdem examinationem venire non potuerunt, continentes quidquid super examinationem & ordinationem sæpe fati Vvillederti canonice inventum & actum fuerit, se per omnia assensum præbere. Et sic denunciatus est dies & hora ac locus ordinationis ejus, id est Nonis Decembris in monasterio quod Britennacus dicitur, in diœcesi Rhemensi, & parochia Noviomagensi: & commonitus est idem Vvillebertus ab episcopo suo Hincmaro, ut ab infantia sua per singulos gradus suos pronuntiaret Domino viam suam, quatenus in denominata die ad tanti oneris dignitatem gratiosus accedere valeret.

Die autem, hora, & loco denominato, convenit dominus episcopus Hincmarus cum coepiscopis suis, Hincmaro, Hodone, & legatis, qui tractorias supradictas suorum episcoporum detulerunt. Et quia jam pleniter examinatus coram supradictis episcopis & coram clero ac plebe fuerat, quando & domnus Hincmarus sufficientem sermonem de eo, coram episcopis & aliis multis clericis & laicis, & ad omnem populum ante diem Dominicam in sexta feria fecerat, & brevitas diei id poscebat: intermisso ipsa die sermone, post introitum & Gloria in excelsis Deo, & orationem primam de adventu Domini, secundam autem de ordinatione episcoporum, sive post litanias, sicut sacri canones præcipiunt, in episcopum consecratus est, & post lectionem apostoli perlectam, & responsoria, & alleluja, & evangelium, & Credo in unum, & oblata, & Missarum sollemnia, sicut mos est, peracta: placita, quæ ante pridem ei

rele-

relecta fuerant, quæque ordinatos ab ordinatoribus suis sacri canones accipere jubent, diem & consulem præferentia, manibus archiepiscopi & coepiscoporum, ac legatorum vice patrum suorum subscripta, cum capitulo Pauli apostoli ad Timotheum noviter ordinatum, ubi dicitur, *Testificor coram Deo & electis ejus angelis, ut hæc custodias*, iidem episcopi in mandatis deposuerunt: & unusquisque ad propria remeavit.

ANNO CHRISTI 868.

ANNO CHRISTI 868.

1. *Tim.* 5.

a [1]

CONCILIUM [b] WORMATIENSE

PROVINCIALE EX PARTE REPROBATUM,

Habitum in caussa ecclesiasticæ disciplinæ, anno Domini DCCCLXVIII. tempore Hadriani papæ II. & Ludovici imperatoris II.

TITULI CANONUM.

I. *Quibus temporibus debeat sacramentum baptismi exhiberi.*
II. *Ut præter episcopum nullus chrisma conficiat.*
III. *De consecranda ecclesia.*
IV. *Quid in sacrificio offerri debeat.*
V. *De baptismi sacramento.*
VI. *Ut ecclesia cum rebus suis ad episcopi ordinationem pertineat.*
VII. *De oblationibus fidelium, seu de redditu ecclesiæ, quot portiones fieri debeant.*
VIII. *De his quæ prohibentur presbyteris in ecclesiasticis sacramentis.*
IX. *De episcopis ceterisque sacris ministris, ut ab uxoribus abstineant.*
X. *De incriminatis, qualiter expurgari debeant.*
XI. *De sacerdotibus in fornicationem lapsis.*
XII. *De sacerdotibus, quibus crimen fornicationis impingitur.*
XIII. *Ut episcopus pro levibus & parvis caussis neminem excommunicet.*
XIV. *De clericis, si excommunicati pro levibus caussis, aut innocentes fuerint.*
XV. *Si in monasteriis aliquid furatum fuerit, qualiter ipsi fratres se inde expurgare debeant.*
XVI. *Ut nulli episcopo liceat a synodo, vel ante peractam synodum discedere.*
XVII. *Ut episcopi, presbyteri, diaconi, canes ad venandum, & accipitres habere non debeant.*
XVIII. *De clericis qui sine epistola sui episcopi proficiscuntur.*
XIX. *De vagis & inobedientibus clericis.*
XX. *De feminis sacro velamine consecratis.*
XXI. *De viduis quæ sacrum velamen capiti imposuerunt.*
XXII. *De parvulis a parentibus intra septa monasterii traditis.*
XXIII. *De professione monachorum.*
XXIV. *Ut nullus sæcularium ecclesiam aut clericum fatigare præsumat.*
XXV. *Sub quam cauta consideratione erga pœnitentes sacerdos existat.*
XXVI. *De his qui sacerdotem sponte occiderint.*
XXVII. *De eo qui meditatione odii, vel propter avaritiam paganum occiderit.*
XXVIII. *De eo qui insaniens aliquem occiderit.*
XXIX. *De eo qui arborem incidit, & dum operi necessario insistit, aliquis subtus ipsam arborem deveniens opprimitur.*
XXX. *De patricidis & fratricidis.*
XXXI. *De leprosis fidelibus, si participationem dominici corporis & sanguinis percipere debeant.*
XXXII. *In quota generatione sibi fideles copulantur.*
XXXIII. *De his qui cum duabus sororibus fuerant fornicati, vel cum his personis, de quibus sacra scriptura prohibet.*
XXXIV. *De eo qui cum commatre spiritali, vel cum ea quam de sacro fonte baptismatis susceperit, aut cum illa quam ante episcopum tenuerit, cum sacro chrismate fuerit uncta, fornicationem perpetraverit.*

B XXXV. *De mulieribus quæ conceptos utero infantes voluntate excutiunt, vel quæ dormiendo filios suffocare videntur.*
XXXVI. *De eo qui viduam in matrimonium susceperit, & cum filia ipsius, quam ex priori marito habuit, concubuerit: vel quæ patri filioque se substernunt, seu de his qui cum duabus sororibus concubuerint.*
XXXVII. *Qui pro diversis erratibus pœnitentiam subierint, si a propriis uxoribus separari debeant.*
XXXVIII. *De his qui servos suos judicibus non judicantibus necant.*
XXXIX. *De domina quæ zeli caussa ancillam suam occiderit.*
XL. *Si episcopus servum alterius clericum fecerit.*
XLI. *De his qui odio ad pacem non revertuntur.*
C XLII. *Ne fine accusatione legitima condemnetur quispiam.*
XLIII. *De refugis ac perfidis laicis.*
XLIV. *De adulteris.*
XLV. *Ut curam rerum ecclesiasticarum tantum episcopus habeat.*
XLVI. *De eadem re, ex concilio Antiocheno.*
XLVII. *Bona ecclesiæ quot partibus dividenda, ex decretali papæ Gelasii. capite 29. primæ decretalis.*
XLVIII. *Ut absque præceptione novæ basilicæ non dedicentur.*
XLIX. *De constituendis presbyteris.*
L. *De mansis uniuscujusque ecclesiæ.*
LI. *De presbyteris uniuscujusque ecclesiæ.*
LII. *De villis, novis ecclesiis in eis noviter constitutis.*
D LIII. *De ecclesiis destructis, vel de nonis & de decimis.*
LIV. *De ecclesiarum honore.*
LV. *Ut ecclesia cum rebus suis ad episcopi ordinationem pertineat.*
LVI. *De ordinatione presbyterorum.*
LVII.....
LVIII. *De honore pro ecclesiis dando.*
LIX. *De decimis dispensandis.*
LX. *De petendo chrismate.*
LXI. *De non quærendo clericis judicio sæculari, ex Carthaginensi concilio.*
LXII. *De episcopis aut presbyteris vagis in parochia aliena non admittendis, ex concilio Carthaginensi.*
E LXIII. *De concubitu vago & incestuoso, ex concilio Carthaginensi.*
LXIV. *De carne a bestiis læsa, aut per se mortua non edenda: item de apibus hominem necantibus, necandis, ex concilio Carthaginensi.*
LXV. *Animalia quæ quibus comedi quomodo licita, ex concilio Cambaginensi.*
LXVI. *Si quis presbyter contra episcopum suum inflatus schisma fecerit, anathema sit.*
LXVII. *Ut nullus episcopus, presbyter, & diaconus, conductor sit.*
LXVIII. *Lectoribus necessario vel uxores ducendæ, vel continentia profitenda.*
LXIX. *De fenore clericis inhibito.*
LXX. *De infantibus baptizandis, quoties dubitatur, utrum fuerint baptizati.*

LXXI. *De*

(1) Ex hoc Concilio editæ sunt literæ, quibus Heresiensis parthenii fundatio confirmatur. Iis appositæ sunt signa Liutberti Moguntiacensis Episcopi, Adalwini Satzburgensis, Rimperti Hammaburgensis, Altfridi Hildenesheimensis, Gvazonis (l. *Gunzonis*) Vvormaciensis, Salomonis Constantiensis, Annonis Frisingensis, Lantfridi Sabionensis, Ermenrici Pataviensis, Otgeri Rubelacensis, Liutgeri (l. *Voltgarii*) Augustburgensis, Liudberti Mimigarnifordiensis, Tmadrici Mimindensis, Hildegrini Halverstadiensis, Liuthardi Paderbonensis, Eralt Feridensis, Ægiberti Osnabrugensis, Bernardi Chorepiscopi, Hejonis Abbatis & presbyteri, Adalgari Abbatis & presbyteri, Thyadrici Abbatis & presbyteri, Bravvardi Abbatis, & Egelberti Abbatis. Hæc nomina singillatim referre visum est, quia desunt in actis hujus Concilii. *Mabillon. Annal. Benedict. tom. 3. lib. 36. n. 93.*

LXXI. *De clericis qui intra annum causſam ſuam non procurant.*
LXXII. *De epiſtola ſancti Jacobi apoſtoli, in qua pro infirmis præcipit orare.*
LXXXIII. *De diaconiſſis mulieribus, ex concilio Chalcedonenſi, cap.* 15.
LXXIV. *De conjuratione vel conſpiratione, ex eodem, cap.* 18.
LXXV. *Quod non liceat clericis poſt mortem epiſcopi ſui, res ad eum pertinentes diripere, ex eodem, cap.* 22.
LXXVI. *Quod non oporteat ordinationes epiſcoporum diu differre, ex eodem, cap.* 24.
LXXVII. *De his qui rapiunt puellas, ex eodem, cap.* 26.
LXXVIII. *Quota generatione conjugia copulari debeant.*
LXXIX. *De honore pro eccleſiis dando.*
LXXX. *De his qui ſuſpenduntur in patibulis.*

ANNO CHRISTI 868.

PRÆFATIO.

DUm ſtudio amoris Chriſti, ac juſſione excellentiſſimi glorioſique domini Ludovici regis, cujus tanta erga Deum devotio extat, ut non ſolum in rebus humanis, verum etiam in cauſſis divinis maximam ſemper ſollicitudinem gerat, apud Vvormaticam civitatem, anno ab incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCLVIII. indictione prima, XVII. Kalendas Junii convenimus, ut de quibuſdam eccleſiaſticis utilitatibus communis a nobis tractatus ageretur: primum gratias ſalvatori noſtro Deo omnipotenti retulimus, quod nos ob ſuam immenſam pietatem ſalubri conventu ad tractanda eccleſiaſtica negotia dignatus eſt aggregare. Poſtea communi tractatu ac diligenti conſideratione, priorum patrum auctoritatem ſecuti, capitula in ſubſequentibus attitulata, a nobis promulganda eſſe neceſſarium duximus. Et quoniam generale concilium egimus, oportuit primum noſtræ vocis ſermonem de Deo eſſe, ut poſt profeſſionem fidei noſtræ, ſequentia noſtri operis vota quaſi ſupra fundamentum firmiſſimum diſponerentur.

Profeſſio epiſcoporum apud Vvormatienſem civitatem XVII. *Kalendarum Junii in ſynodali conventu conſiſtentium,* * *quorum nomina ſunt Adalvvinus Archiepiſcopus* (Salzburg) *Liutbertus Archiepiſcopus* (Moguntiacenſis) *Rimbertus Archiepiſcopus* (Hammaburg.) *Anno Epiſcopus* (Friſingenſ.) *Salamon Epiſcopus* (Conſtantienſis) *Gunzo Epiſcopus* (Vvormacienſ.) *Arno Epiſcopus* (Vvurzburg.) *Vvitgarius Epiſcopus* (Auguſtburgenſ.) *Luitbertus Epiſcopus* (Mimigarnifordienſ.) *Ambrico Epiſcopus* (Ratiſpon.) *Otgarius Epiſcopus* (Rubelacenſis) *Gebahardus Epiſcopus* (.....) *Ratolfus Epiſcopus* (Strazburg.) *Ermricus Epiſcopus* (Patavienſis) *Heſſi Epiſcopus* (Curienſis) *Egibertus Epiſcopus* (Oſnabrugenſ.) *Erolfus Epiſcopus* (Feridenſis ſeu Verdenſis) *Hildegrimus Epiſcopus* (Halverſtadienſ.) *Theodricus Epiſcopus* (Mimindenſis) *Luithardus Epiſcopus* (Paderbonenſ.) *Lantfridus Epiſcopus* (Sabionenſis) *Theotto Abbas*, *Adalgarius Abbas*, *Hetto Abb. Brunvvardus Abb. Aſchericus Abb. Teotrocus Abb. Egilbertus Abb.*

* Ex MS. Bibl. Cæſar. hæc edidit P. Hanſizius in Germ ſacr. tom. 1. pag. 161.

CONfitemur & credimus ſanctam atque ineffabilem Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, unum Deum naturaliter eſſe, unius ſubſtantiæ, unius naturæ, unius majeſtatis atque virtutis. Et Patrem quidem non genitum, non factum, ſed ingenitum profitemur. Fons ergo & origo ipſe eſt totius Trinitatis. Pater namque ineffabili ſubſtantia Filium genuit, nec tamen aliud quam quod ipſe eſt, genuit, Deus Deum, lux lucem. Filium quoque de ſubſtantia Patris ſine initio ante ſæcula natum, nec tamen factum, fatemur. Igitur non ſicut Filius a Patre, ita Pater a Filio eſt: quia non Pater a Filio, ſed Filius a Patre generationem accepit, Filius ergo Deus de Patre, Pater autem Deus, ſed non de Filio. Si enim Pater ſemper fuit, ſemper habuit Filium, cui Pater eſſet: & ob hoc Filium de Patre natum ſine initio confitemur. Spiritum enim ſanctum, qui eſt tertia in Trinitate perſona, unum atque æqualem cum Deo Patre & Filio credimus eſſe Deum, unius ſubſtantiæ, unius quoque naturæ; nec tamen genitum vel creatum, ſed a Patre Filioque procedentem, amborum eſſe ſpiritum. Nec enim procedit de Patre in Filium, nec de Filio tantum procedit ad ſanctificandam creaturam, ſed ab utriſque procedere monſtratur, quia caritas ſive ſanctitas amborum eſſe agnoſcitur. Et nec Patris tantum, nec Filii tantum, ſed ſimul Patris & Filii ſpiritus dicitur. In relativis vero perſonarum nominibus, Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus ſanctus ad utroſque refertur. Quæ cum relative tres perſonæ dicantur, una tamen natura vel ſubſtantia creditur; nec ſicut tres perſonas, ita tres ſubſtantias prædicamus; ſed unam ſubſtantiam, tres autem perſonas. Quod enim Pater eſt, non ad ſe, ſed ad Filium; & quod Filius eſt, non ad ſe, ſed ad Patrem eſt. Similiter Spiritus ſanctus non ad ſe, ſed ad Patrem & Filium relative refertur in eo, quod ſpiritus Patris & Filii prædicatur. In hac ergo ſancta Trinitate tres perſonas, unum Deum confitemur. Ergo non ipſum qui eſt Pater dicimus eſſe Filium, vel Spiritum ſanctum: nec ipſum Filium Patrem aut Spiritum ſanctum fatemur, nec Spiritum ſanctum Patrem vel Filium, dicere valemus: ſed quod Pater eſt, hoc eſſe Filium, hoc eſſe & Spiritum ſanctum ſine ulla ambiguitate pronuntiamus; perſonas enim diſtinguimus, non naturam deitatis ſeparamus. Tres ergo illas unius atque inſeparabilis naturæ perſonas, ſicut non confundimus, ita ſeparabiles nullatenus prædicamus: cum nulla ante aliam, nulla poſt aliam, nulla ſine alia vel extitiſſe, vel quidpiam operaſſe aliquando creditur. Inſeparabiles ergo inveniuntur, & in eo quod ſunt, & in eo quod faciunt. Habet enim Pater æternitatem ſine nativitate, Filius æternitatem cum nativitate, Spiritus vero ſanctus æternitatem proceſſionis a Patre & a Filio ſine nativitate. De his vero tribus perſonis, ſola Filii perſona hominem verum ſine peccato, pro liberatione humani generis, ex Maria virgine, novo ordine, novaque nativitate aſſumpſit. Novo ordine, quia inviſibilis divinitate, viſibilis monſtratur in carne. Nova autem nativitate eſt genitus, quia incorrupta virginitas & virilem coitum neſcivit: & fœcunda per Spiritum ſanctum, carnis materiam miniſtravit. Dei enim filius non perſonam hominis accepit, ſed naturam. Naturam quippe noſtram in unitatem ſuæ perſonæ aſſumpſit; & idcirco filius Dei, & filius hominis, unus eſt Chriſtus. In eo namque quod filius eſt Dei, æqualis eſt patri: & in eo quod eſt filius hominis, minor eſt patre. Qui etiam, ex quo homo eſt, pro delictis noſtris paſſionem ſuſtinuit: mortique addictus & cruci, veram carnis mortem accepit. Tertia quoque die virtute propria ſuſcitatus, de ſepulcro ſurrexit. Hoc ergo exemplo capitis noſtri, in hac carne, qua nunc ſumus & movemur, reſurrecturos nos credimus. Idem autem Dominus & ſalvator noſter peracto reſurrectionis ſuæ triumpho, paternam ſedem repetiit, a qua per divinitatem nunquam diſceſſit. Inde in fine ſæculorum venturus judicabit vivos & mortuos, reddetque ſingulis prout quiſque geſſit in corpore, ſive bonum, ſive malum. Eccleſiam catholicam pretio ſui ſanguinis redemptam, cum eo credimus in perpetuum regnaturam. Credimus & confitemur unum baptiſma in remiſ-

ANNO CHRISTI 868.

remissionem omnium peccatorum. Hanc ergo fidem professionis nostræ inviolatam nos retinere, & ab ea nunquam deviare promittimus. hancque qui salvus esse cupit, sine ulla ambiguitate retinere studeat.

CANONES.

I.

Sacrosancti autem baptismi sacramentum non nisi in paschali festivitate & pentecoste unusquisque fidelium noverit esse præbendum, exceptis his, quibus mortis urgente periculo, ne in æternum pereant, talibus oportet remediis subveniri.

II.

Chrisma conficere nullus præter episcopum præsumat: nam illi soli hæc dignitas concessa est.

III.

Placuit, quoties ab aliquo fidelium ad consecrandas ecclesias episcopus invitatur, non quasi ex debito munus aliquod a fundatore requirat; sed si ipse quidem aliquid ex suo voto obtulerit, non respuatur. Attamen unusquisque episcopus meminerit, ut non prius dedicet ecclesiam, nisi antea dotem basilicæ & obsequium ipsius per donationem chartulæ confirmatum accipiat. Nam non levis est ista temeritas, si sine luminaribus, vel sine substantiali sustentatione eorum qui ibidem servituri sunt, tamquam domus privata consecretur ecclesia.

IV.

Cum igitur magister veritatis verum salutis nostræ sacrificium suis commendaret discipulis, panem tantum & calicem sub hoc sacramento præbuisse cognoscimus. Ideoque præter panem & vinum cum aqua mixtum, aliud offerri non debet. Calix enim dominicus vino & aqua permixtus debet offerri. Quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo quando in calice vinum aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei in quem credidit, copulatur & jungitur. Quæ copulatio & conjunctio aquæ & vini sic miscetur in calice Domini, ut commixtio illa non possit separari. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis: si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Non enim potest calix Domini esse aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur.

V.

Dum quidam sacerdotes in quibusdam partibus terræ trinam, quidam simplam mersionem faciunt, a nonnullis schisma esse conspicitur, & unitas fidei scindi videtur. Nam dum partes diversæ & quasi contrario modo agunt, alii alios non baptizatos esse contendunt. Proinde quid a nobis in sacramenti diversitate finiendum sit, apostolicæ sedis * informemur præceptis, non nostram sed paternam institutionem sequentes. Beatæ igitur memoriæ Gregorius Romanæ ecclesiæ pontifex, efflagitante sanctissimo Leandro episcopo, de hac diversitate quid potius esset sequendum, inter cetera rescribens ei, sic ait: De trina vero mersione baptismatis nihil responderi verius potest, quam ipsi sensistis: quia in una fide non officit sanctæ ecclesiæ consuetudo diversa. Nos autem quod tertio mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus: ut dum tertio ab aquis infans educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis forte etiam pro veneratione summæ Trinitatis æstimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit, baptizandum semel in aquis mergere: quia dum in tribus subsistentiis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus poterit, infantem in baptismate vel ter, vel semel mergere: quando & in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in una potest divinitatis singularitas designari. Quod si nunc usque ab hæreticis infans in baptismate tertio mergebatur, finiendum apud vos esse non censeo, ne, dum mersiones numerant, divinitatem dividant: dumque quod faciebant, faciunt, morem vestrum se vicisse glorientur. Quapropter quia de utroque sacramento, quod fit in sancto baptismo, a tanto viro reddita est ratio, utrumque rectum, utrunique irreprehensibile in sancta Dei ecclesia habeatur. Et ne forte cuiquam sit dubium hujus simplex mysterium sacramenti, videat in eo mortem & resurrectionem Christi significari. Nam in aquis mersio, quasi in infernum descensio est: & rursum ab aquis emersio, resurrectio est. Item videat in eo unitatem Divinitatis, & Trinitatem personarum ostendi: unitatem, dum semel mergimus: Trinitatem, dum in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti baptizamus. Panditur hujus singularis baptismatis mysterium etiam sacrarum scripturarum exemplis, Paulo apostolo attestante: *Nolo vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Mose baptizati sunt in nube & mari.* Mare quippe rubrum significat baptismum, Christi sanguine consecratum, per quod populus Dei semel transiit. Ibi tamen erat tota Trinitas, præcedens populum in columna ignis & nubis. In igne quippe significatur Pater, in columna Filius, in nube Spiritus sanctus. Jordanis quippe fluenta cum arca populus Dei semel transit, per quod significatur simpla mersio baptismatis, cujus sacramento ecclesia abluitur, & de sæculi

ANNO CHRISTI 868

* al. informetur

1. Cor. 10

culi hujus laboribus per baptiſmum, qua- A
ANNO CHRISTI 868. ſi per Jordanem, ad terram cæleſtis repromiſſionis ingreditur.

VI.

Multi contra canonum conſtituta eccleſias quas ædificaverint, & ab epiſcopo poſtulaverint conſecrari, dotem quam eidem eccleſiæ contulerint, ad epiſcopi ordinationem putant non pertinere. Quod factum & in præterito diſplicet, & in futuro prohibetur. Ergo omnia ſecundum conſtitutionem antiquam jura eccleſiarum ad epiſcopi ordinationem & poteſtatem pertineant. B

VII.

De redditu vero eccleſiæ, & de oblatione fidelium, quatuor fiant portiones: quarum unam ſibi retineat epiſcopus, alteram clericis pro officiorum ſuorum ſedulitate diſtribuat, tertiam pauperibus & peregrinis, quartam eccleſiaſticis fabricis noverit reſervandam.

VIII.

Igitur presbyteris quamvis cum epiſcopis plurima myſteriorum communis ſit diſpenſatio, quædam tamen auctoritate veteris legis, quædam novellis & eccleſiaſti- C cis regulis ſibi prohibita noverint. Conſecratio ergo virginum, & benedictio vel unctio altaris a presbyteris minime fiat. Similiter non liceat eis eccleſias conſecrare, nec per impoſitionem manus paracletum Spiritum tradere, nec chriſma conficere, nec chriſmate baptizatorum frontem ſignare, ſed nec publice quidem in miſſa quemquam pœnitentium reconciliare. Hæc enim omnia illicita eſſe presbyteris cognoſcuntur, quia pontificatus apicem non habent: quæ tamen omnia epiſcopis auctoritate canonum conceduntur. D

IX.

Placuit ut epiſcopi, presbyteri, diaconi, ſubdiaconi, abſtineant ſe a conjugibus, & non generent filios. Quod ſi hoc decretum violaverint, ab honore clericatus pellantur.

X.

2. q. 2. Si epiſcopo aut presbytero.

Si epiſcopo, aut presbytero cauſſa criminalis, hoc eſt, homicidium, adulterium, furtum, & maleficium imputatum fuerit, in ſingulis miſſam * celebrare, & ſecretam publice dicere, & communicare E debet, & de ſingulis ſibi imputatis innocentem reddere. Quod ſi non fecerit, quinquennio a liminibus eccleſiæ extraneus habeatur, ſicut antiqui canones inſtituerunt.

* tractare.

XI.

Sacerdotes igitur, ſi in fornicationis laqueum ceciderint, & criminis manifeſtus ſive oſtenſus fuerit actus, ſacerdotii non poſſunt habere honorem, ſecundum canonicæ inſtitutionis auctoritatem.

XII.

Sacerdotes qui in crimine fornicationis fuerint accuſati, & crimen illis non fuerit comprobatum, aut ipſi non manifeſtaverint, quid aliud agendum eſt, niſi quod in nono Cæſarcenſis ſancti concilii capitulo legitur ac demonſtratur? Tamen ſi ipſi juramento ſe voluerint purificare, licentiam habeant. Similiter & diaconi, ſi fuerint accuſati, peragant. ANNO CHRISTI 868.

XIII.

Ut nullus ſacerdotum quemqnam rectæ fidei hominem pro parvis & levibus cauſſis a communione ſuſpendat, præter eas culpas, pro quibus antiqui patres arceri juſſerunt aliquid committentes.

XIV.

Epiſcopi vero ſi ſacerdotali moderatione poſtpoſita, innocentes, aut in minimis cauſſis culpabiles excommunicare præſumpſerint, & ad gratiam feſtinantes recipere fortaſſis noluerint, a vicinis epiſcopis cujuslibet provinciæ communio illis uſque ad tempus ſynodi non negetur.

XV.

2. q. 5. Sæpe contingit. Hic canon tamquam in erroneus abrogatus eſt. Vide S. Th. 3. p. qu. 80. art. 6. ad 3.

Sæpe contingit, ut in monaſteriis furta perpetrentur, & qui hæc committunt, ignorentur. Idcirco ſtatuimus, ut quando ipſi fratres de talibus ſe expurgare debeant, miſſa ab abbate celebretur, vel ab aliquo, cui ipſe abbas præceperit, præſentibus fratribus: & ſic in ultima miſſæ celebratione, pro expurgatione ſua corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti percipiant, quatenus ita inde innocentes ſe eſſe oſtendant.

XVI.

Si quis autem epiſcoporum ſynodo neglexerit adeſſe, aut cœrum fratrum, antequam concilium diſſolvatur, * reddiderit deſerendum: alienatum ſe a fratrum communione cognoſcat, nec eum recipi liceat, niſi in ſequenti ſynodo fuerit abſolutus.

*Forte, credidelit. H.

XVII.

Epiſcopis, presbyteris, atque diaconibus, canes ad venandum & accipitres non liceat habere. Quod ſi quis harum perſonarum hac fuerit voluptate detentus, epiſcopus tribus menſibus ſe a communione ſuſpendat, presbyter duobus menſibus, diaconus uno menſe ab omni officio & communione abſtineat.

XVIII.

Presbytero, aut diacono vel clerico, ſine antiſtitis ſui epiſtola *ambulandi communionem in officio ſuo celebrando nullus impendat.

*Forte uterius. ambulanti. H.

XIX.

* al. ſi jam. diaconi, vel presbyteri off.

Placuit etiam, ut * ſive in miniſterio diaconii, vel presbyterii officio aliquis conſtitutus exiſtat, ſi epiſcopi a quo ordinatus eſt, præceptis non obedierit, ut in delegata ſibi eccleſia officium dependat

aſſi-

assiduum, quousque in vitio permanserit, & communione & honore privetur.

ANNO CHRISTI 868.

XX.

Feminæ scilicet, quæ sacro velamine sunt consecratæ, si fuerint (quod nolumus) fornicatæ, velamen deponere non præsumant: sed pœnitentiæ jugo summopere decertare festinent, ut ad indulgentiæ & remissionis valeant gratiam pervenire.

XXI.

Vidua quidem, quæ sacrum capiti velamen imposuerit, & inter ceteras velatas feminas in ecclesia oraverit, & oblationem cum illis obtulerit: si professa est in eodem habitu permanere, spondens nunquam religionis deponere velamen, a religionis observantia discedere non præsumat. Quod si præsumpserit, & ad id quod spoponderat, revocari non potest, a liminibus sanctæ ecclesiæ segregetur, donec ad emendationis remedia confugiat.

XXII.

Vide synodi Tridentinæ sess. 25. c. 17. & 18.

Si pater vel mater filium filiamque intra septa monasterii in infantiæ annis sub regulari tradiderint disciplina, non liceat eis, postquam ad pubertatis pervenerint annos, egredi, & matrimonio copulari. Hoc ergo omnino devitandum est: quia nefas est, ut oblatis a parentibus Deo filiis voluptatis fræna laxentur. Igitur (ut prædiximus) non liceat eis susceptum habitum unquam deserere: sed convicti quod tonsuram, aut religiosam vestem aliquando habuerint, in religionis cultu habituque velint nolint, permanere cogantur.

XXIII.

Monachum ergo aut paterna devotio, aut propria professio facit. Quidquid horum fuerit, alligatum tenebit. Proinde huic ad mundum reverti intercludimus aditum, & omnes ad sæculum interdicimus regressus.

XXIV.

Si quis vero sæcularium per calumniam ecclesiam aut clericum fatigare tentaverit, convictus. & * victus fuerit, ab ecclesiæ liminibus & a catholicorum communione, nisi digne pœnituerit, arceatur.

XXV.

Pœnitentibus, secundum differentiam peccatorum, sacerdotis arbitrio pœnitentiæ decernuntur. Debet itaque sacerdos in pœnitentia danda singulorum causas singulatim considerare, originem quoque, modumque culparum, & affectus gemitusque delinquentium diligenter examinare, manifesteque cognoscere: temporum etiam & personarum, locorum quoque & ætatum qualitates inspicere, ut etiam pro consideratione locorum, ætatum vel temporum, seu pro qualitate delictorum atque gemituum uniuscujusque delinquentis, a sacris regulis oculos non reflectat.

XXVI.

Qui sacerdotem morti voluntate tradiderit, carnem non comedat, nec vinum bibere præsumat: jejunet autem usque ad vesperam, exceptis festis diebus atque dominicis. Arma non sumat, & ubicumque ire voluerit, nullo vehiculo deducatur, sed propriis pedibus proficiscatur. Ecclesiam per quinquennii tempus non ingrediatur, sed cum sacrarum orationum officia, aut missarum sollemnia celebrantur, ante fores basilicæ perseveret, orans ac deprecans Deum, ut tanto crimine abluatur. Post expletum vero quinquennii tempus ingrediatur ecclesiam, nondum vero communicet, sed inter audientes tantummodo stet, vel dum facultas conceditur, sedeat. Et cum decimi anni cursus fuerit finitus, communicandi ei licentia concedatur, & equitandi tribuatur medela: maneat autem in reliquis observationibus, & tres dies per hebdomadam jejunet, ut perfectius ad culmen purificationis pervenire mereatur.

ANNO CHRISTI 868.

XXVII.

Qui odii meditatione, vel propter avaritiam paganum occiderit, quia non levi vitio committitur, ut homicidam convenit pœnitere: quandoquidem nec exteris gentibus, nisi oblatam pacem respuerint, bellum est populo antiquo penitus inferre præceptum.

Deut. 20.

XXVIII.

Si quis insaniens aliquem occiderit, si ad sanam mentem pervenerit, levior ei pœnitentia imponenda est, quam ei, qui sana mente tale quid commiserit. Cui quamvis pœnitentia sit imponenda, quia ipsa infirmitas caussa peccati, licet fortassis occulta, contigisse creditur, * tantum tamen levior, quam ei qui sanus aliquem occiderit, quantum inter insanum & sanum, irrationabile & rationabile, constat esse discriminis.

* Forte, tanto. H.

XXIX.

Sæpe contingit, ut dum quis operi necessario insistens arborem incidat, aliquis subtus ipsam veniens deprimatur: & idcirco si voluntate vel negligentia incidentis arborem factum est, ut homicida pœnitentiæ debet omnino submitti. Quod si non voto, non incuria illius, non denique scientia contigit, sed dum ille operi necessario fortassis incumberet, iste insperatus occurrens, sub arborem improvisus devenit, & sub ipsa, nemine valente penitus adjuvare, suppressus est, incisor arboris homicidæ procul dubio non est comparandus.

Dist. 50. Sæpe contingit dum quis.

XXX.

Statuimus ut patricidæ & fratricidæ per unius anni curriculum ante fores basilicæ orantes Domini clementiam perseverent. Completo autem anni curriculo, introducantur

cantur in ecclesiam: tamen inter audientes, usque dum unius anni spatium finiatur, stent, cum ad missarum sollemnia vel alia sacra audire officia venerint. His ita peractis, si pœnitentiæ fructus in eis conspicitur, corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi participes fiant, ut desperantiæ non indurentur caligine. Carnem non manducent omnibus diebus vitæ illorum, & jejunent usque ad nonam horam diei quotidie, exceptis festis diebus atque dominicis. Abstineant a vino, medone, atque cervisia millita tres dies per hebdomadam. Arma gerere non audeant vel sumere, nisi contra paganos. Et ubicumque ire maluerint, nullo vehiculo deducantur, sed pedestri more proficisci studeant. Tempus autem hujus pœnitentiæ in episcoporum ponimus arbitrio, ut secundum conversationem illorum, aut extendere, vel minuere valeant. Ab uxoribus, si habuerint, non separentur. Si autem non habuerint, & se continere non valuerint, legitimas accipiant in conjugio feminas, ne in fornicationis voraginem incidere videantur. Et si finis vitæ illorum venerit antequam duorum prædictorum annorum finiantur curricula, viaticum illis non negetur.

ANNO CHRISTI 868.

XXXI.

Leprosis autem, si fideles Christiani fuerint, dominici corporis & sanguinis participatio tribuatur; cum sanis autem eis convivia celebrare non permittatur.

XXXII.

In copulatione fidelium, generationis numerum non diffinimus, sed id statuimus, ut nulli Christiano liceat de propria consanguinitate sive cognatione uxorem accipere, usque dum generatio recordatur, cognoscitur, aut memoria retinetur.

XXXIII.

Si quis cum duabus fuerit sororibus fornicatus, aut cum his personis, de quibus sacra scriptura prohibet, si dignam egerit pœnitentiam, & castitatis non valuerit continentiam sustinere, liceat ei legitimam in conjugio uxorem accipere. Similiter & mulier quæ tali fuerit scelere lapsa, ut fornicationis non perducatur ad chaos, perficiat. Sed hoc de laicis viris ac mulieribus solummodo statuimus.

XXXIV.

Si quis cum commatre spiritali fuerit fornicatus, usque ad dignam pœnitentiam anathematis percutiatur ictibus. Similiter & illum percutere promulgamus, qui cum ea, quam de sacro fonte baptismatis susceperit, aut cum illa quam ante episcopum tenuerit, cum sacro chrismate fuerit uncta, fornicationis perpetraverit scelus: legitimam autem, si habuerit, non dimittat uxorem.

XXXV.

Mulieres igitur, quæ ante temporis plenitudinem conceptos utero infantes voluntate excutiunt, ut homicidæ procul dubio judicandæ sunt. Illæ vero, quæ dormiendo filios suffocare videntur, leviter de his judicare oportet: quia nolentes, & non sentiendo, ad hunc devolutæ sunt casum.

ANNO CHRISTI 866.

XXXVI.

Si vir viduam in conjugium duxerit, quæ ex priori marito filiam habuit, & cum eadem filia postmodum concubuerit, conjugium modis omnibus dissolvatur, & vir ille pœnitentiæ subjaceat sanctionibus, ita ut per triennii tempus a sacro corpore Domini nostri Jesu Christi suspendatur & sanguine. Carnem non manducet, abstineat a vino, & singulis diebus jejunium celebrare festinet, exceptis festis diebus atque dominicis. Orationibus omni insistere sollicitudine, integriterque perficere summopere studeat. Similiter autem de mulieribus, quæ clanculo, patri se in concubitu substernunt, & filio, observandum est. Taliter quidem & de his sancimus, qui duabus se absconse sororibus pollutos cognoscunt.

XXXVII.

Illi scilicet, qui pro diversis erratibus, vel quibuscumque piaculis pœnitentiæ jugo fuerint summissi, legitimo nullatenus matrimonio separentur, ne in fornicationis voragine demergantur: & dum ad alta sublevari sperantur, corruant in cœno.

XXXVIII.

Si quis servum proprium sine conscientia judicum, qui tale quid commiserit, quod morte sit dignum, occiderit, excommunicatione vel pœnitentia biennii reatum sanguinis emundabit.

XXXIX.

Si qua femina furore zeli accensa, flagris verberarit ancillam suam, ita ut intra tertium diem animam cum cruciatu effundat, eo quod incertum sit, voluntate an casu occiderit: si voluntate, septem annos: si casu, per quinque annorum tempora legitimam peragat pœnitentiam.

XL.

Si servus, absente vel nesciente domino suo, episcopo autem sciente quod servus sit, diaconus aut presbyter fuerit ordinatus, ipse in clericatus officio permaneat: episcopus tamen eum domino duplici satisfactione persolvat. Si vero episcopus cum servum esse nescierit, & ita eum ad sacros ordines promovit, qui testimonium de illo perhibebant, aut eum postulabant ordinari, simili recompensatione teneantur obnoxii.

XLI.

ANNO CHRISTI 868.

XLI.

Placuit etiam, ut quicumque odio aut longa inter se lite dissenserint, & ad pacem revocari diutina intentione nequiverint, a civitatis primitus sacerdotibus arguantur. Qui si inimicitias deponere pernicioſa intentione noluerint, de ecclesiæ cœtu justissima excommunicatione pellantur.

XLII.

Dignum est, ut vita innocentis non maculetur pernicie accusantium. Quisquis igitur a quolibet criminatur, non ante accusatus supplicio deputetur, quam accusator præsentetur, atque legum & canonum sententia exquiratur, ut si indigna ad accusandum persona invenitur, ad ejus accusationem non judicetur.

XLIII.

Nobis igitur ratio persuadet synodalis decernere, ut quicunque laicorum in adversitate propriæ gentis, aut patriæ, vel regiæ potestatis, ad externas partes se conferendo, noxius fuerit ultra repertus, non solum omni rerum suarum proprietate privetur, sed & perpetua excommunicatione damnato, numquam illi, præterquam in ultimo mortis suæ, communio tribuatur.

XLIV.

Si cujus uxor adulterium fecerit, aut vir alienam uxorem irruerit, septem annos pœnitentiam agat.

NOTA LAURENTII SURII CART.

Usque ad hoc quadragesimum quintum capitulum exclusive omnia superiora capitula, dempto quadragesimo, in quodam vetusto manuscripto exemplari habebantur: ea porro quæ sequuntur, deerant: quæ sane ad hanc synodum pertinere non videntur, cum interdum repetantur, quæ jam superius iisdem pene verbis sancita leguntur. Constat autem sub eodem Gonzone episcopo duas esse Vvormatiæ habitas synodos, alteram anno Christi 858 alteram 868. Utrum vero illæ duæ synodi conjunctim habeantur, an aliud aliquid causa sit, quod hæc impressa a manuscripto exemplari discrepant, incertum habemus. Fit autem in decreto Lyonis non semel mentio synodi Vvormatiensis, cum tamen canones inde citati, inter hos omnes typis excusos non extent.

XLV.

Canon. est apostolorum 9.

Omnium negotiorum ecclesiasticorum curam episcopus habeat, & ea velut Deo contemplante dispenset, nec ei liceat ex his aliquid omnino contingere, aut parentibus propriis, quæ Dei sunt, condonare. Quod si pauperes sunt, tamquam pauperibus subministret, ne eorum occasione ecclesiæ negotia deprædentur.

XLVI.

ap. 25.

Episcopus ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum erga omnes qui indigent. Summa quoque reverentia & timore Dei participet & ipse quibus indiget, si tamen indiget, tam suis, quam fratrum, qui ab eo suscipiuntur, necessariis usibus profuturis, ita ut in nullo qualibet occasione fraudentur; juxta apostolum sic dicentem: *Habentes victum & tegumentum, his contenti sumus.*

imot. 6.

XLVII.

Quatuor autem tam de * reditibus, quam de oblatione fidelium, prout cujuslibet ecclesiæ facultas admittit (licut dudum rationabiliter decretum est) convenit fieri portiones: quarum sit una pontificis, altera clericorum, tertia pauperum, quarta est fabricis applicanda, &c.

ANNO CHRISTI 868.

12. 5. 3. Quatuor autem. Supra c. 7.

XLVIII.

Basilicas noviter institutas (non petitis ex more præceptionibus) dedicare nemo audeat, nec ambiant sibimet episcopi vendicare clericos potestatis alienæ.

De consec. dist. 1. Basilicas.

XLIX.

Statutum est, ut sine auctoritate vel consensu episcoporum, presbyteri in quibuslibet ecclesiis nec constituantur, nec expellantur. Et si laici clericos probabilis vitæ & doctrinæ episcopis consecrandos * suis in ecclesiis constituendos obtulerint, nulla qualibet occasione rejiciant.

* suisque.

L.

23. q. 8. Sancitum est. *Mansus est ager jugerum duodecim.*

Sancitum est ut unicuique ecclesiæ unus mansus integer absque alio servitio attribuatur. Et presbyteri in eis constituti non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus neque de præscripto manso aliquod servitium faciant, præter ecclesiasticum. Et si amplius aliquid habuerint, inde senioribus suis debitum servitium impendant.

LI.

Statum est, postquam hoc impletum fuerit, ut unaquæque ecclesia suum presbyterum habeat, ubi id fieri facultas, providente episcopo, permiserit.

LII.

Sancitum est de villis, novis ecclesiis in eis noviter constitutis, ut decimæ de illis villis ad easdem ecclesias conferantur.

LIII.

De ecclesiis sane destructis, vel de nonis & de decimis, sive de clausiris canonicorum qualiter constitui & ordinari a nobis placuerit, aliis capitulis subter adnotavimus.

LIV.

Sed & de ecclesiarum honore, quomodo Deo adjuvante, quantum in nobis est, vigeat, similiter in subter adnotatis capitulis insertum esse dignoscitur.

LV.

Multi contra canonum constituta ecclesias quas ædificarunt, & ab episcopo postulaverint consecrari, dotem, quam eidem ecclesiæ contulerunt, ad episcopi ordinationem putant non pertinere: quod factum & in præterito displicet, & in futuro prohibetur. Ergo omnia secundum constitutionem ad episcopi potestatem pertineant.

LVI.

ANNO CHRISTI 868. Ut presbyteri non ordinentur, priusquam examinentur, ut excommunicationes passim & sine causa non fiant.

LVII.

Ut nullus laicus presbyterum in ecclesia mittere vel ejicere præsumat, nisi per consensum episcopi.

LVIII.

Ut episcopi prævideant, quem honorem presbyteri pro ecclesiis senioribus tribuant.

LIX.

Ut decimæ in potestate episcopi fiant, qualiter a presbyteris dispensentur.

LX.

In synodo Vasensi, in qua sederunt episcopi octodecim, capitulo * secundo: Per singula territoria presbyteri ab episcopis, non prout libitum fuerit, vicinoribus, sed a suis propriis per annos singulos chrisma petant appropinquante sollemnitate paschali: nec per quemcumque ecclesiasticum, sed si qua necessitas aut presbyterorum, vel diaconorum occupatio est, per subdiaconum: quia inhonorum est, inferioribus summa committi. Optimum est autem, ut ipse suscipiat, qui eo in tradendo usurus est: & sicut reliquiæ sanctorum deportari solent, ita deportet.

* tertio.

LXI.

Clericus nequaquam præsumat apud sæcularem judicem, episcopo non permittente, pulsare: sed si pulsatus fuerit, responsum non proponat, nec audeat criminale negotium in judicio sæculari proponere. Si quis vero sæcularium per calumniam ecclesiam aut clericum fatigare tentaverit, & * victus fuerit, ab ecclesiæ liminibus & catholicorum communione, nisi digne pœnituerit, arceatur.

* convictus.

LXII.

De episcopis & de presbyteris vagantibus, qui parochias non habent, nec scimus ordinationem eorum qualiter fuit, placuit juxta instituta sanctorum patrum, ut in alterius parochia ministrare, nec ullam ordinationem facere debeant sine jussione episcopi, in cujus parochia sunt. Et si hoc facere præsumpserint, ab officio suspendantur interim, * quod ad synodum exinde venerint, & ibidem secundum canonicam iustitutionem accipiant sententiam, nisi tantum pro causa itineris. Et si ullus clericus aut laicus talem episcopum aut presbyterum defensaverit, sine commeatu episcopi cujus parochia est, excommunicetur usque ad emendationem.

* *forte*, quod ad, II.

LXIII.

gr. q. 2. & 3. Si quis cum matre & filia.

Si quis cum matre & filia in adulterio mansit, nesciente matre, quod cum filia mansisset: similiter & filia nescia, quod cum matre mansisset: & postea ille vir si acceperit mulierem, dimittat eam, & usque in diem mortis suæ non habeat uxorem. Et illa mulier, quam reliquerit, accipiat virum: & illa mater & filia, cum quibus in adulterio mansit, ambabus nescientibus, quod cum matre & filia mansisset, habeant viros. Nam in notitiam illarum si venerit hoc scelus, dimittant maritos, & agant pœnitentiam: & illarum mariti & illi posteriores, accipiant mulieres. Similiter & de duabus sororibus, qui cum una in adulterio mansit, & aliam in publico accepit, non habeat mulierem usque ad mortem. Et illæ duæ sorores nescientes, accipiant viros: & si in notitiam eis venerit forma superior servetur. Si quis cum noverca sua dormierit, nec ille nec illa possunt ad conjugium pervenire. Si quis cum filiastra sua dormierit, * similiter sententia potest stare. Qui cum duabus sororibus dormierit & una ex illis antea ei uxor fuerit, nullam uxorem postea habeat, nec illa soror habeat virum.

ANNO CHRISTI 868.

* similis.

LXIV.

Animal vulneratum a bestiis & gustatum, licitum est manducare, si homo prius illud animal vivum occiderit. Si vero mortum fuerit prius, dejiciatur caro ejus. Si apes occidunt hominem, occidi debent festinanter: mel tamen manducetur.

LXV.

Animalia quæ a lupis seu a canibus lacerantur, non sunt comedenda, nisi porcis & canibus: nec cervus nec capra, si mortui inveniuntur. Porci autem, qui sanguinem hominis gustantes tetigerunt, manducentur: sed qui cadaver mortuum lacerantes manducaverit, carnes eorum manducare non licet, usque dum macerantur post annum. Pisces autem licet manducare, quia alterius naturæ sunt. Aves vero & alia animalia, si in retibus strangulantur, non sunt comedenda.

LXVI.

Ab universis episcopis dictum est: Si quis presbyter a proposito suo correptus fuerit, debet utique apud vicinos episcopos conqueri, ut ab ipsis ejus causa possit audiri, ac per ipsos suo episcopo reconciliari. Quod nisi fecerit, sed superbia (quod absit) inflatus se secernendum ab episcopi sui communione duxerit, ac seperatim cum aliquibus faciens sacrificium Deo obtulerit, anathema sit, & locum amittat. Et si querimoniam justam adversus episcopum non habuerit, inquirendum erit.

Carthag. cap. 8.

LXVII.

Carthag. cap. 15.

Item placuit, ut episcopi, presbyteri & diacones non sint conductores, aut procuratores, neque ullo turpi negotio & inhonesto victum quærant; quia respicere debent scriptum esse: *Nullus militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.*

2. Tim. 2.

LXVIII.

ANNO CHRISTI 868.

LXVIII.

Carthag. 3. ap. 19. Placuit ut lectores, cum ad annos pubertatis venerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.

LXIX.

Carthag. 3. c. 5. & c. 4. Item placuit, ut clericus, si commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat: si speciem, eamdem speciem, quantam dederit, accipiat. Et ante viginti quinque annos ætatis nec diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur; & ut lectores populum non salutent.

LXX.

Carth. conc. 3. cap. 6. Item placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui baptizatos esse sine dubitatione testentur, nec ipsi sunt per ætatem de traditis sibi sacramentis idonei respondere, absque scrupulo eos esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat sacramentorum purgatione privari. Hinc enim legati Maurorum fratres nostri consuluerunt, quia multos tales a barbaris redimunt.

LXXI.

Carth. conc. 3. cap. 22. Rursus constitutum est, ut quoties clericis convictis & confessis in aliquo crimine, vel propter eorum, quorum verecundiæ parcitur, vel propter ecclesiæ opprobrium, aut insolentem insultationem hæreticorum atque gentilium, si forte causſæ suæ adesse voluerint, & innocentiam suam asserere, intra annum excommunicationis hoc faciant. Si vero intra annum causſam suam purgare contempserint, nulla eorum vox penitus postea audiatur.

LXXII.

Ex Ep. 1. Innocent. I. ad Decentium. Sane quoniam de hoc, sicut de ceteris, consulere voluit dilectio tua, adjecit filius meus Cælestinus diaconus in epistola sua, sic esse a tua dilectione positum illud, quod in beati apostoli Jacobi epistola est conscriptum: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & suscitabit illum Dominus. Et si in peccatis fuerit, dimittentur ei.* Quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quod ab episcopo confectum, non solum sacerdotibus, sed omnibus ut Christianis licet in sua aut suorum necessitate ad ungendum. Ceterum illud superfluum videmus adjectum, ut de episcopo ambigatur, quod presbytero licere non dubium est: quia episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Ceterum si episcopus aut potest aut dignum ducit aliquos a se visitandos, & benedicere & tangere chrismate sine cunctatione potest, cujus est ipsum chrisma conficere; nam pœnitentibus istud fundi non potest, quia genus est sacramenti; nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur concedi?

Jac. 5.

ANNO CHRISTI 868.

LXXIII.

Conc. Chal. ced. c. 10. Diaconissam non ordinandam ante annum quadragesimum, & hoc cum summo libramine. Si vero suscipiens manus impositionem, & aliquantum temporis in ministerio permanens, semetipsam tradat nuptiis, gratiæ Dei contumeliam faciens, anathematizetur hujusmodi, cum eo qui eidem copulatur.

LXXIV.

Conc. Chalced. c. 3. Conjurationis vel conspirationis crimen & ab exteris legibus est omnino prohibitum: multo magis hoc in Dei ecclesia ne fiat admonere convenit. Si qui ergo clerici vel monachi reperti fuerint conjurantes aut conspirantes, aut insidias ponentes episcopis aut clericis, gradu proprio penitus abjiciantur.

LXXV.

Conc. Chalced. c. 22. Non licere clericis post obitum sui episcopi, res ad eum pertinentes diripere, sicut antiquis quoque canonibus constitutum est. Quod si hoc facere tentaverint, graduum suorum periculo subjacebunt.

LXXVI.

Conc. Chalced. c. 25. Quoniam quidam metropolitanorum, quantum comperimus, negligentius commissos sibi greges & ordinationes episcoporum facere differunt, placuit sanctæ synodo intra tres menses ordinationes celebrari, nisi forte necessitas excusabilis præparet tempus dilationis extendi. Quod si hoc minime fecerit, correptioni ecclesiasticæ subjacebit. Verumtamen redditus ecclesiæ viduatæ penes œconomum ejusdem ecclesiæ integri reserventur.

LXXVII.

Conc. Chalced. c. 27. Eos qui rapiunt mulieres sub nomine simul habitandi, vel cooperantes aut conniventes raptoribus, decrevit sancta synodus, ut si quidem clerici sunt, decidant gradu proprio; si vero laici, anathematizentur.

LXXVIII.

Contradicimus quoque, ut in quarta generatione nullus amplius conjugio copuletur. Ubi autem post interdictum factum inventum fuerit, separetur. Sane eadem quæ in viri, hæc nimirum in uxoris parentela de lege nuptiarum regula custodienda est. Quoniam constat eos duos esse in carne una, ideo communis illis utrinque parentela esse credenda est, sicut scriptum est: *Erunt duo in carne una.* Genes. 2.

LXXIX.

Ut episcopi incestuosos punire & investigare studeant, omnino decrevimus. Qui si pœnitere noluerint, de ecclesia expellantur, donec ad pœnitentiam revertantur. Quod si sacerdotum noluerint admonitionibus aurem accommodare, volentes in pristinis perdurare criminibus, oportet eos per

per sæcularis potentiæ disciplinam a tam prava consuetudine coerceri.

ANNO CHRISTI 868.

LXXX.

Est hic ipse canon 27. Conc. Moguntini an. 747.

Quæsitum est ab aliquibus fratribus de his qui in patibulis suspenduntur pro suis sceleribus, post confessionem Deo peractam, utrum cadavera illorum ad ecclesias deferenda sint, & oblationes pro eis offerendæ, & missæ celebrandæ, an non. Quibus respondimus: Si omnibus de peccatis suis puram confessionem agentibus, & digne pœnitentibus communio in fine secundum canonicum jussum danda est, cur non etiam eis qui pro suis peccatis pœnam extremam persolvunt? Scriptum est enim: *Non vindicat Deus bis in idipsum.* Nam Dominus ait: *In quocumque die conversus fuerit peccator, peccata ejus non reputabuntur ei.* Et iterum ei: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* Salutem ergo homini adimit, quisquis mortis tempore pœnitentiam denegat: & desperat de misericordia Dei, qui eam ad subveniendum morienti sufficere vel in momento non credit posse. Latro ergo perdidisset in cruce præmium ad Christi dexteram pendens, si illum unius horæ pœnitentia non juvisset. Nam cum esset in pœna, pœnituit: & per unius sermonis professionem, habitaculum paradisi, Deo promittente, promeruit. Vera ergo ad Deum conversio in ultimis positorum, mente potius est æstimanda, quam tempore, propheta hoc aliter asserente: *Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris.*

Nahum. 1.
Ezech. 18.
Ibidem.
Luc. 23.

ANNO CHRISTI 868.
Isa. 30. 15. ex Græco.

Notæ Severini Binii.

a *Concilium.*) Quo tempore hæc synodus celebrata fuerit, initium actorum synodalium aperte indicat. Id quod canone decimo quinto de occultis furibus per eucharistiæ perceptionem explorandis constituitur, erroneum est, & ab ecclesia reprobatum, ut S. Thomas 3. part. quæst. 8. art. 6. ad 3. Bellarminus lib. 2. de concil. cap. 8. Possevinus in apparatu sacro, verbo *Vvormatiense concilium*, ostendunt. Illi qui supra recitantur canones, diversorum conciliorum esse videntur, ut manifeste testatur illa F. Laurentii Surii admonitiuncula supra quadragesimo quinto canoni præfixa, his verbis: *Usque ad hoc quadragesimum quintum capitulum exclusive omnia superiora capitula*, &c. ut supra.

Conc. Wormatiense canon 15. erroneus est.

b *Vvormatiense.*) Sic dictum a Vvormatia, quæ est pervetustum Vangionum oppidum a Treveris (ut quidam putant) originem trahens, & Treverensibus olim ante natum Christum subdita, postea Romanis, donec ab Attila Hunnorum rege exisa est. Hodie inter Germaniæ urbes celebre nomen obtinet. Sedem quondam archiepiscopi habuit, sed ea in Moguntinos translata, modo episcopalis est.

Observatio Philippi Labbe, S. J.

In manuscripto codice V. C. Nicolai Camuzatii Trecensis canonici nec idem canonum numerus reperiebatur, neque idem ordo. Qui enim in excusis primus occurrit, legitur in ms. sextus; qui secundus locum 30. occupat; qui tertius trigesimi sexti, & sic de aliis: quod monuisse oportuit, ne si in similem illi codicem forte incidas, ab hoc nostro concilio diversum quid te nactum esse arbitreris.

AD CONCILIUM WORMATIENSE

Provinciale ex parte reprobatum,

Anno 868. habitum,

ADDITIO.

Ex Suppl. Mansi to. 1. pag. 959.

VEnetus Labbei editor supra pag. 865. ex Mabillonii annalibus Benedictinis opportune admonuit in hoc Vvormatiensi concilio datum fuisse diploma, pro fundatione Parthenonis Heresiensis in diœcesi Paderbornensi; sed diploma ipsum cum Mabillonius non suffecerit, ab eodem editore omissum est. Ego supplendum illud censui acceptum ex Lunigii spicilegio in Paderbornensibus pag. 697. Ita vero illud:

Cum in nomine Domini nostri Jesu Christi apud Vvangionam civitatem, quæ vulgo Vvormatia dicitur, in unum convenissemus, Ego Luidbertus humilis Moguntiacensis civitatis archiepiscopus, cum coepiscopis, & chorepiscopis, atque abbatibus, simulque aliis plurimis sacerdotibus, & diversi ordinis clero ibidem congregatis, plura, quæ ad Christianæ Religionis observantiam, & profectum pertinere putavimus, conferre cœpimus. Inde inter cetera, quæ de ecclesiarum statu, & Deo famulantium augmento tractabamus, Luithardus Paderbornensis ecclesiæ episcopus synodali suggessit conventui, suam sororem nomine Vvalburg, & nonnullas alias domicellas sub sanctimoniali habitu, & professione divino servitio se mancipare decrevisse. Et quia locus, quem earum conversationi & proposito accommodatissimum & opportunissimum judicabat ad sibi, ut prædiximus, commissam, idest, ad Paderbornensem ecclesiam pertinebat, nostrum ad hoc consensum, & corroborationem exposcebat, ut in memorato loco sororibus supradictis tam præsentibus, quam futuro tempore superventuris, sine alicujus contradictione liceat servire: Sed ne præfata Paderbornensis ecclesia aliquod hoc facto dispendium vel sustineat, vel sustinere videretur, eidem ecclesiæ tam ipse, quam soror ejus tradiderunt quidquid vel sibi in Osdagighusen hæreditario jure provenire potuit, vel sororem in locis nuncupatis Lutzilandrem, & Bocchem, atque Heringi possidere videbantur, quod non solum post obitum suum, sed etiam ex præsenti statim tempore ad memoratam ecclesiam contradidit, & in perpetuum traditum esse voluit, ut a præsenti die cum terris, sylvis, aquis, ædificiis suis, mancipiis, animalibus, & cum omni integritate sua ad eam pertinebat. Ordinatio quoque, & dispositio loci, in quo eædem sanctimoniales Deo servire debent, ita ad episcopum, vel præsentem, vel sibi succedentem pertinere, ut singulis annis ad principalem ejus sedem quatuor solidorum pretium persolvatur. Proinde quia hanc petitionem piam per omnia, & justam, & tam episcopo dignam, quam ecclesiæ salubrem fore perspeximus, dum non solum sine damno & detrimento ecclesiæ, verum etiam suæ mercedis & meritorum augmento famulantium Deo numerus augetur, tam proficuæ devotioni

tioni noſtrum aſſenſum præbere, & tam pium inceptum luce noſtrarum literarum confirmare decrevimus. Itaque ſynodali auctoritate, & communi ſacri conventus decreto ſtatuimus, ut locus, qui in territoriis villæ Hereſi nuncupatus conjacet, quem ſupra memorata Vvaldburg jure mutuario in propriam hæreditatem a Paderbornenſi eccleſia mutuata, cum omnibus, quæ ad eumdem locum tam prædicti epiſcopi, quam prædeceſſoris ſuo tempore pertinere videbantur, in terris videlicet, ſylvis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumque decurſibus, cultis locis, ſimulque incultis, domibus, & ædificiis, litis, & diverſis ſervis, mancipiis, animalibus quoque, & cunctis mobilibus rebus, atque cum omni integritate ſua ad uſum ſanctimonialium, de quibus ſupra diximus, ita pertineat, & ſi quæ deinceps ad eamdem eccleſiam, vel in poſſeſſionibus, vel in aliis rebus tradita fuerint, poſſidere, mutuare, & ſecundum hoc, quod ſibi utile eſſe videtur, facere permittantur. Eodem quoque modo, eademque conditione manſos X. in villa nuncupata Hajohnus, ſimulque & decimas villarum, quæ ita vocantur, Heriſi, Smachtum, Nortgardium, & Suitgardinum cum appendiciis, ſeu villulis ſupradictarum ancillarum Dei uſibus amodo, & deinceps deſegare decrevimus, & ut hoc noſtræ immunitatis & ſynodalis conventus decretum perpetuam, & inviolabilem obtineat firmitatem, imperialem ad hoc confirmandum auctoritatem, & noſtris ſubſcriptionibus, & ſignis hanc traditionis, & communicationis chartulam munire, & omnium unanimi conſenſu corroborari decrevimus. Datum in Vvormatia, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXVIII. Imperii vero glorioſiſſimi regis Ludovici anno XXVIII. Indictione I.

ANNO CHRISTI 868.

ANNO CHRISTI 868.

Signum Luidberti Moguntiacenſis epiſcopi. Adalvvini Saltzburgenſis epiſcopi. Signum Rimberti Hammaburgenſis, epiſcopi. Signum Altfridi Hildenesheimenſis epiſcopi. Signum Guozonis Vvormatienſis epiſcopi. Signum Salamonis Conſtantienſis epiſcopi. Signum Annonis Friſingenſis epiſcopi. Signum Landfridi Sabionenſis epiſcopi. Signum Ermenrici Patavienſis epiſcopi. Signum Otgeri Rubelacenſis epiſcopi. Signum Luitgarii Auguſtburgenſis epiſcopi. Signum Luidberti Mimigarnifornienſis epiſcopi. Signum Thiadrici Miminденſis epiſcopi. Signum Hildegrimi Halverſtadienſis epiſcopi. Signum Luthardi Paderbornenſis epiſcopi. Signum Eralt Feridenſis epiſcopi. Signum Aegiberti Oſnabrugenſis epiſcopi. Signum Bernardi chorepiſcopi. Signum Hejonis abbatis & presbyteri. Signum Adalgari abbatis, & presbyteri. Signum Thiatrici abbatis & presbyteri. Signum Thiadorici abbatis & presbyteri. Signum Branvvardi abbatis. Signum Egilberti abbatis.

☞ PISTENSIS CONVENTUS

In cauſſa Hincmari Laudunenſis epiſcopi, rebus eccleſiæ ſuæ a Carolo rege expoliati,

Anno 868. habitus.

dem.

Piſtenſe concilium quoddam anno 869 Labbeus aſſignat; nec ſane negaverim anno illo convenisse epiſcopos ad placitum, in quo conditum eſt capitulare apud Sirmondum inter capitularia Caroli Calvi relatum. Sed & anno præcedenti 868. die III. Kal. Septembris indictione I. epiſcoporum conventum, ſeu concilium ibi coactum demonſtrat ſchedula Hincmari epiſcopi anno illo, eodemque in loco ab epiſcopis ibi agentibus, & per illos regi exhibita, quam ſuo loco lectores appoſitam invenient. Hæc enim porrecta legitur ab *Hincmaro Laudenſi epiſcopo apud Piſtas III. Cal. Septembris indict. I. epiſcopis de provincia Rhemorum, Hincmaro* (Rhemenſi) *Odoni* (Belvacenſi); *de provincia Rotomagenſi, Vveniloni* (Rotomagenſi) *Archamberto* (Bajocenſi) *Sigenando* (Conſtantienſi): *De provincia Senonenſi, Aeneæ* (Pariſienſi) *Fulcro* (Tricaſſinenſi) *Abboni* (Nevernenſi): *de provincia Burdegalenſi, Engenoldo* (Pictavienſi) *Æliæ* (Engoliſmenſi.) Narrat vero in ea Hincmarus ſe per injuriam facultatibus epiſcopatus ſui omnibus expoliatum eſſe a rege Carolo, ſibi ex eo infenſo, quod rem aliquam eccleſiæ ſuæ Lieoudoni, a ſe antea beneficii jure conceſſam, reſumpſerat; nec regi, qui reſtitutionem mandaverat, obtemperaſſet. Porro in eo, quem vocat, *epiſcoporum conventu*, cauſſam ſuam diſcuti poſtulat; & ſiquidem immerito ſe mulctari judicaretur, rogat, ut poſſeſſione rerum ſuarum frui libere permittatur. Si quam ſibi irrogari injuriam aliquam ſenſerit, ad Romanum pontificem appellat. Hæc igitur cauſſa ab illis epiſcopis diligenter diſcuſſa, ſententia pro Laudunenſi lata eſt, ac pronunciatum, ut rebus eccleſiæ ſuæ redderetur.

☞ CONCILIUM ROMANUM,

In quo Anaſtaſius S. R. E. Cardinalis ſæpe antea damnatus, itidem damnatur, Hadriani II. anno I. die IV. id. Octobris,

Anno 868. habitum.

lem.

Anaſtaſius S. R. E. olim cardinalis, ſed a Leone IV. primum, dein a Benedicto III. depoſitus, Nicolao I. defuncto, ſub quo in latebris ſe continuerat, Hadriano II. ſacris præpoſito, iterum prodiit, noviſque ſe ſceleribus obſtrinxit. Quando Hadrianus *congregans Synodum*, ait annaliſta Bertinianus ad hunc annum, *iterum illum condemnavit*. Latam in illum ſententiam legis ibidem, & inſertam habebis in hac Collectione ſuis locis. Cum vero ſententia hæc die *IV. id. Octobris* indict. II. ſignetur, inde plane convincimur, concilium hoc aliud eſſe ab eo, quod Adrianus, iſto quidem anno, ſed ante menſem Auguſtum, ut ex inſcriptione literarum ejuſdem ad Ignatium patriarcham arguitur, convocavit.

ANNO CHRISTI 868.

CONCILIUM INCERTI LOCI

ANNO CHRISTI 868.

EPISCOPORUM GALLIÆ ET BURGUNDIÆ.

Anno Christi circiciter DCCCLXVIII. Scilicet initio pontificatus Hadriani.

Ex Labbe Appendice Tom. VIII.

CHronicon *Hugonis Flaviniacensis* : Defuncto, *inquit*, B. Nicolao, cum imperante Ludovico succeſſiſſet Hadrianus, & miſiſſet literas Galliarum epiſcopis, ut non alios ordinarent epiſcopos, niſi quibus præfatus imperator epiſcopatum concederet, & ordinari mandaret: non conſenſerunt venerabiles epiſcopi, ſed congregati literis factis communiter ſuggeſſerunt papæ, ſe decreta ſanctorum patrum fideliter obſervare velle, & ſecundum ſcita canonum epiſcopos conſecraturos, quorum textus in catalogo ſacrarum ſcripturarum habetur. Scripſit & aliam epiſtolam Gerardo duci, & Rofrido comiti, & omnibus Galliarum comitibus, ut nullius hominis favore & gratia permitterent alios viros eccleſiaſtici ordinis in epiſcopiis totius Galliæ & Burgundiæ conſecrare epiſcopos, niſi quos Ludovicus imperator juberet. Cui ſatis luculenter & honeſte obviaverunt præfati venerabiles Galliarum epiſcopi, literas illas per verba ſingula diſcutientes, & quod ſanctorum patrum decretis conſona non eſſent humiliter ſuggerentes: inque hujus reſponſionis extremitate, epiſtolam papæ Nicolai prædeceſſoris ſui interſerentes, quam ad quemdam epiſcopum Galliæ miſit, inter cetera de ordinibus ſacris pie & dilucide exprimens in hæc verba: „ Illud autem, fra„ ter cariſſime, ridiculoſum ſonuit, quod apicum „ tuorum gerulum nobis commendans, hunc pres„ byterum eſſe Gerardi illuſtris comitis perhibuiſti. Verum quid hoc ſcribens prudentia tua di„ cere voluerit, & quid ſuper hujuſcemodi verbo „ intelligeretis, fateor, nos ignoramus. Nunquid „ Gerardus comes illum presbyterum conſecravit? „ nunquid de ipſius eſt diœceſi? ubi hoc didiciſti? niſi quia presbyteri non ſpecialiter eccleſiæ „ poſſeſſionis, aut martyrii, ſecundum ſacras ſcri„ pturas ordinantur, ſed in domibus laicorum „ conſtituuntur, cum ſæcularibus converſantur, „ ut jam non Dei nec eccleſiæ cujuslibet, ſed „ illius comitis & illius ducis dicantur, ita ut „ impletum ſit quod per prophetam dicitur: *Et* Iſa. 24. „ *erit ſicut populus, ſic ſacerdos*. Quod fortaſſe „ unum eſt eorum, quæ, cum convenerimus „ unanimiter in idipſum, oportebit decentius „ emendari, & tamquam venenatum elleborum „ amputari.

☞ CONCILIUM INCERTI LOCI

Epiſcoporum Galliæ & Burgundiæ,

Anno circiter 868. habitum.

Ex Suppl. Manſi Tom. I. pag. 1003.

IN hoc concilio, quod Labbeus ex Hugone Flaviacenſi in chron. Virdun. deſumpſit, dantur literæ ſynodicæ ad Hadrianum II. papam. Illæ vero, quamquam non integræ extant in eodem chronico, adhuc tamen longius excurrunt, quam Labbeus hic retulerit. Cum autem fragmentum illud integrum, nonniſi ex incuria apud eumdem detruncatum ſit, ideo hic danda, quæ ibidem deſiderantur. Poſt illa igitur verba: *tanquam venenatum elleborum amputari*; additur in chronico; „ Et poſt pauca hoc addiderunt: *Quid putamus ſi beatiſſimus papa Nicolaus in diebus ſuis hoc audiſſet, & in literis, quaſi ab apoſtolica ſede confictis, quod laici comites non permitterent in civitatibus epiſcopos ordinari, niſi quos ſæcularis poteſtas e latere ſuo miſiſſet? Quid inde ſcriberet? quo dolore moveretur? quouſque gemitus daret, cum proſpiceret ſanctiſſimum ordinem tam illicite tractari, & ad tantum nefas proſilire quemquam auſum, ut de ſede apoſtolica tam inconvenientia, & extra uſum eccleſiaſticum omnino ſcriberet?*

Literæ illæ Nicolai, quarum excerpta Patres concilii hujus exhibent, inſcribuntur ad Adonem Viennenſem, & in ſecunda appendice Labbei epiſt. III. inſertæ ſunt.

ANNO CHRISTI 869.

☞ LAUDUNENSIS SYNODUS DIOECESANA

ANNO CHRISTI 869.

Pro indicenda ſacrorum ceſſatione in tota illa diœceſi ad nutum epiſcopi,

Anno 869. habita.

Ibid.

HIncmarus Laudunenſis epiſcopus, homo in primis turbulentus & pervicax, Caroli regis animum offenderat, quod roganti, ut Liudonı comiti conceſſum prius, dein ablatum epiſcopii ſui feudum reſtitueret, acquieſcere recuſaſſet; ideo grave aliquid ſibi ab eo imminere norat. Quare ad Vermerienſem ſynodum invitatus, in ipſo profectionis ſuæ limine diœceſis ſuæ clerum in ſynodum convocavit. Quid vero in ea præſtiterit, narrant eccleſiæ illius clerici, in ea, quam ad Hincmarum Rhemenſem archiepiſcopum ſcripſerunt, epiſtola, quam Hincmarus Rhemenſis in ſuis ad clerum Laudunenſem datis literis inſeruit. EHas Hincmari literas ex codice Vaticano primus vulgavit Labbeus eaſque ſuo loco appoſitas invenies. Hæc vero epiſtolæ illius de hac ſynodo verba: *Dum XIII. Cal. Majas pater noſter in monte Lauduno in ſua ſynodo de perplurimis utilitatibus ſuæ ſanctæ eccleſiæ ordinando, & emeliorando quædam in eis diſputaret, occurrit pro ſucceſſu temporum quædam pars ejus diſputationis, pro qua, quia ordinandi rerum eccleſiaſticarum poteſtas ab eo, cum jus & lex canonum jubendo præcipit, ut epiſcopus res eccleſiæ ſuæ quibus voluerit, & quomodo voluerit diſponendo diſpenſet, auferretur; perplurimæ auctoritates ſancti Petri ſucceſſorumque ejus, quibus qualiter,*

& quo-

ANNO CHRISTI 869.

& quomodo data sit potestas ligandi & solvendi, ab eodem pastore nostro in præsentia totius synodi eas relegendo recitatæ sunt. Quibus recitatis memor injuriarum suarum, quæ ei moderno acciderant tempore, addidit, quod imminueret tempus comprovincialis synodi, quæ in Vermeria palatio regio a vobis, vestrisque suffraganeis VIII. Kal. Majas habita est. Ad quam vestris literis evocatus, libenti animo coram omnibus professus est, se sine ulla intercapedine progressurum. Sed quia credebat in ipsa synodo, quod mos haud expoſcit canonicus, aliquam violentiam sibi inlegaliter & contra leges canonum a quocumque fieri, sermone contestatorio, & auctoritate sancti Petri, quod si ei licentia eundi Romam prohiberetur, aut ipse captus obtineretur, omnes sacerdotes totius parochiæ suæ colligavit, ut nemo eorum in ea sacerdotali ministerio tamdiu uteretur, usque dum ille ipse nobiscum iterum viva voce loqueretur, aut literæ ex ipsa sancta sede beati Petri apostoli nobis mitterentur. Quo facto, quod tunc accidit, nunc in Silvaco palatio V. Kal. Junias peractum est. Qua tamen die priusquam ad ipsum Silvacum perventret, præscius venturæ violentiæ suæ, prædixit Sacerdoti nostro Clarentio, simulque Diacono Teutlando, ut nobis denuntiarent per omnia nos servaturos, quæ caussa suarum injuriarum, & ut satius dicamus, pro statu sanctarum ecclesiarum, in præscripta synodo XIII. Kal. Majas omnibus sacerdotibus suæ parochiæ observare auctoritate sancti Petri ipse præceperat. Et post aliqua. *Quapropter quia eundem dominum nostrum regia potestate retentum, & reclusum viva voce adire non poteramus, & sacerdotali ministerio, prohibiti ab eo, frui non audebamus &c.*

ANNO CHRISTI 869.

☞ ROMANA vel forte CASINENSIS SYNODUS

Pro restitutione Guntharii Colonienſis episcopi & aliorum, Anno forte 869. Hadriani II. anno II. habita.

dem.

LOtharius rex summorum pontificum minis & anathematibus inductus Vvlddradam pellicem, in speciem saltem, abjecerat. Tum Romanum iter anno 869. ait annalista Bertinianus suscepit, *caussa uxorum suarum*, ut idem scriptor notat, forte ut Hadriano pontifici factum suum approbaret, ageretque apud illum, quo depositi ea de caussa factionis suæ episcopi restituerentur. Sed cum nihil impetrare se posse a pontifice intelligeret, ad Ludovicum II. imperatorem, Beneventi agentem, perrexit, ut ejus forte interceſſione apud pontificem impetraret. Evicit ab illo, ut pontificem Casinum vocaret, quo pariter idem Lotharius cum Engelberga imperatrice ejusdem Ludovici uxore contendit. Ibi multis ab imperatrice adjuratus est pontifex, quod exorabilem se Lothario suisque præberet. Nec ille renuit, concessa Lothario primum sacra communione, ea tamen facta protestatione, siquidem post abjectam e cœtu fidelium a Nicolao I. Vvaldradam, nunquam deinceps eam admisisset in thori vel colloquii societatem, accederet; sin minus, ipse se retraheret. In communionem pariter, sed laicam tantummodo, recepit Guntharium profitentem subdere se exauctorationi suæ, quam a Nicolao pontifice tulerat. Ea igitur occasione, in qua de restituendis episcopis Lotharianæ factionis agebatur, concilium illud habitum fuisse credo, in quo oratio illa ab uno ex Patribus recitata est, cujus fragmentum statim damus, vulgatum a Muratorio Rer. Italic. tom. II. par. II. col. 136. Huc enim ea omnia conveniunt, quæ in eodem fragmento leguntur: Theithberga regina *olim ad hanc sedem apostolicam* venisse perhibetur; constat enim regiam illam feminam non ante annum 867. Romam ad pontificem venisse, ut ego in meis ad Pagium adnotationibus ad A. 868. animadverti. Guntharii ibi mentio est, Theuthgaudii siletur: cur nam, si ambo deliquerant? Ideo fortasse, quod Theuthgaudius jam obiisset; id vero non ante annum 868. contigisse ex auctore historiæ Trevirensis Spicileg. Dacherian. tom. II. pag. 215. nov. edit. in fol. colligimus. Ex his falsi revincitur conjectura Muratorii ad Synodum Romanam anni 864. orationem hanc referentis. Cum vero imperatoris postulationes in eadem oratione significentur, Lotharii regis tanquam adhuc viventis mentio in ea fieri videatur, & ad eum redire Theutberga renuere appareat; constat utique concilium hoc post annum 869. quo Lotharius obiit, haberi minime potuisse. Ea pariter oratio exhibet concilium quoddam, in quo de restituendis in communionem episcopis, & clericis, imperatore poscente, agebatur. Hæc omnia cum illa temporis circumstantia, qua Hadrianus Casinum venit, belle quadrant. Supereſt ut fragmentum hoc concilii, ut opinor, Casinensis proferatur.

ORATIO ANONYMI CUJUSPIAM EPISCOPI

Habita in Synodo.

QUod vestra, Deo digna, paternitas, ac in Christo diligenda Fraternitas in unum hodie convenit, immensas omnipotenti Deo grates referimus, quia in tanto venerandorum patrum discipulorumque Christi collegio nihil aliud enixius tenendum fore existimamus, nisi quod & divinæ placeat majestati, & ad sanctæ Dei ecclesiæ statum & exaltationem prorsus attineat. Præcipue cum veritas dicat: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et *Matth. 18.* Psalmographus: *Ecce quam bonum*, inquit, *& quam jucundum habitare fratres in unum.* Quod *Psf. 132.* cum ita sit, humili prece deposcimus, ut nos, qui minimi sumus omnium vestrum, si ea forte scriptis, aut verbis protulerimus, quæ reprehensione digna sunt, fraterno corripiatis & instruatis affectu. Quoniam in his, quæ divinis acta probantur mandatis, & mysticas sanctorum Patrum non violant sanctiones, vos sequi parati sumus, & in nullo a vestris salubribus disciplinis ac monitis dissentire. Tamen quid nos de quibuslibet clericis, qui a sancta & prima sede apostolica damnantur, sentiamus, breviter ad vestram divinitus inspiratam reducimus memoriam. Scitis enim melius ipsi, quia præ omnibus Christi ecclesiis per potestatem beatissimi Petri Apostoli sancta Romana ecclesia obtinet principatum; ita ut illa suo cuncta judicio comprehendat, & de ejus nemini judicare judicio liceat. Siquidem, ut arbitramur, non interim tamen testificamur, nullus ab ea depositus, est restauratus; & si forsitan est, non utique indiscrete. Quia Christus futurorum præscius optime quidem præscivit, minime in sede Petri apostoli sui fore sessurum pontificem, qui injuste judicaret, aut deponeret quemquam,

ANNO CHRISTI 869. *Ad Galat. 2.*

quam, quem oportet juste postmodum restaurare. Ad quod pertinere potest hujus ecclesiæ vox, quam per Apostolum cognovistis: *si hæc quæ destruxi iterum reædifico, prævaricatorem me constituo*. Beatus autem papa Gelasius in epistola ad episcopos per Dardaniam constitutos, inquit: *Sed nec illa præterimus quod apostolicæ sedi frequenter, ut dictum est, more majorum, etiam sine ulla synodo præcedente exsolvendi, quos synodus iniqua damnaverat, & damnandi, nulla existente synodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctæ memoriæ quippe Athanasium synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum sedes apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absolvit. Sanctæ memoriæ nihilominus Johannem Constantinopolitanum synodus etiam catholicorum præsulum certe damnaverat, quem simili modo sedes apostolica etiam sola, quia non consensit, absolvit*. Ecce non quos ipsa sedes, sed quos iniqua vel æqua synodus damnaverat, resolvisse refertur. Item illic: *Nec plane tacemus quod cuncta per Mundum novit ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata pontificum sedes Beati Petri Apostoli jus habeat resolvendi, utpote quæ de omni ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Siquidem de qualibet ad illam mundi parte canones appellare voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus*. Et infra: *Ut ergo*, inquiens, *sola ejus habuit absolvendi eos, quos synodica decreta perculerant, sic etiam synodo in hac eadem causa plurimos etiam Metropolitanos damnasse cognoscitur*. Item ipse sanctus papa Gelasius in commonitorio, quod Fausto magistro fungenti legationis officio Constantinopoli dedit, ita scribit: *Ipsi sunt canones, qui appellationes totius ecclesiæ ad hujus sanctæ sedis examen voluere deferri; ab ipsa vero nunquam prorsus appellari debere sanxerunt. Ac per hoc illam de tota ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium, nec de ejus unquam præceperunt judicio judicari; sententiamque illius constituerunt oportere dissolvi, cujus potius sequenda decreta mandarunt*. Hi enim si talia in sacerdotio positi commiserunt, qualia si ante sacerdotium, vel clericatum committerent, ad clericatus officium non promoveri debuerant, quomodo nunc restaurari post lapsum debeant, non advertimus. Quibus secundum Apostoli Petri vocem *melius erat non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato*. Possunt enim per hoc exemplum homicidæ, & adulteri vel ceteri, nec ipsa fortasse communionis gratia digni quantum ad nefas attinet, restaurari. Unde non solum generalis ecclesiæ, & Petri specialiter privilegii vilescit auctoritas, verum etiam multifariæ occasionis dilatatur iniquitas.

Igitur apostolica sedes juxta illud, quod in epistola sancti papæ Leonis ad Pulcheriam Augugam legitur, *severius agit cum obduratis, & veniam cupit præstare correctis*. Quia & omnipotens Deus, ut alia nunc omittamus, Petrum lacrymantem suscepit, & peccantibus Angelis non pepercit. Cujus exemplo Discipuli ejus, & ovium suarum pastores edocti eos, qui solvendi fuerant, absolverunt, & ligandos, vel condemnandos, ut prætulimus, perenniter, non solum præsentialiter, sed & absentialiter ligaverunt ac damnaverunt. Denique qui istos damnavit veteris constituti fuit exequutor, non novæ constitutionis extitit auctor. Et nescimus quam veniam, aut misericordiam postulent, qui nunquam nisi misericorditer judicati sunt, ut opinamur, & numquam facinora, quæ perpetraverant, quibuslibet evidentibus gemitibus deplorarunt. Præfatus enim papa Gelasius in eodem Commonitorio inter cetera, & ad locum ait: *Legatur, ex quo est religio christiana, vel detur exemplum in ecclesia Dei, a quibuslibet pontificibus, ab ipsis apostolis, ab ipso denique Salvatore, veniam nisi se corrigentibus fuisse concessam*. Auditum autem sub isto cælo nec legitur omnino, nec dicitur, quod eorum voce depromitur: *Date nobis veniam, ut tamen nos in errore duremus*. Id quoque parum est. Ostendant qui nobis canones nituntur opponere, quibus hoc canonibus, quibus regulis, qua lectione, quove documento, sive a majoribus nostris, sive ab ipsis apostolis, quos potiores merito fuisse non dubium est, seu ab ipso Domino Salvatore, qui judicaturus creditur vivos & mortuos, si vel factum est unquam, vel faciendum esse mandatur? Mortuos suscitasse legimus Christum. In errore mortuos absolvisse non legimus. Et qui hoc certe faciendi solus habuit potestatem, Beato Petro principaliter mandat apostolo: *Quæ ligaveris super terram, ligata erunt & in cælo, & quæ super terram solveris, soluta erunt & in cælo*. Super terram, inquit; nam in hac ligatione defunctum nunquam dixit absolvi. Quod ergo nunquam factum est, vel mente concipere formidamus, scientes in divino judicio non posse penitus excusari. Item illic illud quoque ridere me libuit quod ait: *Si necesse fuerit veniam postulare*. Existimans nimirum nunc se peccatorum veniam postulare, si ei concedamus, ne peccare desistat: immo etiam, quod absit, cum eodem consentiamus nos quoque peccare. Nescio inter quæ Mundi prodigia hæc vox possit admitti..... Concordat huic sententiæ beatus papa Gregorius, qui sic misericordiam impendi proximis jubet, ut qui impendit, sui prius valeat misereri. Nam in libris moralium ita scribit: *Ille quippe bene agit quæ pia sunt, qui scit prius servare, quæ justa, ut collatus in proximos rivus misericordiæ de justitiæ fonte ducatur. Nam multi proximis quasi opera misericordiæ impendunt, sed injustitiæ facta non deserunt. Qui si veraciter proximis misericordiam facere student, sibi ipsis debuerant juste vivendo misereri. Unde scriptum est: miserere animæ tuæ placens Deo. Qui enim misereri vult proximo, a se trahat necesse est originem miserendi. Scriptum namque est: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Quomodo ergo alteri miserendo pius est, qui adhuc injuste vivendo fit impius sibimetipsi? Unde per quendam sapientem dicitur: qui sibi nequam est, cui bonus erit? Ad exhibendam quippe misericordiam, ut indigentibus plene exterius valeat impendi, duo sibi necessaria congruunt. Idem homo qui præbeat; & res, quæ præbeatur. Sed longe incomparabiliter melior est homo, quam res. Qui itaque indigenti proximo exteriorem substantiam præbet, sed vitam suam a nequitia non custodit, rem suam Deo tribuit, & se peccato. Hoc quod minus est, obtulit auctori; & hoc quod majus, servavit iniquitati*. Cyprianus autem Charthaginensis episcopus in quadam sua ait epistola: *Properandum non puto: non incaute aliquid, & festinanter gerendum: ne dum temere pax usurpatur, divinæ indignationis offensa gravius provocetur*. Et alias: *Sufficiat*, inquiens, *lapsis ruina una, ne volentes surgere, sua circumventione præcipitentur*.

His igitur succincte prolatis, absit a nobis, ut veniam, vel misericordiam asseveremus denegandam esse correctis. Sed ut ad istos stylum reflectamus, si de misericordia suæ restitutionis, aut de misericordia alius alicujus beneficii quæstio agitatur, quare palam non dicitur, sed astute misericordia imploratur? Et de qua misericordia dicatur, vel unde misericordia quæratur, silentio tegitur? Quod si de misericordia beneficii alicujus dicitur, etiamsi habent beneficia, nos præsumen-

mentes ſuggerimus, ut habeant ampliora. Si autem de miſericordia ſuæ reſtitutionis illorum conſcientia tenet, an non ignoramus. Siquidem conſcientiæ omnium Deus eſt cognitor, & ſcrutator. Nos tamen nullius conſcientiam judicare valemus. Contra quos ſapientiſſimus Salomon ait: *Qui celat delicta non dirigetur, qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur.* Verumtamen ſicut jam faſſi ſumus, ſi adulteri & criminoſi poſſunt ad ſacerdotium promoveri, reſtituantur iſti in ſuis honoribus, qui dudum in ſacerdotio conſtituti, non ſunt veriti criminoſi vocari. Ceterum perpendite quæſumus qualiter iſti correcti ſunt; qui non ſolum correctionem ſuam nequaquam oſtendunt, & delicta ſua, quæ etiam terras, ut fertur, occupant, non confitentur, verum etiam, ſicut multorum relatio, & ſcripta teſtantur, vetitum ſibi officium quidam horum uſurpare refertur; quidam autem ante audientiam contra canones communicaſſe, ſicut ſe murmur eccleſiæ habet (proh dolor!) criminatur. De talibus enim prædictus Cyprianus epiſcopus dicit: *Si quis autem pœnitentiam agere, & Deo ſatisfacere detrectans infeliciſſime, & ſatellitum ejus partes geſſerit, & hæreticæ factioni conjunxerit, ſciat ſe poſtea ad eccleſiam redire, & cum epiſcopis, & plebe Chriſti communicare non poſſe.* Item ipſe ſanctus in epiſtola ad plebem. *Ut non facile aliquis communicet, niſi prius pœnitentiam egerit, refert. Audio tamen quoſdam de presbyteris, nec Evangelii memores, nec quid ad nos martyres ſcripſerint, cogitantes, nec epiſcopo honorem Sacerdotii ſui, & Cathedræ reſervantes, jam cum lapſis communicare cœpiſſe, & offerre illis, & Euchariſtiam dare, quando oporteat ad hæc per ordinem pervenire. Nam quum in minoribus delictis, quæ non in Deum committuntur, pœnitentia agatur juſto tempore & exomologeſis fiat, inſpecta vita ejus, qui agit pœnitentiam; nec ad communicationem venire quis poſſit, niſi prius illi ab epiſcopo, & clero manus fuerit impoſita: quanto magis in his graviſſimis, & extremis delictis caute omnia, & moderate ſecundum diſciplinam populi obſervari oportet.* Et paullo poſt: *Vel vos itaque ſingulos regite conſilio, ac moderatione veſtra, & ſecundum divina præcepta lapſorum animos temperate, ut nemo importuno adhuc tempore acerba poma decerpat, nemo navem ſuam quaſſatam, & perforatam fluctibus, priuſquam diligenter refecerit, in altum denuo committat; nemo tunicam ſciſſam accipere, & induere properet, niſi eam ab artifice perito ſartam viderit, & a fullone curatam receperit;* & reliqua.

Sed his paulliſper ad ſanctam veſtram memoriam, patres, & reverendi Dei miniſtri, reductis, nobis videtur, ut primum cauſſa *Theobergæ reginæ*, quæ primum læſa eſt, & olim ad hanc ſedem apoſtolicam veniens, ſicut ſcitis, inter alia cum juramento dicebat, quod ante inter paganos aufugeret, quam faciem *Lotharii glorioſi regis* videret. Certe niſi, ut æſtimamus, timorem mortis illa paveſceret, hoc nullatenus ex ore ſuo proferret. Vos autem quos Dei gratia medicos animarum fecit, juxta qualitatem morborum medicamina languentibus adhibete. Nos vero inutiles, & omnium veſtrum minimi conſiderationem veſtram ſequi parati ſumus; ſed de judicio ſedis apoſtolicæ, ipſius Beati papæ Gelaſii inhibiti ſententia retractare non audemus. Jam vero ſi ita placet, ea, quæ ipſa ſedes judicavit, quod vix ſine diſcrimine fieri poteſt, retractet. Poteſtas enim illi a ſubditis non adimitur. Videat tamen quæ faciat, ne in divino judicio coram ſummo Deo, qui omnium poteſtatum jura gubernat, & cunctis ſæculis dominatur, diſtrictam rationem ponat. Porro ſi quis nos cogere conans, ad ſedis apoſtolicæ retractandum judicium unanimitatem noſtram commoverit, prævideat, unde cauſa prævaricationis ſumat exordium, & quo finis concluſio dirigat curſum. Nos enim petimus, & humiliter ſuggerendo precamur, ac per omnes Dei virtutes quantum poſſumus, adjuramus, ut ſi placet de ſedis apoſtolicæ judicio retractari, & quod inhibitum eſt judicari, hoc agatur conſilio, & tractatu non ſolum noſtrorum, ſed etiam iſtorum regnorum epiſcoporum, nec non &, ſi fieri poteſt, Orientalium utcumque antiſtitum, ubi ſcelera, quorum ultio falſo injuſta dicitur (proh dolor!) ſunt admiſſa. Rurſum petimus, & humiliter obſecramus, ut ſuggeratur piiſſimo noſtro imperatori, Deique cultori, & eccleſiæ Chriſti tutori, ut ſicut progenitores ejus Chriſtianiſſimi, & Orthodoxi imperatores fuere, & ipſe illorum veſtigium ſequens Chriſti eccleſiæ (Deo gratias) honorem ampliavit, & decus; ita Romanam eccleſiam caput omnium, cujus eſt defenſor, & advocator, defendat, exaltet, & protegat, & in aliquod præcipitium nos numquam mergi permittat; quatenus ſempiterna laus, & gloria, ſimulque copioſiſſima merces illi divinitus augmentetur. Suggeratur etiam illi, & ab ejus majeſtate flexo poplite poſtuletur, ut ſollicite perſcrutari debeat, qui ſint illi, qui lucra corporum, an qui penitus lucra animarum quærant, & ſui corporis incolumitatem velint. Potius nos audiat ſalubria ſuggerentes, quam alios unum horum tantummodo ſuadentes. Præcipue quum nos non noſtra, ſed ea, quæ ſunt Jeſu Chriſti, quæramus; & pro ſalute, ſtatu & exaltatione totius ſui imperii ſempiternum, ac immenſum imperatorem momentaneis precibus imploremus.

Auctoritatem autem Antiocheni concilii, quæ inter cetera noſtræ ſuffragatur ſuggeſtioni, ecce ſubjecimus, nam ejuſdem concilii capitulo duodecimo definitum eſt: *Si quis a proprio epiſcopo presbyter, aut diaconus, aut a Synodo fuerit epiſcopus forte damnatus, & imperatoris auribus moleſtus extiterit, oportet ad majus epiſcoporum converti concilium, & quæ putaverint habere juſta, plurimis epiſcopis ſuggerant, eorumque diſcuſſiones, ac judicia præſtolentur. Si vero hæc parvipendentes moleſti fuerint imperatori, hos nulla venia dignos eſſe, nec locum ſatisfactionis habere, nec ſpem futuræ reſtitutionis penitus opperiri.* Poſtremo jam quia compellimur, & a ſedis apoſtolicæ majori auctoritate, atque judicio ad minorem, quod non debet fieri, proclamatur, habemus alias auctoritates, quæ nos ſine omnium epiſcoporum, tam Orientalium ſcilicet, quam Occidentalium, quos diximus, præſentia de his aliquid examinare non ſtatuunt. Denique jam fatus Sanctus Cyprianus Carthaginenſis epiſcopus in epiſtola ad plebem de quinque presbyteris ait: *Placuit tam nobis, quam Confeſſoribus & Clericis urbicis, item univerſis epiſcopis nunc in noſtra provincia, vel trans mare conſtitutis, ut nihil innovetur circa Lapſorum cauſſam, niſi omnes in unum conveniremus.* Et iterum in alia epiſtola: *Audiant*, inquiens, *quæſo patienter conſilium noſtrum, expectent regreſſionem noſtram, ut cum ad vos per Dei miſericordiam venerimus, convocatis coepiſcopis pluribus, ſecundum Domini diſciplinam, & Confeſſorum præſentiam, veſtram quoque ſententiam, Beatorum Martyrum literas, & deſideria examinare poſſimus.* Hæc igitur propter improbitatem quorumdam ſub brevitate tranſcurrimus, ne noſtrum auditum miſericordiæ tantum januis claudere velle dicamur, cum nemo neſciat ſanum ſapiens, nec etiam *Guntharium*, & *Zachariam* lateat, quod ad illicita compellimur, & ad

ANNO CHRISTI 869.

ANNO CHRISTI 869.

ecclc-

ecclesiæ læsionem prohibita contingere cogimur. Judicatum est enim juste de illis, & per sedem apostolicam, ubi totius judicii summa potestas est, & auctoritas, de his extat deliberatum, a quo nemo est appellare permissus; de cujus judicio retractari non licet; cujus sententia debet fine tenus insolubilis permanere, si Christianitatis vigorem, & opus quis non cœperit conculcare. Porro si in mundanis quislibet suspectum habet Judicem, præsentiam ducis requirit; si Ducem suspectum habet, præsidem adit; si & ipsum suspectum habet, ad Imperatorem, a quo jam non est appellandum, recurrit: quanto magis in ecclesiasticis id observandum est, ut si aliquis judicatur ab inferioribus, debeat ad sublimioris sedis, hoc est apostolicæ, judicium proclamare? Ab illa autem judicatus qualiter ad inferiores debeat proclamare, nullis exemplis, nullis judiciis, nullis legibus, nullisque Traditionibus omnino reperimus. ANNO CHRISTI 869.

SYNODUS CAPHARTUTÆ JACOBITARUM

Pro statuenda inter eos ecclesiastica Hierarchia, a Joanne patriarcha Antiocheno Jacobita, anno Græcorum 1180. Christi 869. celebrata.

Ex Suppl. Mansi tom. I. pag. 2011.

Occasione schismatis inter Joannem patriarcham Antiochenum Jacobitarum, & Basilium Maphrianum Orientis, ideſt primatem itidem Jacobitarum Orientalia incolentium, Maphrianorum Orientis suprema post patriarchalem potestas scissa erat in duo. Huic tollendo schismati, utroque æmulo fatis jam functo, Joannes patriarcha concilium ad Caphartutam indixit, in quo & pax ecclesiæ illi reddita, & canones octo sanciti; *qui ad patriarcham, & Maphrianum spectant: ut scilicet Maphrianus primum a patriarcha locum supra omnes pontifices Occidentales obtineat, utque ipse electo patriarchæ manum imponat. Absolutus præterea Basilius cum sociis, & quos Callinici, Haran, & Rhesinæ, episcopos consecraverat, ad alias vacuas sedes translati.* Ex Assemano Biblioth. Orient. tom. 2. pag. 437.

FINIS TOMI DECIMIQUINTI.

GTU LIBRARY
3 2400 00639 8741